BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
X
C
6
NAPOLI

R. P.

MAXIMILIANI SANDAEI

SOCIETATIS IESV DOCTORIS THEOLOGI

MILITIÆ CHRISTIANAE

TOMVS II.

ARS MILITARIS ECCLESIÆ MILITANTIS.

In quo tractatur Theologicè, Ethicè, Politicè, de conſcribendo Milite, & Exercitu conſtituendo in Eccleſiâ Militante. Item. De Exercitio Militum Chriſtianorum multiplici; per comparationem ad Militiam Hebraicam, Græcam, Romanam: Veterem & Recentem.

VEGETIVS CHRISTIANVS.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Jodocvm Kalcovivm. Anno M. DC. LI.

Permiſſu Superiorum & Privilegio

IESV
CHRISTO IMPERATORI
DEO FORTI
Potenti. Pollenti Inuicto
INCOMPARABILI.

QVis illi ſimilis? Quem dum vel in cunis contemplor, vel nominari audio, obuerſatur animo, Infantulus, ſimulque Vir ad bella Domini bellanda doctiſſimus, Dux populi, Dominator Iſraëlis, Ductor copiarum cæleſtium, ſubiugator Gentium, diſſipator caſtrorum hoſtilium, expugnator Vrbium, Occupator Regnorum, galeatus, loricatus, ocreatus, gladiatus. Ita ferè, quotieſcumque Prophetæ de Nato Chriſto Vaticinantur, depingitur. Iſaiæ XI. *Egredietur* VIRGA (quod ipſum nomen eſt, & Sceptrum Bellatoris deſignat) *de radice Ieſſe* (IESSEVS IESVLVS) *& flos de radice eius aſcendet. Et percutiet terram* Virga *oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Et erit Iuſtitia Cingulum lumborum eius, & Fides Cinctorium renum eius.* Micheæ V. *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui ſit* DOMINATOR *in Iſrael.* Quod Matthæi ſecundo legitur: *Ex te exiet* DVX, *qui regat populum meum Iſrael.* Hinc illa adſpiratio Eccleſiæ Militantis. O *Adonai!* O DVX *Domus Iſrael, qui Moſi in igne flamma Rubi apparuiſti, veni ad redimendum nos in brachio extenſo!* Hinc illa applauſus Poëticus,

O Sola magnarum vrbium
Maior Bethleem, cui contigit
DVCEM *Salutis cælitus*
Incorporatum gignere.

Iſaiæ VII. *Antequam ſciat* PVER *vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum.* A quo? Ab illo, cuius Nomen: *Accelera, ſpolia detrahere: Feſtina prædari.* Iſaiæ IX. *Paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis: & factus eſt Principatus ſuper humerum eius.* Nempe, quem armauit Sceptro bellico potentiæ ſuæ. Nam hic Paruulus natus eſt Princeps, Rex, Imperator Orbis, Cæli & Terræ Dominus: qui non tantum in capite Diadema, & in manu Sceptrum, ſed etiam in humero CRVCEM, Principatus ſui Inſigne geſtat. Quo in ipſo ſuo ortu cæpit debellare Damaſcum & Samariam: ſcilicet Mundi fortitudinem, Sapientiam, gloriam: domuitque non minus in Præſepio, quàm in Caluariæ iugo Duellans Orbem, non ferro, ſed ligno: non feriendo, ſed patiendo.

TIBI igitur CHRISTE, Imperator Inuictiſſime; debetur, quicquid de ECCLESIA TVA MILITANTE pertractaui. TV, quod in eo eſt boni ſuggeſſiſti, TV concinnaſti, TV adornaſti: TIBI ergo Tuoque Nomini ac Numini id tranſcribo ac conſecro. Fac, BONE IESV, vt fructum inde eliciam, lectorque meus, ad Gloriam

Tuam,

Tuam, quem conciderando, dicendo, ſcribendo propoſitum habui: nempe,

IESVM

NOMINE quo fundata ſalus ſtat noſtra fideſqúe,
Nititur æternatendens in ſæcula vita.

ELENCHVS
Librorum Tomi II. eorumqúe Numerus, Tituli, Summaria.

I. *Delectus Militaris in Militia Chriſtiana.*

II. *Auxilia Sociorum Eccleſiæ Militantis. In quo numerantur, & deſcribuntur diuerſi Exercitus Auxiliares Militiæ Chriſtianæ.* Primùs, *Angelorum.* Secundus, *Hominum in cælo viuentium.* Tertius, *Mortalium* DEO *Sacratorum. Deinde recenſentur Supplementa Militiæ Chriſtianæ: ſeu Cohortes ſubſidiariæ ex Creaturarum vniuerſitate.*

III. *Tyrocinium Militare in Eccleſia Militante, continens Exercitia Militaria, à Militia vulgari profanaqúe translata ad Sacram, ſeu Chriſtianam.*

IV. *Armamentarium. Panoplia. Officina Armorum in Eccleſia Militante pro Militia* Chri*ſtiana. Quæ, cum reperiantur in Paſsione Saluatoris:* PASSIO CHRISTI *tota Militariter, idoneis Meditationibus conſideratur, atque exponitur.*

V. *Monomachia, ſeu Duellum Chriſti Patientis & Pugnantis. Mors & Vita Duello conflixêre mirando.*

VI. *Militia Chriſtiana Duellatrix, Ars & Exercitium Duellandi Eccleſiæ Militantis. Monomachia multiplex in Eccleſia Militante laudabilis, & vſurpata, ac vſurpanda frequenter.*

MAXIMILIANI SANDÆI

ECCLESIA MILITANS. MILITIA CHRISTIANA. THEOLOGIA MILITARIS.

PROLOQVIVM

Ad Academicos Chriſtianos.

Quò ſpectent Commentationes, Conciones, Sermonés-ue de Militiâ Chriſtianâ.

EST in extremâ parte Italiæ veneno ſiſſimum animalculum, Araneá Apulam quidam vocát, è phalangiorum genere: vulgo Tarantulam dicunt. Hoc ſi quem læſerit, peſtifer eſt ictus, vel morſus. At ſono muſico ſanatur infectus: ita tamen, vt vitus, licet concentu ſanâbile non eadem harmoniâ ab omnium corporibus exigatur. Stupent enim illa tabe perculſi, nec fidibus, quas moris eſt adhiberi, antè mouentur, quàm præcentor in tonum inciderit, qui arcanâ vi, cum eorum animis conſentit. Tum æger exultare, tūc in pedes attolli, longoq́ue tripudio ac ſudore emoliri ſanguinis labem. Hæc eſt, inquis, fabula. Non eſſe fabulam, norunt, qui teſtes oculati, cùm delirantium ritu, ſaltitantem aſpicerent multitudinem in Apuliâ, cauſſam inſoliti motus percunctati ab incolis, illam, quam paullò ante enarraui, acceperunt. Eſt itaque inter Naturæ Admiranda iſtud haud poſtremum. Sed quod, ut imaginem con-

templor ejus ſpectaculi, quo in theatro Gratiæ vel oblectantur, vel indignantur Euangelici ſpectatores. Sic enim exiſtimo.

PECCATOREM rectè concipi, vt ictum à venenigerâ araneâ: quo ſymbolo non minus benè, quàm Serpentis calcaneo noſtro inſidiantis, Cacodæmon exprimitur. Huius ſuggeſtione, tanquam ſibilo, afflatu, vel morſu, virus lethale criminum variorum animis infundi nimis quàm exploratum eſt. Quod-nam ita mortiferè læſis remedium? MVSICA. quo Nomine Doctrina cæleſtis, quà interna mentibus à Muſicorum omnium Magiſtro immitti ſolita, quà exterior in auribus perſonans, ſignificatur. Ob quam cauſſam Chriſtus Dominus, vel, vt citharædus, vel vt fidicen, vel vt cantor diuinus nonnunquam ab antiquis doctiſſimisque Patribus celebratur. Nimirum, venerat ipſe, vt primum hominem, eiusque poſteritatem omnem, à venenoſiſſimo ictum araneo concentu perſanaret. Quod dum aggrederetur, animaduerſum eſt, non quibuſlibet modulis ægros ad tripudia ſanitatis præambula, excitari. *Cecinimus vobis*, inquiebat Chriſtus, *& non ſaltaſtis*, Matthæi XI. 17. Tam diu tamen cantavit Choraſtates noſter, tam diu modulos variauit, cæleſtis fidicen, tam diu neruos omnes admirabili dexteritate percuſſit Pſaltes ille diuinus, donec harmoniam attingeret, quæ vi abdita animis conſentiret, & commoueret. Atque ita multi ſanitati ſunt redditi.

IDEM mihi faciundum arbitrabar, quo primum tempore, animum ad ſcribendum, ac dicendum appuli, & operam meam Academicis Auditoribus hîc, & alibi addixi. Ea-propter cùm initio modos variaſſem, &, prout Euangelij præſens materia ſuggerebat, nunc de hac, nunc de illâ virtute, vitio-ue commentater; placuit deinde, conſulto Chori Euangelici Moderatore, quotannis certum harmoniæ genus tentare, donec illud proſiliret, quod omnibus eſſet accommodatum, ſi quidem inueniri poſſet. Sicq; hactenus ſonos Grammaticos, Philoſophicos, Medicos, Iuridicos, & omnibus his mixtos Theologicos edidi. De fructu aliorum ſit iudicium. Dicere fortaſſe poſſumus, quod cæleſtis Magiſter: *Cantauimus vobis, & non ſaltaſtis.* Fortaſſe non tam, quia haud benè, ſed quia minus conuenienter quorundam ingenijs. Nam non ille à phalangijs morſum vindicat, qui benè canit, aut plectro peritè vtitur, ſed qui accommodatè ad affectus laborantis. Fortaſſe, nimis leniter pulſauimus aliquando: fortaſſe, mollius, ſuauius, ſubmiſſius nonnunquam, quàm expediebat. Sunt, qui non mouentur citharâ, ſed lituo; non audiunt fides, ſed tympana, non eſt illis conueniens ſonus, quem chelys edit, ſed quem tuba præliaris. Plerisque prodeſt clamor virum, clangor arietum & baliſtarum fragor & ſtrepitus tormentorũ, vt nunc vocamus, militarium. Itaque, quod felix fauſtumque, bellica iterum inſtrumenta mouebimus, & claſſicum canemus. Erunt haud dubiè non pauci in bellicoſâ gente, & hoc belligero tempore, quibus Martius iſte cantus ſit futurus ſaluti. Dicam planius.

POST Scientias penè omnes, earumque cultores à profanitate emaculatos, deſcriptum-

deſcriptumque , *Grammaticum Chriſtianum* , ac eiuſdem denominationis, *Philoſophum, Medicum, Iuriſconſultum*, incepi formare, & exprimere MILITEM CHRISTIANVM, Militiâ profanâ in Sacram quomodo Chriſtianam indigito, transfiguratâ. Id, vt fiat accuratè, neceſſe eſt, petitis ex Diſciplinâ militari documentis & ad vſum ſacrum tralatis, de tota re Militari, ſed non niſi hoc fine, agere. Quod vnico Commentationum volumine expediri nón potuit. Sed quid, occurrit fortaſſe nonnemo, Academiæ cum campo, Gymnaſio Sapientiæ, cum Caſtris Bellonæ, Concioni cum claſſico, ſtudioſis litterarum ac virtutum cum Militibus ? Eſt tanta horum communio & affinitas, vt à ſe mutuo auelli non queant. Et nemo Studioſus, ſiue litterarum, ſiue virtutum nominari verè poſſit, qui non ſit etiam MILES. Addo, quod nemo ex omnibus Auditoribus meis ſalutem conſequetur æternam, niſi Militauerit: nimirum, Chriſtianè. Quod paradoxum videri poſſet, & paralogum; ſed demonſtratum eſt rationibus minimè friuolis in præcedenti Tomo. Ex cuius Prooemio illud quoq; conſtat, Scriptionem: Dictionemque de Militiâ Chriſtianâ, Doctori Religioſo, & Societatis IESV Eccleſiaſtæ eſſe conuenientem: denique, SAPIENTIAM DIVINAM, cui deſeruimus, quotquot in Eccleſiâ Militante, partes noſtras, commentando, ſcribendo, dicendo, diſputando, differendo, docendo, agimus, eſſe BELLATRICEM.

* * *

LIBER I.

DELECTVS MILITARIS
In Militiâ Chriſtianâ.

COMMENTATIO I.
DELECTVS. VOCATIO. ELECTIO.

Non veni vocare Iuſtos, ſed peccatores ad pænitentiam. Lucæ v. 32.

MEMBRVM I.

Hominum ad Pænitentiam, Fidem, Gratiam, Gloriam, Deſignatio. Vocatio. Nominatio. Electio. Tractio.

CVM ageret Dominus Chriſtus de cauſſis Aduĕtus ſui in carnē, vnam, eamque haud poſtremam eſſe aſſerebat, vt vocaret quoſdam, haud dubiè ad ſua Signa, & ſtipendia: veniebat enim, tanquam ſummus belli Dux & Imperator. *Non veni*, inquiebat, *vocare Iuſtos ſed peccatores ad pænitentiam*: quod idem eſt ac ſi dixiſſet: Veni ad Delectum militarem faciendū, qui ſemper fuit ad conſtituendum Exercitum perquam neceſſarius. Cùm enim Exercitus ſit multitudo apta & compoſita in armis, ad defenſionem, vel offenſionem, nunquām erit talis, ſine Delectu: ſiquidem, niſi eligantur, & decernantur, qui ſunt idonei, turba facile conſtituetur: multitudo ad bellandum apta, minimè. Itaque dum bellum paratur, prima Ducis cura eſt, vt ad militiam conſcribantur quam ſelectiſſimi, quod fit *Delectu*. Quem quomodo inſtituerit Militiæ Chriſtianæ ſupremus Arbiter, analogiâ ad Delectum militarem Monarcharum, contra hoſtes ſuos copioſum militem adſciſcentium, maximè Romanorum, hac Commentatione declarabimus. Si hoc imprimis ponatur.

IN Paginis diuinis, quæ ſunt Noſtri Imperatoris, *Delectum Militis* Chriſtiani denotari nomine Vocationis, & Electionis, quæ non rarò occurrunt, cùm de Eccleſiâ Militante, & Militiâ Chriſtiana agitur. Vnde & *Vocati* & *Electi* frequenter, id eſt, in Eccleſiam Militantem adſciti. Militiæ Chriſtianæ adſcripti, & delectu ſecreti leguntur. Immò, & *Vocandi* verbum in delectu faciendo à Militiæ Romanæ ſcriptoribus vſurpatum reperio. Liuius libro XLII. deſcribens Macedonicum delectum ſic habet: *Cùm Tribuni militum Centuriones primum quemque vocarent, tres & viginti centuriones, qui primos pilos duxerant, citati, Tribunos plebis appellarunt.* Deligitur igitur Miles Chriſtianus, ſiue quando ab infidelitate ad fidem; ſiue quando iam fidelis, ab improbitate ad vitam honeſtam, piamque; ſiue à vitâ minus perfectâ, vt mundana, ſeculari, laica, ad Eccleſiaſticam; & multo magis ad Religioſam vocatur. Vocationis autem nomine ſignificamus affectum, & quendam veluti impulſum internum, poſt illuſtrationem intellectus peculiarem, quo quis ſentit ſe incitari ad bonum aliquod excellens: ad functionem virtutis heroicæ. Vt ad deſertionem Seculi, imitationem Chriſti perfectam, conſecrationem paupertatis, ſubiectionem omnimodam, voluntatis propriæ abdicationem, & his ſimilia.

MEMBRVM II.

PRÆSES DELECTVS MILITARIS.

Quinam elegerint in Militia Romana. Qui eligant in Militia Christiana.

IN Delectu militari tria potiſſimùm conſiderarunt, qui de Militia Romana ſcripſerunt Viri Litterati, quibus aliqua adiungemus. *Primum* eſt, Qui elegerint? *Secundum*, Quos? *Tertium*, Quomodo? Eligebant ſumma Reipublicæ, & Militiæ Capita. Dictator, vel Conſules. Liuius libro tertio, *Dictator edicit, vt quicumque ætate militari eſſent, armati cum cibarijs in dies quinq; coctus, vallisq; duodenis ante Solis occaſum Martio in Campo adeſſent.* De Conſulibus idem eod. lib. *Conſules in ſubiecto campo curules cellas poſuerunt, vbi & delectum habuerunt*: quod Dionyſius quoque habet, Et Polybius de Republica Romana inter munia Conſularia recenſet: *Conſcribere milites. & idoneos deligere.*

IDEM ſeruatur in Militia Chriſtiana, vbi Delectum inſtituit ille, qui totius Exercitus eſt Imperator; vel per ſe immediatè, vt loquimur in Scholis: ac ſi Princeps ſupremus obiret ipſe regiones, & in album referret; vel per Duces & Centuriones ſibi ſubſtitutos, ac perſonam repræſentantes: ita tamen, vt ipſe ſemper, qui ſummus eſt, vocare, & deligere dicatur, quia principem ſemper cauſſam agit. DEVS eſt, mihi credite, qui in Vocatione, ſiue ad fidem, ſiue ad pænitentiam, ſiue ad perfectionem Chriſtianam, & ſtatum religioſum primas partes tene-

Scitè

Scitè Bernardus & verè ſermone ad Clericos capite 1. & 2. *Planè conuerſio animarum opus eſt diuinæ vocis, non humanæ.* Miſit quidem DEVS ab ipſis mundi incunabulis ſemper aliquos, qui ad Militiam ſuam vocarent nonnullos, ſed nũquam nomen ſuum dederunt, niſi, quos ipſe Dux ſupremus ſingulari quadam vocationis prærogatiua citauit.

IN mentem veniat Noë, quem Apoſtolus Petrus nominat Præconem Iuſtitiæ; non politicæ, ſed diuinæ; qua præditus fuiſſe refertur, Geneſis VI vbi vocatur, *Noë vir iuſtus, atque perfectus*; eidemque dicit DEVS ipſe, Geneſ. VII. *Te vidi iuſtum coram me in generatione hac.* Is vt omnes ſui æui homines ad Iuſtitiæ vexillum aduolarent, monebat, quà exemplo quà verbo; quà Arcæ per multos annos fabricatione; non plures tamen, quàm ſeptem homines, ex tãnta multitudine, qui terrarum orbem opplenerãt, ad ſua Signa pellicere potuit. Verè Bernardus: *Conuerſio animarum opus eſt Diuinæ vocis, non humanæ.* Sequuti ſunt deinde vt delectum militarem haberent, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moſes, Ioſue, Samuel, Prophetæ, & Præcones Verbi DEI, alij; præter illos, quorum nomina celebrantur, penè innumeri, ſed nunquam aliquem permouerunt, quem non ſummus Militiæ Princeps voce ad alliciendum blanda, ad permouendum congrua, ad pertrahendum efficaci ſibi adiunxerit. Nam reuerà: *Conuerſio animarum opus eſt Diuinæ vocis, non humanæ.* Immò, Chriſtus Dominus, ille ſpecioſus forma præ filijs hominum, ille humani generis illicium, ille decus orbis vniuerſi; Chriſtus, cuius fulgor & Maieſtas Diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, & ex primo, ad ſe, videntes trahere poterat aſpectu, vt ſuccinum ſtipulas, ac feſtucas, cùm Delectum militarem ſe habere velle profeſſus eſſet, illud præmiſit programma, quod affigi iuſſit in Euangelij tabula: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, Ioannis VI. 44. Nimirum, ſancire volebat Delectum Militis Chriſtiani, non hominis eſſe opus, ſed DEI: Conuerſionem animarum, opus eſſe diuinæ vocis, non humanæ.

CHRISTVS à Patre miſſus miſit deinde Apoſtolos, vt Legatos ſuos, qui quàm plurimos Militiæ ſacræ adſcriberent: ij induſtriè officio ſibi commiſſo ſatisfecerunt. Iacobus Ieroſolymis; Petrus Antiochiæ, Romæ, alibi; Ioannes in Aſia; Thomas apud Indos; Paulus in Palæſtina, Græcia, Italia; ceteri in alijs Orbis partibus militare Chriſti vexillum erexerunt, ſtipendia ampliſſima, neque ſceptris aut regnis inferiora propoſuere, donatiua opulentiſſima, gratiæ, gloriæ, æternitatis oſtentarunt: opima ab hoſtibus ſpolia, diuiteſque prædas promiſerunt, ſi ad fidem, religionem, virtutem, perfectionem Chriſtianam conſectandam nomina dare vellent. Quibus perſuaſum? non alijs, quàm quos ſupremo Militiæ Duci vocare, pellicere, attrahere ad ſigna ſua placuit. Id vno eoque ſingulari exemplo demonſtrare voluit Diuinus Spiritus: ſed conuerſionum aliarum eadem eſt ratio. Erat Paulus Philippis, & concionabatur, vt ſolebat ſemper ſumma contentione, & vehementia incredibili, de Regno DEI, de infidelium cæcitate, de fidei lumine in his ignorantiæ

noranti æ tenebris præfulgido, de vitiorum turpitudine, virtutum elegantiâ, perfectionis Chriſtianæ nobilitate: de caſtitate, demiſſione, iuſtitiâ, morte, iudicio: malorum, bonorumque finibus, damnatione perpetuâ, & æternâ gloriâ. Quis ex omnibus manus dedit? quis Paulo ſe adhæſurum ſpopondit? quis in album inſcriptus? Reſpondet Lucas Euangeliſta, Actuum Apoſtol. XVI. *Quædam mulier, nomine Lydia purpuraria, ciuitatis Thyatirenorum colens DEVM audiuit: cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.* Et illa baptizata eſt, & domus eius. Quibus inſinuatur illam ad Chriſtiana ſigna acceſſiſſe, cui DEVS cor aperuit: id eſt, quam ipſe vocauit, elegit, attraxit. Vt rectè inde D. Proſper (a) collegerit: Fidem eſſe donum DEI. Nemo igitur venit, & Militiæ Chriſtianæ adſcribitur, cui DEVS cor non aperit: nempe, cui non dat auxilium, quo non modò poſſit credere, ſed etiam credat: quo non tantùm ſuadeat, ſed & perſuadeat; quod non ſit modò ſufficiens, ſed efficax quoque.

QVO ſpectant iſta: *Omnis, qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.* (b). *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet.* (c) *Vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis:* (d) nimirum, non eſtis electi, non prædeſtinati, quibus datur efficax gratia, ſaltem finalis. Vel non eſtis hoc tempore ex ouibus obaudientibus, & in futuro eritis reprobæ. Poſtquam dixiſſet Dominus, neminem poſſe venire, nempe, ſine gratia: quod eſt neminem venire efficaciter niſi Pater traxerit eum ſubiunxit: (e) *Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles DEI:* hoc eſt, qui credunt, à DEO docentur: neque credit, niſi ab illo doctus, ſiue perſuaſus & tractus. Adhæc. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante Te. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Et hoc eſt, quod Apoſtolus Paulus, tum ad Epheſios, (f) tum ad Philippenſes, (g) denique ad Theſſalonicenſes ſcribens inculcat: Fidem adde Conuerſionem, eſſe donum DEI, & non omnium eſſe fidem. Non dubitabat tamen poſſe credere, quotquot volunt cooperari gratiæ præuenienti, quam DEVS gratis ſuppeditat.

DEVS eſt, qui delectum debet ipſe facere; vocare, & vt vocanti aſſenſum præbeamus, cauſſare; offerre conditionem, & vt manum extendamus, illam arripere? Is cum ad oſtium pulſans ait: *Si quis mihi aperuerit,* (h) ipſemet aperire debet, non minus, quàm cùm oratur, vt conuertat, qui iubet vt conuertamur: (i) ſic vt labia aperiat, poſtulamus (k) ab illo qui imperat, vt os aperiamus. (l) Denique Paulo & Barnaba ad Gentes conuerſis, cum repellerent eos Iudæi gauiſæ ſunt Gentes ſed qui crediderunt? *Quotquot erant præordinati ad vitam æternã,* inquit fidelis hiſtoricus, (m) Actuum III. Itaque, dum quis ab infidelitate ad Religionem Chriſtianam, à vitio ad colendam

(a) *Lib. de lib. arb. ad Ruffin. libro contra Collat. cap.* 30. *lib.* 1. *de vocat. Gent. cap.* 23. (b) *Ioan.* VI. 45. (c) *Ioan.* VI. 37. (d) *Ioan.* X. 26. (e) *Ioan.* VI. 45. *Iſaiæ* LIV. 13. (f) *Cap.* 28. (g) *Cap.* 1. 28. (h) 1. *ad Theſſal.* 3. 2. (i) *Apocal.* 3. 20. (k) *Pſalm.* 485. *Zach.* 1. 3. (l) *Pſalm.* 50. 17. *Pſal.* 80. 11. (m) *Actuum* XIII. 48.

dam virtutem à vitâ ſeculari vocatur ad ingrediendum ſtatum religioſum, dubitati non debet modò nihil perperam ipſe miſceat, DEO auctore hæc fieri. Nam tenendum eſt, omne bonum velle quod pietatem ſpectat, omnemque boni ſalutaris affectum eſſe à Gratia DEI, non à ſpiritu humano, vt in tot contra Pelagium Concilijs, Mileuitano, (a) Palæſtino, Arauſicano, & nouiſſimè, (b) Tridentino fuit definitum. At, quis ambigat affectum amplexandi fidem catholicam, deſerendi vitia, colendi virtutes Chriſtianas; abrenunciandi mundo ad vitam æternam ſecurius conſequendam eſſe affectum bonum, ad pietatem ſpectantem, & maximè ſalutarem? eſt igitur à DEO.

HANC veritatem dum confirmat Doctor Angelicus, agens ſignatè de vocatione ad ſtatum religioſum, dicit, illi, qui ad Religionem accedit, non poſſe eſſe dubium, an propoſitum, de ingreſſu Religionis in eius corde exortum ſit à Spiritu DEI, cuius eſt ducere hominem in terram rectam. At nonne dictum eſt: (d) *Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus ſi ex DEO ſint?* Hoc non pertinere exiſtimat ad illum, qui vult Religionem ingredi, quoniam non habet rationem dubitandi; ſed ad eos, qui offerentem ſunt admiſſuri. Siquidem cùm hi cor illius non poſſint intueri, meritò ambigere poſſunt, vtrum Spiritu DEI moueatur. Neque illud obſtat, quod aliqui non perſeuerent: id enim non eſt ſignum, vocationem non fuiſſe à DEO, quia non omne quod eſt à DEO, eſt incorruptibile, alioquin creaturæ corruptibiles non eſſent à DEO, qui eſt error Manichæorum: & ij, qui ſemel accepiſſent à Deo gratiam, non poſſent amplius peccare, & gratiam amittere; quod eſt hæreticum. Ita ferè S. Thomas diſſerit in Summa Theologia, qui alio loco, vt omnem dubitationem auferat, docet, (e) ſi cui à Diabolo ſuggeratur, vel etiam ab homine Religionis ingreſſus, per quẽ Chriſtianus accedit ad ſequendum Chriſtum, talem ſuggeſtionem non habituram vim efficaciamque ad eius exequutionem, niſi interius attrahatur ille ipſe à DEO. Atque ita Religionis propoſitum à quocumque ſuggeratur, eſſe à DEO: cùm ſit ſalutaris animi motus ad pietatem & ſalutem æternam pertinens, cuius principium ſemper eſt DEVS. Quid ſi hæreticus vel ipſe Diabolus in Angelum lucis transfiguratus, aut corpus indutus Sacerdotis, Euangelium prædicet & ex auditoribus quiſpiam conuertatur? certè, interna illa conuerſio erit ex afflatu ac impulſu diuino, non à Cacodæmone.

VERISSIME enim dixit Apoſtolus ſcribens Corinthijs 1. c. XII. *Nemo poteſt dicere Dominus IESVS, niſi in Spiritu-Sancto:* hoc eſt: nemo poteſt Chriſtum ſeriò, tanquam Dominum & DEVM ſuum inuocare, niſi vi virtuteque, ſeu impulſu, & adiutorio Spiritus-Sancti. Quod ſi inuocatio Chriſti non poteſt eſſe in corde cuiuſquam, niſi ex motione Spiritus-Sancti, multo minus affectus & voluntas abnegandi ſe propter Chriſtũ, ſuiſque cupiditatibus, reſiſtenti, propoſitum deſerendi ſeculum, deſiderium imitandi

(a) *Cant.* 4. & 5. (b) *Trid. Seſſ.* 5. *cap.* 5. & *Cano.* 1. (c) *S. Tho.* 2. 2. *q. vlt. ar. vlt. ad* 1. (d) 1. *Ioan* 4. 1. (e) *S. Thom. Opuſc.* XVII. *cap.* 10.

imitandi, poteſt aliunde, quam à Spiritu diuino procedere, cùm maiorem difficultatem habeat, vireſque humanas magis ſuperet. Huc facit eiuſdem Apoſtoli illa vniuerſalis negatiua, per excluſionem operis boni, quantumuis minimi: *Non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt*, ſecundæ ad Corinth. 3. Si nulla cogitatio ſalubris in nobis poteſt eſſe ex ſpiritu humano, & naturæ noſtræ ſufficientia, vt Apoſtolus loquitur, ſed à DEO nobis illa donari debet, quanto minus, conſilium, affectus propoſitum perfectè DEO ſeruiendi vel à noſtro ſpiritu, vel à Spiritu malo, qualis eſt Dæmon, poteſt proficiſci. Sit itaque certum, Delectum in Militiâ Chriſtiana non ab alio, quàm à ſupremò Principe fieri, illum eſſe Dictatorem, Præſidem, Antignanum; licet aliæ cauſſæ mediæ interueniant.

MEMBRVM III.

Qui nam ad Chriſti Signa vocentur? Qui per Delectum ſeligantur.

QVOS ad Signa ſua adiungere deſideret Militiæ noſtræ Imperator, ſatis ſignificauit, qui illi ſint à ſecretis, Paulus Doctor Gentium, dum vniuersè pronunciauit: *Omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* 1. ad Timoth. ſecundo. Ni mirum, bonus DEVS, miſerator & miſericors, pro ſuâ in omne genus hominum propensâ ac beneuola voluntate, vniuerſos mortales vult ſub ſuis ſignis militare, ſibi ſeruire, & ſalutem tandem conſequi. Neque id tantùm vult, voluntate, quam Scholaſtici noſtri, voluntatem *Signi* vocant, ſed reuerà etiam voluntate *Beneplaciti*; licet, cùm non omnes ad ſalutem perueniant, illa ſolùm ſit *Antecedens*, vt Theologi loquuntur. Quæ eſt ſententia D. Chryſoſtomi, cui aſtipulantur Patres Græci. Præclarè Orator ille ſummus, homilia VII. in Ioannem. *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum, quo nam pacto tot homines ſine lumine permanent? neque enim omnes Chriſtum cognoſcunt: quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profectò, quantum in ipſo eſt. Si qui autem ſponte ſua mentis oculis conniuentibus ad huius lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perſtiterũt, ſed ex malitia ſua, qui ſponte ſe tanto dono indignos reddiderunt.* Ad eundem modum Clemens Alexandrinus in adhortatorio ad Gentes: *Audite, qui eſtis longè, audite qui propè: Nulli celatum eſt verbum: Lux eſt communis: omnibus illuceſſit hominibus: nullus eſt in Verbo Cimmerius* Neque aliter ex Latinis S. Ambroſius Serm. VIII. in Pſal. 118. qui *Sol iuſtitiæ*, inquit, *omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit. Si quis autem non credit in Chriſtum generali beneficio ſe fraudat: vt ſi quis clauſis feneſtris radios Solis excludat.* Similia habet S. Auguſtinus, (a) & Hieronymus. (b)

(a) *De Sp. & litt. cap. 33. ad Articul. ſibi falsò impoſit. Reſp. 2.* (b) *ad Eph. 1. in Ezech. 19.*

QVIBVS indicatur conditio voluntatis antecedentis, quæ verſatur circa res creatas, vt ſunt in ſe ipſis, nulla factâ hypotheſi, & nullo habito reſpectu ad ea, quæ vitio ſecundarum cauſſarum deinde accedunt. Quocirca DEVS hac voluntate antecedente multa velle dicitur, quę tamen reuerà non fiunt. Atque ideo Doctores illam nominant *ſimplicis complacentiæ*: non quod nō ſit verus volūtatis actus, ſed quod non ſit omninò efficax, defectu non ex parte ſuâ, ſed ex parte cauſſarum ſecundarum, vt hic, hominum, qui cùm deficere poſſint, libertate ſuâ vtuntur, at ſæpe deficiunt: vt docent alijs verbis Patres antiqui: (a) Neminem igitur excludit DEVS ex tota hominum quorumcumque multitudine, quem non velit nomen ſuum huic ſacræ Militiæ dare: illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & quantum in ipſo eſt, omnibus cæleſtem lucē offert, immò, adfert. Verùm quamuis multi, hoc eſt, omnes, ſint vocati, pauci tamen reperiuntur poſt Delectum in album relati, non Deligentis, ſed ipſorum culpâ.

(a) *Orig. lib. 4. contra Celſum Baſil. in Pſalm. 7. Damaſ. lib. 2. c. 9. Chryſoſt. hom. 15. & 16. ad Rom. Ambr. lib. 2. de Cain & Abel. cap. 9. & lib. de fuga ſecul. cap. 1. lib. 4. epiſt. 13. Hilar. in pſ. 68. Proſp. lib. 2. de vocat. Gent. Dionyſ. de cæl. hierar. cap. 9. Irenæ lib. 4. cap. 71. Hila. lib. 2. de Trin. Cyrill. lib. 5. in Ioann. Paulin. epiſt. 1.*

MEMBRVM IV.
RATIO & MODVS
Milites Chriſtianos legendi.

AT, quæ ratio modusque legendi Chriſtianos Milites? quæ forma Delectus? Apud Romanos quædam præcedebant, vt *Indictio* diei, quæ fiebat vel voce, vel ſcripto: item, *Signi propoſitio*. Ad indictionem quod ſpectat, Polybius ita refert lib. VI. *Cùm habituri ſunt Delectum, Conſules, publicè diem prodicunt: qua die Romanos omnes adeſſe oportet, quibus ætas eſt militaris.* Diei autem prodictio fiebat, vel præconum voce, vel ſcripto. Dionyſius libro VIII. agens de hac re: *diem*, inquit, *præſcripſerunt.* Et Liuius lib. VI. Edictum nominat: *Iuniores Romam ad edictum ſine detrectatione conuenerunt.* Et alibi: *Silentio Patrum edicitur tempus delectus.* Delectus Chriſtiani tempus, vel fuit illud, quo Imperator Chriſtus nobiſcum in carne egit, & Militiæ ſuæ Tribunos, Legatos, Centuriones creauit, aciemq́; benè ordinatam. id eſt, Eccleſiam ſuam diſpoſuit; vel eſt vita cuiuſque hominis, à die ortus ad occaſum: nam quàm diu ſpirat, poteſt nomen dare, ſi eatenus neglexit. Prodixit autem hoc tempus Dux noſter. & de eo monuit, tum præconum voce, tum ſcripto. Iam enim olim ab orbe condito circummiſſi ſunt Præcones, qui mandata ſummi Imperatoris deferrent, ac promulgarent. Certè, S. Petrus in altera ſuarum Epiſtolarum cap. 2. Patriarcham Noë vocat *Octauum Iuſtitiæ præconem.* Qui octauum ſtatuit, vt conſtet

ſtet numerus, ſeptem præceſſiſſe ſuppo-nit. Itaque exiſtimant aliqui ex Ioſepho, lib. IV. & V. Antiq. numerum ſupputandum à *Seth*, viro primis illis temporibus ſapientiſſimo, cuius ſoboles per ſeptem generationes, imitata ſit parentis optimi probos mores. Atque hac ratione *Noë* octauus Iuſtitiæ Præco dicatur, quia ſeptem antecesſerint, Præcones omnes, qui Delectum Militiæ Sacræ indixerint, prædicando, quà verbo, quà facto, & exemplo quotidiano. Agebat itaque Noë aſſiduè de vindice ac vltrice ſcelerum Iuſtitia DEI, & monebat, vt populares ſui, mores in melius mutarent, ſceleribus nuncium remitterent. totos ſe famulatui Diuino addicerent: docebat, quàm ſit juſtum, colere DEVM: ſatius eſſe æterna ſectari, quàm adamare res creatas, & ijs inhærere: hortabatur ſeriò, vt abſtinerent ab omni iniuria, omniquе maleficio. Tum denique, quò Patriarchæ collimabant, nam erat ſcopus præcipuus Præconum Iuſtitiæ, Meſſiæ aduentum, qui κατ' ἐξοχὴν nominatur IVSTVS, quique prælia Domini præliaturus erat, annuncians deſignabat.

ANTE Noë, prædeceſſores idem feciſſe ſtrenuè auctor eſt Irenæus, *(a)* & Athanaſius, *(b)* ipſique illud Hebræi aſſerunt apud Reuclinum in Cabala. Et eſt, qui ſuſpicatur vir doctus, & pius: *(c)* prædicaſſe Noë, inter cetera, indignum eſſe, fœdè pollui carnem, quam DEI Filius adſumpturus erat. Poſt Noë, eundé Delectus militaris diem indixerunt Patriarchæ & Prophetæ, qui ſequuti ſunt, plurimi. Nobis autem Apoſtoli, quorum ſonum vſque ad fines orbis terræ auditum, vt dicitur Pſal. XVIII. vnus ex ijs teſtatur Qui etiam, vbi progreſſum totius militaris Delectus exponit, *Prædicantis*, id eſt, *Præconis*, ſingularem facit mentionem, qui circummittatur ad promulgandum imperium. *Quomodo*, inquit ad Romanos X. *credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? Sicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem? Euangelizantium bona?* Iſaiæ LII. Nec deſunt in Eccleſia DEI, qui quotidie Præconum vice fungantur, Catechiſtæ, Concionatores, Confeſſarij, & moneant, tempus eſſe acceptabile, ac diem Delectus, quo ad Chriſti Vexillum poſſimus confugere; quo nomina ad Militiam ipſius dare; quo nós illi totos poſſimus addicere: fore aliquando, ſed elapſo Delectus tempore, quùm in album militarem relatos nos vellemus; at, eius poteſtatem tunc denegandam. Dum tempus eſt operemur bonum clamat Paulus vocaliſſimus Præco, & clamat voce plùs quam Stentorea, vt ab omnibus exaudiri poſſit II. ad Corinth. VI. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*. Id eſt, nunc tempus valdè acceptum, nunc dies eſt comparandæ ſaluti deſtinatus: nempe, vt Militiæ Chriſtianæ vos addicatis. Quod dicitur, vel de tempore Noui Teſtamenti, ad percipiendam gratiam maximè opportuno: quomodo Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus explicant; vel de toto vitæ ſpacio, ſeu tempore gratiæ quod Chriſti aduentum ſubſequitur: vt D. Ambroſius, Primaſius,

B 2

(a) *Lib. 2. cap. 9.* (b) *Epiſt. de Synodo Nicena. lib. 1. Cabala.* (c) *Ioann. Lorin. Petri 2. 5.*

ſius, alijque volunt. *Tempus*, inquit S. Chryſoſtomus, *iſtud eſt beneficij & gratia, in quo præterquam, quod nec de peccatis admiſſis rationes expoſcuntur, nec pœnæ penduntur; licet inſuper vnà cum eo, quod liberamur, innumeris quoque bonis frui: nimirum, iuſtitia, ſanctificatione, alijsq́ omnibus.* Habemus igitur Delectus militaris tempus, immò diem prodici nobis Præconum voce.

AN non etiam Scripto, edicto, bullatisque litteris, vt legi, intelligique poſſint alicubi affixis? ita reor equidem. Eſt autem conſcriptum Edictum multiplex, quo de die ad nomen Militiæ dandum, monemur. Imprimis autem cùm eſſe cæpimus, ſcriptum eſt in cordibus noſtris programma citationis, quo ad DEI Militiam, diemque delectus vocati ſumus. Hoc autem programma non eſt aliud, quàm Lex naturalis, nobis, inſita, in quâ legitur: Bonum eſſe proſequendum, malum fugiendum: & quæ ex his quaſi fontibus deriuantur: DEVM eſſe colendum: parentes honorandos: nemini faciendã iniuriam: cum alijs iuſtitiam, & amicitiam ſeruandam, & huius generis plura. Ob quam cauſſam dixit Apoſtolus ſcribens ad Romanos cap. II. Cùm Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſos ſibi eſſe legem: ſiquidem *oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Eodem ſpectat, quod eſt Pſalmo IV. *Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?* Quis indicat nobis diem, quem, vt in eo nos Militiæ ſacræ offeramus, Imperator indixit? Reſpondetur illicò: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* quod de inſita vi cognoſcendi, & facultate rationis intelligunt SS. Hieronymus (a) & Auguſtinus. (b) Excuſationem ergo fruſtrà prætexis, cùm edictum vncialibus ſcriptum litteris in cordis tabulis cuiuſque affixum ſit, vt à quolibet legi poſſit: nec periculum eſt, vt vllius malignitate detrahatur, vel dilaceretur: nam clauis longè firmioribus, quàm adamantinis, qui extrahi nequeũt, hæret. Siquidem Lex naturalis ita nobis firmiter impreſſa eſt, ita eſt immutabilis, vt auelli, deleri-ué de cordibus humanis non poſſit. (c) Idem hoc Edictum fuit ſcriptum olim digito DEI in duabus Tabulis teſtimonij lapideis, quæ decem mandata, ſeu Decalogum acceperunt, & etiamnam ſupereſt, ac legitur Exodi XXXI. ne quis ignorantiam, quæ vinci nequeat, prætendat. Ab orbis autem exordio, Tempus Delectus à Duce Chriſto faciendi, ſeu Diei gratiæ ab ipſo DEO promulgatus eſt: ab Adamo deinde, & multo clarius ab Abrahamo, eiuſque nepote Iacobo poſteritati tranſmiſſus; clariſſimè verò à Moſe indicatus, qui ſcripto tradidit in Serpentem fulminatum decretum: *Ipſe, vel ipſa conteret Caput tuum* Geneſis tertio; ſcilicet, IESVS & MARIA: ille virtute propriâ: hæc acceptâ. Alia Edicta de eadem re perſcripta ſunt in Tabulis Euangelicis, quæ ad virtutem perfectionemque ſpectant. *Pœnitentiam agite. appropinquauit enim regnum cælorum:* (d) id eſt, iam ille dies eſt, quo Militiæ ſacræ vos dare nomen conuenit: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemet-*

(a) *in cap. 16. Ierem.* (b) *lib. 3. de Gen. ad litt.* (c) *S. Thomas*, 1. 2. q. 64. (d) *Matt.* III. 2.

ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me. (a) Ex his animaduertimus, quemadmodum Delectus apud Romanos indici ſolebat, voce, aut ſcripto; ita ad Chriſtianæ Militiæ conuocationem vtrumque adhiberi.

(a) *Matth. XVI. 24. Lucæ IX. 23.*

MEMBRVM V.
SIGNVM MILITARE CRVX
Cuius ſublatio Delectui *in Militia Chriſtiana ſeruit.*

IAM verò, ſub ipſum conuentus diem in Militiâ Romanâ, ex loco elatiore, ſiue illa arx fuerit, ſiue Capitolium, proponebatur Vexillum, manebatque elatum & expoſitum, donec is ſolutus eſſet. Ita Arnobius lib. VIII. inter ea, quæ olim vſurpata, poſtea exoleuerant, Romanos alloquens: *Cùm paratis*, ait, bella, *Signum monſtratis ex arce.* Clarè Virgilius:

Vt belli ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco ſtrepuerunt cornua cantu:
Extemplò turbati animi, ſimul omne tumultu
Coniurat trepido Latium. ———

Neque *Signum belli* deſideratur in Militiâ Chriſtianâ. Certè, dum Crucis Signũ intueor, inquit Vir eruditus & pius, *(a)* videre mihi videor Vexillum, vt ad conſcribendas Gentes ſublatum, ita Signum ad inſtar ſuorum inſtructum. Eccleſiam quippe ex Gentibus collecturus, tãquam aciem benè ordinatam, terribilem, fulminatricem; neque ex Gentibus modò, ſed ex fidelibus etiam manipulos virtuti ac perfectioni ſtudentium lecturus, Signum ex arce propoſuit CHRISTVS, vt veniant ad eum omnes, qui Militiæ ſunt idonei (ſunt autem omnes, quibus eſt ſub Chriſto militandi animus) arma capiant, & nefaria ſacra, barbaros ritus, Deorum idola falſorum, vitiorum monſtra, impietatis ſatellites, Tartareum exercitum ſubuertant. Inſinuauit iſta non obſcurè Imperator Chriſtus, cùm dixit: *Et ego ſi exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum*, Ioann. XII. Si exaltatus fuero, nimirum ſi me in Crucis arbore expoſuero, concurrent, tanquam ad Signũ in altum ſublatum milites. Inſignis eſt apud Prophetam Iſaiam cap. XI. de hoc Signo locus: *Leuabit Signum*, inquit Vates, *& congregabit profugos Iſraël, & diſperſos Iuda colliget à quattuor plagis terræ.* An fortaſſe idcirco Chriſtus in Cruce expanſis brachijs, & toto corpore ita fuit conſtitutus, vt in omnes orbis terræ partes ſpectaret? quoniam omnibus ipſe Signum propoſitum, omnes aduocare optabat. Ita exiſtimabat D. Gregorius Nazianzenus de Virginitatis prærogatiuis ita ſuauiſſimè concinens:

Quin etiam expandens ſacrati corporis artus

(a) *Martinus Rea lib. 1. Singul. cap. 1.*

In fines orbis, mortale ex finibus orbis
Contraxit genus, atque hominem contraxit in vnum.

Quod verſibus Poëta, hoc ſoluto contextu Orator Damaſcenus ſic enunciauit lib. iv. de fide orth. cap. 12. *Quemadmodum quattuor extrema Crucis per medium centro vinciuntur & vniuntur; ita per diuinam potentiam ſublimitas & profunditas longitudo & latitudo, ſiue omnis conſpicua & non conſpicua creatura continetur.* Idem carmine expreſſit eleganter Sedulius:

Quattuor inde plagas quadrati colligit Orbis.
Splendidus Auctoris de vertice fulget Eous:
Occiduo ſacra labuntur ſidera plantæ:
Arcton dextra tenet, medium læua exigit axem.

PORRO, myſterio non vacat, quod Signum Chriſtianæ Militiæ cruentum cernitur: quippe *Signum Pugnæ.* Quicumque enim in Crucem & Chriſtum in ea fixum oculos ſuſtulerit, & cruentum Corporis velum conſpexerit, ſciat ſe ad bellum, ad pugnam, ad conflictum vocari. *Non veni pacem mittere,* ait ipſe Dictator, *ſed gladium,* Matth. x 34. Vt tollat vnuſquiſque Crucem ſuam, & ſequatur Imperatorem baiulantem ſuam, cui victoria non ocio & voluptate conſtitit, ſed ſanguine. Huc facit alter ritus Romanorum exponentium Signum coccineũ. Siquidem in caſtris, vbi decretum erat pugnare, Tunicam coccineam in haſta proponebant, vt eo Signo milites & monerentur ſe ad arma parare, & accenderentur ad pugnam, vti elephantes viſo moti ſanguine, bubali conſpecta purpura, phaſiani ad intuitum coccini: denique, vt ſibi perſuaderent, pro vita, quæ ſanguine, in quo eſt anima ſignificatur, eſſe dimicandum, vſque ad profuſionem ſanguinis, & vltrà. Tunica autem illa coccinea ſuper tabernaculum Imperatoris, eo fine extendebatur, vt ex Plutarcho habetur in Fabio. Apud Hebræos etiam Eliſam, filius Ruben vexillum rubrum cum hominis capite depicto geſtabat.

AT, eſtne in Chriſtiana Militia ſignũ vnum, vel duplex? Vtrum apud Romanos fuerit, quærunt anxiè eruditi. Dionyſius plurali numero enunciat: Signa etiam dicit Seruius: vnum nominant, Liuius, Feſtus, Arnobius. In Militia Chriſtiana, eſt re vnum, virtute duplex: ſimile enim eſt *Coccineum & Album.* Sanguineo colore ſignificatur, Sanguinem, pro Duce, ac Virtutum Imperio fundendum, quando res exigit: Albo, id fieri cum ſumma iucunditate, & ludendo potius, ridendoque, quàm laborioſè vires deterendo: eſt enim planè iucundum ſub Chriſto Duce militare. Simile quid apud Romulidas Album Vexillum denotabat: ideoque in ludicro, nempe, Circenſibus, ſignum album, quod cretatam mappam vocat Martialis, (a) argumento lætitiæ & voluptatis proponebatur. CHRISTVM autem in Crucis ligno, vt pugnæ ſigno extenſum eſſe ſimul albũ & purpureũ obſeruauit diligenter Sponſa cæleſtis; à qua cum ſciſcitarentur ſolicitè Sociæ Canticor v. 9. *Qualis eſt Dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis eſt Dilectus tuus ex dilecto?*

Reſpondit

(a) *Cretatam Prætor cùm vellet mittere mappam.*

Reſpondit ipſa: *Dilectus meus Candidus & Rubicundus.* Quod ſi de vtraq; Chriſti naturâ, Diuinâ ac Humanâ accipiatur, cum S. Ambroſio, Aponio, Niſſeno, & Anaſtaſio Sinaita, *Diuinitas* rectiſſimè vocabitur *Candida*; *Humanitas rubicunda.* Quia Verbum generatione diuina fuit Lux æterna, de æternâ luce, conſubſtantiale, & coæquale Patri, qui à Daniele totus candidus deſcribitur, adeò, vt etiam eius *veſtimentum ſit candidum quaſi nix, & capilli capitis eius, quaſi lana munda.* Daniel. VIII. 9. Idem de Filio adfirmat Iſaias, cap. XVIII. 4. comparans eum luci meridianæ, claræque nubi roris in niue. Et, nonne Verbum æternum, Sapientia Patris eſt ipſe *Candor lucis æternæ, & ſpeculum Maieſtatis DEI ſine macula, & imago bonitatis illius?* Sapientiæ VII. 26.

CANDIDVS iſte factus eſt Homo in tempore: & quia factus homo incepit eſſe rubicundus, non amittens candorē: *Candidus* & *Rubicundus*: factus eſt fecundus *Adam*: id eſt, *Ruber*: nam homo & Adam, Adam & Edom characteribus Hebraicis conueniunt, & Latinis vtrumque vocabulum Rufum denotat. Quod ſi libeat Humanitatem ſolam dicere *Candidam* & *Rubicundam*, rectè etiam feceris: nam ita illam contemplantur Interpretes Canticorum, Philo, Rupertus, Gulielmus, Damianus & alij. Reuerà enim *Candida* fuit Domini *Humanitas*, immaculata, ab omni ſorde, & puluiſculo immunis. *Rubicunda* etiam, quia pro nobis flagellis lacerata, ſpinis coronata, proprio ſanguine purpurata: *Candidus Chriſtus*; qui ex munda Virgine mundus venit in mundum, & ætatis breuiſſimæ tempore tranſacto, ſanguine ſuo tinctus, verèque rufus, de Cruce cruentæ exiuit è mundo. Caſtitate cādidior lilio, Caritate rubicundior roſâ. Vexillum igitur proponitur ad Delectū, & conflictum in Militiâ Chriſtianâ *Album* & *Coccineum.*

MEMBRVM VI.

SORTITIO

In Delectu Militiæ Romanæ.

VOCATIO PER SORTEM

In Delectu Militiæ Chriſtianæ.

IAM ipſam Delectus rationem propius contemplemur. *Is* quidem apud Romanos varijs celebrabatur ritibus, quos ſingillatim recenſere eſſet ſuperuacaneū. Breuiter. Sic ferè delectum peragebant, vt ex Polybio libro V. colligitur. Sortiebantur ſingillatim Tribus, & eam, quæ ſorte exierat ad ſe vocabant Conſules, vt inde iuniores quattuor, ætate, corporiſque habitu quàm ſimillimos nominatim citatos excernerent. *Ijs* prodeuntibus, Tribuni, qui Legionibus præerant, legebant; & quiſque ſibi, quem legerat, aggregabat. Eiuſdem autem nominatio-

nis,

nis, citationis, lectionisque fiebat repetitio, donec in exercitu conſtitutus eſſet numerus. Simili ferè modo concipiebam ego Imperatorem Chriſtum delectum inſtituere, & ad ſigna ſua milites aggregare. Nam quod Romanis erant Tribus, hoc vniuerſorum Domino ſunt Gentes, nationesque per orbem ſparſæ omnes enim ad vnam vrbem in quâ Cōſulatum ordinarium gerit Dominus Dominantium, pertinent. *Vbi non eſt Gentilis & Iudæus, circumciſio, & præputiū, barbarus & Scytha, ſeruus & liber, ſed omnia in omnibus Chriſtus*, ad Coloſſenſes tertio: nimirum, vbi nulla ſanguinis, linguæ, ortus habetur ratio, quùm omnes æquè ad Chriſti adminiſtrationem pertineant. Cùm igitur Exercitum conficere ſtatuit, ſiue, vt pugnetur armis ſpiritualibus contra infideles, vt ij conuertātur, & fugentur Idololatræ, ſiue, vt ſuperetur hæreſis, ſiue vt vitioſorum exercitus profligentur; quod fit maximè per Religioſos; ſorte quaſi educit nunc hanc nunc illam Gentem, ex eaque deſignat certo numero quoſdam, quos nominatim citat, &, vt Militiæ ſacræ dent nomen, edicit.

HVNC deligendi ritum ex ipſis Oraculis Diuinis deduco. Siquidem in ijs, quùm de Vocatione, ſiue ad fidem, ſiue ad virtutis ſtudium, ſiue ad ſtatum Religioſorum eſt mentio, ſors etiam exprimitur. Clariſſimè Paulus Apoſt ad Epheſios 1. *Nos ſorte vocati*, id eſt. lecti *ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Vbi Apoſtolum loqui de vocatione ad munus Apoſtolicum, quo conſtituuntur Apoſtoli, qui præcipui ſunt in Militiâ Chriſtianâ, & ad quod ſorte ſit deſignata Gens Hebræa, atque ex Hebræis nominatim citatus, Petrus, Andreas, Ioannes, alijque, exiſtimat D. Ambroſius. Qui in Commentario, *Diſpenſatio*, inquit, *prædicationis hic decreta eſt à DEO, qui ex Iudæis crediderunt in Chriſtum. Vnde nullus ex Gentibus ad Apoſtolatum electus eſt. Dignum enim erat ex his eligi Prædicatores, qui ante ſperauerant ſalutem, quæ illis promiſſa erat in Chriſto*. Attamen S. Chryſoſtomus, S. Hieronymus, & nonnulli alij, indicant loqui Paulum, de illo etiam Delectu, quo tum ipſe, tum ceteri Apoſtoli participes facti ſunt, fidei, & gratię Chriſti; ad quam primum Iudæorum natio veluti ſorte deſignata fuerat. Nam ſubiungit non pauca, quibus inſinuat hanc ſortem etiā in Epheſios cecidiſſe.

QVID autem ſit, *Sorte* quandam Gentem *elegi* ad Chriſtianam Militiam, explicat hunc in modum S. Auguſtinus, vt non ſit aliud, quàm nullis meritis humanis, ſed beneplacito Dei, ex dono illius. Subnectit autem Conc 2. in Pſalm. xxx. „Quare Sortis nomine intelligit Gratiam DEI? quia ſorte non eſt electio, „ſed volūtas DEI. Nam vbi dicitur, iſte „facit, iſte non facit, merita conſide„rantur: & vbi merita conſiderantur, „electio eſt, non Sors. Quando autem „DEVS nulla merita noſtra inuenit, ſor„te voluntatis ſuæ nos ſaluos fecit, quia „voluit, non quia digni fuimus. Hæc „eſt Sors. O bona Sors! Paucis interiectis, adiungit: *Gratia ſalui facti eſtis per fidem* inquit Apoſtolus, *& hoc non ex vobis*: vide Sortem: *non ex vobis*, ſed donum DEI eſt: *non ex operibus*, quaſi nos benefecerimus,

[illegible] *Digni* [illegible] *or*, [illegible] *pe* [illegible] A[illegible] *pars* [illegible] *ia*[illegible] ad [illegible]anam, [illegible] Christi [illegible] *Sortis* nomine, [illegible] D. Chryſoſto-mus & Theophilactus monent · *Prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Vocamur quidem aliſque reſpectu [illegible] , non tamen abſque [illegible] , & hominibus [illegible] Diuinæ conſilio. [illegible] monet idem Apoſtolus, gratias [illegible] Patri agi debere, qui dignos [illegible] *in partem Sortis ſanctorum*, 1. ad Coloſſ. [illegible] hoc eſt, qui [illegible] veſtro [illegible] hoc eſt [illegible] *Sortis*, [illegible] *Electus* [illegible] M[illegible], vt in Album Electorum referremur.

MEMBRVM VII.

NOMINATIO

In Delectu Militari [illegible].

CITATIO EX NOMINE

In Delectu Militari Romano.

SORTITIONE Tribuum facta, vt eſt [illegible] in Delectu, et Militiam [illegible] Vocatum, [illegible] Hic [illegible] militem, [illegible] tionem [illegible] *ἵνα τὰ παρὰ* [illegible] *tum*, [illegible]approbationis. Vt autem intelligatur [illegible] , quomodo [illegible] hominum multitudine [illegible] eſt [illegible] [illegible]

[illegible] verbis [illegible] loquutus eſt per [illegible], [illegible] vt [illegible] ab- [illegible], nudas diſſeruit ſuper Oſee, quem iuſſit [illegible] per Ezechielem, quæ [illegible] velit. Itaque [illegible] à omnes [illegible] loquendi forma, ſiue dum ad fidem, à Gentilitate; ſiue dum ad [illegible] à [illegible]; ſiue dum ad vitæ emendationem, ab improbitate, ſiue dum ad ſtatum religioſum à mundi [illegible] & vocantur. De quo [illegible] egregiè diſſerit Clemens Romanus in Conſtitutionibus Apoſtolicis, libro II. cap. 19 [illegible] docens, DEVM non vno quidem modo, ſed omnes tamen ad fidem, & religionem vocaſſe.

EST autem iucundiſſimum contemplari, vel [illegible] è ſpecula, quàm varijs, planèque oppoſitis modis, prudentiſſimus Imperator diuerſos ad ſua Signa aduocet, quàmque id faciat conſentaneè ſingularum indoli, affectibus, deſiderijs. Obſeruauit aliquid ad hanc rem Papa Gregorius Homil. x. in Euang. agens de vocatione Paſtorum Iudæorum, & Magorum Gentilium ad præſepe Chriſti. Paſtoribus in Iudæa Angelus apparuit & ad [illegible] Regis [illegible] ſed ad adorandum eundem ab Oriente Magos non Angelus, ſed Stella perduxit. *Quia [illegible] cet Iudæis, tanquam [illegible] rationale animal, id eſt, [illegible] prædicare debuit. Gentiles vero [illegible] ne neſcientes, cognoſcendum Dominum, non per vocem, ſed per ſigna [illegible] tur.* Eſſet autem infinitum [illegible] dos omnes, quibus ad Delectum [illegible] tor hominum vtitur, [illegible] ſit erit ex innumeris [illegible], qui [illegible] ſtriores ſunt, ad [illegible], & quandam inſtructionem: ſi hoc [illegible]mus, quod habet Caſſianus Collatione XIII. cap. 15. Inſcrutabilia eſſe iudicia DEI, & inueſtigabiles [illegible] as, quibus ad ſalutem [illegible] [illegible]mus. Quod oſtendit ibidem exemplis è Sacra Scriptura petitis in vocatione Andreæ, Petri, aliorumque Apoſtolorum; tum in vocatione Zachæi, Pauli, Cornelij, tandemque ſic concludit: *Et ita multiformis illa ſapientia DEI ſalutem hominum multiplici [illegible] bili pietate diſpenſat.*

MEMBRVM VIII.

MODI MVLTIPLICES

Vocandi, [illegible], Deligendi ad Militiam Chriſtianam.

PRINCIPIO igitur vocat Chriſtus ad ſuum Vexillum, [illegible] permittendo calamitates quaſdam, quibus [illegible] intueri [illegible] Orationem [illegible] eſſe ſolam [illegible], ad DEVM confugiunt, illumque [illegible], exponunt, & Chriſtum ſe ſequuturos in [illegible] ſpondent. Ita docet S. [illegible] vbi [illegible]: *Sæpe enim, vt DEVS [illegible] tribulationibus [illegible] nimium rebus terrenis adhærere [illegible]*

[illegible] Hieron[illegible] [illegible] noſtræ a[illegible]em [illegible]e, v[illegible]m ad ſalu[illegible]a-[illegible] Quotqu[illegible] [illegible], ſed Ec-[illegible] fa-[illegible] vel o[illegible]o a-[illegible] vel boni [illegible], vel [illegible] [illegible], aut religione am-[illegible].

[illegible] [illegible] (a) [illegible] vxorem [illegible] [illegible] cum [illegible] [illegible] Ar-[illegible] (b) [illegible] [illegible] Va-[illegible]

[illegible] ibi aliquam[illegible]u delituiſſet, ſolitu-dine delectatus, vitam anachoreticam amplexus eſt. MOSES Æthiops (d) latro [illegible] adductus, cum in monaſterium profugiſſet, ibi religione [illegible], pedem fixit, monachus factus. M[illegible]S & ipſe latro (e) in apparatu compilandi monaſterij ſomno oppreſſus rapi ad diuinum tribunal ſibi viſus, [illegible] facinoribus, para[illegible] intelle-[illegible], [illegible]m pœnas [illegible]. Quod [illegible] mox in Monaſterium [illegible] , & inter Monachos a-[illegible] : quorum exemplo & eruditione ex[illegible] ſcholam aperuit , ex latrone Magiſter factus virtutis. R[illegible]VALDVS, cum ob cædem a parente [illegible], cu-[illegible] modo [illegible] vi-[illegible] aliquot dies in [illegible] o-naſterium, pœnitentiæ cauſa [illegible] [illegible], patrem [illegible] [illegible] S. Apollinaris [illegible] [illegible] [illegible] poſt mortem Superis adnumeratus.

F[illegible]A, [illegible] D[illegible] Mi-litiæ [illegible] plurimum, miſſis ad [illegible] ſuis Oratoribus, ita Concionatores voco, Diuinæ voluntatis Interpretes, & [illegible] Imperatoris nomenclatores. Sed [illegible]ſarium eſt, vt ipſe ijs det vocem [illegible], quod [illegible] a ſequenda ex [illegible] [illegible] inducant . qualem [illegible] quibuſdam v[illegible] [illegible] ſpiritualiter, ſed & [illegible] pug[illegible]are voluit. [illegible] Imperatore [illegible], [illegible] Chriſtianis in [illegible]m, ad recuperandam [illegible] [illegible], [illegible]

C [illegible]

(a) Vita PP. (b) [illegible] Ind. (c) S. Hier. Vita 14. Im. (d) Vita PP. (e) Serm. 18. [illegible]

[illegible] II Pontificem Max. qui ad Del-[illegible] [illegible], [illegible], ple-[illegible], [illegible], [illegible] Principes & Reges. Quod fecit ſtrenuè in Concilio Claromontano, in quo po-pulos, ac Principes Occidentis qui ade-rant, [illegible] cohortatione ad expe-ditionem Terræ Sanctæ conſtituit, vt [illegible] hominum [illegible], ex Italiâ, Hi-ſpaniâ, Galliâ, Angliâ, Scotiâ, Hiberniâ, [illegible] nomen dederint ſeſeque Cruce [illegible] panno confecta, quam Pon-tifex in Signum Indulgentiæ donabat, [illegible]. Qui tam feliciter ege-runt, Ductore Gudefrido Bullonio, Lotharingiæ Regulo, vt Ieroſolymam occuparint. (a)

Vocem [illegible] ſimilem in re quoque [illegible] tam corporali, quam ſpirituali dederit Devs Ioanni Capistrano e familia S. Franciſci, qui à Nicolao V. & Calliſto III. Pontificibus in Germaniā & Hungariam miſſus, incredibili ſpiri-tus [illegible], quod miramur, per in-terpretem, quippe ſermonis Germanici ignarus, [illegible], innumerabiles [illegible] ad meliorem vitæ fru-gem [illegible]. [illegible] multa [illegible] Cru-ce [illegible], & in Mahometem Turcicu [illegible] Conſtantinopoli [illegible] [illegible] Chriſtiana [illegible], [illegible] [illegible] dicendi [illegible], & [illegible], ac totius corporis [illegible]

[illegible], vt auditores, [illegible] [illegible], chartas pictas [illegible] [illegible], [illegible], & huiuſ-modi [illegible] [illegible] conſpexerint, & in flammas [illegible]rint. Cui [illegible] vir doctus carmine ad-plaudit. (b)

Hic Franciſce tuus Miles, tua Signa per orbem

Numinis ingentis cum pietate vehit.

Nunc inter primos [illegible] tela [illegible]preſſit

Et Cruce perculſit Signa inimica Crucis.

Alea damnata eſt flammis, taliq; [illegible]troq;.

Totaq; chartarum plauſtra [illegible]ta [illegible].

Si purgare iuuat monſtris [illegible] orbem

Mitte Capiſtranos: Cerberus [illegible] tremet.

Eadem vi dicendi [illegible] ad Signa Chriſti [illegible], [illegible] S. Vincentius Ferrerius, Ordinis [illegible], [illegible] Franciſcus [illegible], & [illegible] [illegible], [illegible] [illegible], [illegible].

[illegible], [illegible] Devs, [illegible] voce [illegible], [illegible] [illegible] Viennæ [illegible], [illegible] ſeruicat, [illegible] [illegible] intelligentiâ. [illegible] [illegible], [illegible], vel pub-licè, vel priuatim [illegible] [illegible].

(a) Conſtat ex Baronio Anno 1095. [illegible] Guilhel. in [illegible] II [illegible] [illegible] in Tabula Chrol. Anno 1099. die Pentecoſt. (b) [illegible] Baronius [illegible] pag. 258.

[illegible] plurimi ex- [illegible] [illegible] [illegible] ad Militiam Christianam plenæ ſunt hiſtoriæ Ordinum [illegible] olorum, Chronica, Annales, & [illegible] generis libri alij.

NOTÆ

In quibus Auctores & Syntagmata.

§ I. [illegible] ſcriptores [illegible] de Militia [illegible] Ioannes Antonius [illegible] cap. 3. Adamus Con[illegible] [illegible] o. Nam de[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ad virtutem [illegible] nec [illegible] Christianæ [illegible] Spirituales [illegible] Hieronymus. [illegible] de bono ſtatus [illegible] lib. III. cap. 3[illegible].

§ III. BELLI [illegible]] [illegible] Belli ſigna: [illegible] [illegible] duplex [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible] 3[illegible] Cum, inquit, Vexillum a Capitolio, cum [illegible] [illegible] [illegible] dicebantur [illegible] [illegible] & [illegible] Dio [illegible] Liuius, lib. 1 [illegible] Varro lib. 2 [illegible] [illegible] Varro [illegible] [illegible] [illegible] Capitolio, [illegible]

§ IV. VEXILLVM [illegible]] [illegible]

§ V. CALAMITATIBVS [illegible]] [illegible] Christianorum [illegible]

COMMENTATIO II.

POENÆ MILITARES

Immorigerorum, aut Contumacium in Delectu.

Quia vocavi & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. PROVERBIOR. 1, 24. 26.

MEMBRUM I.

IMMORIGERI & CONTUMACES

Cives, ad nomen non reſpondent.

[illegible] in Militia Romana, [illegible] [illegible] Romæ, & nomi- [illegible] Militum [illegible], ac [illegible] ſemel, ſed [illegible] [illegible] contumaces, ad no- [illegible] [illegible], [illegible] ci- [illegible] [illegible] [illegible], & [illegible] [illegible], ut de Livio, A- [illegible], [illegible] notæ au- [illegible] Militiæ Romanæ [illegible]. Idem evenit frequenter in De- [illegible] ad Sacram Militiam. DEUS vult omnes [illegible] omnes ſibi [illegible], [illegible] [illegible]. Singuli de ſuſ[illegible] [illegible] quia, [illegible], poſſint [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], qui ſe [illegible]. Pauci ta- [illegible] [illegible] comparatione, [illegible] Exer- [illegible] DEI conſignati. Quæ cauſa? ip- ſorum pervicacia. Ad nomen non re- ſpondent: quin etiam ſe [illegible] [illegible], ſi conſi[illegible] [illegible] ſi ad [illegible] DEI [illegible] [illegible] [illegible].

CHRISTUS, qui [illegible] *illumi- nat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioannis I. 9. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Qui [illegible] [illegible], [illegible], ſi [illegible] [illegible], [illegible]. Et [illegible] [illegible] [illegible]: *Hoc eſt* [illegible] *quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis, quam lucem.* [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. *Qui operatur univerſa ſecundum conſilium Voluntatis ſuæ. Vult DEUS quæcunq; ſunt plena rationis atque conſilij: vult ſal- vari*

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] *D* [illegible] *& ad agnitionem veritatis venire.* [illegible] *autem* DEI [illegible] *sententia,* [illegible] S. Ambroſius [illegible] in Epiſt. ad Timoth. [illegible] *DEUS* [illegible] *tens* [illegible], omnes [illegible] *cur non* [illegible] *in omnes* [illegible] *Vide* [illegible] Epiſt. 2. cap. [illegible] *ad eum.* [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], ſed [illegible] [illegible] [illegible] *[illegible] faciet* [illegible] omnes [illegible] Anſelmum

[illegible] *ſalventur. Sed vult illos ſalvari, ſi & ipſi velint. Nam* [illegible] *legem omnibus dedit, neminem excepit à ſalute. Nequid & Medicus non ideirco ſe proponit in publico, ac omnibus ſe oſtendat velle ſanare, ſi tamen ab ægris* [illegible] [illegible] [illegible] ſententiam S. Chryſoſtomus Homil. 1. in Epiſtolam ad Ephes. *Secundum propoſitum voluntatis ſuæ,* periode eſt, ac dicere, quod vehementer [illegible] eius eſſe voluntatem. [illegible] *eſt præcipua* DEI *voluntas,* ſeu *primaria;* ſecundum quam [illegible] ; ſed eſt [illegible] *eos, qui in* [illegible] *vult perire.* [illegible] S. [illegible] lib. [illegible] [illegible], ſcripſit, quod [illegible] filij DEI [illegible] ratione per [illegible] non eſt [illegible] ; ſeu, [illegible] Christi [illegible] Delectu [illegible] neceſſitatem, ſed [illegible] *pugnam* [illegible]. [illegible] Dei [illegible] eſt [illegible] ſuſcipiendi ; vel [illegible]

Mem-

(c) [illegible]

MEMBRUM II.

[illegible]

Quæ [illegible], aut [illegible] [illegible], [illegible]

Prima [illegible] pœna,

MULCTA.

SED [illegible] illi, qui ad [illegible] [illegible], vel [illegible] [illegible], [illegible] Patres illi, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Pœna [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible], Mulcta [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Gellius, [illegible] [illegible] *Quod [illegible] [illegible]* [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Spiritu & Litera [illegible]. *Vult DEUS omnes [illegible] salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male [illegible] [illegible] [illegible]. Quod cum [illegible] [illegible] [illegible] DEI [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] magno & summo bono, malis [illegible] [illegible], experturi in [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Ita [illegible] DEI [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], quid de [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] quod [illegible] consilium.* [illegible] V. C. [illegible] Sed [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] *DEUS* [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] *ignoras, sed [illegible] quærere*

(a) *Aug. lib. de nat. & gra. cap. 68. & lib. 3. [illegible]*

quære quod ignoras: neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare, contemnis.

QVA autem pæna refractarium huiuſmodi afficit Dominus? Si analogiam ad pœnas militares ſeruare lubet, dicatur ea eſſe MVLCTA. Vocatur autem *Mulcta*, ſi latinitatis auctores audiantur, *pœna pecuniaria, quæ pro delicti magnitudine, variè irrogabatur*, ſic dicta, Varronis iudicio, quod multa ſimul imperabantur, non vnum quid. Itaque DEVS illum, qui multum gratiæ acceperat (eſt autem Gratia, velut pecunia, qua Regnum cælorum mercamur & res pretioſiſſimas, tanquam nummorum commutatione, adquirimus) ſi detrectet vocantem audire, iubet eam gratiarum gazam, Mulctæ nomine, pendere: detrahit illi, quod datum prius gratis fuerat, & dat alteri. Significata eſt hæc pœna in varijs Parabolis à cæleſti Magiſtro propoſitis. Illuſtriſſima eſt illa, quæ rem noſtram planè conficit apud Lucam cap. XIX. de *Mna*. Ignauo enim famulo, quem Dominus militare voluerat, ſed detrectanti, atque ocio indulgenti *Mulctam* dixit, & ſatellitibus ſuis imperauit: *Auferte ab illo* MNAM, quàm iuſſit dare alteri in Militia ſtrenuo, ac prædis onuſto; & addidit epiphonema: *Omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autẽ, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Vnam aliquam habes *Mnam*, mi Adoleſcens, linguam expeditam & volubilem, dicendi ſaporem, aliquam eloquentiam, ſi non in lingua Latina, in qua es planè rudis, ſaltem in vernacula & materna. Hanc DEVS vellet à te impendi benè in Militia ſpirituali: vellet, vt eam ſaluti multorum conſecrares: vellet vt à vanitate illam abſtraheres & aliò conuerteres. Quod fiet ſi Religioſum ſtatum ingrediaris, in quo ſi non ſis ſummus in gymnaſio litterario Orator acutus Philoſophus, ſubtilis Theologus, eſſe poteris haud contemnendus Concionator, vulgari in linguâ pro populo.

SI vocanti ad ſua Signa Chriſto morem geras, augebit dotes: faciet, vt promptitudini linguæ popularis accedat facilitas Latinæ, acuet ingenium, firmabit iudicium, mandabit cauſſis ſecundis, ad DEI nutum paratis, vt memoriæ tenacitatem, audientibus admirandam inducant; addet alia ad Oratoris ſacri ornamenta pertinentia. Si non obaudias, imperabit Naturæ mandatis ſuis obſequenti, vel Angelis promptiſſimis ſatellitibus: *auferte ab illo* MNAM. In ipſo illo idiomate tuo, vt infans, balbuties, impinges, cæſpitabis: & miraberis alium olim congerronem tuum, quẽ extra Religionem, vt idiotam, ac penè elinguem deſpiciebas, in eodem excellere. Nimirum, tibi DEVS *Mulctam* dixit, & iuſſit per Iuſtitiæ ſuę adminiſtros exequutionem: *Auferte ab illo* Mnam, *& date illi, qui decem* Mnas *habet*. Idem ſenſus eſt Parabolæ de decem Talentis, Matthæi XXV. à ver. 28. nam detrectanti Militiam, ei, qui vnum *Talentum* acceperat minatur, & tandem: *Tollite*, ait, *ab eo* Talentum, *& date ei, qui habet decẽ* Talenta. *Omni enim habẽti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo*. Itaque mulctat Dominus eos, qui in Delectu militari citati nõ cõparẽt, aut ſunt refractarij. Sed hæc eſt leniſſima coërcitio.

MEMBRVM III.

Secunda pæna refractariorum,

VINCVLA.

GRAVIOR ſunt *Vincula*, quæ frequenter refractarijs inijciebantur apud Romanos, vt ex Dionyſio lib. x. conſtat, vbi refert, in quodam Delectu iuſſiſſe Conſules, multos ciuium in vincula & carcerem duci. Quod ante quam fieret, eorundem mandato prehendebantur: quemcumque autem lictor iuſſu Conſulis prehendiſſet, Tribunus mitti iubebat, vt loquitur Liuius lib. III. Quocirca & collum quibuſdam tortum ex eodem Liuio, lib. IV. habemus. *Hoc decreto*, inquit, *Conſul armatus cùm paucis appellantibus Tribunus collum torſiſſet, metu ceteri ſacramentum dixerunt.* Eſt & hæc pæna vſitata in non parentes, dum à DEO ad Militiam ſacram vocantur: nam DEI permiſſu lictor vel carcerarius Dæmon, vincula ijs inijcit peccatorum, quibus arctiſſimè ſtringuntur, & ſub poteſtate illius continentur. Vincula eſſe peccata dubitare nō poſſumus. Clariſſimum eſt iſtud Prophetæ teſtimonium: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Iſaiæ v. *Iniquitates ſua capient impium. & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*, inquit Sapiens Prouerbiorum v. 22.

EST ſanè hoc animaduerſum non rarò, ſi quis voluntati Diuinæ, vocique ad pænitentiam, vel vitam ſanctiorem vocanti, adhortanti, impellenti contumaciter reluctetur, eum paullatim de vno in alterum peccatum gradum facere, grauiſſima ſcelera committere, præcipitari in malorum abyſſum; adeò, vt ipſemet miretur, quo pacto ad tantam improbitatem peruenerit, tam breui tempore. Nihil mirum: pæna eſt militaris. inijciuntur vincula non reſpondenti ad nomen. *Iniquitates ſua capiunt impium. & funibus peccatorum ſuorum conſtringuntur.*

MEMBRVM IV.

Tertia refractariorum pæna,

VIRGÆ.

INTERDVM apud Romanos Virgas fuiſſe adhibitas in contumaces Liuius lib. VII. prodit, qui partim virgis cæſos, qui ad nomina non reſpondiſſent, partim in vincula ductos memorat. Miramur flagellari quoſdam diuerſis infirmitatibus, homines alioqui, vt externa ſeſe habent, non peſſimos: torquentur miſerè melancholiâ, lycanthropiâ, paralyſi: incidunt in amentiam, excæcātur ſubitò,

emotione

emotione mentis abripiuntur. Origo occulta eſt: aduocantur Medici: inſtituitur conſultatio: quæruntur cauſſæ latentis mali, fruſtrà. in corpore nihil deprehenditur, quod morbi ſit radix. Quid te torques Medice? Theologum conſule. dicet: Virgæ ſunt, quibus DEVS excipiendos curat, qui ad Militiam ſacram citati, propudiosè ſe ſubtraxerunt.

MEMBRVM V.

Quarta refractariorum pæna.

DAMNVM.

HAC pænâ afficiebantur apud Romanos illi; quibus diripiebantur, aut vendebantur bona fortunæ ob contumaciam. Narrat fusè Dionyſius lib. VIII. de Valerio & Fabio Conſulibus, qui cùm Delectum haberent, eos qui non parebant, ſi ipſos ducere nõ poterant (abſentes ſcilicet) in bonis damno afficiebant. Qui prædia, agrosque habebant, excidebant; eos qui in conducto habitabant, ſuppellectile priuabant; boues, pecora, iumenta, & omne inſtrumentum ruſticum auferebant. Innumeri ſunt inter Chriſtianos, qui contumaciam ſuam, quia à DEO vocati non reſponderunt, bonorum omnium ablatione luere coacti ſunt. Imprimis repentinâ morte carorum; patris, matris, amici interitu; fortunatum deinde expoliatione, villarum incendio: denique, ad extremam redacti inopiam & oſtiatim ſtipem cogere ſunt compulſi. Quæ cauſſa? DEO vocanti reſpondere renuerunt.

MEMBRVM VI.

Quinta refractariorum pæna,

SERVITVS.

NEC bona ſolùm, ſed ipſam etiam libertatem adimebant refractarijs Romani, & venundatos in ſeruitutem, extremâ pæna afficiebant, id eſt, morte ciuili. M. Curius, apud Valerium, lib. VI. cap. 3. præfatus, non eſſe opus Reipublicæ eo ciue, qui parere neſciret, & bona eius, & ipſum vendidit. Varro in eodem facto: Curius Conſul in Capitolio cùm Delectum haberet, nec citatus in tribu ciuis reſpondiſſet, vendidit tenebrionem. Eandem pænam inflixit Auguſtus, qui, cùm duo adoleſcentes cauſsâ detrectandi Sacramenti, pollices ſibi amputaſſent, ipſos & bona ſubiecit haſtæ. Auctor Suetonius in Auguſto cap. XXIV. In libro tertio Regum cap. XXI. dicitur de Achab: *Non fuit alter talis, ſicut Achab, qui venundatus eſt, vt faceret malum*: id eſt, ita in peccati ſeruitu-

ſeruitutem redactus erat, vt videretur, tanquam catenatum mancipium, & ſeruum pecus ad quælibet ſcelera collo trahi. Tales etiam num reperiuntur aliqui, quos dicere audimus interdum, ſe non poſſe abſtinere à mali occaſionibus, & quibuſdam peccatis. Itaque ligantur quodammodo, traditi in reprobum ſenſum, & conſtringantur catenis mancipiorum vendi torum. Expertus clamabat quidam poſt longam ſeruitutem: (a) *Suſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido: & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis, vnde catenam appellaui, tenebat me conſtrictum* DVRA SERVITVS. Videlicet, hæc eſt pœna militaris illis debita, qui vocationi diuinæ ad bellum ſpirituale citanti, vel reſiſtunt contumaciter, vel ſe non audire fraudulenter fingunt.

(a) *Auguſtin. lib.* VIII. *Confeſſion. capite* 5.

MEMBRVM VII.

Sexta pœna refractariorum, *INFAMIA.*

AVGVSTVS Cæſar detrectantes Militiam, bonis, & præterea famâ mulctabat. Ita refert Dio lib. LVI. & ex illo alij. Cùm iuniorem nemo in Militiam allegi vellet; inquit Hiſtoricus, ſortitus eſt eos, & eorum, qui nondum quinque & triginta annos expleſſent, quintum quemque eorum, qui maiores, decumum ſorte ductos, & bonis priuauit, & infamia notauit. Imperator noſter iam dudum pronunciauit, & hactenus ita ſeruatum eſt in Militiâ Sacrâ: *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me*: id eſt, vocanti non obſequuntur, ac refractarij, Militiam meam detrectant, *erunt ignobiles*, lib. 1. Regum cap. 2. 30. nempe ignominioſi notabuntur infamia. Et ſanè, viliores ego, ac magis infimes vagari in mundo, quàm qui DEO ad Militiam ſuam vocanti reſtiterunt, haud exiſtimo, multorum exemplis inductus.

MEMBRVM VIII.

Septima pœna refractariorum in Militia Chriſtiana *DAMNATIO ÆTERNA.*

VERVM, DEVS tam ægrè fert, ſe in hoc negocio contemni, vt nonnunquam extremum grauiſſimumque ſuppliciorum inferat, *Damnationem æternam*. In quo genere eſt terribile exemplum, quod D. Bernardus in epiſtola CVIII.

Ep. CVIII. ad Thomam Audomarenſem commemorat, qui ob litterarum ſtudia ingreſſum Religionis differebat, id eſt, Militiæ Sacræ tyrocinium detrectabat. Ad eum deterrendum Abbas Claræuallenſis alterius in ſimili cauſsâ ſupplicium proponit: Heu, heu! intonans. videris mihi vno ſpiritu ambulare, ſicut & vno cenſeris nomine, cum altero illo Thoma, olim Præpoſito de Beuerle; qui cùm ſe ſimiliter noſtro Ordini, & noſtræ Domui toto deſiderio deuouiſſet, cæpit induciari, & ita paullatim refrigeſcere, donec ſubitâ & horrendâ morte præreptus, factus de medio eſt, ſecularis & præuaricator, & duplo filius gehennæ. Quod ab eo, ſi fieri poteſt auertat miſericors & miſerator Dominus.

EXEMPLVM aliud habet B. Antoninus, tertiâ par. Chronici cap. IX. §. 7. quo quidem vocationis diuinæ neglectæ ab vno, ad multorum terrorem grauiſſima pœna demonſtratur. Cùm quidam Franciſcani Ordinis Religionem, vt Chriſto, ſub vexillo Crucis militaret, ingredi ſe velle vouiſſet; poſtea autem mutato conſilio, factus eſſet Canonicus Secularis, poſt paucos menſes incidit in morbum lethalem. Quam ob cauſſam admonitus à ſuis de animâ per confeſſionem ſacramentalem expiandâ; reſpondit. nihil eſſe opus, quod oſtenſum ſibi eſſet, ſe eſſe damnatum: itaque non amplius ſibi eſſent moleſti, quoniam non poſſet confiteri. Apparuit enim mihi, inquiebat Dominus, dicens: *Vocaui & renuiſti: ideò vade ad pœnas inferni.* Quo dicto expirauit.

MEMBRVM IX.
MILITES SVBITARII.

AVDISTIS varios ritus in Delectu ſeruari ſolitos apud Romanos, quos ad Militiam Chriſtianam transferre, viſum eſt, haud eſſe inutile apud Academicos, eruditionis profanæ haud rudes. Sed antequam operi in hoc argumento extremam manum admoueamus. illud monere expediet: non ſemper nec in omni bello, tam varia ad Delectum fuiſſe adhibita. Nonnunquam enim, cùm repens eſſet periculum, & auxilium ſubitò ferendum, ſubitò etiam, ſine tot apparatibus, & præparamentis Militem capiebant, & educebant. Id genus *Subitarios* vocabant. (a) Ita Conſules aliquando dicebantur ſubitarium conſcribere exercitum: & prouincijs, aut Colonijs imperare, vt ſubitarios darent milites. Tales autem ſcribebant Romani plerumque in tumultu aliquo repentino. Et qui ita conſcribebantur, abſque vllo diſcrimine ætatis, etiam ſeniores, ſine excuſatione nomina dare debebant.

IDEM vſu venit interdum in Militiâ Chriſtianâ. Nam ſi ingruat alicunde extemporaneum periculum ab hoſte, vel interno, vel externo, qui Eccleſiam, aut Virtu-

(a) *Liuius lib.* 3. *lib.* 5. *lib.* 1. 100.

Virtutum Rempublicam opprimere conetur, ſummus Imperator, abſque dilatione, & ambagibus, Subitarium aduocat & conſcribit militem, quem ſubſidio mittit. Ita cùm periclitaretur nouella Eccleſia Ieroſolymis & Damaſci, ſine dilatione Paulum, multoſque alios nominatim vocauit, & ſine detrectatione ſtipendia facere voluit. Hoc aliquando factum, etiam ſine diſcrimine, quod mireris, ſexus. Tempore S. Hieronymi, periculum erat, ne Ruffini & Melaniæ opera, Origenis Adamantij errores in Romanam vrbem inueherentur, & ſincera fides detrimentum caperet: ſubitò ferendum erat auxilium: raptim aduocat nobiliſſimam matronam, ſimulque doctiſſimam Marcellam, quæ Amazonum ductrice animoſior, & conſtantior, præliando hoſtibus obſiſteret: fecit, & vicit. Idem contigit, cùm Catharina Senenſis Chriſti Signa ſequuta eſt & rem penè collapſam mulier vna reſtituit. Idem cernitur, quoties hæreſis aliqua noua exoritur. Tunc enim *Subitarios Milites* DEVS aduocat, qui auxilium ferant opportunum, defatigatis longo labore veteranis. Tales fuerunt, *Dominicus*, *Franciſcus*, *Ignatius*, & hos ſequuti penè innumeri.

MEMBRVM X.

MILITES SPONTANEI. VOLONES.

SEMPER autem habuerunt laudem præcipuam illi, qui citati nominatim, prodibant illicò, ſeque offerebant ad militaria munia proni ac Spontanei. Et erant ferè olim tales, quando Dux habebatur gratioſus, vt fuit Q. Fabius teſte Liuio lib. x. Ad eum fiebat concurſus omnium fermè iuniorum, cùm Delectum ageret, & pro ſe quiſque nomina dabant: tanta erat cupido ſub eo Duce ſtipendia faciendi. Idem fuit animaduerſum, quando ſpes erat bellum fore cum lucro militantium; vt accidit in bello Perſico: ad quod Licinius veteres quoſque ſcribebat Milites, & multi voluntate nomina dabant, quia locupletes eos videbant, qui priore bello Macedonico, aut aduerſus Antiochum in Aſia ſtipendia fecerant. Liuius libro XLII. Hæ duæ cauſſæ, vt in ſuperioribus eſt demonſtratum, in nullo vnquam bello, ita conſpirarunt, ac in bello, quod Imperatore ſummo Monarcha, cum Vitijs & Tartareis legionibus geritur. In eo enim & Dux eſt, in cuius labijs diffuſa eſt gratia, ideoque gratioſiſſimus, & cuilibet ſub eo militanti, ſi victoria obtineatur, quam promittit ipſe, cum ſceptris & imperijs, rerum omnium affluẽtia eſt propoſita. Quis ergo non aueat ad eam nomen dare Militiam?

* * *

MEMBRVM XI.

MILES BONI NOMINIS

IESVS CHRISTVS.

TANDEM, in Delectu apud Romanos id religioſè obſeruatum reperio, vt primus Miles boni nominis eſſet: captabant enim ex eo omen. *In delectu Conſules obſeruant,* inquit Cicero lib. I. de Diuin *vt primus Miles fiat bono nomine.* Et Feſtus: *Lacus lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur, eruendus, aut, vt quidam legit, fruendus*, (a) *ominis boni gratia: vt in delectu, cenſuq́; primi nominantur,* VALERIVS, SALVIVS, STATORIVS. Quis ad Militiam ſacram primus ex tot hominum myriadibus factus eſt, ad Inferorum acies ſubiugandas? ad fugandũ vitiorum exercitum? ad affectuum prauorum cohorte, cohibendas? Ille haud dubiè, de quo eſt decantatum Sponſæ cæleſtis elogium Cant. v. *Dilectus meus candidus eſt rubicundus. Electus ex millibus.* Ille, qui eſt *Primogenitus omnis creaturæ.* Ille, *in quo elegit nos DEVS ante mundi conſtitutionem. Eſtne autem illi bonum nomen, vt inde capiatur omen?* Eſt illi *Nomen, quod eſt ſuper omne Nomen.* (b) Præ quo *non eſt aliud Nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* (c) Nomen magis fortunatum, quàm *Valerius, Lucrinus, Saluius*: magis ſuaue & iucundum, quam *Hyacinthus, Narciſſus, Charilaus, Earinus*: magis auguſtum, quam *Traianus, Conſtantinus, Antoninus.*

Nomen cum violis roſisq́; natum.
Nomen nectare dulcius beato.
Vocatur enim CHRISTVS IESVS.
Regnantem Dominum iam lingua fatetur IESVM.
Nomine quo fundata ſalus ſtat noſtra, fidesq́;
Nititur, æterna tendens in ſecula vitæ.
O ſuaue! ô etiam redimendum vulnere Nomen!
Nempe latet IESV nomine cara ſalus.
Neſcio quid ſonus ipſe refert. Nec poſſe beatas
Dulcius hoc aliquid credo ſonare Animas.
Huc agite, huc Superæ Mentes, ter dicite IESVS.
Dicite, ceu Sanctus, *dicere ter ſolitæ.*
Dixerunt. repetunt iterumq́; iterumq́; ſtupentq́;
Audijt hoc orbis edidit atque melos.
Saxa ſonant, maria alta ſonant, ſonat arida IESVS
Si modò quis potis eſt, hoc capere aure melos.
Solus cui tacito ſub pectore nulla cupido,
Murmurat, ille poteſt hoc capere aure melos.
O Nomen perdulce mihi, lux & decus, & ſpes.
Blandus in ore ſapor, flagrans odor, irriguus fons,

O No-

(a) *Lipſius lib. I. de Milit. dial. 4.* (b) *Ad Philipp. 2.* (c) *Actuum IV. 12.*

O Nomen ſuper omne Nomen! in quo beatitas æterna, ſuauitas & iucunditas infinita, dignitas & maieſtas immenſa. Valeant Valerij, marceſcant Fabini, obſoleſcant Antonini. Vnum populis, gentibus, regionibusque omnibus ſit fortunatiſſimum, ſuauiſſimum, optatiſſimum, & auguſtiſſimum Nomen *IESVS*. *In* quo quæcumque optari poſſunt, bonorum omnium eſt complexio. Salue ô ſanctum Nomen. *Salue*, & nos SALVA.

NOTÆ

In quibus Auctores & Exempla.

§.I. POENA detrectantium, immò, deprecantium Militiam.] *Delectuum acerbitas, quanta illa fuit, cùm* Darius *OeobaZo ſeni, vnius è tribus liberis vacationem roganti, tres relicturum ſpopondit, & occiſos in conſpectum patris abiecit?* Herodotus *lib.* IV. *Crudelior* Xerxes *in hoſpitem Lydum, qui è quinque vnum petijt ſenectæ ſuæ ſolatium, cùm diuiſum tyrannus ad viam poſuit, vt inter partes tranſiens exercitus ferali luſtro inferis ſacraretur. Romæ ad honores aditus clauſi erant detrectantibus. Aliqui in vincula ducebantur,* Liuius, *libro* III. *Collum alijs torquebatur. Quibuſdam corpora lacerabantur,* Liuius *lib.* IV. *&* VIII.

§.II. MVLCTA.] Iuſtus Lipſius *lib.* I. *de Milit. Rom. Dialogo* IV. *dubitat, an hæc pœna apud Romanos vſitata fuerit, quod nimis lenis videatur, nec pro reliqua ſeueritate in Militia Romana. Itaque capit illa Varroniana, de citatione iudiciariâ, & ad Magiſtratuum tribunal.* Valtrinus *tamen libro ſecundo, cap.* 3. *eam pœnam in Militia, etiam Romana agnoſcit.* Conzen *lib.* X. *Polit. cap.* 58. *Primum genus pœnæ militaris Mulcta erat: & vt daretur, pignoris capiendi poteſtas erat penes Tribunum. Eademq́; in hodierna militiâ manet: quamuis vix expediat ea vti: quia peſſimus quiſque egentiſſimus eſt.*

§.III. DAMNATIO AEterna.] *Quomodo ira DEI in eos ſæpe redundet, qui vocationem eius reſpuunt, aut, qui admiſſam repudiant Exemplum oſtendit* Hieronymus Platus *libro* III. *de Bono ſtatus religioſi capite* 38. *Illud pro ſtudioſis litterarum eſt accõmodatũ.*

Anno MCCCL. *Scholaris quidam Pariſienſis, cùm ad Militiam ſacram in Ordine S. Franciſci ſe conferre decreuiſſet, atq; ob hanc cauſſam ſacrum etiam habitum ſibi iam curaſſet; poſtea, conſilio mutato, ad alia ſe conuertit. Inter quæ, nocte quadam, viſus eſt ſibi ſiſti ſe ante Iudicem* IESVM *in regio throno cum maieſtate conſidentem: ad quem conſcientiâ perculſus clamare cæpit:* Miſerere Domine. *Cui Dominus: miſerebor, ſed ita ſi cogitata perfeceris. Cum ille libentiſſimè recepiſſet, à Dæmone tamen in ahenum oleo & pice feruens coniectus eſt, in quo videbatur tantis torqueri cruciatibus, ac ſi doloris magnitudine, oſſa à carne diſtraherentur. In quâ anguſtiâ expergefactus, nulla interpoſita mora, & quidem cupidè ad religioſam vitam ſeſe contulit.* Ex Chron. S. Franc.

§.IV SVBITARII milites] Liuius *lib.* 3. Senatum Conſules vocant, iubentur ſubitarium conſcribere exercitum. *Item*, Hernici & Colonia Antium dare Quintio ſubitarios milites iuſſi. *Idem lib.* 10. Iuſtitium indici, delectum omnis hominum generis haberi Senatus iuſſit. Et *libro* 5.

No

Non iuniores modò conſcripti, ſed ſeniores etiam coacti nomina dare, vt Vrbis cuſtodiam agerent. Alibi. Dictator omnes iuuenes, nullo detrectante militiam, Sacramento adegit.

§. V. Nomen IESVS.] *Lege Tomi I. librum ſecundum, Commentationem II. & lib. tertium Commentationem I.*

COMMENTATIO III.

ÆTAS MILITARIS.

Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentiâ ſuâ. Thren. III. 27.
Pauper ſum ego & in laboribus à iuuentute mea. Pſal. LXXXVII. 16.

MEMBRVM I.

ÆTAS SPECTANDA

In Militia tam Sacrâ, quàm profana.

DELECTVM militarem habiturus apud Romanos, non quoſlibet capiebat, nec deinde albo inſerebat, ſed quibus erant certæ conditiones, quæ hominem exornabant. Et primò quidem Ætatis habebatur præcipua ratio. Ætati autem militari, qua iuniores in milites legebantur, initium dabat annus decimus ſeptimus: nam infra hunc, omnes habebantur *Pueri*. *Ita* Tubero antiquiſſimus auctor in hiſtoriarum primo, teſte Gellio, ſcribit Seru. Tullium Regem, cùm quinque claſſes iuniorum, cenſus faciendi gratiâ inſtitueret, pueros eſſe exiſtimaſſe, qui minores eſſent annis ſeptendecim. Atq; inde ab anno ſeptimo-decimo, quos idoneos iam eſſe Reipublicæ arbitraretur, Milites ſcripſiſſe. Seruius quoque rerum Romanarum peritus admodum ſcriptor, ad lib. VII. Æneid. explicans illud,

Ante vrbem pueri ———

Romani, inquit, *ante pubertatem armis exercebantur, & decimo ſeptimo militabant: quò etiam ſolo ſub cuſtodibus erant.* Et Liuius, cùm lib. XXV ſcripſiſſet: Senatus Triumuiros binos creari iuſſit: alteros, qui citra, alteros, qui vltra quinquageſimum lapidem in plateis, foris, que, & conſiliabulis omnem copiam ingenuorum inſpicerent, & ſi qui roboris ſatis ad ferenda arma habere viderentur, etiamſi nondum ætate militari eſſent, milites facerent: mox eos, quos nondũ

militaris ætatis appellauit, minores an nis ſeptendecim dicit fuiſſe.

HINC etiam C. Gracchus apud Plutarchum qui vitam eius ſcripſit, cùm eſſet Tribunus plebis, legem tulit, ne minores annis ſeptendecim ad militiam cogerentur. Quod ſeruatum quoq; fuiſſe in Republica Romana conſequentibus temporibus colligitur ex Liuio lib. XXVII. Suetonio, in Auguſto, cap. VIII. alijsque Romanis ſcriptoribus. Sed hîc iam illud diſputari poſſe animaduerto: An, vt in profanâ, ita in Sacrâ Militia certa requiratur ætas? An ante pubertatem nemo ſub DEI, aut Chriſti D. vexillo ſtipendia facere debeat, vel poſſit? An à Militiâ Chriſtianâ arceantur *Pueri*? Quibus, alijsque eodem ſpectantibus, vt ſatisfaciat cum fructu, Ætas diuidenda eſt.

MEMBRVM II.
ÆTAS DVPLEX
Naturalis & Moralis.

OBSERVO, Ætatem, ad inſtitutum noſtrum, eſſe duplicem: aliam Phyſicam, ſeu Naturalem; aliam Ethicam, ſeu Moralem. Illa eſt durationis, & temporis: iſta, conuerſationis, ſeu Virtutis. Dicatur hoc paullò explicatius. *Ætas phyſica*, ſeu *Naturalis* conſiſtit in annorum multitudine: *Ætas moralis* in maturitate iudicij ad virtutis ſtudium; ſiue adfectu & voluntatis promptitudine ad obſequendum diuinis mandatis, & Chriſti Domini conſilijs: vel etiam in Diuinæ gratiæ multiplici præſidio. Quocirca contingit aliquando, vt qui phyſicè eſt *Puer*, immò, infans; ethicè ſit Vir maturus, immò, ſenex. Quod conuerſionem patitur in ijs, de quibus verè dicitur: *Bis pueri ſenes*. Deſumo hanc partitionem, eiusque declarationem ex Sapientiſſimo Doctorum Salomone, qui in libro Sapientiæ, vbi probat, non admodum curandum, ſi quis citò moriatur, dummodò benè: breuem vitam, ſed meliorem, præferendam malæ, licet longiori: ſenectutem non annis æſtimandam, ſed virtutibus, hæc habet pronunciata cap. VIII. SENECTVS *venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani ſunt ſenſus hominis. Ætas ſenectutis vita immaculata.* Senectus eſt venerabilis: ſiue, vt legit S. Hieronymus in caput. VIII. Zachariæ, *honorabilis. Erubeſcat Senectus*, inquit S. Ambroſius; Epiſt. XII. ad Valent. Imp. *quæ emendare ſe non poteſt: non annorum canities laudanda eſt, ſed morum*. Eiuſdē ſancti Doctoris geminæ ſunt ſententiæ, omnes dignæ commemoratione noſtrâ, conſideratione veſtrâ. Lib. I. Hexam. c. VIII. ſic ſcribit *Laudanda eſt* Senectus. At quæ? nimirum, *quæ in bonis moribus eſt dulcior, in conſilijs vtilior, ad conſtantiam ſubeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior.* lib. III. epiſtol. XXI. ad Anyſium hæc habet: *Verè* Senectus *iſta venerabilis, quæ non canis, ſed meritis abeſcit. Ea enim eſt reuerenda canities animæ, in canis cogitationibus & operatio-*

operationibus effulgent. Quæ eſt enim vera vita ſenectutis, niſi vita immaculata, quæ non diebus aut menſibus, ſed ſeculis propagatur: cuius ſine fine eſt diuturnitas, ſine debilitate longæuitas? Quò enim diuturnior, eo fortior: & quo diutius eã vitam vixerit, eo fortius in virum perfectum excreſcit. Sermone LV. in Domini Reſurr. Ætates ad noſtrum inſtitutum commodè diſtinguens, *Ætates*, ait, *quædam ſunt meritorum. Nam &* Senectus *morum inuenitur in pueris, & innocentia infantium reperitur in ſenibus. Denique, quod in minoribus ſenectus quædam ſit honeſtatis, dicit Propheta*: Senectus *enim* venerabilis, *non diuturna, neque annorum numero computata: canities enim eſt Sapientia in hominibus.* Iterum, Lib x. in Lucam cap. XXIV. ita diſſerit. *Bona* Senectus *non vitæ longæuitate imbecilla ad vſum, ſed maturitate virtutis ad martyrium præparata, quæ laſciuiam corporalium reprimat voluptatum, nec indulgeat cupiditatibus, dulcia quæq; declinet, ſpecioſa nõ appetat. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & tranſuerſarios tramites gradiendi quà velit, diuerſarum ſibi inuenit voluptatum. Bona verò mentis Senectus, quæ non id, quod ſuaue corpori ſed quod menti vtile putat, eligit, nec voluptuario corporis rapitur appetitu, ſed repugnandi moderamine, quaſi inuita reuocatur.* Denique, lib. I. de Cain & Abel cap. 3. præferens iuniorem Abel ſeniori Cain, in hunc modum diſſerit: *Seniori iunior antefertur, quia etſi tempore iunior, virtute præſtantior eſt. Innocentia enim tempore poſterior eſt, quàm malitia, & quadam ſuppar ætate, ſed meritorum nobilitate antiquior*: Senectus *enim* venerabilis *eſt, non annis cana, ſed moribus. Et ætas, inquit, Senectutis vita immaculata. Vbi ergo generatio exprimitur, præueniat Cain: vbi diſciplinarum fit prædicatio, præcurrat Abel.* Conueniunt in eandem ſententiam alij Patres, nec diſſentiunt Ethnici. Trita eſt illa M. Tullij Senectutis morum laudem continens enunciatio: *Non cani, non rugæ repentè auctoritatẽ adferre poſſunt, honeſtè acta ſuperior ætas fructus capit auctoritatis extremos.* Et illud Senecæ: (a) *Sed neque vetulus canterius aiebat Varro, quàm nouellus melior: nec canitudini comes virtus.* Veriſſimè igitur pronunciauit Sapiens, neque honorificam eſſe Senectutem eam, quæ longo tempore conſtet, aut quam annorum numero metiaris: ſed canos hominibus ſapientiam conciliare, & ætatem ſenectutis eſſe ſine labe vitam.

***

(a) *Canterius, Carentarius, quod ſemine careat, ſpado.*

MEMBRVM III.
MILITIA CHRISTIANA TRIPLEX
Communis. Particularis. Singularis.

IAM verò, & illud præmittendum: Militiæ Chriſtianæ genera eſſe tria, ſecundum diuerſitatem hominum, qui Chriſto Imperatori militare dicuntur. *Prima* appelletur *Communis*, ſeu *Vniuerſalis*. In quâ dimicatur cum hoſtibus animæ: Concupiſcentiâ Carnis, Concupiſcentiâ oculorum, Superbiâ vitæ: cum Poteſtatibus & Principatibus tenebrarum; ſine ſtatus vllius certi profeſſione. In hac ſunt Laici diuerſarum conditionum. *Altera* eſt *Particularis*, Eccleſiaſticorum: In quâ ſtipendia faciunt Clerici, qui vocantur ſeculares; ad diſtinctionem eorum, qui votis obſtricti ſunt, renunciantes plenariè Seculo. *Tertia* itaque eſt *Singularis*, Religioſorum. De ſingulis diuerſimodè pronunciandum eſt, ſi ætatis phyſicæ, ſeu naturalis habeatur ratio. Nam, ſi moralis tantùm ſpectetur, omnes vnam poſtulant.

MEMBRVM IV.
ÆTAS MORALIS
requiſita ad quodlibet genus Militiæ Chriſtianæ.

DICENDVM arbitror, in quolibet Militiæ genere, *Ætatem* Militis debere eſſe *maturam*: Maturam, aio, non annis, ſed meritis: maturam innocentiâ, vitâ immaculata, canis Sapientiæ: maturam moribus bonis, & virtutibus ſolidis, Non eſt aptus ad Militiam Chriſtianam, vt in ea Militis titulum mereatur, quamuis cano ſit capite, qui puerilitatem morum non exuit: eſt maximè idoneus vel *Puer*, cui non rugæ, ſed virtus auctoritatem conciliat. Dignus eſt albo militari, vt quam primum in illud referatur, cum commendatione, *Puer* ille, qui parentibus, præceptoribus pædagogis dicto audiens, ſingulorum nutus obſeruat, morigerus ſemper: qui erga Diuina eſt benè affectus, erga libros & litteras propenſus, erga homines quoſlibet affabilis, nulli moleſtus: qui tempus, quod habuit vacuum ſtudijs impendit, vel pietati: qui modeſtia, non petulantia eſt noſcibilis: qui in templo ſæpius inuenitur, quàm in foro: cui magis familiare Roſarium Marianum, quàm pila: de quo dici poſſit, quod de Tobia: *Cùm eſſet iunior omnibus, nihil tamen puerile geſſit in opere*, Tobiæ. I. 4. multo minus turpe, fædum, ſcurrile. Nimirum, *Tobias*, vt loquitur Antiſtes Mediolanenſis, lib. III. Epiſt. 21. *albeſcebat, non canis, ſed meritis.*

PVER

PVERI tales fuerunt deinde in veteri Teſtamento, *Samuel*: *Ieremias*, *Daniel*, de quibus S. Bernardus Epiſt. XLII. *Meliores bonæ indolis adoleſcentes inueteratis dierum malorum. Puer centum annorum maledictus eſt: & eſt è regione ſenectus venerabilis, non diuturna, neque numero annorum computata. Bonus puer* Samuel, *qui loquenti DEO promptus aderat auditor. dicens: loquere Domine, quia audit ſeruus tuus, Ac ſi diceret: paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua. Bonus &* Ieremias, *qui ante ſanctificatus, quàm natus, cùm ſe excuſaret de pueritia, nihilominus conſtitutus eſt ſuper gentes, & regna. Bonus quoque* Daniel, *cuius ſpiritum ſuſcitauit DEVS, vt conuinceret iniqua iudicia, & ſanguinem innoxium liberaret*, ſenes impuriſſimos condemnando. Talis quoque fuit Salomon, qui ſortitus erat animam bonam, & nondum duodennis, duxit Sapientiam vt Sponſam: *Hanc amaui*, aiebat maturior factus, *& exquiſiui à iuuentute mea. & quæſiui Sponſam mihi eam adſumere, & amator factus ſum formæ illius*, Sapientiæ VIII. Duodennis verò, vt exiſtimat S. Ignatius Antiochenus, iudicium exercuit meretricum admiranda, & plus quàm ſenili maturitate ac ſagacitate, Lib. III. Reg. 3. 16. Plures huius notæ pueros & puellas exhibet amphitheatrum Noui Teſtamenti, in quo agmen ducat puella

AGNES, quæ annorum tredecim ſapientiâ ac fortitudine ſenibus palmam præripuit. De quâ eſt illud Eccleſiæ elogium: *Infantia quidem computabatur in annis, ſed erat ſenectus mentis immenſa.* Vt rectè dixeris, Agnetem habuiſſe canitiem, id eſt, canditiem, non annorum, ſed morum, & meritorum. Canities enim, vt S. Iſidorus opinatur lib. XI. Orig. cap. 2. vocata eſt à candore, quaſi candities. Vnde iſtud: *Florida iuuentus, lactea*, id eſt, *candida canities*. Agnetis Encomiaſtes AMBROSIVS, tam fuiſſe grauis fertur in pueritiâ, vt puerulus ſuis ſororibus manus exoſculandas præberet, vti Epiſcopi ſolent, quas illæ tanquam ſacras, & à Præſule aliquo protenſas exoſculabantur, vt Paulinus in vita refert. De ORIGENE Adamantio ſcribit Euſebius, lib. VI. cap. 3. eum cùm puer eſſet de abditis Scripturæ ſenſibus Leonidam parentem; de cauſſis verò, atque vſu inſtrumentorum mechanicorum ſæpe fatigaſſe artifices. NICOLAVS (a) Myræ poſtea Epiſcopus in Lyciâ, cùm eſſet adoleſcentulus, Lectiones ſacras frequentabat, quando coæui luſibus diſtinebantur. ATHANASIVS (b) ita ſe inter pueros puer gerebat, vt coætanei illum crearent Epiſcopum, & ad eum alios pueros adducerent, quos more inſtitutoq; Chriſtiano ſacrum in fontem immergebat, tantâ maturitate, vt Alexander Epiſcopus, examine præmiſſo, ritè illos baptizatos diceret. ALEXANDER (c) puer & Martyr, ſextus S. Felicitatis filius; Iudici obijcienti pueroteneram ſuam ætatem, reſpondit animosè, canam ſibi eſſe mentem. MACARIVS Alexandrinus (d) cognominatus fuit παιδαριογέρων, *Puer-ſenex*, ac ſi dicas *Seneca*, ſiue *Senex-canus*, quod in

E 3 ætate

(a) *Breuiarium Romanum* VI. *Decemb.* (b) *Sur.* 2. *Maij.* (c) 10. *Iul.* (d) *Pallad. Lauſiaca cap.* 17.

ætate puerili ſenex videretur, ac ſupra ætatem ſapientia ac virtutibus præſtaret. S. Dorotheus refert Dositheum diſcipulum ſuum breui tempore æquaſſe morum grauitatem, ſanctitatemque ſeniorum: atque id ex Dei reuelatione ſe accepiſſe. Bernardinus *Senenſis*,(a) puer ita erat moribus grauis ac compoſitus, vt ſenex videretur, adeò, vt eo viſo, condiſcipuli eius omnes ad modeſtiam ac grauitatem ſe componerent, inſuſurrantes ſibi: *Tacete. Bernardinus adeſt*. Idem adoleſcentulus, ſodalibus ad vana dilapſis, in ſalutandâ, contemplandaque imagine Deiparæ, quam Dominam ſuam vocabat, & Amicam, quæ etiam-num Senis ad portam ſpectatur, occupari ſolebat. Noſtrâ ætate Carolus Borromævs poſteà Archiepiſcopus Mediolanenſis, & S. R. E. Cardinalis, puer, ceteris luſu & nugis ſe oblectantibus, altaria domi excitabat, & coram iis frequenter procumbebat. Nominaſſe ſatis eſt Lvdovicvm Gallum, Pelagivm Hiſpanum, Casimirvm Polonum, vt *Pueros-ſenes* commendemus. Deniquè, celebrantur illi in Iaponiâ, & apud Sinas, ætate *Pueri*, grauitate *Senes*, virtutibus cani, de quibus tam ſtupenda in Europam ad nos adferuntur. Itaque, in quocumque Militiæ Chriſtianæ genere, quamuis infimo, poſtulatur *Ætas matura*, non annorũ, ſed morum, quæ *Ethica*, ſeu *Moralis* dicitur.

(a) *Sur. 10. Maii.*

Membrvm V.

ÆTAS PHYSICA

requiſita ad Militiam Eccleſiaſticorum.

Si conſideremus Militiam peculiarem Eccleſiaſticorum, in qua cenſentur, poſt Pontificem Max. Epiſcopi, Curiones, Canonici, Eccleſiarum Prælati, alijſque Eccleſiaſticis beneficijs donati, non eſt dubium poſtulari in ea *Ætatem* militarem *Phyſicam* ſeu *Naturalem*: quam niſi habeant, ſtipendia merere non poſſunt, certè, non debent. Norũt id eſt ijs, qui Iuris Põtificij nõ ſunt ignari: præſcribitur enim in Iure Canonico, ſeu Pontificijs Conſtitutionibus diſtinctè ſingulis ſub Eccleſiaſticorum titulo militantibus legitima ſua ætas. Episcopo, & eius conditionis alijs in poteſtate conſtitutus, trigeſimus annus ætatis expletus. Cap. *Epiſcopus*, diſtinct. 77 & Cap. *Cùm in cunctis* de *Elect.* Fortaſſe, ad exemplum Chriſti D. qui triginta natus annos, ſe in munere & officio Magiſtri, Doctoriſq; exercuit, cùm anteà in admirando ſilentio tranſegiſſet ætatem. Iuſtinianus Imperator in Nouella 123. ætatem annorum XXXV. in Epiſcopo poſtulat. Sed ſeruatur in Eccleſia, quod eſt Iure Canonico ſancitum.

Clericis beneficiarijs, habentibus dignitatem, cui eſt cura animarum impoſita; quales ſunt, *Abbates*, *Decani*, *Præpoſiti*, *Archipresbyteri*, & horum ſimiles.

ſimiles, annus xxv. ſaltem inchoatus. Cap. *Cum in cunctis*. de Elect. & *Concilium Trident.* Seſſ.24.cap.12. *Clericis* in dignitate quidem conſtitutis abſque animarum cura, annus xxii. inceptus. Ex Tridentino, ead. Seſſ. & cap. *Clericis* in dignitatę quidem non conſtitutis, Parochiam tamen vel curam animarũ habentibus, annus xxv. inchoatus. Cap. *Cùm in cunctis* de Elect. §. *Inferiora*.

CANONICIS Canonicatum in Eccleſijs cathedralibus obtinentibus, annus, quem Canonicatui adnexus ordo poſtulat. Ex Tridentino loco cit Ita, vt Canonicis, quorum præbendæ Sacerdotium requirunt, annus xxv. inceptus: aut ea ſaltem ætas, vt ad annum vnum fieri Presbyteri queant. Ijs quorum præbendis eſt Diaconatus coniunctus, annus xxiii. inchoatus: quibus Subdiaconatus connectitur, xxii. Ad ſingulos enim dictos Ordines ætas talis exigitur. Quod ſi illos Ordines connexos non habent, cēſent nihilominus doctiſſimi quidam Theologi, ſecundum Tridentinum, Seſſ. xxiii. eam ætatem debere habere quemlibet, quem *Subdiaconatus* poſtulat. *Canonicus* in Eccleſia collegiata xiv. qui annus minimùm inchoatus, ad quælibet Eccleſiaſtica beneficia, etiam inferiora, iuxta Tridentinum, exigitur.

EX quibus colligere licet, quantus eſſet abuſus, & quàm meritò deplorandus, ſi non pueris tantùm, qui ſpectatâ ætate phyſica propriè in Iure vocantur ab exacto ſeptennio, vſque ad annum xiv. L. *Si infantes*. Cod. *de iure delib.* ſed etiam infantibus, minoribus ſeptem annis; & multo magis in cunis adhuc hærentibus, aut in gerulárum vlnis imponerentur Mitræ, offerrentur peda, aſſignarentur Sacerdotia, iidemque ornarentur Prælatorum titulis, & onerarentur Beneficijs Eccleſiaſticis ſine cauſſâ legitima. Grauiter ac ſeuerè Cardinalis Caietanus, in *Summa*, ita de hoc pronunciat, *Ver.* Eccleſiaſtica benef.c.2. *Cōferre pueris Eccleſiaſtica Beneficia. exiſtentibus alijs adultis idoneis, non ſolùm inexcuſabile; ſed intolerabile videtur. Tum quia pueri ſunt ſolùm idonei in ſpe: adulti autem in re. Tum quia officium diuinum deuotè, & ſtudioſè perſoluere nequeunt, cùm nec humana officia valeant exercere, niſi vt pueri: & tamen Beneficiatorum nullus excuſatur ab officio diuino. Nec eſt verum*, inquit idem doctiſſimus Canoniſta Theologus, *quod ſecundum Iura Canonica concedantur Beneficia pueris. Immò, expreſſè hoc reprehenditur*, Cap. *Super inordinata*, de Præbend. Et, *ſi alicubi ſunt ordinatæ quædam præbendæ pro pueris; vide earum ſtatuta; &, vt puto, inuenies, quod non ſunt beneficia Eccleſiaſtica, ſed quædam prouiſiones ad ſuſtentandos & alendos pueros in ſeruitio Eccleſiæ.* Non addo, nec adprôbo, quod habet Felinus in Cap. *Si quando*, de *Reſcriptis*. Si Papa Beneficium infanti, ſiue minori ſeptennio conferret, inferiores non debent ipſi obedire. Siquidem negari non poteſt; Cùm Pontifex Max. plenam poteſtatem in Beneficia Eccleſiaſtica habeat, auctoritate eius, & indulgentia Papali, poſſe infanti Beneficium aliquod tale concedi. Sed non fieret iſtiuſmodi relaxatio iuris, abſque Eccleſiæ incommodo, & animarum detrimento; niſi neceſſitas interueniret, aut alia non leuis momenti cauſſa

excuſans

excuſans. Quam reſpicere Pontificem cùm poteſtate illa ſuâ vtitur me iuuat credere.

ET ſanè olim, apud Romanos, ſummis Reipublicæ temporibus, inopiâ eorum, qui iuſtam ætatem habebant, minores annis XVII. Milites lectos ex ipſorum hiſtoria, habemus. Dilucidè Liuius, libro XXII. *Delectu edicto iuniores ab annis* XVII. *& quoſdam prætextatos ſcribūt.* Idem accidiſſe olim inuenio in Militiâ Eccleſiaſticâ, in quâ, qui nondum legitimam ætatem attigerant, ſacris admotos interdum reperire eſt; ſed ob neceſſitatem aliquam, aut Eccleſiæ commodum ſingulare. ELEVTHERIVS Illyricus Epiſcopus adſcitus fuit in Clerum anno ætatis XV. Diaconus factus anno XX. vt Nicephorus refert, lib. III. cap. 29. REMIGIVS, qui amplius ſeptuaginta annos ſummâ cum laude, Rhemenſem Eccleſiam adminiſtrauit, anno XXII. ætatis ad Epiſcopatum fuit promotus. (a) Quid quod S. Anacletus tertius à S. Petro Romanus Pontifex probat in Presbyteros eligendos eſſe ſeniores non tam ætate quàm ſapientia? Sic enim loquitur *Diſtinct.* LXXXIV *Capit. finali.* Moſi præcipitur, vt eligat Presbyteros, id eſt, ſeniores. Vnde & in Prouerbijs dicitur: *Gloria ſenum eſt canities. Hic verò canities ſapientiam deſignat, de qua ſcriptum eſt*: Canities hominum prudentia eſt. *Cùmq; nongentis & amplius annis ab Adam vſque ad Abraham vixiſſe homines legamus, nullus alius prius appellatus eſt Presbyter, id eſt, ſenior, niſi Abraham, qui multo paucioribus annis vixiſſe conuincitur. Non ergo propter decrepitam ætatem, vel ſenectutem; ſed propter ſapientiam presbyteri nominantur.*

AT poſteriores Pontifices & meritò, annorum etiam numerum ad Presbyterium Eccleſiaſticū præſcripſerunt. Quod ſi aliquando contrarium fiat; &, vel adoleſcens vel puer prudentiæ canis ſenex, promotus inueniatur ad Eccleſiaſticam dignitatem, id opus DEI eſſe poſſe, monet S. Bernardus, his, qui tales non ſunt mirandum, haud imitandum, Epiſtola XLII. ad Henricum Senonenſem. Et addit: *Multos iuniorum videmus ſuper ſenes intelligere, & moribus antiquare dies, præuenire tempora meritis, & quod ætati deeſt, compenſare virtutibus.* Itaque in Militiâ Eccleſiaſticâ, vniuerſim certa eſt annorum ætas, ſecundum Pontificum reſcripta, ad quam niſi quis pertingat, bello non cenſetur ſecundum legem communem, & ordinariam idoneus.

(a) *Sur. 1. Octob. Herman. Contract. in Chron.*

MEM-

MEMBRVM VI.
ÆTAS NATVRLIS
neceſſaria ad Militiam Religioſorum.

IN alio Militiæ genere, quod eſt Religioſorum, non omninò eadem eſt ratio, ſi annorum ſpectetur numerus. Et primò quidem illud in quæſtionem venit. An certa requiratur annorum periodus, vt nomen quis dare poſſit huic Militiæ? De quo Iura ita præſcribunt.

I. ANTE annos pubertatis, non poſſe inuitis parentibus, aut qui parentum loco ſunt, tutoribus, Puerum intrare Religionem, aut habitum ſuſcipere. Quod ſi contra fecerit poſſe repeti, & Religionem compelli officio Iudicis Eccleſiaſtici, vt reſtituatur. Id colligitur ex Reſcripto Alexandri III. Cap. *ad noſtrũ:* & ex Cap. *Significatum*, de Regul. Nimirum, ante annos pubertatis non præſumuntur minores ſat habere iudicij, vt de ſtatu vitæ benè deliberent, ac decernant. Vnde in omnibus, ſub poteſtate parentum, aut tutorum illos eſſe voluerunt Leges, donec ad pubertatem peruenerint. Eſt autem pubertatis terminus præfixus: in maſculo quidem annus XIV. completus: in fœminâ XII. completus.

II. IMPVBERES cum bonâ parentum veniâ, poſſe Religionem ingredi, atque habitum ſuſcipere. Quod ſi faciant, parentes deinde non habent amplius ius repetendi. Siquidem quod ſemel placuit, id poſtmodum in alterius iniuriam diſplicere non debet: & quod ſemel DEO ſponte eſt oblatum, poſteà repetere eſt nefas. Non aufertur tamen poteſtas ſic ingreſſo, ſimul atque ad pubertatem venerit, factum ſuum, ratificandi, vel irritum reddendi, & liberè ſtatum illum deſerendi. Non enim illum obſtringit parentum oblatio ad manendum in Religione, niſi in ætate legitimâ conſenſerit, immò. niſi ipſe ſeſe obligarit.

III. PVBERTATE adeptâ, hoc eſt, completo anno XIV. in puero, XII. in fœminâ, efficiuntur omnes ſui iuris ac liberi à parentum poteſtate, quoad Religionis ingreſſum: ita vt parentes neque poſſint eos cogere, vt intrent; neque impedire, ſi ingredi velint, ne intrent. Quæ Theologorum omnium eſt ſententia, & in Eccleſiâ, poſt Conciliorum decreta mille annis firmata conſuetudo. Neque obluctari poteſt quiſquam ſi inſpiciat Concilium Triburienſe c. XXIV. Toletanum decimum, b. cap. VI. & Sanctionem Cæleſtini III. quæ habetur Cap. *Cum ſimus*, Extra *de Regular.* Quamuis ex Conſilio Tridentino, c. Seſſ. XXV, cap. 15. Profeſſio religioſa non valeat, ante expletum annum probationis, & ſextum decimum ætatis. Quocirca iniuriam facit adoleſcenti iuſtam ætatem habenti, qui vi, fraude, minis impedit, ne Religionem ingrediatur; vel cogit, vt ingrediatur: cùmque ſit grauis iniuria in re magni momenti, mortale cenſetur, nec immeritò, crimen.

HABEMVS igitur ætatem naturalem lege ſancitam ad Militiam ſacram Religioſorum, quibus cùm pubertatis tempus aptitudinem demonſtret, animaduerto idem ad Militiam profanam Romanorum aptos repræſentaſſe: quod Vegetius innuit, qui lib. 1. cap. 4. *Si antiqua*, inquit, *conſuetudo ſeruanda ſit, incipientem pubertatem, ad delectum vocari conuenit.* Sed hoc ſe mirari, ait Militiæ Romanæ illuſtrator Lipſius, (*a*) nec diſtinctè verùm eſſe, cùm decimus ſeptimus non ſit incipiens pubertas. At Silius Poëta (*b*) magis etiam intendit, & iuniores Militiæ idoneos inſinuat apud Romanos fuiſſe habitos, dum canit.

Pubeſcit miles caſtris, galeâq; teruntur
Nondum ſignatæ flaua lanugine malæ.

Verùm, vt vt ſit de Romanis, & profanâ Militiâ, plurimi in ſacrâ apud Chriſtianos, pubeſcunt in caſtris Religioſorum. Sed, video quoſdam addubitare, vtrum expediat tam citò illi laborioſæ Militiæ animum adijcere, ac nomen dare? At mihi nullum hîc eſt dubium, aioque ſecurè, expedire valdè, eſſeque ſalubertimum.

(a) *Lib. 1. de Milit. R. dialog. 2.* (b) *Lib. 11.*

MEMBRVM VII.

ÆTAS IDONEA

ad Militiam Chriſtianam in Religione,

PVERITIA. ADOLESCENTIA. IVVENTVS.

Auctoritate & Exemplis firmatur.

DVCOR imprimis clariſſimis verbis Prophetæ: *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius & tacebit, quia leuabit ſe ſuper ſe.* Threnorum tertio. Quæ verba S. Thomas agens contra retrahentes à Religione cap. 11. & paſſim alij pietatis Magiſtri, intelligunt, ſenſu ſaltem accommodatio, de eo, qui in primo adoleſcentiæ flore ad vexillum Chriſti ſe confert, illi in Religione militaturus. Rationem inſinuari aiunt ijs verbis: *Sedebit ſolitarius.* Nimirum, quia talis in eâ ætate à mundi tumultu, & conuerſatione ſeculari ſegregatus, facilè ſe ſuper ſe, hoc eſt, ſupra naturæ ſuæ conditionem, quæ tunc facilè obedit ſpiritui, leuabit, & ad cæleſtia ac Diuina eriget, Angelorumque vitam, & ſanctitatem imitabitur. *Sedebit ſolitarius, tacebit, & leuabit ſe ſuper ſe.* Senſu S. Ambroſij: (*a*) *Qui à iuuentute iugum* (in Religione) *portauerit, & habenis maturi moderaminis teneriora volens colla ſubdiderit, ſedebit ſingulariter remotus à ſtrepitu interpellantium paſſionum, &*

(a) *In Pſalm. 118. Sermone 19.*

quietus ſilebit: cui neceſſe eſt iam non iurgari cum corpore, decertare cum varijs cupiditatibus, quia tulit iugum verbi anima, quæ quærit DEVM, quæ captiuas ſibi fecit omnes delicias iuuentutis.

ADOLESCENS in tenerâ ætate, Religioſæ Militiæ ſe tradens, *Leuauit ſe ſuper ſe*, vt legunt Hugo, Rabanus, Rupertus, Lyranus: ſcilicet à terrenis ad cæleſtia, quod ipſi haud dubiè bonũ eſt: *Leuauit ſe ſuper ſe*: ſeipſum ſupergreſſus librauit ſe à terra in cælum, ab imis ad ſumma, à viliſſimis ad precioſiſſima, ab humanis ad Diuina, denique, à ſe ad DEVM. quid optabilius? *Leuauit ſe ſuper ſe*, ſenſu S. Bernardi, (*a*) quoniam, *cùm adoleſcens eſſet, & lubrica ætatis ſentiret ardores, ſenem* (in Religione mox) *induit, relinquens quod erat, aſſumens quod non erat.* Leuauit ſe ſuper ſe, *quia non reſpexit ad ſe, ſed ad illum qui eſt ſuper ſe*: Sedebit, & tacebit *etiam modò à ſtrepitu diabolicarum ſuggeſtionum, à ſtrepitu carnalium deſideriorum, à ſtrepitu mundi.* Felix Adoleſcens, qui in Religione *ſe eleuat ſupra ſe*, ſenſu D. Baſilij, (*b*) quia DEVM *eſuriens, à terrenarum ſe rerum obtutibus erigit, & in diuina contemplationis arce ſuſpendit: à mundi ſe actionibus ſegregat, atque in altum contemplationis cæleſtibus deſiderijs pennas librat: cùmq; illum, qui eſt ſuper omnia conſpicere, ſatagit ſemetipſum quoque cum reliqua mundana vallis deiectione tranſcendit.* Expedit igitur à primâ ætate Adoleſcentes huic nomen dare Militiæ, aſſueſcere quàm primum diſciplinæ militari, exercitationi religioſæ, auſteritati, patientiæ; ſicque roborari, vt accedentibus annis, euadat in Militem fortiſſimum. Dici ſanè non poteſt, quantum ſit diſcrimen inter hos, & alios, qui tardius Chriſti Signa ſequuntur. Laudat S. Thomas D. Anſelmum, (*c*) qui comparationem inſtituens, ſcribit eos, qui ab ineunte ætate in Religiosâ Militiâ ſunt educati, eſſe ſimiles Angelicis Spiritibus, qui nunquam à DEO deſciuerunt, neque vlli alteri vnquam militarunt, ſed ab initio obſtricti DEO militari Sacramento, ſemper deinde in eius ſeruitio perſtiterunt. Eos verò qui in ſeculari vita conuerſi ſunt, eſſe ſimiles hominibus, qui poſt varios lapſus, & errores, tandem ad bonum traducuntur: ſiue, vt in noſtra hæreamus metaphora, qui poſtquam ſat diu contra DEVM, militarunt Mundo & Cacodæmoni, pænitentia ducti perfidiæ, ad illius ſe tandem, quem poſt Baptiſmi initiationem deſeruerant Vexillum, poſtliminio redierunt, defatigati, & ad labores religioſos vix habiles.

QVOD ſi Euangelium conſulamus, is, cui Dominus dixit. Matthæi. xix. & Luc. x. *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me*, id eſt, Religionem meam ingredere: nam Collegium Apoſtolorum erat Contubernium Religioſorum Chriſto militantium, erat Adoleſcens, Græcè νεανίσκος, diminutiuè, adoleſcentulus, qualis eſt quatuordecim, quindecim, ſexdecim annorum, IOANNES BAPTISTA Religioſi Pueri, Adoleſcentis, Viri idea, vix bimulus iuit in eremum, veſtitus cilicio, locuſtis victitans,

(a) *Serm. 1. de SS. Petro & Paulo.* (b) *de vita Solitar.* (c) *S. Anſelmus lib. ſimil. cap. 78.*
(d) *S. Thom. contra retrab. à Rel.*

ctitans, factus deinde Chriſti paranymphus & glorioſus Martyr. In CHRISTO amplius quid contemplor & admiror. Nam in laboribus non tantùm fuit à iuuentute, ſed laborioſiſſimam Militiam incepit à cunis, in præſepio ordiens vitam militarem, duram, pauperem, ærumnoſam, iam tunc CRVCEM portans interiorem, & ad exteriorem ſe parans. IOANNES Apoſtolus, Chriſto maximè dilectus diſcipulus, iuuenis, & à Seculi corruptione immunis Dominum eſt ſequutus, ideoque priuilegio amoris præcipui ceteris altius meruit honorari, dictus Diſcipulus, quem diligebat IESVS, qui ſupra pectus Domini in cæna recubuit; quem impleuit Dominus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus: Cui ideirco etiam myſteria maxima reuelauit, vt S. teſtatur Hieronymus, lib. 1. in Iouinian.

ADHÆC, me plurimum mouent Exépla præclariſſimorum in iiſdem caſtris Militum, quorum memoria in benedictione eſt; qui, vel ante pubertatem, vel paulò poſt, Militiæ religioſæ adſcripti fuerunt proximè conſequutis Apoſtolorum ætatem ſeculis. Sancti, PAVLVS primus Eremita, ANTONIVS, & HILARION anno vitæ XV. venditis omnibus & in pauperes diſtributis, relicta domo paterna, cognatiſque, ſe in deſertum contulerunt, Chriſto, religioſo cultu militaturi. S. BENEDICTVS admodum iuuenis erat, quando mundum & cum eo, quæ mundi ſunt; omnia deſeruit, nempe x. vel XII. annorum. De quo S. Gregorius Papa, lib. II. Dialog. cap. 1. *Fuit vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus & nomine, ab ipſo ſuo pueritiæ tempore cor gerens ſenile. Ætatem quippe moribus tranſiens, nulli voluptati animū dedit: ſed, dum in hac terrá adhuc eſſet, quo temporaliter liberè vti potuiſſet, deſpexit iam quaſi aridum mundum cum flore.* Huic S. PLACIDVS quinquennis, fuit traditus, efformandus. Qui à puero in ea Militia ita profecit, vt & illuſtris fuerit Religioſus, vſque ad ſudorem laborans in monaſterio, & Martyr profuſo ſanguine in certaminis campo. Plures tales pueros S. Benedictus paſſim recipiebat, ad ſuum Ordinem, & à teneris aſſuefaciebat auſteritati, & diſciplinæ militari in monaſterio; ac benè ceſſit Ordini & pueris. Inter quos fuit S. MAVRVS, ille religioſæ obedientiæ eximius cultor, qui mandato Superioris lacum ingreſſus, non eſt merſus, Gregorio Papa teſte lib ſecundo Dialogorum capite VII. S. SIMEON *Stylites iunior,* qui ieiunia in cunis inchoarat, læuo matris vbere, velut ominis cauſſa ſemper abſtinens, ſexto ætatis anno ab hominum conſortio in loca ſola ſeceſſit, ac deinde in Columna ſtationem inuenit, vbi ea dixit, fecitque, quæ orbem vniuerſum in ſtuporem dederunt (a) S. IOANNES CALYBITA in illuſtri patriciorum familia natus, cùm eſſet annorum circiter XIV. clam parentibus in Syriam abijt, & veſté indutus religioſam, vitam auſpicatus eſt Militiæ Chriſtianæ in monaſterio conſentaneam. Idem fecerunt, ſuo quiſque æuo, Sancti, *Romualdus*, anno ætatis XX. *Thomas Aquinas* XIV. *Franciſcus* Paulanus XIII. *Antoninus*, XIII. appulit animum XIV. eſt receptus in Ordinem. *Vincentius Ferrerius* XVIII. *Laurentius* Iuſtinia-

(a) *Menæa, Euagrius. Vita 24. Maij.*

Iuſtinianus xix. Venerab. *Beda* ab anno vii. Militiam eam cœpit. *Laurentius Iuſtinianus* xix. Plures à primis adoleſcentiæ annis, ſe ad varia Religioſorum Militum caſtra, diuerſis temporibus, contulerunt, quod etiam-num multi faciunt.

Cvm diebus proximè ſuperioribus animi cauſâ &, vt me Principum noſtræ Religionis memoriâ recreárem, peruoluerem Catalogum illuſtrium Scriptorum Societatis Iesv, nihil frequentius reperi, quàm ad Vexillum Chriſti conuolaſſe adoleſcentes, Chriſti Caſtra ſub Duce Ignatio ſequutos iuuenes, Deo ſe in Societate conſecraſſe, annis & viribus imbecilles, animo maturos. Pauculos nomino, ex maximo numero. *Benedictus Pererius*, vir ſubtiliſſimi ingenij, & in Philoſophicis ac Theologicis Scholis nominatiſſimus vix adoleſcentiam ingreſſus Religioni ſe addixit. *Blaſius Viegas* notus orbi ob doctiſſimos in Scripturam Sacram Commentarios, puer annorum xv in Societatem eſt admiſſus. *Chriſtophorus Clauius*, Seculi noſtri Euclides à primæ adoleſcentiâ nomen dedit. *Coſmas Magalianus*, Scriptor eruditiſſimus, vix xiv. annos natus noſtris eſt aggregatus. *Emanuel Sà* in ipſo flore adoleſcentiæ. *Franciſcus Coſterus* adoleſcens. *Franciſcus Suarez*, ſummus deinde Theologus, primâ ætate vix exactâ. *Gabriel Vaſquez*, ſubtiliſſimus poſteà Doctor, annos natus xviii. *Gregorius de Valentia*, Commentator in S. Thomam accuratiſſimus, ab ipſa penè infantia. *Iacobus Gretzerus*, clarum apud Germanos nomen, admodum adoleſcens. *Ioannes de Pineda* xv. nondum expleto. *Robertus Bellarminus* Marcelli II. Pontif. Max. nepos, adoleſcentulus planè. *Petrus Fonſeca*, annorum xx. *Thomas Sanchez*, & *Petrus Ribadeneira*, vterque puer. Non omittendus *Aloyſius Gonzaga* Beatorum numero adſcriptus, qui anno xviii. ſtudio Socijs militantibus ſe iungendi, fratri ſuo ditionem auitam fortunaſque ceſſit. Agmen hic claudat B. puer *Stanislaus Koſtka* ante pubertatem miles fortiſſimus, meritò inter triarios numerandus.

Sed habet plures iuniorum centurias Eccleſia, qui prius, quam hactenus nominati omnes, fidelem Chriſto Imperatori in Militia ſuam operam nauarunt: de quibus Militibus Chriſtianis eleganter D. Chryſologus Sermone clii. Innocentes Martyres laudans. *Natus Rex & Rex cæleſtis quare neglexit* Milites innocentiæ ſuæ? *coætaneum ſibi quare contempſit exercitum? Quare cunabulis ſuis deputatas excubias ſic reliquit, vt Regem ſolum quæſiturus hoſtis, totum graſſaretur in* Militem? *Fratres Chriſtus non deſpexit ſuos* Milites, *ſed prouexit: quibus dedit ante triumphare, quàm viuere: quos fecit capere ſine concertatione victoriam: quos donauit coronis, antequam membris: quos voluit virtutibus vitia præterire antè cælum poſſidere, quàm terram: nec ante ſe humanis inſerere, quàm Diuinis. Præmiſit ergo Chriſtus ſuos* Milites, *non amiſit: recepit ſua acies non reliquit.* Et alio loco idem Orator: *Coorta Regi cohors ſuo magis præmori, quàm commori tota geſtit. Chriſto dicati* Milites, *cœperunt ante militare, quàm viuere: antè pugnare quàm ludere: fundere ante ſanguinem, quàm lactis vbera perpotare. Verè, Fratres,*

eres, iſti ſunt gratia Martyres, confitentur tacentes, neſcientes pugnant, vincunt inſcij moriuntur inconſcij, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes. Ex his facile percipicitur, nullam eſſe ætatem, quamuis tenerrimam, quæ ad Militiam Chriſtianam non ſit idonea. *Nulla ætas immatura regno* DEI clamat Antiſtes Mediolanenſis. Nam vix ègreſſi ex viero adſcribuntur huic Militiæ. Milites Chriſti eſſe poſſunt infantes lactentesque: deberent eſſe, ſi ſibi conſultum vellent, pueri & adoleſcentes, poſt pubertatem maximè, antequam anni inualeſcerent. Quod tot exemplis eſt demonſtratum.

MEMBRVM VIII.

ÆTAS IDONEA

ad Militiam Chriſtianam in Religione,

PVERITIA. ADOLESCENTIA. IVVENTVS.

Argumentis ſtabilitur.

IVNGATVR Exemplis Ratio, quæ non vna occurrit. Prima fundamentum habet in Diuinis Litteris, in quibus, DEVS ſibi offerri poſtulat in ſacrificium id quod eſt purum, ſanum, integrum, Leuitici 1. & Malachiæ 1. Qui autem ad Militiam religioſam ſe confert, ac DEO ſe deuouet, in Sacrificium DEO ſe offert, vt accuratè probat Hieronymus Platus, lib. 1. de bono ſtatus religioſi, cap. 15. Itaque curare debet, vt ipſe ſecundum corpus & animam ſit hoſtia immaculata, pura à ſcelere, & à peccati morbis ſana. Quare non expectet, donec criminibus deturpetur, & corpus libidine, anima impuritate affectuum conſpergatur: donec integritas illius mutilatione pereat, ſanitas morbis mortalibus corrumpatur. At, ero, inquis, annis aliquot in ſeculo integer vitæ, ſcelerisque purus, ero DEO victima immaculata. Ne credas (mi Adoleſcens) fallax eſt Mundus, blanda caro, aſtutus Dæmon: imponent tibi, vt tot alijs, qui te videbantur fortiores. Eris, ſi manes, vbi es, oculis impudicus, ore blaſphemus, manibus laſciuus, pedibus immodeſtus, corporis compoſitione meretricius, animi diſpoſitione Satanicus. Non erit à capite ad calcem in te ſanitas. Nihil cogitabis die & nocte aliud, quàm de fœdis amoribus: nihil leges aliud, quàm ſpurca, & obſcæna: nihil audies libentius, quàm turpia. Præclara eris poſt annos aliquot hoſtia, hoſtia pura & immaculata, guloſitate lupus, fœditate ſcropha, crudelitate panthera, vanitate pauus, mordacitate canis, impudentiâ muſca, garrulitate pica, beſtialitate iumentum hinniens.

RATIO alia ſuggeritur à vitæ ſpiritualis Magiſtris, ex hominis natura, aut potius fragilitate eius petita. Dicunt, eo tempore hominem ad militandũ Chriſto in Religione eſſe aptiſſimum, quo animus praua conſuetudine nondum eſt corruptus.

corruptus. Incredibile autem videri poſſe, niſi experientia conſtaret, quàm ſit facilis ad corruptelam, pueritia, adoleſcentia, iuuentus; quàm facile peſſimum colorem imbibat hæc lana, quàm fœdis hæc tabula raſa formis deturpetur, quot maculis quotidie inquinetur. Quæ vt eradantur, diſpurgantur, deleantur in Religione, & contrarijs exornetur, eſt difficillimum; ſicut facillimum fuiſſet, tabulam illam puram pulcherrimis obducere coloribus, elegantiſſimis implere rerum cæleſtium formis, & cultis decoriſque exornare imaginibus. Quãdo autem tabula illa nondum eſt deformata? vtinam dicere poſſem verè, nunquam in pueritia, vix in adoleſcentiæ exordio, nondum ante pubertatem: certè, verum eſt non adeò tunc defœdatam eſſe communiter; nec enim eo tempore vitioſi habitus agere radices tàm altas potuêre: nondum gulæ ac Veneris blandimenta mentem planè deprauarunt: nec dum ambitionis & auaritiæ tyrannis animæ rempublicam in poteſtatem redegit: nondum regnum in homine occupauit impietas. Eſt igitur tunc tempus maximè idoneum ad Chriſti Militiam ſe conferendi, Religionis caſtra ſequendi, DEO ſe perfectè in Ordine ſacro dicandi.

HISCE adnectatur, quod conſuetudines prauæ, quos Adoleſcentia ac iuuentus, ſi diutius agat in Seculo cum quolibet hominum genere, & in medio nationis prauæ, contrahit, difficillimè deſeruntur, ac proinde vitam religioſam reddunt penè intolerabilem: ſuntque iſtiuſmodi homines ſibi ac alijs moleſtiſſimi. *Prouerbium eſt*, inquit Sapiens: (*a*) *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit non recedet ab eâ. Difficulter*, ait S. Hieronymus, (*e*) *eraditur, quod rudes animæ perbiberunt. Lanarum conchylia quis in priſtinum candorem reuocet? Recens teſta diu & ſaporem retinet & odorem quo primum imbuta eſt. Græca narrat hiſtoria, Alexandrum orbis domitorem, & in moribus & in inceſſu Leonidis pædagogi ſui non potuiſſe carere vitijs quibus ad huc paruulus fuerat infectus.* Conſuetudines inueteratæ & habitus praui vſque ad ſenium, immò vltra ſenium perſeuerant. Nam experimur, quod veriſſimè dixit Sophar apud Iobum de quodam ſed eadem eſt ratio omnium: *Oſſa eius implebuntur vitijs adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* (*c*) Notum eſt, quod Philoſophus docet (*d*) in Ethicis, tam vitia quàm virtutes generari ex frequentatione actuum, ſeu conſuetudine, aut bona, vnde virtutes; aut mala, vnde vitia. Quare ſubiungit: *Non parum ergo refert, ſed permultum, vtrum ſic vel ſic à pueris aſſueſcamus. Immò verò totum in eo poſitum eſt.* Quamobrem monebat Plato, vt prima de iuuenibus cura ſuſciperetur, ſic enim bonos euadere. Quomodo agricola nouellam plantam primo ac maximè curat.

APVD Romanos annus decimusſeptimus cenſebatur maximè idoneus ad inchoandam Militiam profanam. Meũ ſi ſequantur conſilium Adoleſcentes in Academijs Catholicis præclari, quiſe vocatos

(a) *Prouer.* XXII. 6. (b) *Epiſt.* VII. *ad Lætam.* (c) *Iob.* XX. (d) *Lib.* II. *Ethicor. cap.* 2. (e) *Dial. Euthyphron.*

vocatos ad Militiam ſacram ſentiunt, vltra hunc annum; aut certè decimum octauum, tyrocinium Religioſæ Militiæ non differant, nec vigeſimum expectet, & multo minus maturiorem ætatem. Sciunt enim qui iuuentutem tractarunt, periculoſiſſimum eſſe tempus, quod fluit ab anno decimo octauo ad vigeſimum quintum. Siquidem tunc titillat caro, bullit ſanguis, viget iuuenilis feruor, æſtuat concupiſcentia, inflammatur peccandi fomes: tunc inſurgit audacia, proſilit temeritas, prodit ſe maximè, quæ latebat hactenus, mali cupido: tunc rationis lumen voluptatis illecebris, & ſenſuum lenocinijs, velut nebulis obtenebratur: tunc caſtitatis infinita fiunt naufragia: tunc ebrietatis, crapulæ, & ingluuiei dedecora: tum lites, pugnæ, vulnera, cædes, adulteria: tunc effuſio animi in omnem licentiam, voluptatem, turpitudinem regnant: tunc DEI ſalutisque oritur obliuio. Quocirca plurimi in illo annorum decurſu, corpore atque anima pereunt: &, ſi ſuperuiuant, aſſueti ſuis cupiditatibus: praua conſuetudine corrupti, pleni vanis iudicijs, pleni tædio, cholera, morbis, pleni deſperatione vitæ melioris, quod reliquum eſt vitæ, miſerrimè tranſigunt. A quibus omnibus præſeruati fuiſſent, ſi cognouiſſent tempus vocationis ſuæ ad Militiam Spiritualem, & ætatis militaris tempus accommodatiſſimum non neglexiſſent.

MEMBRVM IX.
IVS DANDI NOMEN MILITIAE.

Ad Militiam Chriſtianam, interdum abſque amicorum, immò, & parentum, indebitè impedientium reſpectu, eſt euolandum.

QVI apud Romanos ad ætatem militarem peruenerant, ſi citabantur in Delectu, nomina militiæ dare poterant, nullo amicorum, cognatorum, tutorum, parentumque intuitu: ſui enim tunc iuris voluntatisque cenſebantur. Idem Ius habet, qui ad DEI CHRISTIque Vexillum, ſi ætatem militarem attigit, euocatur. Et faciendum omnibus, alluſione ad Militiam facta, monent grauiſſimis verbis Eccleſiæ Doctores: adiunguntque quid faciendum, ſi parentes obſiſtant. Eſt autem imprimis in hac re vehemens S. Hieronymus, qui Heliodorum ſic epiſtola 1. alloquitur. *Quid facis in domo paternâ delicate Miles? vbi vallum? vbi foſſa? vbi hiems acta ſub pellibus? Audi edictum Regis tui:* Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui mecum non colligit, ſpargit. *Recordare Tyrocinij tui diē, quo Chriſto in baptiſmate conſepultus, in Sacramenti verba iuraſti, pro nomine eius non te patri parciturum, non matri. Ecce aduerſarius in pectore tuo Chriſtum conatur occidere. Ecce donatiuum, quod militaturus acceperas hoſtilia caſtra ſuſpirant. Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine, & ſciſsis veſtibus, vbera quibus te nutrieras, mater oſtendat,*

dat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad Vexillum Crucis euola. Solum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem. Acris ſanè, ac animoſa exhortatio, & quæ Imperatorem deceat: nec mirum, quia agitur de re maximâ, cui corona & ignominia æterna coniuncta eſt. Pergit autem Hieronymus: *Veniet, veniet poſteà dies, quo Victor reuertaris in patriam: quo Ieroſolymā cæleſtem vir fortis coronatus ingrediaris. Neque verò neſcio, quā te dicas nūc compede præpediri. Non eſt nobis ferreum pectus, nec dura præcordia. Et nos per iſta tranſiuimus.* Obſtat gerula, mater, pater. *Gladium tenet hoſtis, vt me perimat, & ego de matris lacrymis cogitabo? Propter patrem* Militiam Chriſti *deſeram, cui ſepulturam Chriſti cauſa non debeo, quam etiam omnibus eius cauſa debeo? Si credant Chriſto, faueant mihi pro eius nomine pugnaturo: ſi non credunt, mortui ſepeliant mortuos ſuos.*

S. AVGVSTINVS eodem loquendi genere, nec incitatione minori vtitur, Lætum adoleſcentem nobilem & opulentum, ne parentum amore & querimonijs propoſitum militandi DEO deſerat, admonens Epiſtola XXXVIII. *Ecce, ait, rapit te ſtudium veritatis cognoſcendæ, atque percipiendæ voluntatis DEI. Rapit Euangelicæ prædicationis officium. Dat ſignum Dominus, vt vigilemus in caſtris, vt ædificemus turrim, de qua hoſtem ſempiternæ vitæ, & proſpicere, & propellere valeamus Rapit* Militem Chriſti *tuba cæleſtis ad prælium, & retineat mater?* Tyro Chriſti ſi es, ſi turris fundamenta poſuiſti, perge porrò, ne dicant tranſeuntes: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Carnalem affectum & in nobis & in noſtris* MILITIA CHRISTIANA *vt perimamus, hortatur.* Reſpiciebat etiam ad militarem conſuetudinem D. Bernardus in epiſtola CIV. ad Gualterum, iuuenem nobilem & eruditum, exſtimulans, vt caſtra Chriſti ſequeretur ſeculúmque deſereret quamprimùm. Agens autem de affectu materno: *Quid,* inquit, *ad hoc reſpondebo tibi, vt matrem deſeras? ſed inhumanum videtur. Vt cum ipſa maneas? Sed neque ipſi expedit, vt filio ſit cauſſa perditionis. Forte vt Mundo ſimul militet & Chriſto? Sed nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Et plura ſubijcit in hanc ſententiam digna quæ legantur. Quibus addatur pro parentibus filios nimis carnaliter diligentibus: Cùm Domino offerrent paruulos vt tangeret eos, Diſcipulos fuiſſe comminatos offerentibus. Quod videns IESVS *indignè tulit,* dixitque: *Sinite paruulos ad me venire, & non prohibueatis eos. Talium enim eſt regnum cælorum,* Marci x. Si Dominus indignabatur eis, qui paruulos, τὰ παιδία hoc eſt, puerulos, vt habet Matthæus, & Marcus, τὰ βρέφη, infantes, vt Lucas, qui nondum ſpiritualia capere poterant, impediebant, ne ad Chriſtum accederent, benedictionis cauſſa; quanto magis indignabitur illis, qui adoleſcentes vel iuuenes ſpiritualis doctrinæ capaces ad Chriſtum accedere, vt illi dicto Sacramento militari arctiſſimè coniungantur, impediunt, & auertunt?

* * *

MEMBRVM X.
TERMINVS MILITANDI

An quemadmodum in vitâ humanâ, eſt tempus inchoandi Militiam Chriſtianam, ita poſt aliquot annorum periodum ſit determinatum tempus, eam finiendi.

ÆTAS militaris apud Romanos, non ſolùm erat inceptionis, ſed & deſitionis. Vt enim initium dabat annus decimus ſeptimus, ita finem imponebat ſextus & quadrageſimus. Atque ita infra annum XVII. *Pueri*; ab anno XLVI. *Seniores* dicebantur, bello inutiles. Ita, præter Tuberonem, Dionyſius lib. IV. dum exponit cenſum ſecundæ claſſis, eos, qui maiores eſſent annis XLV. ab ætate ſeparat militari. Eundem militandi terminum conſtituiſſe videtur Polybius libro VI. Quamuis Seneca rotundum potius, non exactum præciſumque numerum ſignans ſcribat libro de breuitate vitæ: *Lex à quinquageſimo anno milites non cogit, à ſexageſimo Senatorem non citat.* An ſimilem habet limitem Chriſtianá Militiâ, quo ad deſitionem, ſi phyſicam ætatem ſpectemus? Minimè. Nullus poteſt adſignari terminus, quam diu vita mortalis durat, quo quis à Militiæ ſacræ oneribus cenſeatur liber, ſi annorum habeatur ratio. Semper nobis pugnandum eſt cum antiquo Serpente. Semper ſtandum in procinctu: ſemper in acie cum hoſte dimicandum. S. MARTINVS (a) bis Miles, ſemel profanus Cæſaris, deinde ſacer DEI, cum per omnes Militiæ gradus progreſſus eſſet, octuaginta natus annos, aduerſarium excepit, pugnauit, vicit, triumphauit: iterum pugnaturus ſi in vitâ manſiſſet. Nam hoc ſpectabat illa prouocatio, viſo humani generis hoſte: *Quid adſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſte reperies*: Hoc continebat animola proteſtatio. *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem.* O Militem generoſiſſimum, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori pro Imperatore ſuo timuit, nec viuere cum eodem in caſtris diutius recuſauit! S. HILARION (b) in Militiâ religiosâ exercitatiſſimus, & ipſe octuageſimo ætatis anno, cùm extrema ſibi imminere præſentiſceret, & extremo penè ſpiritu conflictaretur in hac voces prorumpebat: *Egredere, quid times, egredere anima mea: quid dubitas? Septuaginta propè annos ſeruiſti Chriſto*, in eius caſtris aſſiduè militans, *& mortem times?* S. ROMVALDVS (c) Abbas, cùm annos centum & viginti ageret ac centum ipſos in ſummâ vitæ auſteritate Chriſto militaſſet, pugnare non antè deſijt, quàm viuere. Quod Chriſtianum eſt, nullum ab ætate excuſationem prætexens. Nimirum, quod olim vſurpabant Romani, vt ſummis Reipublicæ temporibus, maiores

(a) *Vita, Nouemb.* XI. (b) XXI. *Octob.* (c) XIX. *Ian.*

lores quoque annis XLVI. ad ſigna vocarent, quod ex Liuio libro V. & VI. habetur; id in Chriſtianâ Militia ſemper vſu venit. Siquidem quam diu peregrinatur à Domino, ſiue Eccleſia vniuerſa, ſiue cuiusque Chriſtiani anima, ſunt calamitoſiſſima Reipublicæ tempora: in ſummo omnes verſamur diſcrimine: oppugnamur vndique. Quamobrem nihil mirum eſt, quod in ECCLESIA MILITANTE neminem à militando, ætas, quamuis extrema, excuſet.

MEMBRVM XI.

INITIVM ET FINIS MILITANDI.

Quemadmodum in Militia Chriſtiana. ſicut exordium ſumi poteſt ab anno XVII. *Ita finis adſignari poteſt annus* XLVI.

SI ſpeculationibus allegoricis, aut myſticis indulgere iuuat, dicere poſſumus: quemadmodum in profanâ Militiâ apud Romanos, idoneus cenſebatur, vt illam inchoaret, qui erat annorum XVII. & liberabatur ab onere militandi, anno XLVI. ita in ſacrâ, Chriſtianum Militem idem habere exordiũ, & finem. Declaro. Septendecim debet eſſe annorum, vt aptus quis iudicetur, qui ſub vexillo Chriſti ſtipendia faciat. Numeret oportet quiſquis eſt Miles Chriſti, decem & ſeptem. De quo numero ita philoſophatur S. Auguſtinus in Pſal XLIX. *Decem ſunt in preceptis: ſeptem in gratia Spiritus Sancti, per quam gratiam implentur precepta. Decem ergo & ſeptem tenent omnes pertinentes ad reſurrectionem, ad dextram, ad regnum cælorum, ad vitam æternam. Id eſt, legem implentes per gratiam Spiritus, non quaſi per opus ſuum, aut per meritum ſuum.* Itaque ille habet ætatem ad Chriſtianam Militiam inchoandam conuenientem, qui decem Mandata DEI, non naturæ viribus. quod non poteſt fieri, ſed diuinæ gratiæ præſidijs, & ſingulari Spiritus-Sancti adiutorio obſeruare conſtanter proponit. Iam verò, Annus quadrageſimus ſextus perfectionem abſolutionemque omnimodã myſticè denotat. Quare hic numerus perfectioni Corporis Dominici competit, vt multis locis oſtendit ingenioſè S. Auguſtinus. (*a*) Ad quod etiam ſpectat quod quadraginta ſex annis ædificatum ſit Templum Ieroſolymitanum, redeuntibus Iudæis à captiuitate: nempe, ſecunda ædificatione, poſt primam Salomonis. Item, quadraginta ſex diebus corpus humanum in vtero materno perfectè formatur. Itaque terminus Militiæ Chriſtianæ dici poteſt annus XLVI. quando cumulati omni virtutum genere occurremus in vnitatem fidei, & agnitionis Filij DEI, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis CHRISTI. Cuius gratia, pax, benedictio ſit cum omnibus vobis. AMEN.

(*a*) *S. Aug. lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 16. lib. 73. qq. cap. 65. lib. 56. qq. q. 26.*

NOTÆ

In quibus Auctores & Selecta.

§. I. *De Aetate militari apud Romanos, legendi,* Iuſtus Lipſius, *lib. 1. de Milit. Dialog.* 2. Ioann. Antonius Valtrinus *lib. 2. de Milit. cap.* 4. Godeſcalcus Steinvvichius *Commentario ad Vegetium.* Adamus Conzen *lib.* x. *Polit. cap.* xx. §. 8. *breuiter.* Aetatem veterem probat Vegetius puberratem, ſc. incipientem; quia celerius imbuitur; & perfectius diſcit, quæ à pueris imbibit, corpus exercitio aptius eſt: tempus habet vniuerſa diſcendi. Vix tamen minorem anno XVII. legebant, niſi neceſſitas cogeret. Nec maiorem annis XLVI. tyrocinio imbuebant.

§. II. SENECTVS Venerabilis.] *Sap.* IV. *Legendi Interpretes, inter quos eminent Lorinus & Cornelius: apud quem reperies farraginem ſententiarum, tum Patrum Latinorum & Græcorum, tum Ethnicorum. Scripſit Cicero libr. de Senectute, ſcripſit ex recentioribus Ioan. Bourgeſius. Acuta quadam habet Seneca, lib. de breuitate vitæ. Notandum iſtud ex cap.* VIII. Non eſt, quod quemquã propter canos, aut rugas putes diu vixiſſe. Non ille diu vixit, ſed diu fuit. Quid enim illum putas multum nauigaſſe, quem ſæua tempeſtas à portu exceptum, huc & illuc tulit, ac viribus ventorum ex diuerſo furentium per eadem veſtigia in orbem egit? Non ille multum nauigauit, ſed multum iactatus eſt. *Idem Epiſt.* XXXVI. Turpis & ridicula res eſt elementarius Senex. Iuueni parandum, Seni vtendum eſt: *iuxta illud:* Iuuenis congrega: Senex eroga. *Alexander M. apud Curtium lib.* IX. Ego me metior, non ætatis ſpacio, ſed gloriæ. *nimirum, ætatis arctæ ſpacium extendit gloria. Cœpit Alexander regnare, anno ætatis* XX. *& anno* XXXII. *totum penè orbem ſubiugarat.*

§. III. PVERI Milites Chriſti.] *Plurimi à puero, immò ante pueritiam militarunt Chriſto in vtroque ſexu.* ASELLA, *vt ſcribit S. Hieronymus epiſt. ad Marcellam, in matris vtero fuit benedicta, antequam naſceretur, & in phiala nitentis vitri, ac omni ſpeculo purioris patri oſtenſa per quietem. Vix decimum ætatis annum excedens, honore futuræ beatitudinis fuit conſecrata. Poſt duodecimum ætatis annum hunc viuendi modum elegit, ac tenuit. Vnius cellulæ clauſa anguſtijs latitudine Paradiſi fruebatur. Idem terræ ſolum, & orationis locus extitit & quietis. Ieiunium pro ludo habuit: inediam pro refectione. Cùm hoc propoſitum arriperet, aurum colli ſui vendidit, tunicam fuſciorem, quam a matre impetrare non potuit, induit, & ſe Domino conſecrauit. Intra cubiculum ſuum ita delituit, vt nunquam pedem proferret in publicum, nunquam viri noſſet alloquium, & quod magis mirandum, ſororem virginem, magis amaret, quàm videret.*

ANNO *Chriſti* DXXII. *fuit* Mater Chriſtiana, *quæ ſub* Danaan Tyranno *duas filiolas ſuas piè educando conſecrauit & Virginitati & Martyrio. Hiſtoria digna eſt quæ legatur, apud Procopium, & Baronium tomo* VII. *Eodem tempore, & ſub eodem tyranno, fuit* Matrona, *quæ filium ſuum à lacte educauit ad Martyrium. Cùm enim Dunaan in Nagran Arabiæ ciuitate perſequeretur Chriſtianos, illa ſe ac filiolum quinquennem Martyrum ſanguine perungebat: quare à tyranno damnata fuit, & rapta ad ignem. Paruulus cùm ei tyrannus blandiretur, poſt altercationem, tandem, apage, inquit, Iudæe, non te, ſed matrem quæro: & cùm videret matrem inijci in ignem, momordit tyrannũ in femore,*

& curſu contendit ad matrem, atque inſilyt in ... matremq; amplexus factus eſt cum illa heres Martyrij. Baronius ex Procopio, ibid. De Pelagio *puero lege* Ioan. Mariana *lib.* VII. *hiſt Hiſp. cap.*20. De Hermanno *Colonienſi* Surium *in Vita* IV. *April.* Thomas Aquinas,*cum adhuc à gerula portaretur, chartam in qua Salutatio Angelica deſcripta erat, per os tranſmiſſa, Militia ſacra rudimentis inſtitui capit. Quintum annum agens Monachis Caſſinenſibus traditus, magnos in ea progreſſus mox fecit.* VII. *Martij* Surius. Petrus Martyr *ab ipſa penè infantia à Chriſto in Militem lectus, contra hæreticos pugnare capit. Puer annorum* VII.*cùm ſcholas frequentaret à patruo hæretico interrogatus, quid in ijs didiciſſet, Chriſtianæ fidei ſymbolum ſe didiciſſe reſpondit, neque vllis vnquam patris patruiue blanditijs, aut minis à fidei conſtantia dimoueri potuit.* XXXIX. *Aprilis* Surius. *Extat Catalogus & effigies Puerorum Martyrum ac Crucifixorũ. Legendus Parnaſſus Puerorum, Catechiſmus Hiſtoricus* Antonij L' Auroulcij. *Speculum iuuentutis* Bernardi Dorſiof. *Theatrum Vitæ, tit.* Pueritia. Pueri. *vbi, Puerorum bonorum indoles ab infantia demonſtratur ex hiſtoria ſacra & profana. Sed vnus omittitur Demophilus, quem* Pindarus *commendans, canit:* Inter pueros erat iuuenis. in conſilijs verò Senex, conſequutus centenale æuum. *Ode* IV. *Pyth.*

§. IV. AETAS Eccleſiaſticorum.] *Legendi Canoniſtæ locis proprijs, Epiſcopus. Canonicus, Sacerdos.* Ioannes Azor *Tomo* 2. *Inſtitut. lib.*6. *cap.* 3. Gisbertus Scheuichauius *libris* III. *de Eccleſiaſticorum vita, moribus, officijs.*

§. V. AETAS ad ingrediendum Religionem, *Legendus* Hieronymus Platus *de bono ſtatus Religioſi lib.* III. *cap.* 33. *vbi probat quod iuuenilis ætas ſit aptiſſima Religioni.*

§. VI. SENIORES aliquando vocati ad Militiam apud Romanos.] *Liuius lib.* V. *ſcribit, Tribunos militum Delectum habuiſſe, nec iuniores modò conſcriptos, ſed ſeniores quoque coactos nomina dare, vt Vrbis cuſtodiam agerent. Lib.* VI. *Iuſtitio indicto, Delectum iuniorum habuit, ita vt Seniores quoque, quibus aliquid roboris supereſſet, in verba ſua iuratos centuriaret. Ad materiam hanc legendus* Hieronymus Platus *de Bono ſtatus Religioſi, libro* III. *cap.* XXXIV. *vbi agitur contra parentes, qui liberos ſuos impediunt à Religione. Cap.* XXXV. *Qui filios, vel propinquos à Religione reuocant. cap.* XXXVII. *quod multos habet ſtimulos ad ingreſſum Religionis maturandum.*

§. VII. NVMERVS XVII, & XLVI. myſticè.] *Legendi,* Petrus Bungus, *de myſterijs numerorum, &* Alphonſus Salmeron *Prolegom.* XX. *Non fuiſſe apud Romanos immunes à Militia. qui multa ſtipendia fecerant, nec vacationem datam, oſtendit* Iuſtus Lipſius *lib.* 1. *Dial.* 2. Valerinus *de iuſtis ſtipendijs, lib.* II. *cap* 3.

COMMENTATIO IV.

REIECTI
A Militiâ Chriſtianâ

Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium. Apoc. XXII. 15.

MEMBRVM I.
INDIGNI
Nomine Militis Chriſtiani.

MILITIS Chriſtiani conditiones quaſdam & decora, in ſuperioribus, vel inſinuauimus, vel explicauimus, & proximè quidem de Ætate militari actum eſt ſatis copioſè, nunc alia ex præcipuis enarrabimus. Quod fiet commodius, & magis compendioſè, ſi illos, qui à Militiâ reijciuntur, enumeremus, ac deſcribimus. Cùm enim contrariorum eadem ſit diſciplinâ, ſi ineptos deſignauerimus, qualitates illas, quæ idoneos conſtituunt, ponemus ob oculos. Et ſanè, apud Romanos fuerunt multi, quos leges omninò à Militiâ reijciebant. Siquidem Romani, vt rei bellicæ honorem conſeruarent, id curarunt maximè, ne eos Milites legerent, quorum Lectione militaris gloria fœdaretur. Quamuis enim Militia Romanorum eſſet laborioſa, erat tamen ſimul gloriæ ſeges, ideoq; minimè vilis ac contemptibilis. Quocirca non omnes, quamuis in Republicâ eſſent, cenſebantur idonei, ſed quidam excludebantur, ne honeſtiſſimus ciuium in Militiam tranſcriptorum ordo vileſceret. Hinc illud Senecæ, epiſtola XLIV. *Caſtra, quos ad laborem, & periculum reſpiciunt, faſtidiosè legunt.* Nam ætatem, genus, mores, cenſum etiam inſpiciebant.

SIMILE quid obſeruatur in Militiâ Chriſtianâ, ad quam, cùm Delectus inſtituitur, vt admittantur, non vna requiritur conditio; quarum defectu, negatur inſcriptio: ne vilia aliquot capita nobiliſſimũ Chriſtianitatis Ordinem, quod alioqui fieret, dedecorent. Vniuersè autẽ illud pronunciari poteſt, à Militiâ Chriſtianâ arceri omnes illos, qui ſe ſuâ culpâ indignos nomine MILITIS CHRISTIANI faciunt, & tales perſeuerant: ſed quoniam non ſunt iſti vnius generis, quoſdã excutiamus, & inſpiciamus propius.

MEM-

MEMBRVM II.

SERVI

Qui, Qualesq; à Militia Chriſtiana Reiecti.

ROMANI adſcriptione Seruorum exiſtimabant militarem gloriam maculari: quare illos à Militiâ ſuâ ſeuerè olim arcebant. Ac Seruos vniuerſim omni militiâ excluſos habet Marcianus, de re militari, lib. XLIX. leg. 12 graui pœna appoſita. *Ab omni*, inquit, *Militia* Serui *prohibentur: alioqui capite puniuntur.* Vnde obſeruat Plutarchus in Mario, cùm Conſul declaratus eſſet, eum ſplendidè ſtatim Delectum habuiſſe, ac præter legem, plurimos ex ſeruili genere conſcripſiſſe: cùm anteà Duces, hos tales non ſuſciperent; ſed arma quoque, nonniſi honeſtis, dignisque darent. Clariſſimè Seruius Commentator Virgilij, ad illud lib. IX.

Maonio Regi, quem Serua Licimnia furtim
Suſtulerat, vetitisq; ad Troiam miſerat armis.

Serui, ſcribit, à militia prohibebantur. Vnde in Deiotariana purgat hoc Cicero, cùm fuiſſet obiectum: inter Equites, quos Deiotarius miſerat Cæſari, vnum fuiſſe Seruum: Seruos ſanè nunquam militaſſe conſtat, niſi ſeruitute depoſita: excepto Annibalis tempore, cùm poſt Cannenſe prælium, in tanta neceſſitate fuit Vrbs Roma, vt ne liberandorum quidem Seruorum daretur facultas. Poſtremum iſtud, quod eo bello Punico ſecundo ſerui militauerint, refert etiam Liuius libro XXII. & cauſſam addit, *Aliam*, iaquiens, *formam noui delectus inopia liberorum capitum ac neceſſitas dedit. Octo millia iuuenum validorum ex ſeruitijs, prius ſciſcitantes ſingulos, vellent ne militare? empta publicè, armauerunt.*

NON minus fœdatur gloria Militiæ ſacræ Chriſtianorum, quàm olim profanæ Romanorum à Seruis. Quapropter *Seruus* ad illam non cenſentur idonei, proindeque excludendi ſunt ſecundum illius leges. Qui nam illi *Serui*? Deſignati ſunt à Chriſto Militiæ ſummo Imperatore. ne ſit opus longa moleſtaque diſquiſitione. Ioannis octauo, cùm Iudæi gloriarentur, quod eſſent liberi, nati ex nobiliſſimo parente Abrahamo; reſpõdit illis Chriſtus; *Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Singula ſunt emphatica. excipite. Quia rem Chriſtus erat dicturus longè præter Iudæorum opinionem, ſuo illo modo grauiſſimè aſſeuerat, *Amen, amen dico vobis.* Amen amen, *inquit Auguſtinus*, tractatus XLI. in Ioannem Veritas dicit. *Et quale eſt Domini Noſtri dicere*, Amen dico vobis? *multum commendat, quod ita pronunciat. Docet autem eos. de ea ſe ſeruitute loquutum fuiſſe, quam ipſi maximè ſeruirent, minime autem animaduerterent, quaq; omnium miſerrima, atque duriſſima ſeruitus eſſet.* O miſerabilis ſeruitus! exclamat S. Doctor. Plerumque homines „ cùm

eres, iſti ſunt gratia Martyres, confitentur tacentes, neſcientes pugnant, vincunt inſcij moriuntur inconſcij, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes. Ex his facile percipicitur, nullam eſſe ætatem, quamuis teneerrimam, quæ ad Militiam Chriſtianam non ſit idonea. *Nulla ætas immatura regno* DEI clamat Antiſtes Mediolanenſis. Nam vix egreſſi ex vtero adſcribuntur huic Militiæ. Milites Chriſti eſſe poſſunt infantes lactentesque: deberent eſſe, ſi ſibi conſultum vellent, pueri & adoleſcentes, poſt pubertatem maximè, antequam anni inualeſcerent. Quod tot exemplis eſt demonſtratum.

MEMBRVM VIII.

ÆTAS IDONEA

ad Militiam Chriſtianam in Religione,

PVERITIA. ADOLESCENTIA. IVVENTVS.

Argumentis ſtabilitur.

IVNGATVR Exemplis Ratio, quæ non vna occurrit. Prima fundamentum habet in Diuinis Litteris, in quibus, DEVS ſibi offerri poſtulat in ſacrificium id quod eſt purum, ſanum, integrum, Leuitici 1. & Malachiæ 1. Qui autem ad Militiam religioſam ſe confert, ac DEO ſe deuouet, in Sacrificium DEO ſe offert, vt accuratè probat Hieronymus Platus, lib. 1. de bono ſtatus religioſi, cap. 15. Itaque curare debet, vt ipſe ſecundum corpus & animam ſit hoſtia immaculata, pura à ſcelere, & à peccati morbis ſana. Quare non expectet, donec criminibus deturpetur, & corpus libidine, anima impuritate affectuum conſpergatur: donec integritas illius mutilatione pereat, ſanitas morbis mortalibus corrumpatur. At, ero, inquis, annis aliquot in ſeculo integer vitæ, ſcelerisque purus, ero DEO victima immaculata. Ne credas (mi Adoleſcens) fallax eſt Mundus, blanda caro, aſtutus Dæmon: imponent tibi, vt tot alijs, qui te videbantur fortiores. Eris, ſi manes, vbi es, oculis impudicus, ore blaſphemus, manibus laſciuus, pedibus immodeſtus, corporis compoſitione meretricius, animi diſpoſitione Satanicus. Non erit à capite ad calcem in te ſanitas. Nihil cogitabis die & nocte aliud, quàm de fœdis amoribus: nihil leges aliud, quàm ſpurca, & obſcæna: nihil audies libentius, quàm turpia. Præclara eris poſt annos aliquot hoſtia, hoſtia pura & immaculata, guloſitate lupus, fæditate ſcropha, crudelitate panthera, vanitate pauus, mordacitate canis, impudentiâ muſca, garrulitate pica, beſtialitate iumentum hinniens.

RATIO alia ſuggeritur à vitæ ſpiritualis Magiſtris, ex hominis natûra, aut potius fragilitate eius petita. Dicunt, eo tempore hominem ad militandũ Chriſto in Religione eſſe aptiſſimum, quo animus praua conſuetudine nondum eſt corruptus.

corruptus. Incredibile autem videri poſſe, niſi experientia conſtaret, quàm ſit facilis ad corruptelam, pueritia, adoleſcentia, iuuentus; quàm facile peſſimum colorem imbibat hæc lana, quàm fœdis hæc tabula raſa formis deturpetur, quot maculis quotidie inquinetur. Quæ vt eradantur, diſpurgantur, deleantur in Religione, & contrarijs exornetur, eſt difficillimum; ſicut facillimum fuiſſet, tabulam illam puram pulcherrimis obducere coloribus, elegantiſſimis implere rerum cæleſtium formis, & cultis decoriſque exornare imaginibus. Quãdo autem tabula illa nondum eſt deformata? vtinam dicere poſſem verè, nunquam in pueritia, vix in adoleſcentiæ exordio, nondum ante pubertatem: certè, verum eſt non adeò tunc defœdatam eſſe communiter; nec enim eo tempore vitioſi habitus agere radices tam altas potuêre: nondum gulæ ac Veneris blandimenta mentem planè deprauarunt: nec dum ambitionis & auaritiæ tyrannis animæ rempublicam in poteſtatem redegit: nondum regnum in homine occupauit impietas. Eſt igitur tunc tempus maximè idoneum ad Chriſti Militiam ſe conferendi, Religionis caſtra ſequendi, DEO ſe perfectè in Ordine ſacro dicandi.

HISCE adnectatur, quod conſuetudines prauæ, quos Adoleſcentia ac iuuentus, ſi diutius agat in Seculo cum quolibet hominum genere, & in medio nationis prauæ, contrahit, difficillimè deſeruntur, ac proinde vitam religioſam reddunt penè intolerabilem: ſuntque iſtiuſmodi homines ſibi ac alijs moleſtiſſimi. *Prouerbium eſt*, inquit Sapiens: (a) *Adoleſcens iuxta viam ſuam etiam cùm ſenuerit non recedet ab eâ. Difficulter*, ait S. Hieronymus, (b) *eraditur, quod rudes animæ perbiberunt. Lanarum conchylia quis in priſtinum candorem reuocet? Recens teſta diu & ſaporem retinet & odorem quo primum imbuta eſt. Græca narrat hiſtoria, Alexandrum orbis domitorem, & in moribus & in inceſſu Leonidis pædagogi ſui non potuiſſe carere vitijs quibus ad huc paruulus fuerat infectus.* Conſuetudines inueteratæ & habitus praui vſque ad ſenium, immò vltra ſenium perſeuerant. Nam experimur, quod veriſſimè dixit Sophar apud Iobum de quodam ſed eadem eſt ratio omnium: *Oſſa eius implebuntur vitijs adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* (c) Notum eſt, quod Philoſophus docet (d) in Ethicis, tam vitia quàm virtutes generari ex frequentatione actuum, ſeu conſuetudine, aut bona, vnde virtutes; aut mala, vnde vitia. Quare ſubiungit: *Non parum ergo refert, ſed permultum, vtrum ſic vel ſic à pueris aſſueſcamus. Immò verò totum in eo poſitum eſt.* Quamobrem monebat Plato, vt prima de iuuenibus cura ſuſciperetur, ſic enim bonos euadere. Quomodo agricola nouellam plantam primo ac maximè curat.

APVD Romanos annus decimusſeptimus cenſebatur maximè idoneus ad inchoandam Militiam profanam. Meũ ſi ſequantur conſilium Adoleſcentes in Academijs Catholicis præclari, qui ſe vocatos

(a) *Prouer.* XXII. 6. (b) *Epiſt.* VII. *ad Lætam.* (c) *Iob.* XX. (d) *Lib.* II. *Ethicor. cap.* I. (e) *Dial. Euthyphron.*

vocatos ad Militiam ſacram ſentiunt, vltra hunc annum; aut certè decimum octauum, tyrocinium Religioſæ Militiæ non differant, nec vigeſimum expectet, & multo minus maturiorem ætatem. Sciunt enim qui iuuentutem tractarunt, periculoſiſſimum eſſe tempus, quod fluit ab anno decimo octauo ad vigeſimum quintum. Siquidem tunc titillat caro, bullit ſanguis, viget iuuenilis feruor, æſtuat concupiſcentia, inflammatur peccandi fomes: tunc inſurgit audacia, proſilit temeritas, prodit ſe maximè, quæ latebat hactenus, mali cupido: tunc rationis lumen voluptatis illecebris, & ſenſuum lenocinijs, velut nebulis obtenebratur: tunc caſtitatis infinita fiunt naufragia: tunc ebrietatis, crapulæ, & ingluuiei dedecora: tum lites, pugnæ, vulnera, cædes, adulteria: tunc effuſio animi in omnem licentiam, voluptatem, turpitudinem regnant: tunc DEI ſalutiſque oritur obliuio. Quocirca plurimi in illo annorum decurſu, corpore atque anima pereunt: &, ſi ſuperuiuant, aſſueti ſuis cupiditatibus: praua conſuetudine corrupti, pleni vanis iudicijs, pleni tædio, cholera, morbis, pleni deſperatione vitæ melioris, quod reliquum eſt vitæ, miſerrimè tranſigunt. A quibus omnibus præſeruati fuiſſent, ſi cognouiſſent tempus vocationis ſuæ ad Militiam Spiritualem, & ætatis militatis tempus accommodatiſſimum non neglexiſſent.

MEMBRVM IX.
IVS DANDI NOMEN MILITIAE.

Ad Militiam Chriſtianam, interdum abſque amicorum, immò, & parentum, indebitè impedientium reſpectu, eſt euolandum.

QVI apud Romanos ad ætatem militarem peruenerant, ſi citabantur in Delectu, nomina militiæ dare poterant, nullo amicorum, cognatorum, tutorum, parentumque intuitu: ſui enim tunc iuris voluntatiſque cenſebantur. Idem Ius habet, qui ad DEI CHRISTIque Vexillum, ſi ætatem militarem attigit, euocatur. Et faciendum omnibus, alluſione ad Militiam facta, monent grauiſſimis verbis Eccleſiæ Doctores: adiunguntque quid faciendum, ſi parentes obſiſtant. Eſt autem imprimis in hac re vehemens S. Hieronymus, qui Heliodorum ſic epiſtola 1. alloquitur. *Quid facis in domo paternâ delicate Miles? vbi vallum? vbi foſſa? vbi hiems acta ſub pellibus? Audi edictum Regis tui:* Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui mecum non colligit, ſpargit. *Recordare Tyrocinij tui diē, quo Chriſto in baptiſmate conſepultus, in Sacramenti verba iuraſti, pro nomine eius non te patri parciturum, non matri. Ecce aduerſarius in pectore tuo Chriſtum conatur occidere. Ecce donatiuum, quod militaturus acceperas hoſtilia caſtra ſuſpirant. Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine, & ſciſsis veſtibus, vbera quibus te nutrieras, mater oſten-*

dat,

dat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad Vexillum Crucis *euola. Solum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem.* Acris ſanè, ac animoſa exhortatio, & quæ Imperatorem deceat: nec mirum, quia agitur de re maximâ, cui corona & ignominia æterna coniuncta eſt. Pergit autem Hieronymus: *Veniet, veniet poſteà dies, quo Victor reuertaris in patriam: quo Ieroſolymā cæleſtem vir fortis coronatus ingrediaris. Neque verò neſcio, quâ te dicas nūc compede præpediri. Non eſt nobis ferreum pectus, nec dura præcordia. Et nos per iſta tranſiuimus.* Obſtat gerula, mater, pater. *Gladium tenet hoſtis, vt me perimat, & ego de matris lacrymis cogitabo? Propter patrem* Militiam Chriſti *deſeram, cui ſepulturam Chriſti cauſa non debeo, quam etiam omnibus eius cauſa debeo? Si credant Chriſto, faueant mihi pro eius nomine pugnaturo: ſi non credunt, mortui ſepeliant mortuos ſuos.*

S. AVGVSTINVS eodem loquendi genere, nec incitatione minori vtitur, Lætum adoleſcentem nobilem & opulentum, ne parentum amore & querimonijs propoſitum militandi DEO deſerat, admonens Epiſtola XXXVIII. *Ecce,* ait, *rapit te ſtudium veritatis cognoſcendæ, atque percipiendæ voluntatis DEI. Rapit Euangelicæ prædicationis officium. Dat ſignum Dominus, vt vigilemus in caſtris, vt ædificemus turrim, de qua hoſtem ſempiternæ vitæ, & proſpicere, & propellere valeamus. Rapit* Militem Chriſti *tuba cæleſtis ad prælium, & retineat mater?* Tyro Chriſti ſi es, ſi turris fundamenta poſuiſti, perge porrò, ne dicant tranſeuntes: *Hic homo cœpit ædificare. & non potuit conſummare. Carnalem affectum & in nobis & in noſtris* MILITIA CHRISTIANA *vt perimamus, hortatur.* Reſpiciebat etiam ad militarem conſuetudinem D.Bernardus in epiſtola CIV. ad Gualterum, iuuenem nobilē & eruditum, exſtimulans, vt caſtra Chriſti ſequeretur ſeculumque deſereret quamprimùm. Agens autem de affectu materno: *Quid,* inquit, *ad hoc reſpondebo tibi, vt matrem deſeras? ſed inhumanum videtur. Vt cum ipſa maneas? Sed neque ipſi expedit, vt filio ſit cauſſa perditionis. Fortè vt Mundo ſimul milites & Chriſto? Sed nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Et plura ſubijcit in hanc ſententiam digna quæ legantur. Quibus addatur pro parentibus filios nimis carnaliter diligentibus: Cùm Domino offerrent paruulos vt tangeret eos, Diſcipulos fuiſſe comminatos offerentibus. Quod videns IESVS *indignè tulit,* dixitque: *Sinite paruulos ad me venire, & non prohibueatis eos. Talium enim eſt regnum cælorum,* Marci x. Si Dominus indignabatur eis, qui paruulos, τὰ παιδία hoc eſt, puerulos, vt habet Matthæus, & Marcus, τὰ βρέφη, infantes, vt Lucas, qui nondum ſpiritualia capere poterant, impediebant, ne ad Chriſtum accederent, benedictionis cauſſa; quanto magis indignabitur illis, qui adoleſcentes vel iuuenes ſpiritualis doctrinæ capaces ad Chriſtum accedere, vt illi dicto Sacramento militari arctiſſimè coniungantur, impediunt, & auertunt?

* * *

MEMBRVM X.
TERMINVS MILITANDI

An quemadmodum in vitâ humanâ, eſt tempus inchoandi Militiam Chriſtianam, ita poſt aliquot annorum periodum ſit determinatum tempus, eam finiendi.

ÆTAS militaris apud Romanos, non ſolùm erat inceptionis, ſed & deſitionis. Vt enim initium dabat annus decimus ſeptimus, ita finem imponebat ſextus & quadrageſimus. Atque ita infra annum XVII *Pueri*; ab anno XLVI. *Seniores* dicebantur, bello inutiles. Ita, præter Tuberonem, Dionyſius lib. IV. dum exponit cenſum ſecundæ claſſis, eos, qui maiores eſſent annis XLV. ab ætate ſeparat militari. Eundem militandi terminum conſtituiſſe videtur Polybius libro VI. Quamuis Seneca rotundum potius, non exactum præciſumque numerum ſignans ſcribat libro de breuitate vitæ: *Lex à quinquageſimo anno milites non cogit, à ſexageſimo Senatorem non citat.* An ſimilem habet limitem Chriſtianá Militiâ, quo ad deſitionem, ſi phyſicam ætatem ſpectemus? Minimè. Nullus poteſt adſignari terminus, quam diu vita mortalis durat, quo quis à Militiæ ſacræ oneribus cenſeatur liber, ſi annorum habeatur ratio. Semper nobis pugnandum eſt cum antiquo Serpente. Semper ſtandum in procinctu: ſemper in acie cum hoſte dimicandum. S. MARTINVS (a) bis Miles, ſemel profanus Cæſaris, deinde ſacer Dei, cum per omnes Militiæ gradus progreſſus eſſet, octuaginta natus annos, aduerſarium excepit, pugnauit, vicit, triumphauit: iterum pugnaturus ſi in vitâ manſiſſet. Nam hoc ſpectabat illa prouocatio, viſo humani generis hoſte: *Quid adſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſte reperies*: Hoc continebat animoſa proteſtatio. *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem.* O Militem generoſiſſimum, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori pro Imperatore ſuo timuit, nec viuere cum eodem in caſtris diutius recuſauit! S. HILARION (b) in Militiâ religioſâ exercitatiſſimus, & ipſe octuageſimo ætatis anno, cùm extrema ſibi imminere præſentiſceret, & extremo penè ſpiritu conflictaretur in hac voces prorumpebat: *Egredere, quid times, egredere anima mea: quid dubitas? Septuaginta propè annos ſeruiſti Chriſto, in eius* caſtris aſſiduè militans, *& mortem times?* S. ROMVALDVS (c) Abbas, cùm annos centum & viginti ageret ac centum ipſos in ſumma vitæ auſteritate Chriſto militaſſet, pugnare non ante deſijt, quàm viuere. Quod Chriſtianum eſt, nullam ab ætate excuſationem prætexens. Nimirum, quod olim vſurpabant Romani, vt ſummis Reipublicæ temporibus, maiores

(a) *Vita, Nouemb.* XI. (b) XXI. *Octob.* (c) XIX. *Ian.*

lores quoque annis XLVI. ad ſigna vocarent, quod ex Liuio libro V. & VI. habetur; id in Chriſtianâ Militia ſemper vſu venit. Siquidem quam diu peregrinatur à Domino, ſiue Eccleſia vniuerſa, ſiue cuiuſque Chriſtiani anima, ſunt calamitoſiſſima Reipublicæ tempora: in ſummo omnes verſamur diſcrimine: oppugnamur vndique. Quamobrem nihil mirum eſt, quod in ECCLESIA MILITANTE neminem à militando, ætas, quamuis extrema, excuſet.

MEMBRVM XI.

INITIVM ET FINIS MILITANDI.

Quemadmodum in Militia Chriſtiana. ſicut exordium ſumi poteſt ab anno XVII. *Ita finis adſignari poteſt annus* XLVI.

SI ſpeculationibus allegoricis, aut myſticis indulgere iuuat, dicere poſſumus: quemadmodum in profanâ Militiâ apud Romanos, idoneus cenſebatur, vt illam inchoaret. qui erat annorum XVII. & liberabatur ab onere militandi, anno XLVI. ita in ſacrâ, Chriſtianum Militem idem habere exordiú, & finem. Declaro. Septendecim debet eſſe annorum, vt aptus quis iudicetur, qui ſub vexillo Chriſti ſtipendia faciat. Numeret oportet quiſquis eſt Miles Chriſti, decem & ſeptem. De quo numero ita philoſophatur S. Auguſtinus in Pſal XLIX. *Decem ſunt in præceptis: ſeptem in gratia Spiritus Sancti, per quam gratiam implentur præcepta. Decem ergo & ſeptem tenent omnes pertinentes ad reſurrectionem, ad dextram, ad regnum cælorum, ad vitam æternam. Id eſt, legem implentes per gratiam Spiritus, non quaſi per opus ſuum, aut per meritum ſuum.* Itaque, ille habet ætatem ad Chriſtianam Militiam inchoandam conuenientem, qui decem Mandata DEI, non naturæ viribus. quod non poteſt fieri, ſed diuinæ gratiæ præſidijs, & ſingulari Spiritus-Sancti adiutorio obſeruare conſtanter proponit. Iam verò, Annus quadrageſimus ſextus perfectionem abſolutionem. que omnimodâ myſticè denotat. Quare hic numerus perfectioni Corporis Dominici competit, vt multis locis oſtendit ingenioſè S. Auguſtinus. (*a*) Ad quod etiam ſpectat quod quadraginta ſex annis ædificatum ſit Templum Ieroſolymitanum, redeuntibus Iudæis à captiuitate: nempe, ſecunda ædificatione, poſt primam Salomonis. Item, quadraginta ſex diebus corpus humanum in vtero materno perfectè formatur. Itaque terminus Militiæ Chriſtianæ dici poteſt annus XLVI. quando cumulati omni virtutum genere occurremus in vnitatem fidei, & agnitionis Filij DEI, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis CHRISTI. Cuius gratia, pax, benedictio ſit cum omnibus vobis. AMEN.

(*a*) *S. Aug. lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 16. lib. 73. qq. cap. 65. lib. 56. qq. q. 26.*

NOTÆ

In quibus Auctores & Selecta.

§.I. *De AEtate militari apud Romanos, legendi,* Iuſtus Lipſius, *lib.1.de Milit. Dialog. 2.* Ioann. Antonius Valtrinus *lib.2.de Milit. cap.4.* Godeſcalcus Steinvvichius *Commentario ad Vegetium.* Adamus Conzen *lib. X. Polit.cap.XX. §.8. breuiter.* AEtatem veterem probat Vegetius pubertatem, Sc.incipientem; quia celerius imbuitur; & perfectius diſcit, quæ à pueris imbibit, corpus exercitio aptius eſt: tempus habet vniuerſa diſcendi. Vix tamen minorem anno XVII. legebant, niſi neceſſitas cogeret. Nec maiorem annis XLVI. tyrocinio imbuebant.

§.II. SENECTVS Venerabilis.] *Sap. IV. Legendi Interpretes, inter quos eminent Lorinus & Cornelius: apud quem reperies farraginem ſententiarum, tum Patrum Latinorum & Græcorum, tum Ethnicorum. Scripſit Cicero libr. de Senectute, ſcripſit ex recentioribus Ioan. Bourgeſius. Acuta quædam habet Seneca, lib.de breuitate vitæ. Notandum iſtud ex cap.* VIII. Non eſt, quod quemquã propter canos, aut rugas putes diu vixiſſe Non ille diu vixit, ſed diu fuit. Quid enim illum putas multum nauigaſſe, quem ſæua tempeſtas à portu exceptum, huc & illuc tulit, ac viribus ventorum ex diuerſo furentium per eadem veſtigia in orbem egit? Non ille multum nauigauit, ſed multum iactatus eſt. *Idem Epiſt.* XXXVI. Turpis & ridicula res eſt elementarius Senex. Iuueni parandum, Seni vtendum eſt: *iuxta illud:* Iuuenis congrega: Senex eroga. *Alexander M. apud Curtium lib.* IX. Ego me metior, non ætatis ſpacio, ſed gloriæ. *nimirum, ætatis arctæ ſpacium extendit gloria. Cæpit Alexander regnare, anno ætatis* XX. *& anno* XXXII. *totum penè orbem ſubiugarat.*

§. III. PVERI Milites Chriſti.] *Plurimi à puero, immò ante pueritiam militarunt Chriſto in vtroque ſexu.* ASELLA, *vt ſcribit S. Hieronymus epiſt. ad Marcellam, in matris vtero fuit benedicta, antequam naſceretur, & in phiala nitentis vitri, ac omni ſpeculo purioris patri oſtenſa per quietem. Vix decimum ætatis annum excedens, honore futuræ beatitudinis fuit conſecrata. Poſt duodecimum ætatis annum hunc viuendi modum elegit, ac tenuit. Vnius cellulæ clauſa anguſtijs latitudine Paradiſi fruebatur. Idem terræ ſolum, & orationis locus extitit & quietis. Ieiunium pro ludo habuit: inediam pro refectione. Cùm hoc propoſitum arriperet, aurum colli ſui vendidit, tunicam fuſciorem, quam à matre impetrare non potuit, induit, & ſe Domino conſecrauit. Intra cubiculum ſuum ita delituit, vt nunquam pedem proferret in publicum, nunquam viri noſſet alloquium, & quod magis mirandum, ſororem virginem, magis amaret, quàm videret.*

ANNO *Chriſti* DXXII. *fuit* Mater Chriſtiana, *quæ ſub* Danaan *Tyranno duas filiolas ſuas piè educando conſecrauit & Virginitati & Martyrio. Hiſtoria digna eſt quæ legatur, apud Procopium, & Baronium tomo* VII. *Eodem tempore, & ſub eodem tyranno, fuit* Matrona, *quæ filium ſuum à lacte educauit ad Martyrium. Cùm enim Dunaan in Nagran Arabiæ ciuitate perſequeretur Chriſtianos, illa ſe ac filiolum quinquennem Martyrum ſanguine perungebat: quare à tyranno damnata fuit, & rapta ad ignem. Paruulus cùm ei tyrannus blandiretur, poſt altercationem, tandem, apage, inquit, Iudæe, non te, ſed matrem quæro: & cùm videret matrem iniici in ignem, momordit tyrannũ in femore, & curſu*

& curſu contendit ad matrem, atque inſilijt in [illegible] matremq; amplexus factus eſt cum illa heres Martyrij. Baronius ex Procopio, ibid. De Pelagio puero lege Ioan. Mariana lib. VII. hiſt Hiſp. cap. 20. De Hermanno Colonienſi Surium in Vita IV. April. Thomas Aquinas, cum adhuc à gerula portaretur, chartam in qua Salutatio Angelica deſcripta erat, per os tranſmiſſa, Militia ſacra rudimentis inſtitui capit. Quintum annum agens Monachis Caſſinenſibus traditus, magnos in ea progreſſus mox fecit. VII. Martij Surius. Petrus Martyr ab ipſa pene infantia à Chriſto in Militem lectus, contra hareticos pugnare capit. Puer annorum VII. cùm ſcholas frequentaret a patruo haretico interrogatus, quid in ijs didiciſſet, Chriſtiana fidei ſymbolum ſe didiciſſe reſpondit, neque vllis vnquam patris patruíue blanditijs, aut minis à fidei conſtantia dimoueri potuit. XXXIX. Aprilis Surius. Extat Catalogus & effigies Puerorum Martyrum ac Crucifixorũ. Legendus Parnaſſus Puerorum, Catechiſmus Hiſtoricus Antonij L' Auroulcij. Speculum iuuentutis Bernardi Dorliof. Theatrum Vita, tit. Pueritia. Pueri. vbi, Puerorum bonorum indoles ab infantia demonſtratur ex hiſtoria ſacra & profana. Sed vnus omittitur Demophilus, quem Pindarus commendans, canit: Inter pueros erat iuuenis. in conſilijs verò Senex, conſequutus centenale æuum. Ode IV. Pyth.

§. IV. AETAS Eccleſiaſticorum.] Legendi Canoniſta locis proprijs, Epiſcopus. Canonicus, Sacerdos. Ioannes Azor Tomo 2. inſtitut. lib. 6. cap. 3. Gisbertus Scheuichauius libris III. de Eccleſiaſticorum vita, moribus, officijs.

§. V. AETAS ad ingrediendum Religionem, Legendus Hieronymus Platus de bono ſtatus Religioſi lib. III. cap. 33. vbi probat quod iuuenilis atas ſit aptiſſima Religioni.

§. VI. SENIORES aliquando vocati ad Militiam apud Romanos.] Liuius lib. V. ſcribit, Tribunos militum Delectum habuiſſe, nec iuniores modò conſcriptos, ſed ſeniores quoque coactos nomina dare, vt Vrbis cuſtodiam agerent. Lib. VI. Iuſtitio indicto, Delectum iuniorum habuit, ita vt Seniores quoque, quibus aliquid roboris ſupereſſet, in verba ſua iuratos centuriaret. Ad materiam hanc legendus Hieronymus Platus de Bono ſtatus Religioſi, libro III. cap. XXXIV. vbi agitur contra parentes, qui liberos ſuos impediunt à Religione. Cap. XXXV. Qui filios, vel propinquos à Religione reuocant. cap. XXXVII. quod multos habet ſtimulos ad ingreſſum Religionis maturandum.

§. VII. NVMERVS XVII. & XLVI. myſticè.] Legendi, Petrus Bungus, de myſterijs numerorum, & Alphonſus Salmeron Prolegom. XX. Non fuiſſe apud Romanos immunes à Militia. qui multa ſtipendia fecerant, nec vacationem datam, oſtendit Iuſtus Lipſius lib. 1. Dial. 2. Valtrinus de iuſtis ſtipendijs, lib. 11. cap. 3.

MEMBRVM II.
SERVI
Qui, Qualesq́; à Militia Chriſtiana Reiecti.

ROMANI adſcriptione Seruorum exiſtimabant militarem gloriam maculari: quare illos à Militiâ ſuâ ſeuerè olim arcebant. Ac Seruos vniuerſim omni militiâ excluſos habet Marcianus, de re militari, lib. XLIX. leg. 12 graui pœna appoſita. *Ab omni,* inquit, *Militia* Serui *prohibentur: alioqui capite puniuntur.* Vnde obſeruat Plutarchus in Mario, cùm Conſul declaratus eſſet, eum ſplendidè ſtatim Delectum habuiſſe, ac præter legem, plurimos ex ſeruili genere conſcripſiſſe: cùm antea Duces, hos tales non ſuſciperent; ſed arma quoque, nonniſi honeſtis, dignisque darent. Clariſſimè Seruius Commentator Virgilij, ad illud lib. IX.

Mæonio Regi, quem Serua Licimnia furtim
Suſtulerat, vetitisq́; ad Troiam miſerat armis.

Serui, ſcribit, à militia prohibebantur. Vnde in Deiotariana purgat hoc Cicero, cùm fuiſſet obiectum: inter Equites, quos Deiotarius miſerat Cæſari, vnum fuiſſe *Seruum*: Seruos ſanè nunquam militaſſe conſtat, niſi ſeruitute depoſita; excepto Annibalis tempore, cùm poſt Cannenſe prælium, in tanta neceſſitate fuit Vrbs Roma, vt ne liberandorum quidem Seruorum daretur facultas. Poſtremum iſtud, quod eo bello Punico ſecundo ſerui militauerint, refert etiam Liuius libro XXII. & cauſſam addit, *Aliam,* iaquiens, *formam noui delectus inopiæ liberorum capitum, ac neceſſitas dedit. Octo millia iuuenum validorum ex ſeruitijs, prius ſciſcitantes ſingulos, vellent ne militare? empta publicè, armauerunt.*

NON minus fœdatur gloria Militiæ ſacræ Chriſtianorum, quàm olim profanæ Romanorum à Seruis. Quapropter *Serui* ad illam non cenſentur idonei, proindeque excludendi ſunt ſecundum illius leges. Qui nam illi *Serui*? Deſignati ſunt à Chriſto Militiæ ſummo Imperatore, ne ſit opus longa moleſtaque diſquiſitione. Ioannis octauo, cùm Iudæi gloriarentur, quod eſſent liberi, nati ex nobiliſſimo parente Abrahamo; reſpõdit illis Chriſtus; *Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Singula ſunt emphatica. excipite. Quia rem Chriſtus erat dicturus longè præter Iudæorum opinionem, ſuo illo modo grauiſſimè aſſeuerat, *Amen, amen dico vobis.* Amen amen, *inquit Auguſtinus,* tractatus XLI. in Ioannem Veritas dicit. *Et quale eſt Domini Noſtri dicere,* Amen dico vobis? *multum commendat, quod ita pronunciat. Docet autem eos, de ea ſe ſeruitute loquutum fuiſſe, quam ipſi maximè ſeruirent, minime autem animaduerterent, quaq́; omnium miſerrima, atque duriſſima ſeruitus eſſet.* O miſerabilis ſeruitus! exclamat S. Doctor. Plerumque homines,, cùm

„ cùm dominos malos patiuntur, venales ſe exponunt, non quærentes dominum non habere, ſed ſaltem mutare. „ *Seruus peccati* quid faciat? quem interpellet? apud quem ſe venalem exponat? Deinde, ſeruus hominis aliquando ſui domini duris imperijs fatigatus, fugiendo requieſcit. *Seruus peccati* quò fugiet? ſecum ſe trahit, quocumque fugerit. Non fugit ſe ipſam mala conſcientia: non eſt, quò eat: ſequitur ſe: immò, non recedit à ſe: peccatum enim quod facit, intus eſt. *Amen, amen dico vobis*: hoc eſt, verè verè, aut, certò certò: veriſſimè & certiſſimè, *quia omnis qui facit peccatũ, ſeruus eſt peccati.* Obſerua particulam vniuerſalem *Omnis*: vt nullum hominem cuiuſcumque ſit conditionis, excipi intelligerent Omnis, inquit: etiamſi Abrahæ filius ſit: etiamſi nulli hominum ſeruierit (de quo gloriabatur gens Hebræa) etiam plurimorum ſeruorum ipſe ſit dominus. Quo argumento vtitur Paulus Apoſtolus, vt probet, nullo vnquam modo peccandum eſſe, ſi quis liber eſſe deſideret: *Neſcitis*, inquit ad Romanos VI. *quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius, cui obeditis; ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam.* Redditur enim Seruus peccati, qui peccat, quoniam ei obedit, voluptatibus corporeis indulgens.

D. PETRVS in Epiſtola II. cap. 2. aliã adſignat cauſſam, quia, *à quo quis ſuperatus eſt, huius ſeruus eſt*: vel, vt Græcum (δεδούλωται) ſonat, huius ſeruitio, aut ſeruituti addictus eſt. Hæc eſt enim prima origo ſeruitutis, vinci in bello & ſuperari ab alio; qui ſi deuictum ſeruet, cùm trucidare poſſet, fit ei ſeruus, quia ſeruatus ſeruire tenetur victori: vt conſtat ex Inſtitut. Iuris lib. IV. *de Iure perſonar.* §. I. Quicumque autem peccat, vincitur à Concupiſcentiâ ſuâ abſtractus, illectus, ſubiectus; ſuperatur à Peccato cum quo congreſſus fuerat; ſubigitur à ſuperbiâ, auaritiâ, gulâ, laſciuia, & quocumque alio, cui non reſiſtit viriliter, crimine. Veriſſimum enim eſt illud Philonis, Opuſculo quod ſolus probus ſit liber: *Improbum, licet neget, ſeruum eſſe tot dominorum, quot vitiorum.* Vnde Diogenes dicere erat ſolitus, inter ſeruos & dominos malos nihil intereſſe, præter nomen, niſi quod Serui ſeruiant dominis, & fortaſſe vni; domini cupiditatibus, iiſque brutis, & innumeris. Hinc illa eiuſdem Philoſophi generoſitas, vocantis, ſe Imperatorem, Alexandrum Magnum verò Seruum ſeruorum ſuorum: quod ille ſeruiret ſuis cupiditatibus, quibus ipſe imperabat. Nec malè ſcripſit eidem Alexandro quidam è Brachmanibus Indiæ: *Nihil prodeſſe orbis Dominum fieri, infimæ autem vilisq; rei* (qualis eſt omnis paſſio immoderata, cupiditas, & perturbatio animi) *ſeruire: ſubuertere inimicos externos, & vt foueat ac ſuſtentet internos*, qui eo ſunt crudeliores, quo coniunctiores.

ADDE, quod qui peccat, non ſolùm fit Seruus peccati à quo ſuperatur; ſed Diaboli quoque, cui venditur, nam vendit pro peccato, aut explenda cupiditate libertatem ſuam. Immò, vt ſentit Auguſtinus, agens de peccato luxuriæ, vendit illi animam ſuam. *Quanta autem iniquitas*, exclamat ille, *vt animã quam Chriſtus ſuo Sanguine redemit,*

luxurioſus

luxurioſus pro vnius horæ delectatione Diabolo vendat, ac tradat? Cuius quidem venditionis ſyngrapham propria firmatam ſubſcriptione Diabolo contignat peccator dum cupiditati indulget, immò, antequam cupitis perfruatur. De qua Origenes intelligit illud ad Coloſſenſes ſecundo: *Delens, quod aduerſum nos erat chirographum. Iſtud chirographum ait, peccatorum noſtrorum cautio fuit: vnuſquiſque etenim noſtrum in iis, quæ delinquit, efficitur debitor & peccati ſui litteras ſcribit.* Quibus venditionem, quam facit Diabolo, libertatis & animæ ſuæ confirmat. Quid ſi etiam ab aliquibus concipiatur & conſcribatur ſyngrapha proprio ſanguine, qua & anima, & quod illam continet, corpus vendatur Cacodæmoni? Quod facere ſolent *Venefici* quos exprimit nominatim Ioannes Apoſtolus in Catalogo reiectorum à Militia Chriſtiana quem initio præfiximus. Paulus Apoſtolus etiam dum ſe ſcribit, Rom. VII. *venundatum* ſub peccato, vt quod nolit hoc agat (nimirum concupiſcentiæ motus inuitè ſentiens) & bonum, quod velit, nequeat perficere; ideoque exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius!* ſatis inſinuat, vendi poſſe hominem in ſeruum: ſicut Adamus vendidit precio pomi filios ſuos in ſeruitutem peccati originalis, & Concupiſcentiæ, quæ illo ablato, remanet.

SED viliores ſunt ſerui illi, qui propria ſua mala voluntate in ſeruos ſeſe vendũt Peccato & Diabolo: vt ille Achab, de quo libro tertio Regum XX. ſcribitur, *Venundatus vt faceret malum*, ad peccandum omnes potentias, facultates, membra tradens, velut per contractum venditionis: quomodo apud Hebræos vilia quædam capita ſe vendebant ad opera ſeruilia dominis præſtanda. *Quiſq;* inquit Auguſtinus Expoſitione Epiſt. ad Rom. n. 42. *peccando animam ſuam Diabolo vendit, accepta tanquam precio, dulcedine temporalis voluptatis.*

NONNE diceres Seruum eſſe, immò, mancipium catenatum, qui manibus pedibuſque ligatus, & reliquis conſtrictus membris, nullam ſe mouendi, vt oporteret, haberet poteſtatem? Talis autem eſt Cupiditatibus obnoxius, & Peccati ac Diaboli vinculis implicitus. Qui peccat, ipſo illo, quod facit, peccato, tanquam vinculo alligatur vt ſe ab eo expedire non poſſit: verè *Seruus*, non magis, quàm canis loro ad poſtem alligatus, liber. De impio quolibet pronunciat Sapiens, Prouerb. V. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Minas adiungit Iſaias Propheta cap. V. *Væ, qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Vnde peccator ſui quoque eſt *Seruus*, à ſe conſtrictus. Quod naturæ lumine in cæcâ gentilitate agnouerunt Philoſophi & Poëtæ. Ex iis Senecâ, lib. III. qq. Nat. initio. *Liber*, inquit, *eſt qui ſeruitutem effugit ſui. Hæc eſt aſſidua ſeruitus & ineluctabilis, & per diem ac noctem æqualiter premens, ſine interuallo, ſine commeatu. Sibi ſeruire grauiſſima ſeruitus eſt. Quam diſcutere facile ſit, ſi deſieris multa te poſcere, ſi deſieris tibi referre mercedem ſi ante oculos, & naturam tuam poſueris & ætatem, licet prima ſit, ac tibi dixeris: Quid inſanio? quid anhelo?*

quid ſudo? quid terram verſo? quid forum viſo? Nec multo opus eſt, nec diu. Idem lib. de Tranquillitate vitæ capite x. meminit vinculorum, catenarum, cuſtodiæ, quæ omnia ſpectant ad hanc ſeruitutem. *Aliorum* iſtiuſmodi Seruorum *aurea catena eſt*, ait, *& laxa, aliorum arcta & ſordida. Sed quid refert? eadem cuſtodia vniuerſos circumdedit, alligauitq; : ſunt etiam, qui alligauerunt: niſi tu fortè leniorem in ſiniſtrâ catenam putas. Alium honores, alium opes vinciunt: quoſdam nobilitas, quoſdam humilitas premit: quibuſdam aliena ſupra caput imperia ſunt, quibuſdam ſua: quoſdam Sacerdotia. Omnis vita Seruitium eſt.*

Si metuis, ſi praua cupis, ſi duceris ira,
Seruitij patière iugū: tolerabis iniquas
Interius leges. Tunc omnia iura tenebis
Si poteris Rex eſſe tui. (a) ———

Non poteſt Rex eſſe ſui, immò, nec ſui iuris peccator. Nam vt obſeruat D. Gregorius: (b) *Quiſquis ſe prauo deſiderio ſubijcit*, quod facit, qui peccat, *iniquitatis domino dudum libera mentis colla ſuppoſuit.* Cui domino tunc contradicimus, cùm iniquitati, quæ nos ceperat, reluctamur, inquit idem. (c) Cuius & illud eſt monitum: *Quanto aliquis libentius peragit perverſa quæ vult, tantò iniquitatis ſeruitio obnoxius obligatur.*

SVNT itaque *Serui*, qui peccant, & affectibus immodicis, voluptatibusque ita ſunt dediti, vt idcirco mandata DEI transgrediantur, vſu & conſuetudine in eo ſtatu firmati, qui propriè ad noſtrum inſtitutum dicuntur *Peccatores*, & à Petro Apoſtolo vocantur *Serui corruptionis*: nimirum, ſuperati à corruptione vitiorum; vel, ſubiecti vitijs, quæ corrumpunt quodāmodo bona naturæ, ac ſpoliant bonis gratiæ: vel, obnoxij quibuſdam vitijs, quæ magis, quàm alia quædam, non animam ſolùm, ſed corpus quoque corrumpunt; vt ingluuies, luxuria, mollities, aliaque his adiuncta, & voluptatis corporeæ aut carnalis nomine deſignantur. Quemadmodum enim ſobrietas, & immaculata caſtitas cauſſat integritatem mentis & corporis; ita guloſitas & luxuria vtriusque corruptionem inducit.

SERVI autem tales, non poſſunt dum ſunt tales, eſſe Chriſti Milites. Tum quia ſunt ſerui conditionis abiectiſſimæ, magis viles, quàm fuerint apud Romanos mediaſtini, quorum aliquos cùm ſub ſignis ſuis haberet Catilina, audiuit à Cicerone: *Magnoperè contemno exercitum collectum ex ſenibus deſperatis, & agreſti luxuria, & ruſticis mediaſtinis.* Tum quia militant in caſtris aduerſariorum, Chriſto rebellium. Sunt enim *Serui Peccati*, ad quod delendum Chriſtus ſuum conſcripſit exercitum. Sunt *Serui Concupiſcentiæ*, ad quam ſubiungandam Chriſtus vexillum erexit. Sunt *Serui Diaboli*, cui ſe ſuaque omnia vendiderunt: & quia is inſtigat ad peccatum. Sicut qui facit iuſtitiam, Seruus eſt DEI, qui ad eam extimulat. Diceres-ne tu, idoneum ad militandum ſub Imperatoris vexillo eum, qui in capitalis hoſtis caſtris nomen profitetur ſuum? Peccatores autem omnes, quales deſcripſimus, ſunt Diaboli ſatellites. Tum quia, quemadmodum non eſt aptus ad militandum corporaliter, qui manibus pedibusque vinctus

(a) *Claudian.* (b) *lib.* IV. *Moral. cap.* 42. (c) *lib.* XXV. *Mor. cap.* 20.

vinctus ſe mouere non valet; ita minimè eſt ad militandum ſpiritualiter idoneus, qui facultates animæ internas, vt ſe ad bonum non poſſint exercere, habet ligatas. Talis autem eſt omnis Peccati, Cupiditatum, & Diaboli ſeruus, vt eſt demonſtratum.

MEMBRVM III.

IDOLOLATRÆ

Qui, Qualéſue: Canes, Venefici, Impudici, Mendices à Militia Chriſtiana excluſi.

SIGNATE rejicit in programmate militari, quod Ioannes Euangeliſta in Apocalypſi edidit, Militiæ Chriſtianæ Conquiſitor, SERVIENTES IDOLIS. Quod non tantùm intelligitur de idololatris materialibus, qui adorant ligna & lapides, quibus Iupiter eſt Deus, Iuno Dea; ſed etiam de ſpiritualibus, quorum Deus, Venter; Dea, luxuria, ingluuies, voluptas, ſuperbia, & tot aliæ infernales furiæ, fæmineis peccatorum capitalium laruis velatæ. Omnem enim Peccatorem ſuperius à nobis depictum, eſſe Idololatram alibi probauimus. Nec per CANES intelliguntur alij, quàm Peccatores certi generis qui latrare ſolent, vt detractores, ſuſurratores, maledici; qui, inſtar canum rabidorum, famam, nomenque Chriſto militantium dilacerant. Item, Iudæi, hæretici, alijq; infideles, fidelium, proborumque hoſtes, moloſſis magis infeſti. Tales enim, *Canes* vocat Paulus Apoſtolus ad Philippenſes III. Per VENEFICOS accipe, qui tales verè ſunt: qui veneficijs, ceteriſq; malis artibus vtuntur, qui incantationibus grauantur, magi, ſagæ, anus Theſſalicæ, adoleſcentes, & iuuenes, Circæis poculis dementati, & orco ſponte deuoti, quibus Diabolus, velut mancipijs ſuis vtitur.

IN eodem Catalogo à Militia Chriſti reiectorum ſunt IMPVDICI homines voluptatibus deditі, carnalibus peccatis immerſi, quos, per multas ſpecies, adiunctis alijs peccatiServis, nominat Paulus Apoſtolus, dum dicit I. ad Corinth. VI. *Neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores: neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum DEI poſſidebunt.* Et alibi, monens diſcipulum ſuum Timoth. Epiſt. I. cap. I. vt retrahat ſibi commiſſum gregem à peruerſa doctrina, & legem Chriſtianam prædicet, ait legem iuſto non eſſe poſitam, ſed *Iniuſtis, & non ſubditis, impijs, & peccatoribus, ſceleratis & contaminatis; parricidis & matricidis, homicidis, & fornicarijs maſculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, & periuris.* Hos etiam exprimit S. Ioannes in ſuo indiculo ſuperius poſito. Dum enim dicit, *Omnis qui amat & facit mendacium*, intelligit mendacium mortaliter pernicioſum; quale

quale imprimis eſt, quo in religionem peccatur, negando exterius fidei Chriſtianæ Catholicæ teſſeram; tum, quo in contractibus & promiſſis, in amicitiâ & fide proximus decipitur ac læditur. Sic amare & facere mendacium dicitur, omnis periurus, veterator, calumniator, falſus teſtis, iniuſtus Iudex. Denique mendaces in Scriptura-Sacrâ vocantur omnes, qui mandata Dei violant ac frangunt: ac præſertim qui iniuriam alteri irrogant. Hi enim non verbo, ſed opere ſunt mendaces: ſiquidem faciunt mendacium practicum, id eſt, peccatum, quod eſt fraus vel iniuria Dei, vel proximi, vel vtriuſque.

Hi omnes ob Notam *Seruitutis*, in Delectu militari reijciuntur, tanquam ad Militiam Chriſtianam inhabiles, & indigni conſortio Chriſto militantium. Quâ fronte inter Chriſti Milites commoretur ille, qui periculo expoſitus, & hoſtibus obiectus, dicere non poteſt: *Tuus ſum ego Chriſte, ſaluum me fac?* Non poteſt Chriſto dicere Peccator, *Tuus ſum*. Plures enim dominos habet, quia Seruus multorum, non Chriſti. *Venit Libido*, aduerſarius Chriſti, *& dicit: Meus es, quia ea, quæ ſunt corporis concupiſcis. Venit Auaritia & dicit: Meus es, quia argentum & aurum quod habes, ſeruitutis tuæ precium eſt. Venit Luxuria, & dicit: Meus es, quia diei vnius conuiuium precium tuæ vitæ eſt. Venit Ambitio, & dicit: planè meus es: neſcis quod ideo imperare te alijs feci, vt mihi ipſi ſeruires? neſcis, quod ideò poteſtatem in te contuli, vt mea te ſubijcerem poteſtati? Veniunt omnia vitia & ſingula dicunt: Meus es. Quem tanti competunt, quàm vile mancipium eſt.* Et ab hoc non fœdetur gloria Militiæ Chriſtianæ? Maximè, cùm qui nequit dicere Chriſto, *Tuus ſum ego*, audit à Diabolo, *Meus es tu.* Venit Satanas & audacter ait: *(a)* Non eſt Peccator iſte tuus, Iesv, ſed meus eſt. *Ea quæ mea ſunt cogitat, quæ mea ſunt in pectore voluit. Tecum epulatur, & mecum paſcitur. A Te panem accipit: à me pecuniam. Tecum bibit, & mihi tuum ſanguinem vendit. Tuus eſt Apoſtolus, & meus Mercenarius.* Meus Miles mercede conductus. Tuus in caſtris meis proditor: re meus, ſpecie tuus: re Satanicus, nomine Chriſtianus.

* * *

(a) *S. Ambroſius in Pſal.* cxviii. *Serm.* 12.

COM-

COMMENTATIO V.

IDONEI
Ad Militiam Christianam.

MEMBRVM I.

LIBERI
Libertate Chriſti
Ad Militiam Chriſtianam admittuntur.

AD Militiam Chriſtianam adſciſcuntur, ſine vllâ tergiuerſatione LIBERI, quippe digniſſimi, & maximè idonei. Per *Liberos* autem intelligo, non à natiuitate tales, quia naſcimur omnes *Filij iræ*, ſeruituti obnoxij, antequam in lucem edidi, ſed libertate, quâ Chriſtus, qui eſt Veritas, nos liberauit. Quæ eſt *Libertas Spiritualis*, non corporea: de quâ cùm gloriarentur Iudæi, dixit illis Chriſtus, Ioannis VIII. *Veritas liberabit Vos.* Per Veritatem, ipſum Chriſtum, qui eſt *Via, Veritas, & Vita* intelligunt Patres, Græci præſertim. Qui *liberabit*, Græcè, ἐλευθερώσει, liberos reddet: Liberos inquam. Tum à ſeruitute Legis Veteris, quam Chriſtus quippe vmbrarum & figurarum, abſtulit per Libertatem Euangelicam. Tum à ſeruitute Peccati, quam Chriſtus ſuſtulit per Libertatem Iuſtitiæ. Tum à ſeruitute Concupiſcentiæ quam Chriſtus remouit per libertatem ſpiritus, ac dominium caritatis & gratiæ. Tum à ſeruitute Diaboli, quam Chriſtus, deſtruxit ſuis meritis. Itaque qui Chriſto militant, debent eſſe *Liberi*. Quales ſunt, qui neque ſeruiunt Peccato, neque Concupiſcentiæ, neque Diabolo, neque etiam DEO in corporeis Legis ceremonijs & figuris, ſed DEO ac Chriſto in Spiritu, & Veritate fidei, ſpei, & caritatis. Qui *de manu inimicorum liberati ſeruiunt* DEO *in ſanctitate & iuſtitiâ*, Lucæ I. Qui *liberati à Peccato, ſerui facti ſunt Iuſtitiæ*, ad Romanos VI. hoc eſt, omnis virtutis, & fructum habent in ſanctificationem.

LIBER, eris, inquit Auguſtinus, Tract. XLI. in Ioann. *Si fueris ſeruus: Liber Peccati, Seruus Iuſtitiæ. Erit voluntas tua libera, ſi fuerit pia*, iuſta ſancta. Quare nemo eſt *liber*, qualem Militia Chriſtiana poſtulat, qui non fuerit bonus, bonitate ſupernaturali, iuſtus iuſtitia Euangelica, quæ eſt ſanctitas, & verè Sapiens, Sapien-

Sapientia cæleſti; vt paradoxum illud in Stoa præſcriptum, Solum Sapientem eſſe liberum, de Sapiente Chriſtiano, ſeu Iuſto veriſſimum ſit. Quocirca, *Libertas* noſtra Militaris non aduerſatur ſeruituti virtutis; immò, nec ſeruituti ſub Morte & Mortalitate, omnibusque huius vitæ ærumnis, quas patienter ſuſtinere, & neceſſitatis iugo collum ſubmittere, non arroganter, ferociterque reluctari, eſt boni Militis Chriſtiani; donec & hanc Chriſtus auferet per libertatem reſurrectionis & gloriæ.

MEMBRVM II.

LIBERTI & LIBERTINI

Quatenus ad Militiam Chriſtianam admittendi, aut ab ea excludendi.

LIBERTINI HÆRETICI

penitus penitusq́ arcendi

EADEM olim apud Romanos Libertinorum, quæ ſeruorum, fuit conditio, ſi honoratam ipſorum ſpectemus Militiam: nam omni ea prohibebantur. Hinc Liuius illud, tanquam contra morem factum notauit in tumultu: *Senatus iuſtitium indici, delectum omnis generis hominum haberi iuſſit. Nec ingenui modò, aut iuniores Sacramento adacti ſunt, ſed ſeniorum etiam cohortes factæ,* LIBERTINIq́ *centuriati.* Libertinos primò Marium legiſſe, quidam probare nituntur. (*a*) Eoſdem bello Marſico, propter ingenuorum inopiam admiſſos ad legitimam militiam legitur apud auctores varios. (*b*) Alij produnt in bello ſociali cæpiſſe in militiam ſcribi. Ex quibus conſtat quantoperè cordi fuerit Romanis, ne Militia impuro Seruorum ſanguine inquinaretur, cum non ſeruos tantùm, ſed liberos, qui aliquam cum ſeruis habebant conſanguinitatem, excluderent. Nam LIBERTVS propriè dicitur. vſu Romanorum antiquo, qui, cùm fuerit ſeruus, factus eſt liber, ita dictus, quaſi liberatus: & agnoſcebat patronum, cui liberationem ſuam adſcribebat, ideoque ad illum libertus dicit relationem, ſicut ſeruus ad dominum. In altero ſexu vocabatur liberta. LIBERTINVS, cuius antitheton eſt INGENVVS, propriè nuncupatur, qui ex liberto procreatus eſt, vt quamquam ipſe nunquam ſeruierit, à parentibus tamen eſt genitus, qui antequam naſceretur è ſeruitute manumiſſi fuerunt. Ita ferè Iuris Conſulti, apud quos Libertinus denotat conditionem hominis, ſicut Ingenuus: Libertus verò priuatum quendam reſpectum ad patronum. Poſtea tamen Libertinorum & Libertorum vocabula in eadem ſignificatione vſurpari cæperunt, pro ijs ſcilicet, qui poſt iuſtam ſeruitutem libertatem eſſent conſequuti.

EST celebris mentio Libertinorum in Actibus Apoſtolicis, cap. VI. vbi Lucas, inter

(a) *Lipſius lib.* I. *de Milit. Dial.* 2. *ex Plutar.* (b) *Epitome* 73. *Appian. Macrobi.* I. *Satur.* 11.

inter eos, qui B. Stephanum diſputando aggrediebantur, ſcribit ſurrexiſſe quoſdã *de Synagoga, qua appellatur Libertinorum.* Nempe, filiorum, qui prognati erant ex parentibus in ſeruitutem à Pompeio, aliiſque Romam, alióue abductis, ſed libertate deuotis, vt D. Chryſoſtomus, Beda, Caietanus, ac poſteriores interpretes exponunt. Et ſanè, Romæ Iudæi vocabantur *Libertini*, qui libertate donati in Tranſtyberina regione habitabant: de quibus Philo in legatione ad Caium: *Non paſſus fuiſſet Auguſtus trans Tiberum bonam Vrbis partem teneri à Iudæis, quorum plerique erant* Libertini. *Quippe, qui belli iure in poteſtatem redacti, ab heris ſuis manu miſſi fuerant, permiſſi ritu maiorum viuere. Hos ſciebat ſuas habere proſeuchas, in quibus ſuos cœtus facerent, præſertim Sabbatis.* Hinc *Tranſtiberinus ambulator*, Martiali eſt Iudæus trans Tiberim incolens, cum quo *Vernam* coniungit, quomodo appellabatur, ſeruus aut ancilla domi natus vel nata: aut certè ex ancilla natus, natáue. Iam verò, ſi ſit ſermo de Libertinitiſtis ciuilibus, ſeu corporalibus, nemo ex iis à Militia Chriſtiana excluditur; nam ea libertinitas obeſſe non poteſt homini, quem Veritas libertate donauit: id eſt, quem Chriſtus liberum fecit: nam nec fraudi eſt vlli ſeruitutis corporeæ conditio. Siquidem in Chriſti Militia, *non eſt Gentilis & Iudæus: Circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha,* SERVVS & LIBER, ad Coloſſenſes tertio. Id eſt, cum Delectus initur pro Milite Chriſtiano, non refert, an Iudæus ſis vel Gentilis; an circumciſus, vel præputiatus, an Européus, vel Aſiaticus, vel Indus, vel Sina; an Seruus, & à ſeruis natus, vel à libertis, libertinis & omninò liberis. Quare? *quia Chriſtus eſt omnia & in omnibus*: nempe, omnis libertas, quia omnis ſanctitas, iuſtitia, religio. Non quod quilibet non ſit liber, ſicut & iuſtus; inſi inſecâ per inhærentem iuſtitiam & libertatem, vt hæretici blaterant, qui tantùm extrinſecè, aſſerunt eſſe liberos & iuſtos Chriſtianos, per libertatem & iuſtitiam Chriſti ipſis imputatam à DEO; ſed quod in ómnibus ſit Chriſtiana Iuſtitia, Sanctitas, Libertas: ac proinde omnes, cuiuſcumque ſint conditionis, quo ad natales, patriam, ſortem aliam quamcunque, vnum ſint in Chriſto.

VERVM, reperiuntur alii *Libertini*, qui à Militia Chriſtiana ſunt excluſiſſimi. Dicuntur autem tales à Libertate Euangelica ſeu Chriſtiana, quam ventitant, & in eo dicunt conſiſtere, quod in Nouo Teſtamento, populus fidelis ac iuſtus immunis ſit à debito Legis diuinæ implendæ coram DEO, ſic, vt omnia illius opera ſint indifferentia, neque præcepta, neque vetita. Siquidem à nullo fieri poſſunt: qua propter fides ſola ſufficit; eaque ſola eſt neceſſaria. Ita ferè Lutherus volumine de *Libertate Chriſtiana*, & *Sermone de Moſe.* At Caluinus lib. tertio Inſtitutionum cap. XIX. in tribus Chriſtianam libertatem collocat. *Primùm* in eo, quod vbi fiducia quæritur Iuſtificationis, nulla aut legis, aut operum ratio habeatur. *Deinde* in eo, vt bona opera non fiant, tanquam ad regulam legis examinanda, ſed tanquam à DEO, certò accéptanda, quæcumque

tandem

tandem ſint. *Denique* in eo, vt rerum omnium externarum vſus habeatur pro indifferenti, eaſque omittere poſſit. Breuius alij eorum aſſeclæ, Libertatem Chriſtianam ſuam ponunt in eo quod Chriſtianus nulli Legi in conſcientiâ obligetur: Chriſtum autem habeat pro Redemptore, non pro Legiſlatore; ideoq; nec Decalogus ad eum pertineat. Hæc cùm doceat, & ſecundum ea viuat Secta Libertinorum huius temporis, quis non videt eos admitti non poſſe inter Milites Chriſti? Tum quia libertas illa eſt profana, non ſacra: vitioſa non virtuoſa: Diabolica non Chriſtiana: & reuerà Peccati ac Diaboli voluntaria ſeruitus. Tum quia Militia Chriſtiana inſtituta eſt ad profliganda vitia, quæ Libertini iſti ne quidem oppugnare poſſunt, cum ijs ſe opponere non poſſe, immò nec ſe velle profiteantur, impoſſibilitatem legis implendæ prætexentes. Tum quia in Militiâ Chriſti præcipitur mandatorum diuinorum obſeruatio, virtutum exercitatio, operum bonorum frequentatio quæ ad ſe non pertinere autumant Libertini.

QVOS ſuis coloribus ad viuum depinxit Staniſlaus Reſcius, in Centuriâ Sectarum. Ex quibus agnoſcas quàm ſint à Militia Chriſtiana alieni. *Fanaticum hominum genus ſunt* Libertini: *in quo iure credas reuixiſſe Gnoſticos & Valentinianos, quibus nihil æque diſplicet ac ſimplex, proprius, & germanus Scripturæ ſenſus. Illis Chriſtus*, eſt Satanas: *vitium virtus, & virtus vitium. Nihil enim, ex eorum ſententia, peccatum eſt niſi eorum opinione, qui ſeſe peccare putant. Verus DEI timor, & eo imbuta conſcientia pro inferno illis habetur: pro Paradiſo autem conſcientia diuini iudicij contemptrix, ſecura, ſtupida & conſopita. Docent hominis omnia eſſe licita ſine vlla exceptione: omneq; genus viuendi probãt. lenonem ſuo volunt fungi debere munere: fures audacter furari iubent: matrimonia diſſolui volunt, cùm vxor mariti ſui tædium cœperit. Vnde promiſcuos laudant concubitus: idq; vocant Spirituale matrimoniũ. Communionem Sanctorũ vocant communionẽ bonorum temporaliũ, ideoq; quantum quiſq; poteſt, vt rapiat, ſuadent. Reſurrectionem iam factã eſſe dicũt neq; aliud expectãdum iudiciũ. Iam Chriſtianos omnes reſurrexiſſe affirmant, quando animam humanam ſiue iam factam eſſe illum DEI Spiritum immortalem, immò in DEI eſſentiam rediſſe, vnde initium exijt atq; ita iungi vt vnicus Spiritus maneat* Huiuſmodi titulo Libertini, ceu Hæretici *deterrimi* ad Militiam Sataniciam Diaboli, non Angelicam Chriſti ſunt aptiſſimi. Quod probarunt, quando initio hæreſeos ſuperiori ſeculo in Germaniâ, Gallicâ, Belgio, Angliâ proprium erexerunt vexillum, ſumpſeruntque arma contra Principes Orthodoxos: & titulum belli præſulerunt LIBERTAS CONSCIENTIÆ. At illi ipſi vbicumq; rerum potiti ſunt, poſt regiones vaſtatas, Eccleſias diſſipatas, ſuorum & Catholicorum ſanguinem prodigè profuſum, quam Libertatem, toties promiſſam, tot cædibus quæſitam, plus millies iuratam, inuexerunt? Religionis ne? aut fidei? At ſuam tantùm, id eſt, hæreſium, vt profiteantur. quos in poteſtate habent, tormentis apud Turcas & Saracenos inuſitatis, cogunt. An

Conſcien-

Conſcientiæ? Sed hanc libertatem, æquè ac Religionis, eliminant.

Has igitur, vt Vir pius (a) & eloquens ex Ordine noſtro, eos nominat, humani generis peſtes, Eccleſiæ furias, regnorum faces, ardentes inferorum tedas ad Militiam Chriſtianam admittemus? Abſit tantum dedecus. Recipit illa ſolos Liberos libertate Chriſtianâ, ſeu Euangelicâ, quæ in eo ſita eſt, quod amore ac Spiritu ducat ſic liberum ad promptè Deo, Legique obediendum. Libertas Euangelica docet, Devm in Spiritu & veritate colendum: ad id autem ſubſeruire Eccleſiaſticas ceremonias, quæ ad illum finem acuunt & excitant. Libertas Chriſtiana monet, obaudiendum Chriſto, dicenti, viam ad æternam vitam, eſſe Legis ac mandatorum Dei obſeruationem: enuncianti, præceptum dilectionis, in quo totus Decalogus cōtinetur, quippe à quo vniuerſa Lex, & Prophetæ pendent, eſſe primum & maximum mandatum: conteſtanti, ſe veniſſe non legem ſoluere, ſed adimplere: nimirum, eius vim explicando, approbandoque; quod fecit Matthæi xix. Marci x. Lucæ xviii. & vt obſeruetur diſtrictè præcipiendo: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem*, Ioann. xiii. & xv. quod ſine delectione Dei, & obſeruatione Decalogi fieri nequit. Libertas Chriſtiana, & Euangelica non eximit ab obedientiâ Principum & quorumlibet Superiorum: non ob operibus bonis, puta Satisfactionis, & pænitentiæ: non à votorum vinculis: ſed à tyrannide Diaboli, & liberat Chriſtianum à ſeruitute Legis veteris, & peccatorum in hac vitâ, ſed à miſeria concupiſcentiæ, & mortis in alterâ.

(a) *Ioann. Perpinianus Orat.* viii.

* * *

Membrvm III.

LIBERTINI ORTHODOXI aliquatenus ad Militiam Chriſtianam admittendi.

Cvm Libertini dicantur, qui quāuis non ſint Serui, à Seruis tamen originem ducunt, ideoque neſcio quid, in moribus & affectibus, ſeruilitatis præ ſe ferunt, eſt reperire inter Orthodoxos quoſdam, fide catholicos, qui iſtis ſunt ſimiles, ideoque ad Militiam Chriſtianam ſunt minus idonei, non tamen ab illa penitus, vt ſuperiores, arcendi. Sic Libertinos voco eos, qui etiamſi grauium flagitiorum, aut criminum ſibi non ſint conſcij in præſentiarum; atque idcirco ſeruitutem Peccati ac conſequēter, Diaboli excuſſerint; tamen haud paucorum habituum vitioſorum, qui ex præteritorum ſcelerum repetitione ortum habuerunt, vinculis ſunt conſtricti, vt facilè appareat, neſcio quid, in ipſis præteritæ ſeruitutis, & conditionis ſeruilis permanſiſſe. Tales, quàm diu poſt ſeriam de peccatis retrò commiſſis confeſſionem, per quam habitus vitioſi non tolluntur, ſtudioſis virtutum oppoſitarum frequentibus officijs, ſe ab his nexibus non

bus non liberarint, ad militandum ſub Vexillo Chriſti, haud ſunt expediti: ac proinde, non cenſentur inter illos, qui habent omnes ad Militis Chriſtiani nomen dignitatemq́ue tuendam, conditiones neceſſarias. Vt Tyrones tamen, voluntatis promptæ ad obtemperandum Imperatori, non ſunt omninò abijciendi.

PRÆTER hos, ſunt alij, quos Libertinos vocare poſſis, ſimili analogia & affectibus. Quemadmodum enim in ijs, qui ſeruitutem quidem non ſeruiunt, à parentibus tamen ſeruituti quondam obnoxijs orti ſunt, animaduertuntur adfectus quidam ſeruilitatis, qui nonnunquam ſe produnt, ex ortus & propaginis conditione. Quod eſt cernere in omnibus animantibus, ſed homine potiſſimùm. Sicut enim fortes creantur à fortibus; licet contrarium aliquando contingat: quando & Heroum filij ſunt noxæ; ita à bonis malisq́ue, per conſanguinitatem & transfuſionem ſimiles plerumq́ue, quoad affectus, progenerantur. Quocirca notatum ſæpe, ſpurios & adulterina vitulamina, nequam eſſe, ac improbos: quamuis non ſemper: & contrarium per DEI gratiam, cui reſpondent aliqui, vidimus. Haud ſecus, ſi quis è conditione ſeruili venerit vilitatis primæuæ haud rarò præfert indicia. Qui ergo, licet à criminibus mortiferis ſit immunis, tamen tam abiecti etiamnum eſt animi, vt ſolo metu, ſeruilique timore, velut ſcutica ad mandata diuina ſeruanda cogi debeat: vt tanquam pecus ad pietatis officium, ſacram confeſſionem, communionem, templorum frequentationem compelli; quod ſeruorum eſt: vt temporanea æternis, terrena cæleſtinus, humana Diuinis anteponat; quod ſeruilitatem arguit, is in Libertinorum eſt tribu, ſi non omninò ſeruorum; ideoque non habet decora Militis Chriſtiani.

MEMBRVM IV.

INGENVVS

Ad Militiam Chriſtianam eſt maximè idoneus.

LIBERTINI antitheton eſt INGENVVS, nempe, homo in libertate natus. Vnde Romani, qui nonniſi ingenuos adſcribebant ſuæ Militiæ, interrogare ſolebant: *Ingenuus ne*, an *Libertinus* eſt? id eſt, liber natus, an ſeruitute liberatus, ſiue ex liberorum genere ortus. Planè autem conſtat Militē Chriſtianum regeneratione debere eſſe natū in libertate, & à patre Libero, nempe, DEI filium. *Qui non ex ſanguinibus, neque voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex DEO natus eſt per aquam & Spiritum.* Miles Chriſtianus debet eſſe liber à ſeruitute peccati, immunis ab adfectuum criminoſorum vinculis, ſolutus à nexibus improbæ cupidinis, expeditus à funibus vanitatis, alienus à ſeruilitate, & abiectione Libertinorum, verè γνήσιος, & ἐλεύθερος, ſiue *Ingenuus*.

Quæ

Quæ eius Ingenuitas non eſt oppoſita ſeruituti illi, quam Chriſto eiusque legibus debet: nec Chriſtianæ humilitati, vt ingenioſè animaduertit Agatha Virgo in Siciliâ, nobilibus parentibus nata, quæ adducta in iudicium, & increpita à Quintiano interrogante: (a) *Nonne te pudet nobili genere natam, humilem & ſeruilem Chriſtianorum vitam agere?* reſpondit animosè: *Multo præſtantior eſt Chriſtiana humilitas & ſeruitus Regum opibus, ac ſuperbia.* INGENVA *ſum, & ex ſpectabili genere, vt omnis parentela mea teſtatur. Summa* INGENVITAS *eſt iſta, in quâ ſeruitus Chriſti comprobatur. Ancilla Chriſti ſum, ideò me oſtendo ſeruilem habere perſonam.*

MILITIS CHRISTIANI eſt vera Ingenuitas, nobilitas, honeſtas, qui in omnibus dictis & factis præ ſe fert probitatem & *Ingenuitatem*: qui vt *ingenua* eſt facie & liberali, ita mente eſt venuſta ac nobili. Qui ſi loquendum, profert ſua liberè, vt *Ingenuum* decet, nihil fucatè, nihil quod ſe minus dignum ſit. Si dixit, commiſitque aliquid, *ingenuè*, ſine tergiuerſatione, liberè, ac ſimpliciter fatetur. Si laudandus aliquis, facit hoc *ingenuè* ac liberaliter. Denique, quod dicebant antiqui, (b) ſi quis alius, certè Miles Chriſtianus *Ingenuatus* eſt, ſcilicet, ingenuis moribus dotatus.

(a) *Vita, & Breuiar. Roman. 5 Februar.* (b) *Plaut. in Milit. Lepidè ingenuatus.*

MEMBRVM V.

DIVES & PAVPER

ad Militiam Chriſtianam idoneus.

HOMINES fortunæ tenuiores, pauperes & egentes olim ad Militiam Romanam, non vocatos reperio, propterea, quod, vt ſcribit Gellius lib. XVI. cap. 10. res pecuniaque familiaris obſidis vice, pignoriſq; apud Rempublicam eſſe videbatur, amoriſque, in patriam, & fidei firmamentum. Cenſebant enim prudenter, Militiam non debere eſſe aſylum inopiæ, ne vileſceret, ſed legendo, diuites, honeſtos, & quos res priuatæ, Rei quoque publicæ alligarent. Hinc Nabis tyrannus apud Liuium lib. XXXVII. cum diuerſa oſtendit Spartana à Romanis: *Vos*, inquiebat, *à cenſu equitem, à cenſu peditem legitis.* Quaſi obijciat, quod ſolos diuites adſcribant. Et ita erat. Nam non niſi magnis Reipublicæ difficultatibus perurgentibus, ad militandum citabantur alij: & in duo quædam erant contubernia diſtributi: Quidam enim dicebantur *Proletarij*, qui non amplius, quàm mille quingentum æris in cenſum referebant. Alij, qui nullo, aut perquam paruo ære cenſebantur, & *Capite cenſi* vocabantur.

A Militiâ Chriſtiana nemo depulſus legitur ob inopiam. In eâ Miles poteſt eſſe Iro pauperior, ſi nummos ſpectes. *Argentum & aurum non eſt mihi*, dicebat primus in eâ Capitaneus Actuum III. Immò, ſupremus eius Imperator *Egenus*

factus eſt cùm eſſet diues, II. ad Corinth. 2. vt eo efficacius nobis ſuam Militiam perſuaderet. Addo Militem Chriſtianum debere eſſe pauperem, ſed paupertate Euangelicâ, quæ eſt paupertas Spiritus. Quicumque ſe noſtræ tradit Militiæ, debet eſſe humilis, Deo ſubditus & maioribus, demiſsè de ſe ſentiens, honorificè de alijs, omnium, ſi res exigat, ſubiectus pedibus. Tamen, ſi tenuioris ſit fortunæ ſpiritualis, ſi non abundet gratiæ diuinæ theſauris, vnde neruus ſumitur Chriſtianæ Militiæ, niſi habeat in poſſeſſionibus ſuis ampliſſima virtutum latifundia, niſi poſſideat cælo minantes pietatis ædes, niſi armentum habeat benè conſtitutum ſuorum ſenſuum, tum internorum, tum externorum, niſi copiam oſtendat diuinorum chariſmatum; denique, niſi ſit opulentus ipsâ paupertate Spiritus, & ſuis contentus plura non appetat, deeſſe ſibi nouerit conditionem haud poſtremam ex ijs, quas ſplendidum Militis Chriſtiani nomen poſtulat.

CETERVM, egentiores, & à cenſu minus inſtructos, ne ab omni militia vacarent, ſeruabant Romani, vt auctor eſt Polybius (*a*) ad vſum nauticum, militiamque naualem. Quæ vilior ſemper eſt habita. (*b*) An quia periculorum ibi plus, & metus etiam ignauæ mortis? An quia in nauibus parum loci eſt robori, ac virtuti militari? In aquis ars & nautæ pleraque adminiſtrant. An quia inter nauticam turbam Militum animi neſcio quam vilitatem contrahunt, & facilè dehoneſtantur ac corrumpuntur. Quod indicat quarto de Legibus Plato, qui optat ciues ſuos Athenienſes, etſi Militiâ ea ſola claros, res maritimas nunquam attigiſſe. Romanorum perpetuum hoc fuit iudicium, vt ipſorum hiſtorici ſatis oſtendunt. Liuius libro XXXII. *Nauales Socij*, inquit, *relictis nuper claſſibus, ad ſpem honorationis Militiæ*, videlicet, terreſtris, *transgreſſi*. Tacitus quoque lib. I. hiſtor. *Facta* ait. *& reliquis* (claſſicis) *ſpes in poſterum honorationis militiæ*. Iterum libro XXII. Liuius. *Magna vis hominum conſcripta Romæ, Libertini etiã, quibus liberi eſſent, & ætas militaris in verba iurarunt. Ex hoc vrbano exercitu, qui minores quinq; & triginta annis eſſent, in naues impoſiti: alij, vt Vrbi præſiderent, relicti.*

DVPLEX quoque eſt Militia Chriſtiana in *Eccleſia Militante*, vna *Naualis* in mari, altera in ſolo firmo, *Terreſtris*. Mundum, ſiue Seculum eſſe Mare, & quale ſit mare, quàm magnum, quàm ſpacioſum, quàm perículoſum, ſuo loco eſt demonſtratum. Status religioſus eſt terra firma. Honoratior eſt Militia terreſtris in Religione, ad quam non niſi Diuites & rebus omnibus benè inſtructi centuriantur, quibus gratulatur Apoſtolus, I. ad Corinth. I. *In omnibus Diuites facti eſtis*: tenuioris fortunæ ſpiritualis hominibus, quales ſunt qui in Mundo verſantur, & ibidem Chriſto militare conantur, ad mare ſepoſitis, & ad Militiam naualem ablegatis.

(a) *Libro* VI. (b) *Lipſ. lib.* I. *Mil. dial.* 2.

COM-

COMMENTATIO VI.

OPIFICES MECHANICI

Qui, Qualesq́ Militiæ Chriſtianæ idonei.

MEMBRVM I.

OPIFICES

Proprij & Figurati.

EX populi Romani claſſibus, illi, qui artibus ingenuis non dabant operam, ſed turpem, aut vilem, minusq́ue honoratatam exercebant, à Militia arcebantur. Quo numero continebantur Opifices ſellularij & hiſtriones, præter Attellanos. Nam vt ſcribit Dionyſius, libro II. & IX. Romulus artes omnes ſellularias Romanis interdixit. Quod ſi cogeret neceſſitas, admittebãtur, quamuis cenſerentur minimè idonei. Sic Mamercus, referente Liuio libro VIII cum ei Gallicum bellum obueniſſet, iuſſus ſcribere exercitum, ſine vlla vacationis venia, iſtos quoque adſciuit. Siquidem opificum vulgus & Sellularii, minimè idoneum Militiæ genus, exciri fuerunt.

MILITIA CHRISTIANA Spiritualis, nullum reſpuit genus Opificum, Artificumq́ue: nam omnium anima eſt æquè nobilis. Omnes artes Chriſtiana religio facit ingenuas, omne opificium liberale, ſi cum pietate exerceatur. Quare in ſingulis ſui ſunt Patroni Cælites, qui Artem illam, dum mortales viuerent, exercuerunt. IOSEPHVS Chriſto coniunctiſſimus, & opinatione vulgi, eius pater, certè, nutritius, faber fuit, ſiue lignarius, ſiue ferrarius. PAVLVS Apoſtolus, *egreſſus ab Athenis*, vbi Doctorem egerat, venit Corinthum, & coniunxit ſe Aquilæ ac Priſcillæ, & quia *eiuſdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur: erant autem Scenofactoriæ artis*, Actuum XVIII. Sutores habent in ſuâ tribu Diuos, *Criſpinum* & *Criſpinianum* Romanos, quos vt Patronos colũt: Sacrinatores veſtium *S. Homobonum* Cremonenſem: alios alij. Quare apud Chriſtianos, omnes Artifices poſſunt eſſe Euangelici, quod quando fiat, integro Volumine demonſtramus, ordine litterario ſingulorum opera producendo.

VERVM, aliâ conſideratione quidam Artes minimè liberales tractare dicũtur,

atque ea-propter ad Militis Chriſtiani decus non adſumuntur. Qui nam illi? Romanis erant *Sellularij*, nempe, opifices, qui ſedendo opus faciunt: *Sedentarij* à quibuſdam appellantur, *Sutores*, *Sartores*, & id genus mechanicorum. Per hos figuratè deſignare modò placet illos in Mundo homines Chriſtianos, & etiam Catholicos, qui nimium ſatagunt rerum terrenarum; quos plus æquo rei familiaris cura angit; qui incubant, tanquam ſellæ, & officinæ arcis ſuis numularijs: qui aurum, vt gryphes amant, auidique terunt, &, vt Euclíones cuſtodiunt; quorum tota eſt cura circa res viles, plebeias, ſordidas; qui tempus omne ſuum impendunt, veluti cerdones, & ſellularij ac ſimiles, vt nummulum vnum alterumue cumulo iungant; & quibus nihil eſt generoſi, qui nihil altum ſpirant, qui non Reipub aut Eccleſiæ iuuandæ, ſed ſe ſibi tantum natos eſſe putant, cetrè. ita agunt, viles animæ, abiecti ſpiritus. Non minus commodè Sellulariorum vocabulo per metaphoram denotari poſſunt homines ignaui, laborum horrentes, plumis magis & ſellis, quàm curſui & peregrinationi aſſueti, deſides, acedioſi. Quales ad Militiam Chriſtianam non ſunt ſatis idonei, cùm ea laborioſum exigat pugnatorem.

MEMBRVM II.

AGRICOLÆ

ad Militiam Chriſtianam aptiſſimi.

QVONIAM laboribus maximè aſſueti ſunt Ruſtici & Agricolæ, qui nullam penè diei partem ſedendo tranſmittunt, hinc apud Romanos legebantur ferè Milites ex ijs qui ruſticationi, & agriculturæ operam dabant. Nam reuera iſti præ ceteris ad labores militiæ præferendos durati videbantur. Et vt loquitur libro VI. Tacitus, *duritiæ, patientiæq́; magis inſueuêre.* Atque olim ſanè ab aratro ad Dictaturas, Conſulatus & Ducum munia acceſſitos legimus. Vnde Cato initio de re ruſticâ: *Ex agricolis*, inquit, *& viri fortiſſimi & Milites ſtrenuiſſimi gignuntur.* Seneca quoque Epiſt. LIV. *Nullum laborem recuſant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur.* Idem, *Fortior miles è confragoſo venit, & ex agris.* Et Cicero pro Archia: *Noſtri illi fortes viri, ſed ruſtici ac Milites.* Alibi ad Brutum: *Homines ruſticos ac fortiſſimos viros, ciueſq́; optimos dementes fuiſſe iudices, primum milites veteranos, deinde legionem Martiã?* Denique Vegetius libro I. cap. 3 non aliunde, quàm ex agris milites legendos præcipit. *Ex agris*, inquit, *ſupplendum robur præcipuè videtur exercitus. Aptior enim armis plebs ruſtica quæ ſub diuo & in laboribus enutritur.* Ex hic mos eſt Imperatoris Militiæ Chriſtianæ, qui ad ſigna ſua libenter vocat agricolas & ruſticos, ijſque præcipua in exercitu ſuo munia diſtribuit. Non loquor de ijs, qui terram,

ram, quam pedibus calcamus, aratro proſcindunt, qui bidente humum aperiunt, qui ſarculo tellurem commouent, qui raſtro glebas frangunt, qui ſerunt, occant, metunt: quæ ſunt opera Agricolarum vulgarium: quamuis ex his quoque ſuis eſt locus in Chriſtiana Militia. An non enim ISIDORVM ruſticum Hiſpanum Virtus nobilitauit, virtus, baculo naturæ imperare fecit, virtus in cælo Regibus æquauit, immò prætulit, virtus in terris Cælitum honoribus condecorauit?

SED ſermo mihi eſt de Agricolis Euangelicis, vti & Militiâ noſtrâ eſt Euangelica. *Euangelicus Agricola* eſt, qui animæ ſuæ ſolum, vt diligens colonus, excolit, cuius munus eſt eradicare vitia, euellere habituum malorum radices, ſerere virtutum grana, plantare Sapientiæ ſurculos, id eſt, artes ingenuas, quibus, Eccleſiæ & Reipublicæ horrea implentur. Agricolæ Euangelici ſunt, qui operantur non *cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam* Ioannis VI. qui ſpinas & tribulos ſuccreſcentium tentationum incrementum ſumere non permittunt: qui vrticas & paliuros prauarum cogitationum, quàmprimum erumpunt, eradicant: qui lolium ocioſitatis in agro ſuo non ſinunt creſcere. Denique, Ruſtici, & Agricolæ Euangelici ſunt, qui corpus ſuum, tanquam aruum incultum ſubigunt: in eo litas, & ſulcos aratro mortificationis, abſtinentiæ, ac ieiunij ducunt, ſenſuum affectuumq; luxuriantes herbas reprimunt, ac virtutis falce recidunt, ſuperfluas commoditates reſecant, agri ſui curam habent, alieni incurioſi: qui verbi diuini ſementem faciunt, quam diuinæ gratiæ rore humectant, pænitentiæ fimo fæcundant, & nihil non faciunt, vt labore ſuo ſibi commiſſos fundos meliores faciant. Tales ad Chriſtianam Militiam maximè ſunt idonei.

MEMBRVM III.

HISTRIONES

Qui-nam à Militia Chriſtiana repulſi. Qui admiſſi.

PORRO, inter proſcriptos à ſuâ Militiâ, tanquam turpis artificij profeſſores, habebant Romani *Hiſtriones*, præter *Attellanos*. Multis etiam Chriſtiani nomen non meretur *Hiſtrio*, id eſt, ſimulator virtutis; qui exterius probi adoleſcentis aut viri perſonam ſuſtinet, interius vitijs ſcatet. Qui Phariſaicâ ſanctitate præditus nitet: qui ſuperficietenus bonus eſt; ſepulchrum dealbatum: intus mortuorum oſſibus plenum. Verbo vno, *Hypocrita*. Siquidem vt verè pronunciat D. Baſilius, Hom. 1. de ieiunio, *Hypocrita dicitur Hiſtrio, qui in theatro perſonam ſuſtinnet alienā: ſæpe heri, cùm ſit ſeruus: aut Regis, cùm ſit priuatus. In hac vitâ plerique vitam ſuam, velut è proſcenio ad oſtentationem componunt, aliud in corde gerentes, aliud in ſpecie hominum oculis præſeferentes.* Et

S. A

„ S. Auguſtinus lib. II. de Serm. D. in „ monte cap. 3. ſunt *Hypocritæ*, ſimulatores, tanquam pronunciatores alienarum perſonarum: ſicuti in theatricis „ fabulis. In omni vitâ humana, quiſquis ſe vult videri quod non eſt, *Hypocrita* eſt. Simulat enim iuſtum & nõ „ exhibet, quia totum fructum in laude „ hominum ponit; quam poſſunt etiam „ ſimulantes percipere, dum fallunt eos „ quibus videntur boni, ab ijsque laudantur (vt *Hiſtriones*) ſed tales ab „ inſpectore cordis DEO mercedem nõ „ capiunt, niſi fallaciæ ſupplicium; rectiſſiméque his dicitur: Recedite à „ me operarij doloſi; nomen enim „ meum habuiſtis, ſed opera mea non „ feciſtis. Hiſtriones itaque, qui ab Hypocritis & ſimulatoribus malis non differunt à Militiæ Chriſtianæ ſignis repelluntur.

QVOD ſi quiſpiam coram DEO *ſimplex*, & mundo *Stultus*, alienam perſonam adſumat, volens, vt coram hominibus ad Chriſti Domini imitationem, vileſcat, qualis fuit in Eccleſia DEI nominatiſſimus SIMEON SALVS, id eſt, Stultus appellatus, is certè, tanquam expers damnatæ artis, in Militia Chriſtiana ſtipendia faceret, quemadmodum apud Romanos adſumebantur, immò celebrabantur ATTELLANI, ſic dicti ab Attellanis fabulis Latinis, quæ ab Attella Oſcorum ciuitate Romam tranſlatæ fuerunt, in quibus ij inducebantur actores, qui dictis iocularibus reſponderent Satyricis Græcorum fabulis: De his ita Liuius lib. VII. *Inſtitutum manet vt Actores Attellanarum, nec tribu mouentur, & ſtipendia, tanquam expertes artis ludicra faciant.* Tales ſunt in Militiâ Chriſtianâ, qui dicere poſſunt cum Paulo, magno in eius exercitu Ductore & Vexillifero: *Nos ſtulti propter Chriſtum* 1. Corinth. IV. magnus autem illorum eſt numerus in vtroque ſexu. E fæmineo, celeberrima PAVLA Romana, quæ ſuſurroni cuidam ſuggerenti, quod præ nimio feruore in virtutum exercitatione quibuſdam videretur inſana, & cerebrum illius dicerent confouendum, reſpondit, vt auctor eſt S. Hieronymus, in Epitaph. *Theatrum*, ſeu *Spectaculum ſumus DEO, & Angelis & hominibus.* Et, *Nos ſtulti propter Chriſtum*: ſed *ſtultum DEI ſapientius eſt hominibus.* Vnde & Saluator loquitur ad Patrem: *Tu ſcis inſipientiam meam.* Et iterum, *Tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis. Vt iumentum factus ſum apud Te, & ego ſemper tecum.* Plures nominat ſexus nobilior: nam quæ *ſtulta ſunt mundi elegit DEVS.* 1. Cor. I. Quomodo vocat Apoſtolus vel ipſos fideles ad Militiam Chriſtianam citatos, vel ipſos Apoſtolos legionum præfectos; ne quis miretur, ſub ijs eſſe, qui eandem exercuerunt artem, à ſimplicitate, Stultitiâ, inſaniaque in hoc mundi theatro ſpectabiles. Quibus ad ſigna noſtra admiſſis, repelluntur præter ſuperius deſcriptos;

HISTRIONES illi, qui deſignant homines ſcurrilitati addictos, leues, immodeſtos. Inter quos, ex hiſtrionico motu collocabat Dauidem, Regem ſanctiſſimum leuiſſima mulier. Cùm enim Dauid pietatis inſtinctu ſaltaret coram Arca DEI, id adſcribens leuitati ignara myſterij Michol eius vxor, irriſoriè obijciebat:

bat: *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris.* Sed reſpondit minimè ſcurriliter Dauid: *Ante Dominum vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis*, libro II. Reg. VI. SCVRRAS autem, leuitatique hiſtrionicæ deditos non recipit Militia Chriſtiana; adeò, vt ſeuerè prohibeat nominari etiam, quæ Scurrarum ſunt, Paulus Apoſtolus leges militares condens. Ad Epheſios V. *Turpitudo, aut Stultiloquium, aut Scurrilitas nec nominetur in vobis ſicut decet Sanctos.* Per Scurrilitatē intelliguntur ioci illiberales, & facetiæ, quæ turpitudinem inuoluunt, aut virtuti aduerſantur. Sunt enim Scurræ turpiter faceti, in iocando inuerecundi, in loquendo procaces, maledici, ſpurci, indecori.

MEMBRVM IV.

INFAMES

A Militiâ, quà Romanâ, quà Christianâ proſcripti.

CVM *Infamis* dicatur, qui ob turpitudinem, aut crimen malè audit, & cui fama non eſt integra, quiſquis talis, indignus cenſebatur baltheo militari apud Romanos. Hinc illud Liuij libro XXIII. de Delectu poſt Cannenſem pugnam à M. Iunio Dictatore habito. *Ad vltimum propè deſperata Reſpublica auxilium, cùm honeſta vtilibus cedunt, deſcendit, edixitq́, qui capitalem fraudem auſi, quiq́ pecuniæ iudicati in vinculis eſſent qui eorum apud ſe Milites fierent, eos noxa pecuniaq́ ſe exſolui iuſſurum.* Menander autem I.C. lib. XXXIX. ff. *de re milit.* l. 4. in hoc genere numerat, relegatos in exilium, dānatos ad beſtias, rei capitalis & adulterij reos: aliquo iudicio publico infamâque perpetuâ notatòs: item, cum ignominiâ ſemel demiſſos: denique, qui habens litem Militiæ ſe dediſſet, vt aduerſario ſe ſpecioſiorem faceret. Vlpianus, lib. VIII. addit etiam eos, qui redempti ſunt ab hoſtibus, priuſquam ſe luant.

NON eſt exiſtimandum, minorem rationem bonæ famæ habere Militiam Chriſtianam, quàm habuerit Romana, ideoque minimè admittendos ad tam glorioſum nomen infamiâ maculatòs: lenones, concubinarios, fures, falſarios, aleatores improbos, depeculatores, & id genus alios. Hi licet eſſent Eccleſiaſtico charactere inſigniti, quamuis vocarentur Clerici, licet haberent ampliſſima ſtipendia ex Chriſti patrimonio, plurimiſque titulis gauderent; nomen tamen Chriſtiani Militis quod Eccleſiaſticis maximè deberetur, non mererentur; quia, qui criminis publici laborant infamiâ ad Militiam non admittuntur Chriſtianam.

NOTÆ

In quibus Auctores & Analecta.

§ I. SERVI reiecti.] De Seruorum diuerſis generibus tractaui fusè in Opuſculis Marianis, titulo Mancipium Marianum. vbi diſputatur, An Mancipium idem ſit quod Seruus? Quis dicatur Seruus Addictus? quis Seruus Pœnæ? quis Adſcriptitius? quis Originarius? quis Litteratus? quis Mediaſtinus? quis Atrienſis? quis Publicus? quis Ordinarius? quis Extraordinarius? quis Inſularius? An Sodales ſint Serui & Mancipia DEIPARAE? & quib. titulis?

An & Quando apud Romanos, Serui ſint lecti Milites? An pro libertate fortiter pugnauerint? Quomodo libertatem ſæpius, conſtanterq; pugnando conſequuti fuerint, & ſimilia multa inuenies apud Auctores nominatos, Lipſium, Valtrinum, ConZen. Serui aliquando non mali milites fuerunt, & inter primos ſtrenui. SPARTACVS gladiator ex Capua Italiæ ciuitate fugiens, per Atticæ regionis fines, multasq; ſeruorum copias ad rebellionem vocans, qui & ipſe Seruus erat ex genere Thracum, exiguo tempore totam Italiam percurrit, multisq; Seruis ad eum quotidie confluentibus, niſi occubuiſſet in acie contra Licinium Craſſum, non mediocrem ſudorem Romanis præbuiſſet, ſicut Eunus in Sicilia. Athenæ. lib. VI. cap. 3.

§. II. AMEN. De hoc accuratè Maldonatus Matt. V. 18. Matt. XXXVI. 26. Cornelius Ioann. VIII. 34. Apocalyp. XXII. 20. Salmeron, Prol. 7.

§. III. LIBERTVS LIBERTINVS.] Lege Inſtit Iuſtin. de Statu hominum. Interpretes Actuum VI. Libertini & Liberti apud Iuris-Conſultos ita diſtinguuntur, vt hi dicant reſpectu ad Patronum, illi ad ipſam conditionem: quomodo dicimus quoſdam ingenuos. Tamen confuſa manſit poſtmodum vtrorumq; ſignificatio: & notantur quattuor illorum genera, Romanorum, Latinorum, Iunianorum, & Dedititiorum. lib. I. Inſtit. Tit. 5. Nonnus in Collectan. profanar. hiſtor. quæ habentur in 1. Orat. Nazianz. docet Athenis in Cynoſarge iudicium fieri ſolitum ſimul de Nothis & Libertinis, An omninò libertate donati eſſent, & nothorum nomen ipſis communicatum per comparationem ad ingenuos. Obſeruat Beda & Gloſſa, Actuum VI. Libertinos, nempe de Seruili ſtirpe procreatos fuiſſe, qui primi aduerſus Chriſti fidem, & Eccleſiam rebellarunt. Ac denotat eos Hereticos Libertinos, qui libertatem deſcriptam in textu admittunt ac docent, ideoq; dicuntur Serui corruptionis. 2. Petri 2. 19. Quamuis omnibus hæreticis Libertinorum appellatio conuenire poſſit, ſicut & Seruorum: nam libertatem ſectantur carnis, ſunt autem Serui peccati, ac Diaboli.

§. IV. LIBERTAS Chriſtiana.] Legendi de hoc titulo, Ioann. Lenſeius, & Ioan. Driedo. Bellarminus tomo 3. lib. 4. cap. 5. de Iuſtificat. Interpretes SS. in cap V. Epiſt. ad Galat. & 1. Canonic. S. Petri.

§. V. TIMOR Seruilis] Timor eſt quadruplex. Filialis, Initialis, Seruilis, Mundanus. S. Thomas 2.2. q. 19. Ratio diuiſionis, art. 2. Timor vel auertit à DEO, vt quando timore amittendi ea quæ in mundo ſunt. Deus deſeritur, & eſt Mundanus. Vel conuertit ad DEVM; eſtq;, vel pœnæ tantùm, vt quando ad Deum conuertimur, ne incidamus in plagas, quas ille immittit ſeruis fugitiuis: & eſt Timor Seruilis: vel culpæ, ſiue offenſæ tantum, & dicitur Filialis, quia filiorum eſt timere offenſam patris. Vel eſt ſimul pœnæ & offenſæ,

offenſæ, qui appellatur Initialis: *eſtq́ imperfectus quidam* Timor Filialis, *adeoq́ ſecundum ſpeciem & ſubſtantiam idem cum illo. Quintum membrum poteſt eſſe* Timor naturalis, *quæ eſt paſſio appetitus ſenſitiui, inſita animanti, quâ malum imminens formidat & fugit.* Timor Seruilis, *quod ad ſubſtantiam non eſt malus. Seruilitas tamen, quæ naſcitur ex peruerſo amore boni creati, & reſpicit fugam pœnæ, ex eo tantum motiuo, eſt mala: cùm ſic homo liberè non agat, ex amore videlicet, qui eſt intrinſecum agendi principiū, ſed more mancipiorum. Vnde illud.*

Oderunt peccare mali formidine pænæ. *Poteſt tamen etiam* Timor Seruilis *eſſe laudabilis, ſi oritur ex amore boni particularis per pœnam amittendi, & ſit coniunctus timor culpæ, tum enim laudem meretur, & poteſt expellere peccatum. Legendus* S. Thom. *l. c. ibiq́ Commentatores,* Ioann. Buſæus *in Viridario. Exempla ſingulorum Timorum exhibet Theatrum Vitæ.*

§. VI. PROLETARII.] *Quod procreandæ prolis gratiâ in vrbe relinquerentur. Magna pauperum claſſis in tres quaſi Claſſiculas diuiſa erat pro ratione cenſus.* Prima *fuit eorum, qui à mille ducentis drachmis, vt habet* Polybius *lib. 6. ſiue duodecim millibus æris, pertingebant ad quadringentas.* Altera, *quæ ab iſtis ad centum quadraginta.* Tertia, *quæ ad triginta tres, Ita ferè* Iulius Paulus *apud* Gell. *lib.* XVI. *cap.* 9. Proletarius Sermo, *vilis, abiectus, plebeius.*

§. VII. NAVALIS Militia.] *De ea agitur in hoc opere integro Libro, ſed non quatenus eſt vilis, cùm ſit ſpecies nobiliſſima Militiæ Chriſtianæ.*

§. VIII. OPIFICES, Artifices, Mechanici, Manuarij.] *De his eſt integrum Volumen* Sandæi, *titulo,* ARTIFEX EVANGELICVS, *ordine alphabetico ducens per omnes Artificum officinas.*

§. IX. AGRICOLAE.] *De his, quatenus ſunt Euangelici, eſt proprius titulus in eodem Volumine. Quod ad Militiam corpoream ſpectat,*

DISPVTARI ſolet à Politicis, quod huc aliquatenus ſpectat, Ciuicus ne, an agreſtis Miles ſit melior? ex vrbe ne, an agro potius legendus? præſtet ne agricola ciui? *Vegetius lib.* 1. *cap.* 3 ita definit. *Sequitur, vtrum de agris an de vrbibus vtilior Tyro ſit requiramus. De quâ parte numquam credo potuiſſe dubitari. aptiorem armis ruſticam plebem, quæ ſub dio, & in labore nutritur; ſolis patiens; vmbræ negligens; balnearum neſcia; deliciarum ignara; ſimplicis animi; paruo contenta; duratis ad omnem laborum tolerantiam membris: cui geſtare ferrum, foſſam ducere, onus ferre conſuetudo de rure eſt. Interdum tamen neceſſitas exigit, etiam vrbanos ad arma compelli: qui, vbi nomen dedere Militiæ, primum laborare, decurrere, portare pondus, & ſolem pulueremq́ ferre condiſcant, parco victu vtantur, & ruſtico: interdum ſub papilionibus commorentur. Tunc demum ad vſum erudiantur armorum: & ſi longior expeditio emergit, in agrarijs plurimum detinendi ſunt, proculq́ habendi à ciuitatis illecebris; vt eo modo & corporibus eorum robur accedat & animis.*

Nec inficiandum eſt, poſt Vrbem conditam, Romanos ex ciuitate profectos ſemper ad bellum: ſed tunc nullis voluptatibus, nullis delicijs frangebantur. Sudorem curſu & campeſtri exercitio collectum, nando iuuentus abluebat in Tyberi. Idem bellator, idem agricola, genera tantùm mutabat armorum. Quod vſque adeò verum eſt, vt aranti Quinctio Cincinnato (viro optim.) Dictaturam conſtet oblatam. Ex agris ergo ſupplendum robur præcipuè videtur exercitus. Neſcio enim quomodo minus mortem timet, qui minus deliciarum nouit in vitâ.

HAEC cùm attuliſſet *Adamus Conzen.* lib. X. Politic. cap. 20. Subtexit hoc glonema. *Mihi Miles agreſtis placet; quia laboribus aptior eſt. Sunt tamen in vrbanis multa, quibus ij præſtant ruſticanæ iuuentuti. Nam ingenio ſunt exactiore, exercitatioreq́, & ad*

 omnia

omnia magis habiles. Cùm itaque minima pars Militia robore & viribus peragitur, omnia verò ſummâ egeant induſtriâ, prudentia, dexteritate, ad eam verò facilius educentur Vrbani, malim eos legi. Nunc verò ideo magis neceſſarium eſt, quia genus armorum, quod hoc tempore in vſu eſt, dexteritatem magis, quàm vires exigit. Non ſcuta, non vallos gerunt, non tot laboribus opprimuntur.

AT habuit Roma Milites ex Agricolis lectos. eosque fortiſsimos viros, & Milites ſtrenuiſsimos, *ait Plinius*, Sed & Cincinnatus Dictator à ſtiuâ, *& Regulus* pauperis agelli cultor adducitur pro ruſticanâ iuuentute. *Verùm, dum rem accuratius conſidero, video fuiſſe inſignes, ſed non ita multos Imperatores, ideo eiſdem crebrò repetiti ſunt Conſulatus. At poſteà cùm nobiles imperarunt, plures fuerunt. Immò etiam priſcis temporibus multi diuites rem ſtrenuè geſſerunt. Sullanis & Cæſarianis temporibus, totóq; eo, quod bellum ſecundum Punicum ſubſequitur, innumerabiles viros fortiſſimos habuerunt, eosq; ex Vrbanis, diuitibus, & lautis.*

§. X. HISTRIONES.] *In Volumine,* Artifex Euangelicus, *tam in bonam quàm malam partem depinguntur. Dicebantur à Romanis, vel quod ex Hiſtria primùm ad Thuſcos venerint: vel quod Hiſtor vocabulo Thuſco, ſignificet Ludionem: vel quod ἵςορες quidam ſint qui aliorum dicta factáq; quadam palingeneſia in ſcenam producant. Eorum genera, differentias, & exempla varia habet Theatrum Vitæ.*

§. XI. ATTELLANI *dicebantur priuatim perſonati: quoniam id eras illis ius ne in ſcena perſonam deponere cogerentur: quod Hiſtrionibus alijs pati neceſſe erat. Hinc quæ ab ijs agebantur fabulæ peculiari appellatione nuncupabantur* Perſonatæ. *Cælius lib.* VIII. *Antiqua. lect. cap.*8.

§. XII. SANCTI *quidam* Simplices, Stulti, Fatui.] *Legendus* Matthæus Raderus *in Viridario Sanctorum, titulo, Sancti, qui Simplicitatem, & fatuitatem ob ſui contemptum finxêre. Inter quos celebris eſt* Simeon Salus *id eſt, fatuus. Cuius elogium eleganter exhibent Faſti Mariani,* 1. *Iulij.*

§. XIII. SCVRRILITAS. *Epheſ.* V.4. *Eſt quidem ibi εὐτραπελία, vrbanitas, quæ virtutem ſonat, ſed intelligitur immoderata, quæ in βωμολογίαν, vitium per exceſſum vergit. De qua intelligendus S. Chryſoſtomus, dum negat, apud Chriſtianos Eutrapeliam eſſe virtutem: multiſq; docet, Chriſtianum non decere iocos, ſed potius luctum & fletum. At loquitur de Eutrapelia, non moderata, ſed immoderata, quæ à Scurrilitate non differt. De qua etiam D. Hieronymus:* Eſt hæc à Sanctis noſtris propellenda *dicens, quibus magis conuenit flere, atque lugere. Lege S. Thomam* 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. *& interpretes Epiſt. S. Pauli, ad Epheſ.* V.

COM-

COMMENTATIO VII.

PROSCRIPTI

A Militiâ Chriſtianâ Iure Diuino peculiari.

NOMINAVIMVS hactenus reiectos à Militiâ Chriſtianâ, per analogiam ad eos, quos non admittebant ad Romanam, qui Delectum habebant in eâ Reipublicâ; cùm non minus, immò multo magis, ab omni dedecoris Notâ alieni eſſe debeant Milites Chriſtiani, quàm olim fuerint Romani. Sed præter illos, DEVS ſupremus noſtræ Militiæ Imperator, quoſdam alios declarauit omninò ineptos, ideoque prohibendos, vel lege latâ, vel facto, qui ſuam nobis voluntatem ſatis declarauit.

MEMBRVM I.

DIFFIDENS & CONFIDENS

Quis, Qualis ue proſcriptus, aut allectus.

POSTVLAT Militiæ Sacræ Legiſlator in eo qui deligitur, vt Diffidentiam ſui, ſic Confidentiâ in DEVM. Vtrumque innuitur primis verbis Legum bellicarum, quæ accuratè perſcriptæ ſunt Deuteronomij xx. vbi ſic orditur noſter Dictator. *Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem, quàm tu habeas aduerſarij exercitus multitudinem, non timebis eos quia Dominus DEVS tuus tecum eſt, qui eduxit te de terra Ægypti.* Quaſi dicat: ſi vires tuas conferas cum hoſtili exercitu, eſt quod metuas, & abiectis armis fugam capeſſas: at, ſi perpendas ſub cuius ſignis milites, nulla diffidendi cauſſa eſt: quia non eſt fiducia in armis veſtris, ſed in potentiâ Omnipotentis. Quomodo ferè reſpondebat Iudas Machabæus, cùm penè tumultuarentur, quos contra hoſtes eduxerat. Cùm enim Iudas exiuiſſet obuiam hoſti cum paucis, vt viderunt exercitum copioſum, dixerunt: *Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati ſumus ieiunio hodie?* reſpondit autem Iudas fidenter, lib.1. Machab.iii. *Facile eſt concludi multos in manus paucorum: & non eſt differentia in conſpectu DEI cæli, liberare in multis & in paucis:*

quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt. Sicut fuerit voluntas Domini in cælo, ita fiet. Alter Chriſtianorum Machabæus, CONSTANTINVS Imperator haud ignarus huius virtutis militaris dicere ſolebat, vt refert Euſebius, lib. IV. de Vita Conſtan. cap. 19. *Non debent Milites Chriſtiani in armis, aut viribus corporum ſpem ponere, ſed vniuerſitatis DEVM rerum omnium bonarum, & ipſius Victoriæ auctorem agnoſcere.* Hoc ſi valet in bello corporeo, in quo corporis membris viribusque confligitur; multo magis valebit in bello Spirituali, in quo facultatibus animi, & virtutibus contra vitia pugnatur.

PRIMVM ſanè, quod hominem, ſiue ad ſeriam vitæ emendationem, ſiue ad virtutum conſtantem cultum, ſiue ad Chriſtianæ diſciplinæ perfectionem, ſiue ad ſtatus religioſi ingreſſum aſpiranti obſiſtere ſolet, & impedire, quo minus vocanti DEO obſequatur, eſt *Diffidentia.* Hinc illæ voces, tum internæ, tum externæ. Quomodo tam difficilem vitæ rationem auſpicabor? Qua ratione me meâ libertate exuam? Qui fieri poteſt, vt tenellus, delicatus, infirmus, illis aſſueſcam aſperitatibus? Quomodo ſub pellibus miles inualidus agam? quomodo vigilias noctis cuſtodire potero? Hoc primum eſt Militiæ Chriſtianæ obſtaculum. Quod prouidè animaduertit Auguſtinus, qui diſſerens de conuerſione ſuâ & eius impedimentis, libro VIII. Confeſſ. cap. 5. *Ego*, inquiebat, *adhuc obligatus* Militare *Tibi recuſabã & impedimẽtis omnibus ſic timeba expediri quẽadmodũ impedire timendum eſt.* En diffidentẽ! quem Chriſtus ad ſua caſtra nõ admiſit, niſi poſtquam confidentiã valẽtiorem induit, illasq; diffidentiæ inſultans voces ingeminauit. lib. VIII. Conf. cap. 11. *Tu non poteris*, quod iſti, & iſtæ? *An verò iſti & iſtæ, in ſemet ipſis poſſunt, & non in Domino DEO ſuo? Quid in te ſtas, & nõ ſtas? Proijce te in eum, noli metuere. non ſe ſubtrahet, vt cadas. Proijce te ſecurus, excipiet, & ſanabit te.* En confidentem!

AD hanc conditionem in Militibus ſuis ſanciendam, voluit DEVS in bello contra Madianitas Duce Gedeone, vt ex triginta duobus Iſraëlitarum millibus, tantùm trecenti remanerent, vt in hoſtem ducerentur: Cuius cauſſam, DEVS ipſe adiungit Iudicum VII. *Ne glorietur contra me Iſraël, & dicat: meis viribus liberatus ſum.* Seu, vt in Hebræo eſt: *Ne ſeipſum iactet, ſeu glorioſum faciat*: Siue, vt diffidat ſibi, confidat in Domino. Ne opus cæleſtis dexteræ, virtuti adſignetur humanæ: Vt omnibus conſtet, victoriam non militum, ſed meis viribus eſſe partam. Denique, quod dicit Saluianus, libro VII. de Prouid. *Vt ſibi de patrato diuinitus belli opere paucitas vſurpare nihil poſſet.*

MEM-

Membrvm II.

ÆDIFICATOR DOMVS NOVÆ

Ambitioſus Dignitatis Prenſator.

SI *quis eſt homo*, proclamari iubet Delectus militaris Præſes, *qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam, vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne fortè moriatur in bello & alius dedicet eam*, Deuteronomij xx. Quæ cauſſa cur reijciat Devs à Militiâ ſuâ eum, qui ædificauerit nouam domum, ante eius dedicationem? Obſeruat Epiſcopus Abulenſis Ædificatorem domus nouæ ſolitum fuiſſe inuitare amicos, eosque, conſtructâ domo, excepiſſe ſplendido conuiuio, ſicque, vt loquitur ipſe, ſolemnizaſſe, vel ſtrenaſſe eam; quemadmodum modò fit in templorum nouorum encænijs. Hinc ſumendam cauſſam, cur talem voluerit Devs à Militia amandari. Vel quod nollet eum mori cum iſtiuſmodi deſiderio. Vel quod talibus diſtractus cogitationibus, facile fuiſſet laxatus animo, ac remiſsè pugnaſſet. Vel ne timore correptus mortis fortè imminentis, & metuens, ne quis alius domum dedicaret, è prælio fugeret, & ſocios ſuos exemplo ad fugam pelliceret.

Hoc hominum genus ædificantium nouas domos, ſignat Ambitioſos qui in Seculo magnitudinem adſectant, & titulos, ideoque coniungunt, vt loquitur Iſaias, Propheta cap. v. *domum ad domum*, & agrum agro copulant, ac ſi habitaturi eſſent ſoli ipſi *in medio terræ*: qui honoribus, dignitatibus, excellentiæ, eminentiæque inhiant: qui famam aucupantur popularem: qui videri volunt, & digito monſtrari: denique, quos Superbiâ vitæ eleuare conſueuit ac diſtrahere. His in Militiâ Chriſtiana ſpirituali non eſt locus, quando cum hoſte confligendum. Quomodo enim pugnet contra honoris mundani appetitum, qui affectum illi ſuum ſponte addixit, & tradidit? quomodo, cum Chriſto, humilibus, vilibuſque aſſueſcat, qui Superbiæ ſeculari ſe totum mancipauit? quomodo mortem pugnando pro animæ ſalute oppetere non refugiat, cui viuendi vnica cauſſa videtur ambitio?

MEM-

MEMBRVM III.
PLANTATOR VINEÆ.
Auarus opum Accumulator.

INDICIT iterum Princeps noſtræ Militiæ, Deut. xx. *Quis eſt homo, qui plantauit Vineam, & necdum fecit eã eſſe communem, de qua veſci omnibus liceat? vadat, & reuertatur in domum ſuam: ne fortè moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio.* Nimirum, apud Hebræos, cùm plantabatur vinea, vel arboretum, fructus tribus primis annis immundi erant: quarto offerebantur Domino, & erant quaſi ſacri: quinto demum anno fiebant cõmunes, ſiue profani, vt habent Hebræa, & poterat quiuis, cum poſſeſſoris conſenſu ijs veſci. Poſſeſſor autem conuocans amicos, colligebat cum ijs fructus, & veſcebantur hilares, vt conſtat ex Leuitici xix. cap. Itaque qui nondum eo perdu xiſſent ſuas vineas, ad Militiam, DEI cenſura, erant inhabiles.

QVO genere hominum exprimuntur illi, qui Concupiſcentiæ oculorum, ſeu Auaritiæ ſunt dediti; qui fortunis ſuis augẽdis, & bonis externis accumulandis vacant aſſiduè, qui toti ſunt in poſſeſſionibus terrenis comparandis. Hiã Militia Chriſtiana Spirituali repelluntur: bonorum enim temporalium cogitationibus in varia diſtracti, æternorum ſunt incurioſi, nec de cæleſtis præmij conſequutione ſoliciti. Vniuerſè. Militi Chriſtiano, Mundus odio habendus eſt, & quæ in eo omnia, quatenus exercitium militare retardant. Præclarè Proſper de Vita Contemplatiua lib. II. cap 16. *Qui vult DEVM poſſidere* (quod velle debet omnis DEO militans) *renunciet Mundo, vt ſit illi DEVS beata poſſeſſio. Non renunciat Mundo is, quem terrenæ poſſeſſionis adhuc delectat ambitio: quia quam diu ſua non relinquit, Mundo, cuius bona retinet, ſeruit* (& militat.) *Non poteſt autem Mundo ſimul ſeruire* (militare) *& DEO. Ac ſic propterea voluit DEVS Cultores ſuos* (Milites) *omnibus renunciare, propter quæ diligitur Mundus, vt excluſâ cupiditate Mundi, diuina in eis caritas poſſit augeri & perfici.*

MEMBRVM X.
SPONSVS
Concupiſcentiæ Carnis addictus.

LEX eſt Imperatoris, Dei Zabaoth, Domini Exercituum, Deuteron. xx. *Quis eſt homo, qui deſpondit vxorem, & non accepit eam? vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eã.* Ex auctoratur igitur, qui deſpondit ſibi vxorem: Scilicet, ſenſu ſpirituali. quem Concu-

Concupiſcentia Carnis ſibi deuinctum habet, voluptatibus deditus, mulieroſus. Miles Chriſtianus non ſit vxorius, non emolliatur voluptatum illecebris, quicquid caſtitati eſt contrarium auerſetur. Nihil enim magis obeſſe pugnanti puto, quàm cogitationes vxorias, & cum illo ſexu familiaritatem, quamuis aliâs licitam, profani quoque agnouerunt. Adde, vt Dio ſcribat libro XL. Milites lege prohibitos olim vxorem habere. Quod idem aliquibus locis tradit Tertullianus. Et verum eſt, ſi ad illa tempora referatur, quando perpetua Militia apud Romanos fuit inſtituta: tunc enim militibus habere vxores interdictum erat. Quod tamen poſtea Seuerus Imperator conceſſit, vt ſcribit Herodianus libro III. Stante autem Republicâ, Milites vxores habuiſſe videntur. Quod cum alijs, tum eo probant argumento aliquo, quo vtebantur Imperatores, vt Milites fortiter pugnaturos exſtimularent: nam pro vxoribus liberiſque eos pugnare in memoriam reuocabant,

NON licuit tamen in Militiam ducere vxores. Hinc Virgilius de Antonio, qui ſecum in prælium ducebat Cleopatram,

——Sequiturq́ue, nefas! Ægyptia coniunx.

Et apud Propertium quædam lib. IV. Elegiâ tertiâ:

Romanis vtinam patuiſſent caſtra puellis,
Eſſem Militiæ ſarcina fida tuæ.

Et D. Hieronymus ad Oceanum:

Nemo Miles cum vxore pergit ad bellum. Pompeius apud Romanos è Pharſalicis campis remouebat vxorem cariſſimam, & in Leſbo condebat. Nec malè Iſidorus *(a)* exiſtimat, caſtra dicta, quaſi caſta, quia illic caſtraretur libido, quod nunquam mulierem reciperet. Et quantopere deceat Caſtra Chriſtianorum caſtitas, & intemerata puritas ſuo loco eſt demonſtratum: hic tantum iſtud ingerimus: Si ad militiam profanam non eſt idoneus mulieroſus, laſciuus, impudicus, erit-ne ad ſacram?

(a) *Iſid. lib.* IX.

MEMBRVM V.

TIMIDI

A Militia Chriſtiana proſcripti.

PERGIT Cenſor Diuinus: *Quis eſt homo formidoloſus & corde pauido? Vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne pauere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe timore perterritus eſt.* Deuteronomij XX. Cuius edicti cauſſas accuratè perpendit Philo libro de Fortitudine. *Ante omnia præmonendum eſt*, ait, ad bellum non admittendos pauefactos & *Timidos*, quia ij ab inſito animi languore capiuntur, & formidinem commilitonibus alijs iniiciunt. Facilè enim ſerpit vitiorum cōtagio, præſertim in tumultibus bellicis, ratione, per contentionem turbatâ, nec ſatis valente diſcernere, quid

Omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Trecentos igitur elegit DEVS, reiecit ceteros, tanquam ad diſciplinam ſuam militarem minus accommodatos.

MEMBRVM VI.

GEDEONIS

Timidi, Animoſiq́; Milites quomodo diſcreti.

EST autem non parua controuerſia, qui-nam per hos, ac illos intelligantur? Et quidem Ioſephus Hebræorum Hiſtoricus, exiſtimat à Gedeone electos eos, qui erant ignaui, fortes autem reiectos; vt maior DEI virtus in victoria illa prodigioſa eluceret. Neque deſunt Doctores Eccleſiæ, qui Ioſepho ſuffragantur, S. Auguſtinus (*a*) nominatim & Theodoretus. (*b*) Abulenſis quoque, qui lambentes aquas, vt timidiores, ignauos, vilioresque æſtimat, à Gedeone tamen & DEO ob cauſſam datam alijs prælatos & electos. Ioſephi eſt iſta narratio. *Vt ſcirent rem totam pendere à DEI auxilio, iuſſit, vt circa meridiem cùm æſtus ferueat maximè, exercitum ducat ad fluuium, & quotquot procumbentes biberent, eos Viros fortes crederet: quotquot autem trepidè & tumultuariè potum ſumerent, ſic exiſtimaret, eos metu hoſtium hoc facere, & cum his iuſſit hoſtem inuadere.* Sed nunquam mihi perſuadere potui, mandaſſe DEVM Gedeoni contra legem ſuam, vt meticuloſos, & inertes ad bellum duceret. Itaque tum per illos, qui flexis aquam bibebant poplitibus, tum per eos, qui lambebant, vt fugientes canes, deſignari poſſe diuerſos, ex cauſſis, quas adferunt Interpretes, cur DEVS ablegauerit bibentes in terram inclinatos, & adſcripſerit Militiæ ſuæ alios.

INPRIMIS igitur, per bibentes carptim manu ad os admotâ, intelligit S. Auguſtinus quæſt. XXXVII. *Obedientes, morigeros, dicto audientes, ad nutum promptos.* Quod Militis potiſſimum eſt decus, vt alibi eſt probatum. Exiſtimat enim S. Doctor fuiſſe à Gedeone militibus ſuis mandatum, ne quis niſi ſtans erecto, aut modicè inclinato, inflexó-ue corpore biberet. Obſequuti ſunt qui etiamſi defatigati admodum eſſent, & libenter, tum ob calorem, tum ob feruentiſſimam ſitim, ſe totos aqua proluiſſent, tamen cupiditati ſuæ imperantes, paruerunt Ducis ſui præcepto. Ex quibus collige, non niſi Obedientes Milites ad Chriſti Sacram Militiam admitti; illos autem eſſe maximè, ſi cetera non deſint, idoneos. Aliud ſuggerit Nicolaus Lyranus, trecentos illos, qui lambuerunt aquas, iſto bibendi modo ſignificaſſe, neque ſe admodum feſſos, neque admodum eſſe ſitibundos, ideoque fortes, validos, ac robuſtos: alios verò inertes ac imbecilles, quippe qui curuato genu, inclinatoque

(a) *S. Aug. quæſt. 37. in Iud.* (b) *Theod. q. 15.*

toque corpore bibentes vel modicam quietem importuniſſimo tempore captare, largiusque potare appeterent quod magnæ imbecillitatis eſt indicium. Quo ſignificatur imbelles atque imbecilles eſſe Militiâ Sacrâ amandandos. Diuerſam ab hac eiuſdem facti rationem habent veterum quidam apud Procopium: Trecentos lambentes aquas adſcitos ad bellum, quia non ſolùm eo bibendi ritu oſtendebant ſe minimè timidos, ſed fortes & magnanimos, verùm etiam duros, erga ſe corpuſque ſuum ſeueros, cōmoditatum oſores, & voluptatum tametſi licitarum, præ alijs contemptores. Siquidem quamuis nec minus ſitirent, nec minus defatigationis moleſtiâ afficerentur, quàm alij nihilominus ne tantum quidem ſibi indulgere voluerunt, vt genibus inflexis bibendo minus laborarent, & os aquis admouentes propius illas haurirent commodius & vberius.

ITAQVE *Molles* reijciebantur, vt obſeruat Nicolaus Serarius, (*a*) tanquam minus idonei ad Militiam iudicati. Indicare enim volebat noſtræ Dux Militiæ non timiditatem modò; ſed mollitiem quoque corporisque indulgentiam, & intemperantiam à bonis abeſſe oportere bellatoribus: quod ambo victoriarum impedimenta magna ſint, magnæ item caſtrorum peſtes. Notandum & illud monet eruditus iſte Madianitici belli enarrator (*b*) prius à Militiâ reiectos fuiſſe Timidos, & formidoloſos; deinde intemperantiores bibulos. Quod licet vtrumque vitium: nimirum animi paruitas ac timiditas; tum intemperantia, mollities, ac indulgentior corporis cura: magnum Militiæ venenum ſit, ac peſtis; tamen minus idonei ſint timidi, quam qui paullulum quid corporis ſtudioſiores ſunt. Cuius rationem hanc adſignat. Quod rari inueniantur, qui carnem ſuā oderint, qui corporis commoditates omnes reſpuant, qui non aliquantulo plus aliquid in cibo, potu, ſomno, & quiete, ſibi ipſis, quàm requireret neceſſitas, cōcedat. Videmus prætereà non rarò à Militibus & Ducibus nonnullis & magna & difficilia ſatis confecta, qui ad corporis obſequia æquo erant faciliores, & proniores. A timidis autem, meticuloſis, & fugacibus nihil præclari geſtum vnquā. Remouendum igitur à caſtris vtrumque, ſed primo loco, & maximè *Timiditas*, cuius labe imbecillis fractusque redditur animus meticuloſi militis, qui reliquos deinde inficit. *Si quis eſt corde pauido*, recedat de Caſtris, clamabat Gedeon, & receſſerunt viginti duo millia bellatorum, è quibus trecenti animoſiſſimi & generoſiſſimi ſunt electi. Bono animo, Gedeon, ſubduxerunt ſe formidoloſi: plus efficient trecenti animoſi generoſique, quàm triginta millia pauidorum, & vacillantium. Expertus id eſt Iſraël, experti Romani.

SCIPIO Africanus cùm ad expeditionem contra Carthaginenſes paraſſet quæcumque tanto bello videbantur neceſſaria, milites, naues, inſtrumenta, & quæ ſunt alia, in vnum coactis militum centurijs, dixit, renunciari ſibi, quoſdam Equites Siculorum, tanquam grauem & duram horrere eam militiam. Si qui ita animati eſſent, malle eos ſibi iam tunc fateri, quàm poſtmodum, querentes, ſegnes,

(a) *Quæſt.* vi. (b) *Quæſt.* vii.

ſignes, atque inutiles milites Republicæ eſſe, expromerent quid ſentirent, cum bonâ veniâ ſe auditurum. Sic trecenti cùm profeſſi eſſent, ſi ſibi, verum vellent, liberum eſſet, nolle militare, & velle exauctorari. Quod factum, & in eorum locum è Romanis, iuuenes trecenti, florentes ætate, & virium robore inſignes ſuffecti ſunt, vt ſcribit Liuius libro xxix. Cum autem iam in procinctu eſſet Scipio, rogatus à quodam, quâ re fretus auderet exercitum è Siciliâ in Africam contra Carthaginenſes traijcere? demonſtrauit ei trecentos milites; quorum animoſitatem, & quidlibet agendi patiendique promptitudinem, ac obſequendi alacritatem vt declararet, dixit diſertè: *Nullus horum eſt, qui non ſit, me iubente, conſcenſa hac turri, præcipitem ſe, in mare deiecturus*, vt Plutarchus refert in Apophtheg. Roman. CHABRIAS cùm exercitum tyronum in prælium ducturus eſſet, edixit, vt qui ægros ſe putarent, arma deponerent. Timidi morbum ſimularunt: eos ille ad præoccupanda quædam loca miſit, vt multitudine hoſtem terrerent. (*a*) Alia vſus eſt probatione THEAGENES Dux Athenienſium: cùm enim multi Ordines ab eo poſcerent, ad Megaram daturum reſpondit. Clam verò equites præmiſit; eoſque, hoſtium ſpecie, contra agmen ſuum redire iuſſit. Tum, verò, quaſi ſolicitus ad pugnam hortatus eſt, & quemque qui vellet, conſiſtere periculis. Confeſtim in primam aciem fortes & animoſi proſilierunt. Timidi poſt principia ſtationem occuparunt. Theagenes eo, quo quemque inuenit loco promouit. At IPHICRATES cùm multos Timidos ſequi vidiſſet, edixit, vt ſi quiſpiam aliquid reliquiſſet, rediret, quo benè inſtructior in hoſtem iret; eâque occaſione multi vterentur: ceteros animauit, & fidentiores reddidit, cùm diceret: *Viros fortes ſine mancipijs pugnaturos.*

ANIMOSVS eſſe debet, non formidoloſus, qui Militiæ ſe addicit; ſiue Dux ſit, ſiue Miles gregarius, ſed à Duce deriuetur in Militem animoſitas. Sub Duce Leone, ceruus in hoſtem, vt leones irruent. Animoſus fuit ALEXANDER Macedo, quid non tentauit? quid non eſt aggreſſus? quid non perfecit? Paucos ille habebat Milites, non paucos hoſtes, immò innumeros: ſuadebat Parmenio Alexandro carus & cui cara erat Ducis vita, vt noctu clam in eos irrueret: quod quoniam videbatur formidoloſi, reſpondit Alexander, nolle ſe furari victoriam.

CELEBRATVR apud Romanos C. FABRICIVS Conſul, cui Pyrrhi Medicus per epiſtolam promiſerat, ſe Pyrrhum veneno necaturum, ſi iuberet. Eam epiſtolam Fabricius Pyrrho miſit, iuſſitq; indicari, quod peſſimè iudicarêt & de amicis & de inimicis. (*b*) Nimirum, nolebat animoſus Conſul Regem dolo, ſed aperto marte proſternere. Vnde & totidem captiuos remiſit, quos ipſe miſerat. Eadem, immò maior animoſitas meretur commendari in Imperatore Chriſtiano & Catholico FERDINANDO II. Auſtriaco, (*c*) qui, cùm à plurimis hoſtibus impeteretur, à ſuis penè deſertus, amicis, aut qui eſſe debuiſſent, & indies mala bellaque bellis innaſcerentur, quæ tamen paucorum auctoritate ſuſtentabantur,

(*a*) *Polyænus lib. iii.* (*b*) *Plutar. Apophtheg. Rom.* (*c*) *Guil. Lamormaini de Ferd. cap. xxi.*

bantur, fuerunt, qui ſponderent, poſſe ſe ac velle rebellium capita, auctoreſque malorum tollere. Vnum hoc vnus eorum petebat, vt ſi re benè geſtâ contingeret, ipſum aut capi aut occidi, Cæſar vxoris ac liberorum curam aliquam ſuſciperet. Sed reſponderi curauit Ferdinandus : hoc neque Chriſtianum eſſe, neque Cæſareum. Acturum ſe publicè, & armis ſuam cauſſam, quæ iuſta ſit, defenſurum : euentum & reliqua omnia ſe DEO commiſiſſe, & ſemper commiſſurum.

HVIVS Animoſitatis Militaris effectus eſt, in bello non pauere, non titubare, non fugam meditari, denique nec mortem timere, ſed optare : quod eſt Militis generoſi. Siquidem, vt dicebat Epaminondas: *Pulcherrima eſt mors in bello*, ſi nimirum cauſſam iuſtam tuearis, Quod faciunt Milites Chriſtiani Catholici, qui pugnant pro DEO, pro Eccleſiâ, pro Iuſtitia contra hoſtes externos ; & pro Anima, pro Gratiâ, pro Salute æternâ contra inimicos internos. *Pulchrior eſt Miles in prælio caſus, quàm in fuga ſaluus*, inquit Liuius, lib. 1. deca. 1. *Miles eſt victima, vt cùm tempus fuerit, pro patria immoletur*. Hoc ſpectabant matres Laconicæ, quæ ad bellum proficiſcentibus filijs illud ingeminabant : *Aut victores cum armis, aut mortui in armis redite*, Valerius Max lib. 1 c. 8. Cælatis vna erat pro Milite prælectio doctoralis: *Diſce ferire : diſce mori*. Syllaba vna breuis, aut longior tua facta variabit : vel occides, vel occides, Ad vtrumlibet, ſi Miles eſſe velis, horis, locisque omnibus paratum te exhibe. Conſilium fuit Arati: Miles *vt vitam nihili facias*. Hoc virorum eſt, quod indicabat Xerxes, qui audiens, quàm fortiter & feliciter Artemiſia rem contra ſuos geſſiſſet in pugna nauali, dixit: ſibi fęminas fuiſſe cō. [illegible] viros, Artemiſiæ viros contra fæminas. (*a*) Simile quid aliametaphora obiecit militibus ſuis Marcellus, (*b*) cùm ob turbatos ordines fuiſſet victor Annibal: Se quidem multa Romanorum arma & corpora, Romanum verò videre neminem.

(a) *Herod. lib.* VIII. (b) *Plutar. in Marcel.*

MEMBRVM VII.

TIMIDI

Ad bellum Spirituale Inepti.

PORRO, vt ad Militiam corpoream & profanam inutiles ſunt formidoloſi, ita non ſunt ad Spiritualem & ſacram idonei, qui poſtquam nomen Chriſto dederint, pauore correpti, facilè terga vertunt, aut dant manus. Et ſanè, reperiuntur non pauci, qui magno animo Spirituali Militiæ, contra hoſtes animæ, Mundū, Carnē, Cacodæmonem bellaturi ad Chriſti vexilla ſe cōferunt, ſed mox meticuloſi fiunt & pauidi. Difficultatis ſi vel minimum experiantur.

rianur, hæſitant, facilèque recedunt. Vt de quibuſdam Dominus ſignificat in parabola de ſemine. Matthæi xi ii. dum illud, quod in petram ceciderat, humoriſque inopiâ, & torridiore ſolis æſtu exaruerat, interpretationem adiungit. In Dei ac Diuinorum amore valet etiam illud Naſonis

Militiæ ſpecies amor eſt: diſcedite ſegnes.

Non ſunt hæc timidis ſigna tuenda viſis.

Hic valet illa Origenis Adamantij exhortatio vehemens, Homil. ix. in lib. Iudic. ad Milites Chriſtianos, ſed Spirituales, quales nos infortunatus. Non eſt exiſtimandum, ſemel tantummodò dictum eſſe DEI inſtinctu à Principe ſuæ Militiæ Gedeone: Si quis eſt Timidus & formidoloſus corde diſcedat ab exercitu, bellum deſerat, certamen virorum fortium derelinquat. Hodie quoque noſtræ Dux & Imperator Militiæ Dominus & Saluator noſter IESVS CHRISTVS clamat ad Milites ſuos, vt veniant. Hoc enim eſt, quod quidem alijs verbis, eodē tamen ſenſu in Euangelio dicit: *Qui non accipit Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Et Lucæ xiv. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & vxorem, & filios & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuā non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et, *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Nonne in his verbis Timidi & formidoloſi deſignantur, quos è caſtris ſuis Chriſtus ſeparat & excludit? Omnes igitur qui Militiam Chriſti ſequi vultis, qui in caſtris ipſius eſſe deſideratis, qui cum illo ad bella procedere, procul à vobis Timorem mētis, procul cordis expellite formidinem. Quid pauidi eſtis? Quid in illa vos terret militiâ? Militia Chriſtiana nihil impoſſibile, nihil arduum, nihil difficile in ſe continet. Vis ſcire, quàm facile ſit implere, quæcumque Chriſtus præſcribit, in fide militantibus? Solent in iſtis caſtris, quæ debilioris ſunt ſexus, Mulieres quoque vincere, quoniam non corporis robore, ſed fidei virtute pugnatur. In libro Iudicum celebratur *Deboræ* triumphus in quâ mentem fæmineam muliebris formido nequaquam turbauit. Quid ego illam magnificam, & omnium fæminarum nobiliſſimam memorem Iuditham? Et quid tam longè petita ab antiquis exempla reuoluimus? In oculis ſæpe noſtris habuimus, & vidimus matronas & puellas primæ adhuc ætatis pro martyrio tyrannica pertuliſſe tormenta, quibus ad infirmitatem ſexus nouellæ ad huc vitæ fragilitas addebatur. Sic ergo in his qui militant Veritati, & in Caſtris Chriſti agunt, fortitudo requiritur, quæ Timorem excutiat, ſed fortitudo animi, non corporis, quia non iaculis ferreis, ſed orationum telis victoria obtinetur; & Fide, quæ in certamine animoſitatem tolerantiamq; præbet.

Hæc eadē facit voluptates ſpernere, & cōmodis corporis renunciare, perpēdēs, quod à Militiâ Chriſti reijciantur, vt à Gedeonica fuêre excluſi, qui ad aquas, nimirum ob bibendi, edendi, corpuſq; curandi commoditatem, ſe totos proclinant, genibuſque flexis poſtrati, ocioſius, auidius, largius, ſibi indulgent.

Quomodo

Quomodo igitur hic ſe habeat Miles Chriſtianus: breuiter accipe. Imprimis: ἔργον ſuum cenſeat eſſe animi curam cultumque, τὸ πάρεργον, corporis procurationem, & eius commoda. Itaque, non vetat, vt comedat, bibat, genio indulgeat, epuletur, quieſcat; ſed hæc faciat, vt viuat, non mundo, ſed DEO. Quamobrem, moderatè, modicè, ſubitò, & quaſi obiter, ac perfunctoriè eſculenta ac poculenta ſumat, neceſſitati obſequiosus, non voluptati. Adhæc, quamuis turbam videat ad mollia deflectere, non moueatur, memor, quod ex Militibus Gedeonis, plus quàm nouem millia in aquas procubuerint, & non niſi trecenti ſteterint. Ex vtroque autem cuneo, hunc ſe poſuit DEVS ad victoriam, illum repudiauit, vt fruges conſumere natum. Magnum eſt futuri indicium triumphi, ceteris inſanientibus, ſapere & dum plerique bacchanalia viuunt, eſſe ſobrium & abſtinentem. Eſt de hac re epiſtola Senecæ XVIII. quâ conatur efficere. Sapientem, dic tu, Militem Chriſtianum, in publicâ laſciuiâ, temperanter ſe gerere: & aut nihil, aut parum ex moribus vulgi libare. Illis maximè diebus animo imperandum eſt Sapienti, vt tunc voluptatibus ſolus abſtineat, cùm in illas tota turba procubuit. Certiſſimum argumentū firmitatis ſuæ capit, ſi ad blanda, & in luxuriam trahentia, nec it ſponte, neq; abducitur ab alijs, aut à turbâ. Hoc fortius multo eſt, ebrio ac vomitante populo, ſiccum ac ſobrium eſſe: illud temperantius, non excerpere ſe, nec inſigniri, nec miſceri omnibus, & eadem, ſed non eodem modo, facere. Licet enim ſine luxuriâ agere feſtum diem.

DENIQVE, conditionem aliam Militis Chriſtiani haud ſpernendam elicit ingenioſè Adamantius, loco indicato ex facto Militum Gedeonis, à DEO ſelectorum, qui manu & ore in lambendo vſi fuerunt. Significari autem opinatur, quod & *Manu*, & *Lingua* ſtrenuè operari debeant Milites Chriſti: nimirum, opere & verbo. Nam *nō omnis qui dicit* Domine Domine, *ſed qui docet & facit* voluntatem Domini, intrabit, & MAGNVS vocabitur in Regno cælorum.

NOTÆ.

In quibus Auctores & Præterita.

§. DIFFIDENTIA CONFIDENTIA.] Cicero *lib. iv. Tuſcul. Etſi fidentia id eſt firma animi confiſio, ſcientia animus quædam & opinio grauis non temere aſſentiens, metus quoque eſt diffidentia ex pectati & impendentis mali.* Idem. *l. de Invent. Quod genus fidentiæ contrarium eſt diffidentia, & eare vitium eſt: audacia non contrarium, ſed appoſitum eſt, ac propinquum, ſed tamen vitium eſt.*

De Diffidentia autem ſui & Confidentia in DEVM *Militi Chriſtiano imprimis neceſſaria tractat accuratè Franciſcus Arias de perfectione. l. 1. C. I.*

§. MILES

§. MILES vxoratus.] *Controuerſum eſt, an Mulieres habuerint Milites in vxores. Pro parte affirmante multas auctoritates habet Valerinus lib. 2. de Milit. cap. 6. Quod autem non fuerint comitatæ ad caſtra ſatis cōſtat auctoritatibus adductis.*

§. LAMBENTES.] *Lyranus, Arias, Serarius, Cornelius ſentiunt, Electos qui lambuerant aquas, præ illis, qui curuato genu ac corpore biberant. Nam hi ore flumen ſorbuiſſe videntur, vt totum ventrē implerent: quod gulæ prædominantis erat indicium.*

Origenes *homil.* IX. *in lib. Iudic. Miles ille verè Chriſtianus eſt, verè probabilis & Electus à DEO, qui ad res terrenas & corporeas flecti neſcit, qui vitijs non indulget, neque ob peccati ſitim ſternitur pronus.*

S. Gregorius *lib.* XXX. *Moral. cap.* 33. Aquis, doctrina Sapientiæ; ſtante autem genu *bibere*, recta operatio deſignatur. Qui ergo dum aquas bibunt, genu flexiſſe perhibentur, à bellorum certamine prohibiti receſſerūt: quia cum illis Chriſtus contra hoſtes fidei pergit ad prælīū, qui cum doctrinæ fluenta hauriunt, rectitudinem operum non inflectunt.

S. Auguſtinus, *quæſt.* XXVII. *in lib. Iudic. Milites Gedeonis* aquam raptam in os proijciebant: & hoc erat ſimile bibentibus canibus, qui non ore appoſito, ſicut boues, aquam ducunt, aquam bibunt, ſed lingua in os rapiunt, *lingua loco manus, qua carent vtentes.* Sicut iſti intelliguntur feciſſe cùm manu in os aquā proijcerent, quam lingua exciperent.

Origenes *homil.* X. *Milites Chriſti* & Manu & Linguâ *operari debent, hoc eſt,* Opere & Verbo. *Quod autem etiam Scriptura ſimilitudinem Canis lambentis poſuit, videtur mihi iſtud animal, propterea nominatum, quod ſuper omnia cetera animalia amorem dicitur proprij domini ſeruare, nec tempore, nec iniurijs obliterari in eo fertur affectus.*

COMMENTATIO VIII.

VIRTVTES

Delecti, Electiq; Militis Chriſtiani.

QVAMQVAM per totum Opus de ECCLESIA MILITANTE, ſparſæ ſint *Virtutes*, quæ conueniunt peculiariter *Militi Chriſtiano*; tamen expedit earum texere catalogum, vt vno in loco vnitim in conſpectum veniant. Cùm autem *Miles Chriſtianus* denominationem ſumere poſſit à Religione, quam profitetur; quo pacto adſcriptus quilibet ad Militiam, ſiue profanam & corpoream; ſiue Sacram, & Spiritualem, quæ ſub ſe continet varias ſpecies, dici poteſt *Miles Chriſtianus*; Virtutes, quæ hîc ponuntur non

MEMBRVM III.

PLANTATOR VINEÆ.

Auarus opum Accumulator.

INNOTCIT iterum Princeps noſtræ Militiæ, Deut. xx. *Quis eſt homo, qui plantauit Vineam, & necdum fecit eã eſſe communem, de qua veſci omnibus liceat? vadat, & reuertatur in domum ſuam: ne fortè moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio.* Nimirum, apud Hebræos, cùm plantabatur vinea, vel arboretum, fructus tribus primis annis immundi erant: quatro offerebantur Domino, & erant quaſi ſacri: quinto demum anno fiebant cõmunes, ſiue profani, vt habent Hebræa, & poterat quiuis, cum poſſeſſoris conſenſu ijs veſci. Poſſeſſor autem conuocans amicos, colligebat cum ijs fructus, & veſcebantur hilares, vt conſtat ex Leuitici xix. cap. Itaque qui nondum eo perduxiſſent ſuas vineas, ad Militiam, DEI cenſura, erant inhabiles.

QVO genere hominum exprimuntur illi, qui Concupiſcentiæ oculorum, ſeu Auaritiæ ſunt dediti; qui fortunis ſuis augendis, & bonis externis accumulandis vacant aſſiduè, qui toti ſunt in poſſeſſionibus terrenis comparandis. Hià Militia Chriſtiana Spirituali repelluntur: bonorum enim temporalium cogitationibus in varia diſtracti, æternorum ſunt incurioſi, nec de cæleſtis præmij conſequutione ſoliciti. Vniuersè. Militi Chriſtiano, Mundus odio habendus eſt, & quæ in eo omnia, quatenus exercitium militare retardant. Præclarè Proſper de Vita Contemplatiua lib. II. cap 16. *Qui vult DEVM poſſidere* (quod velle debet omnis DEO militans) *renunciet Mundo, vt ſit illi DEVS beata poſſeſſio. Non renunciat Mundo is, quem terrena poſſeſſionis adhuc delectat ambitio: quia quam diu ſua non relinquit, Mundo, cuius bona retinet, ſeruit* (& militat.) *Non poteſt autem Mundo ſimul ſeruire* (militare) *& DEO. Ac ſic proptereà voluit DEVS Cultores ſuos* (Milites) *omnibus renunciare, propter quæ diligitur Mundus, vt excluſâ cupiditate Mundi, diuina in eis caritas poſſit augeri & perfici.*

MEMBRVM X.

SPONSVS

Concupiſcentia Carnis addictus.

LEX eſt Imperatoris, Dei Zabaoth, Domini Exercituum, Deuteron. xx. *Quis eſt homo, qui deſpondit vxorem, & non accepit eam? vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eã.* Exauctoratur igitur, qui deſpondit ſibi vxorem: Scilicet, ſenſu ſpirituali. quem

Concu-

Concupiſcentia Carnis ſibi deuinctum habet, voluptatibus deditus, mulieroſus. Miles Chriſtianus non ſit vxorius, non emolliatur voluptatum illecebris, quicquid caſtitati eſt contrarium auerſetur. Nihil enim magis obeſſe pugnaturo, quàm cogitationes vxorias, & cum illo ſexu familiaritatem, quamuis aliàs licitam, profani quoque agnouerunt. Adeò, vt Dio ſcribat libro XL. Milites lege prohibitos olim vxorem habere. Quod idem aliquibus locis tradit Tertullianus. Et verum eſt, ſi ad illa tempora referatur, quando perpetua Militia apud Romanos fuit inſtituta: tunc enim militibus habere vxores interdictum erat. Quod tamen poſtea Seuerus Imperator conceſſit, vt ſcribit Herodianus libro III. Stante autem Republicâ, Milites vxores habuiſſe videntur. Quod cum alijs, tum eo probant argumento aliqui, qu[illegible]ur Imperatores, vt Milites fortiter pugnaturos extimularent: nam pro vxoribus liberiſque eos pugnare in memoriam reuocabant,

NON licuit tamen in Militiam ducere vxores. Hinc Virgilius de Antonio, qui ſecum in prælium ducebat Cleopatram,

——Sequiturq; nefas! Ægyptia coniunx.

Et apud Propertium quædam lib. IV. Elegiâ tertiâ:

Romanis vtinam patuiſſent caſtra puellis,

Eſſem Militia ſarcina fida tuæ.

Et D. Hieronymus ad Oceanum:

Nemo Miles cum vxore pergit ad bellum. Pompeius apud Romanos è Pharſalicis campis remouebat vxorem cariſſimam, & in Leſbo condebat. Nec malè Iſidorus (a) exiſtimat, caſtra dicta, quaſi caſta, quia illic caſtraretur libido, quod nunquam mulierem reciperet. Et quantoperè deceat Caſtra Chriſtianorum caſtitas, & intemerata puritas ſuo loco eſt demonſtratum: hic tantum iſtud ingerimus: Si ad militiam profanam non eſt idoneus mulieroſus, laſciuus, impudicus, erit-ne ad ſacram?

(a) *Iſid. Lib.* IX.

MEMBRVM V.

T I M I D I

A Militia Chriſtiana proſcripti.

PERCIT Cenſor Diuinus: *Quis eſt homo formidoloſus & corde pauido? Vadat & reuertatur in domum ſuam, ne pauere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe timore perterritus eſt.* Deuteronomij XX. Cuius edicti cauſſas accuratè perpendit Philo libro de Fortitudine, & *Ante omnia premonendum eſt*, ait, ad bellum non admittendos pauefactos & *Timidos*, quia ij ab inſito animi languore capiuntur, & formidinem commilitonibus alijs inijciunt. Facilè enim ſerpit vitiorum contagio, præſertim in tumultibus bellicis, ratione, per contentionem turbatâ, nec ſatis valente diſcernere, quid tentare

Omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Trecentos igitur elegit DEVS, reiecit ceteros, tanquam ad diſciplinam ſuam militarem minus accommodatos.

MEMBRVM VI.

GEDEONIS

Timidi, Animoſiq́; Milites quomodo diſcreti.

EST autem non parua controuerſia, qui-nam per hos, ac illos intelligantur? Et quidem Ioſephus Hebræorum Hiſtoricus, exiſtimat à Gedeone electos eos, qui erant ignaui, fortes autem reiectos; vt maior DEI virtus in victoria illa prodigioſa eluceret. Neque deſunt Doctores Eccleſiæ, qui Ioſepho ſuffragantur, S. Auguſtinus (*a*) nominatim & Theodoretus. (*b*) Abulenſis quoque, qui lambentes aquas, vt timidiores, ignauos, vilioresque æſtimat, à Gedeone tamen & DEO ob cauſſam datam alijs prælatos & electos. Ioſephi eſt iſta narratio. *Vt ſcirent rem totam pendere à DEI auxilio, iuſſit, vt circa meridiem cùm æſtus ferueet maximè, exercitum ducat ad fluuium, & quotquot procumbentes biberent, eos Viros fortes crederet: quotquot autem trepidè & tumultuariè potum ſumerent, ſic exiſtimaret, eos metu hoſtium hoc facere, & cum his iuſſit hoſtem inuadere.* Sed nunquam mihi perſuadere potui, mandaſſe DEVM Gedeoni contra legem ſuam, vt meticuloſos, & inertes ad bellum duceret. Itaque reor, tum per illos, qui flexis aquam bibebant poplitibus, tum per eos, qui lambebant, vt fugientes canes, deſignari poſſe diuerſos, ex cauſſis, quas adferunt Interpretes, cur DEVS ablegauerit bibentes in terram inclinatos, & adſcripſerit Militiæ ſuæ alios.

INPRIMIS igitur, per bibentes carptim manu ad os admotâ, intelligit S. Auguſtinus quæſt. XXXVII. *Obedientes, morigeros, dicto audientes, ad nutum promptos.* Quod Militis potiſſimum eſt decus, vt alibi eſt probatum. Exiſtimat enim S. Doctor fuiſſe à Gedeone militibus ſuis mandatum, ne quis niſi ſtans erecto, aut modicè inclinato, inflexó-ue corpore biberet. Obſequuti ſunt qui etiamſi defatigati admodum eſſent, & libenter, tum ob calorem, tum ob feruentiſſimam ſitim, ſe totos aqua proluiſſent, tamen cupiditati ſuæ imperantes, paruerunt Ducis ſui præcepto. Ex quibus collige, non niſi Obedientes Milites ad Chriſti Sacram Militiam admitti; illos autem eſſe maximè, ſi cetera non deſint, idoneos. Aliud ſuggerit Nicolaus Lyranus, trecentos illos, qui lambuerunt aquas, iſto bibendi modo ſignificaſſe, neque ſe admodum feſſos, neque admodum eſſe ſitibundos, ideoque fortes, validos, ac robuſtos: alios verò inertes ac imbecilles, quippe qui curuato genu, inclinatoque

L 2

(a) S. Aug. quæſt. 37. in Iud. (b) Theod. q. 15.

toque corpore bibentes vel modicam quietem importuniſſimo tempore captare, largiusque potare appeterent quod magnæ imbecillitatis eſt indicium. Quo ſignificatur imbelles atque imbecilles eſſe Militiâ Sacrâ amandandos. Diuerſam ab hac eiuſdem facti rationem habent veterum quidam apud Procopium: Trecentos lambentes aquas adſcitos ad bellum, quia non ſolùm eo bibendi ritu oſtendebant ſe minimè timidos, ſed fortes & magnanimos, verùm etiam duros, erga ſe corpusque ſuum ſeueros, cōmoditatum oſores, & voluptatum tametſi licitarum, præ alijs contemptores. Siquidem quamuis nec minus ſitirent, nec minus defatigationis moleſtiâ afficerentur, quàm alij nihilominus ne tantum quidem ſibi indulgere voluerunt, vt genibus inflexis bibendo minus laborarent, & os aquis admouentes propius illas haurirent commodius & vberius.

ITAQVE *Molles* reijciebantur, vt obſeruat Nicolaus Serarius, (*a*) tanquam minus idonei ad Militiam iudicati. Indicare enim volebat noſtræ Dux Militiæ non timiditatem modò, ſed mollitiem quoque corporisque indulgentiam, & intemperantiam à bonis abeſſe oportere bellatoribus: quod ambo victoriarum impedimenta magna ſint; magnæ item caſtrorum peſtes. Notandum & illud monere eruditus iſte Madianiticı belli enarrator (*b*) prius à Militiâ reiectos fuiſ. ſe Timidos, & formidoloſos; deinde Intemperantiores bibulos. Quod licet vtrumque vitium: nimirum animi paruitas ac timiditas; tum intemperantia, mollities, ac indulgentior corporis cura: magnum Militiæ venenum ſit, ac peſtis; tamen minus idonei ſint timidi, quam qui paullulum quid corporis ſtudioſiores ſunt. Cuius rationem hanc adſignat. Quod rari inueniantur, qui carnem ſuâ oderint, qui corporis commoditates omnes reſpuant, qui non aliquantulo plus aliquid in cibo, potu, ſomno, & quiete, ſibi ipſis, quàm requireret neceſſitas, cōcedat. Videmus præterea non rarò à Militibus & Ducibus non nullis & magna & difficilia ſatis confecta, qui ad corporis obſequia æquo erant faciliores, & promiores. A timidis autem, meticuloſis, & fugacibus nihil præclari geſtum vnquā. Remouendum igitur à caſtris vtrumque, ſed primo loco, & maximè *Timiditas*, cuius labe imbecillis fractusque redditur animus meticuloſi militis, qui reliquos deinde inficit. *Si quis eſt corde pauido*, recedat de Caſtris, clamabat Gedeon, & receſſerunt viginti duo millia bellatorum, è quibus trecenti animoſiſſimi & generoſiſſimi ſunt electi. Bono animo, Gedeon, ſubduxerunt ſe formidoloſi: plus efficient trecenti animoſi generoſique, quàm triginta millia pauidorum, & vacillantium. Expertus id eſt Iſraël, experti Romani.

SCIPIO Africanus cùm ad expeditionem contra Carthaginenſes paraſſet quæcumque tanto bello videbantur neceſſaria, milites, naues, inſtrumenta, & quæ ſunt alia, in vnum coactis militum centurijs, dixit, renunciari ſibi quoſdam Equites Siculorum, tanquam grauem & duram horrere eam militiam. Si qui ita animati eſſent, malle eos ſibi iam tunc fateri, quàm poſtmodum, querentes, ſegnes,

(a) *Quæſt.* VI. (b) *Quæſt.* VII.

[illegible]es, atque imbelles milites Republicæ eſſe, expromerent quid ſentirent, cum bona venia ſe auditurum. Sic trecenti cum falſi eſſent, ſi ſibi verum vellent, ſi bonum eſſet, nolle militare, & velle exauctorari. Quod factum, & in eorum locum è Romanis, iuuenes trecenti, florentes ætate, & virium robore inſignes ſuffecti ſunt, vt ſcribit Liuius libro XXIX. Cum autem iam in procinctu eſſet Scipio, rogatus à quodam, quâ re fretus auderet exercitum è Siciliâ in Africam contra Carthaginenſes traijcere? demonſtrauit ei trecentos milites; quorum animoſitatem, & quidlibet agendi patiendique promptitudinem, ac obſequendi alacritatem vt declararet, dixit diſertè: *Nullus horum eſt, qui non ſit, me iubente, conſcenſa hac turri, præcipitem ſe, in mare deiecturus*, vt Plutarchus refert in Aphoptheg. Roman. CHABRIAS cùm exercitum tyronum in prælium ducturus eſſet, edixit, vt qui ægros ſe putarent, arma deponerent. Timidi morbum ſimularunt: [illegible]s ille ad præoccupanda quædam loca miſit, vt multitudine hoſtem terrerent. (*a*) Alia vſus eſt probatione THEAGENES Dux Athenienſium: cùm enim multi Ordines ab eo poſcerent, ad Megaram daturum reſpondit. Clam verò equites præmiſit, eoſque, hoſtium ſpecie, contra agmen ſuum redire iuſſit. Tum, verò, quaſi ſollicitus ad pugnam hortatus eſt, & quemque qui vellet conſiſtere permiſit. Confeſtim in primam aciem fortes & animoſi proſilierunt, Timidi poſt principia ſtationem occuparunt. Theagenes eo, quo quemque inuenit loco promouit. At IPHICRATES cùm multos Timidos ſequi vidiſſet, edixit, vt ſi quiſpiam aliquid reliquiſſet, rediret, quo benè inſtructus in hoſtem iret; eâque occaſione multi vterentur cæteros animauit, & fidentiores reddidit, cùm diceret: *Viros fortes ſine mancipiis pugnaturos.*

ANIMOSVS eſſe debet, non formidoloſus, qui Militiæ ſe addicit; ſiue Dux ſit, ſiue Miles gregarius, ſed à Duce deriuetur in Militem animoſitas. Sub Duce Leone, cerui in hoſtem, vt leones irruent. Animoſus fuit ALEXANDER Macedo, quid non tentauit? quid non eſt aggreſſus? quid non perfecit? Paucos ille habebat Milites, non paucos hoſtes, immò innumeros: ſuadebat Parmenio Alexandro carus & cui cara erat Ducis vita, vt noctu clam in eos irrueret quod quoniam videbatur formidoloſi, reſpondit Alexander, nolle ſe furari victoriam.

CELEBRATVR apud Romanos C. FABRICIVS Conſul, cui Pyrrhi Medicus per epiſtolam promiſerat, ſe Pyrrhum veneno necaturum, ſi iuberet. Eam epiſtolam Fabricius Pyrrho miſit, iuſſitq; indicari, quod peſſimè iudicaret & de amicis & de inimicis. (*b*) Nimirum, nolebat animoſus Conſul Regem dolo, ſed aperto marte proſternere. Vnde & totidem captiuos remiſit, quos ipſe miſerat. Eadem, immò maior animoſitas meretur commendari in Imperatore Chriſtiano & Catholico FERDINANDO II. Auſtrio, (*c*) qui, cùm à plurimis hoſtibus impeteretur, à ſuis penè deſertus amicis, aut qui eſſe debuiſſent, & indies mala bellaque bellis innaſcerentur, quæ tamen paucorum auctoritate ſuſtenta-

(*a*) *Polyænus lib. III.* (*b*) *Plutar. Apophtheg. Rom.* (*c*) *Guil. Lamormaini de Ferd. cap. XXI.*

bantur, fuerunt, qui ſponderent, poſſe ſe ac velle rebellium capita, auctoreſque malorum tollere. Vnum hoc vnus eo rum petebat, vt ſi re benè geſtâ contingeret, ipſum aut capi aut occidi, Cæſar vxoris ac liberorum curam aliquam ſuſciperet. Sed reſponderi curauit Ferdinandus : hoc neque Chriſtianum eſſe, neque Cæſareum. Acturum ſe publicè, & armis ſuam cauſſam, quæ iuſta ſit, defenſurum : euentum & reliqua omnia ſe DEO commiſiſſe, & ſemper commiſſurum.

HVIVS Animoſitatis Militaris effectus eſt, in bello non pauere, non titubare, non fugam meditari, denique nec mortem timere, ſed optare : quod eſt Militis generoſi. Siquidem, vt dicebat Epaminondas: *Pulcherrima eſt mors in bello*, ſi nimirum cauſſam iuſtam tuearis, Quod faciunt Milites Chriſtiani Catholici, qui pugnant pro DEO, pro Eccleſiâ, pro Iuſtitia contra hoſtes externos ; & pro Anima, pro Gratiâ, pro Salute æternâ contra inimicos internos. *Pulchrior eſt Miles in prælio caſus, quàm in fuga ſaluus*, inquit Liuius, lib. 1. deca. 1. *Miles eſt victima, vt cùm tempus fuerit, pro patria immoletur*. Hoc ſpectabant matres Laconicæ, quæ ad bellum proficiſcentibus filijs illud ingeminabant : *Aut victores cum armis, aut mortui in armis redite*, Valerius Max lib. 1 c. 8. Cæſaris vna erat pro Milite prælectio doctoralis: *Diſce ferire : diſce mori*. Syllaba vna breuis, aut longior tua facta variabit : vel occides, vel occides, Ad vtrumlibet, ſi Miles eſſe velis, horis, locisque omnibus paratum te exhibe. Conſilium fuit Arati : Miles *vt viuam nihili faciat*. Hoc virorum eſt, quod indicabat Xerxes, qui audiens, quàm fortiter & feliciter Artemiſia rem contra ſuos geſſiſſet in pugna nauali, dixit: ſibi fęminas fuiſſe cō[illegible] viros, Artemiſiæ viros contra fæminas. (*a*) Simile quid alia metaphora obiecit militibus ſuis Marcellus, (*b*) cùm ob turbatos ordines fuiſſet victor Annibal: Se quidem multa Romanorum arma & corpora, Romanum verò videre neminem.

(a) *Herod. lib.* VIII. (b) *Plutar. in Marcel.*

MEMBRVM VII.

TIMIDI

Ad bellum Spirituale inepti.

PORRO, vt ad Militiam corpoream & profanam inutiles ſunt formidoloſi, ita non ſunt ad Spiritualem & ſacram idonei, qui poſtquam nomen Chriſto dederint, pauore correpti, facilè terga vertunt, aut dant manus. Et ſanè, reperiuntur non pauci, qui magno animo Spirituali Militiæ, contra hoſtes animæ, Mundū, Carnē, Cacodæmonem bellaturi ad Chriſti vexilla ſe cōferunt, ſed mox meticuloſi fiunt & pauidi. Difficultatis ſi vel minimum experiantur.

ritatur, hæſitant, facileque recedunt. Vt de quibuſdam Dominus ſignificat in parabola de ſemine. Matthæi XI t. dum illud, quod in petram ceciderat, humoriſque inopiâ, & torridiore ſolis æſtu exaruerat, interpretationem adiungit. In Dei ac Diuinorum amore valet etiam illud Naſonis

Militiæ ſpecies amor eſt: diſcedite ſegnes.
Non ſunt hæc timidis ſigna tuenda viris.

Hic valet illa Origenis Adamantij exhortatio vehemens, Homil. IX. in lib. Iudic. ad Milites Chriſtianos, ſed Spirituales, quos nos informamus. Non eſt exiſtimandum, ſed el tantummodò dictum eſſe Dei inſtinctu à Principe ſuæ Militiæ Gedeone. Si quis eſt Timidus & formidoloſus corde diſcedat ab exercitu, bellum deſerat, certamen virorum fortium derelinquat. Hodie quoque noſtræ Dux & Imperator Militiæ Dominus & Saluator noſter Iesvs Christvs clamat ad Milites ſuos, vt veniaût. Hocenim eſt, quod quidem alijs verbis, eodẽ tamen ſenſu in Euangelio dicit: *Qui non accipit Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Et Lucæ XIV. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & vxorem, & filios & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuã non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et, *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Nonne in his verbis Timidi & formidoloſi deſignantur, quos è caſtris ſuis Chriſtus ſeparat & excludit? Omnes igitur qui Militiam Chriſti ſequi volunt, qui in caſtris ipſius eſſe deſideratis, qui cum illo ad bella procedere, procul à vobis Timorem mẽtis, procul cordis expellite formidinem. Quid paueſcitis? Quid in illa vos terret militiâ? Militia Chriſtiana nihil impoſſibile, nihil arduum, nihil difficile in ſe continet. Vis ſcire, quàm facile ſit implere, quæcumque Chriſtus præſcribit, in fide militantibus? Solent in iſtis caſtris, quæ debilioris ſunt ſexus, Mulieres quoque vincere, quoniam non corporis robore, ſed fidei virtute pugnatur. In libro Iudicum celebratur *Deboræ* triumphus in quâ mentem fæmineam muliebris formido nequaquam turbauit. Quid ego illam magnificam, & omnium fæminarum nobiliſſimam memorem Iudithham? Et quid tam longè petita ab antiquis exempla reuoluimus? In oculis ſæpe noſtris habuimus, & vidimus matronas & puellas primæ adhuc ætatis pro martyrio tyrannica pertuliſſe tormenta, quibus ad infirmitatem ſexus nouellæ ad huc vitæ fragilitas addebatur. Sic ergo in his qui militant Veritati, & in Caſtris Chriſti agunt, fortitudo requiritur, quæ Timorem excutiat, ſed fortitudo animi, non corporis, quia non iaculis ferreis, ſed orationum telis victoria obtinetur; & Fide, quæ in certamine animoſitatem toleranti amq; præbet.

Hæc eadẽ facit voluptates ſpernere, & cõmodis corporis renunciare, perpẽdẽs, quod à Militiâ Chriſti reijciantur, vt à Gedeonica fuêre excluſi, qui ad aquas, nimirum ob bibendi, edendi, corpusq; curandi commoditatem, ſe totos proclinant, genibusque flexis proſtrati, ocioſius, auidius, largius, ſibi indulgent.

§. MILES vxoratus.] *Controuerſum eſt, an Mulieres habuerint Milites in vxores. Proparte affirmante multas auctoritates habet Valerinus lib. 2. de Milit. cap. 6. Quod autem non fuerint comitatæ ad caſtra ſatis cõſtat auctoritatibus adductis.*

§. LAMBENTES.] *Lyranus, Arias, Serarius, Cornelius ſentiunt, Electos qui lambuerant aquas, præ illis, qui curuato genu ac corpore biberant. Nam hi ore flumen ſorbuiſſe videntur, vt totum ventrẽ implerent: quod gulæ prædominantis erat indicium.*

Origenes *homil.* IX. *in lib. Iudic. Miles ille verè Chriſtianus eſt, verè probabilis & Electus à DEO, qui ad res terrenas & corporeas flecti neſcit, qui vitijs non indulget, neque ob peccati ſitim ſternitur pronus.*

S. Gregorius *lib.* XXX. *Moral. cap.* 33. Aquis, doctrina Sapientiæ; ſtante autem genu *bibere*, recta operatio deſignatur. Qui ergo dum aquas bibunt, genu flexiſſe perhibentur, à bellorum certamine prohibiti receſſerũt: quia cum illis Chriſtus contra hoſtes fidei pergit ad præliũ, qui cum doctrinæ fluenta hauriunt, rectitudinem operum non inflectunt.

S. Auguſtinus, *queſt.* XXVII. *in lib. Iudic. Milites Gedeonis* aquam raptam in os proijciebant: & hoc erat ſimile bibentibus canibus, qui non ore appoſito, ſicut boues, aquam ducunt, aquam bibunt, ſed lingua in os rapiunt, *lingua loco manus, qua carent vtentes.* Sicut iſti intelliguntur feciſſe cùm manu in os aquã proijcerent, quam lingua exciperent.

Origenes *homil.* X. *Milites Chriſti* & Manu & Linguâ *operari debent, hoc eſt,* Opere & Verbo. *Quod autem etiam Scriptura ſimilitudinem Canis lambentis poſuit, videtur mihi iſtud animal, propterea nominatum, quod ſuper omnia cetera animalia amorem dicitur proprij domini ſeruare, nec tempore, nec iniurijs obliterari in eo fertur affectus.*

COMMENTATIO VIII.

VIRTVTES

Delecti, Electiq; Militis Chriſtiani.

QVAMQVAM per totum Opus de ECCLESIA MILITANTE, ſparſæ ſint *Virtutes*, quæ conueniunt peculiariter *Militi Chriſtiano*; tamen expedit earum texere catalogum, vt vno in loco vnitim in conſpectum veniant. Cùm autem *Miles Chriſtianus* denominationem ſumere poſſit à Religione, quam profitetur; quo pacto adſcriptus quilibet ad Militiam, ſiue profanam & corpoream; ſiue Sacram, & Spiritualem, quæ ſub ſe continet varias ſpecies, dici poteſt *Miles Chriſtianus*; Virtutes, quæ hîc ponuntur non

omnibus æquè competunt; ſed aliquæ ſunt propriæ *Militibus Chriſtianis, Spiritualibus, Euangelicis, Myſticis*; aliæ quibuſcumq; Chriſtianis, cuiuſlibet conditionis & ſtatus, qui Militiæ alicui nomen dederunt.

I. Virtus Militis Chriſtiani latiſſimè ſumpti, eſt Fides Chriſtiana, Catholica, Apoſtolica, Romana. Debet enim quilibet, qui eo nomine cenſetur, eſſe Fidelis, fide verâ, ac diuinâ, qualis nō eſt alia, quā epithetis illis deſignata. *Sine fide impoſſibile eſt placere DEO*, ad Hebr. XI. & conſequēter, militare Deo, cui militat omnis Miles Chriſtianus. Fides baſis eſt virtutum militarium, vt reliquarum omnium in *Eccleſia Militante*. Aſſentiri oportet omnem Militem Chriſtianum ijs quæ diuinitus reuelata per Eccleſiam Catholicam proponuntur. Quod non faciunt, quamuis Chriſtiani appellari velint, Hæretici, cuiuſcumque ſint ſectæ, nullo diſcrimine. *Militis Chriſtiani* hæc ſit *Proteſtatio*, cùm cingulo militari initiatur.

DEVS Exercituum, Domine Sabaoth, ego corpore ſubmiſſo humi proſtratus Tē cælo terrāq; præſentem adoro ac ſupplex veneror. Tum verò quàm poſſum optimo & præſtantiſſimo ritu ſanctè a ſirmo, corde & ore confiteri me, ac prorſus iam nunc, & in perpetuū credere, quicqnid dixiſti, reuelaſti, credendumque per Eccleſiam Catholicam propoſuiſti. Denique palam edico, hanc eſſe fidem meam, in quā viuere, & pro qua mori paratus ſum. Hac fide excelluerunt omnes Milites Chriſtiani, qui ſub Imperatoribus Idololatris, hæreticis, ſchiſmaticis, Saracenis, Mahometanis martyrio, ob fidei orthodoxæ conſtantiam, affecti ſunt, quorum ingens eſt numerus non vno libro arctandus. Ijs omnibus conuenit quod habet S. Cyprianus lib. II. epiſt. 6. ad Martyres Confeſſores: *Quibus ego Vos laudibus prædicem fortiſſimi Martyres? robur pectoris veſtri, & perſeuerentiam* Fidei, *quo praconio vocis exornem? Toleraſtis vſque ad conſumationem gloriæ duriſſimam quæſtionem: nec ceſſiſtis ſupplicijs, ſed vobis potius ſupplicia ceſſerunt. Finem doloribus, quem tormenta non dabant, Corona dederunt. Laniena grauior ad hoc diu perſeuerauit, non vt ſtantem* Fidem *deijceret; ſed vt homines DEI ad* Devm *velocius mitteret*. Addit deinde: Telis quidem ſecularibus illos fuiſſe nudos, ſed armis *Fidei ardentis* armatos. Item: *inexpugnabilem* in eis Fidem ſuperare non potuiſſe, ſæuientem diu plagam repetitam. Apoſtolis canunt quotidie fideles:

Eccleſiarum Principes,
Belli triumphales duces,
Cæleſtis aulæ Milites.
Deuota Sanctorum Fidis.
Inuicta Spes credentium,
Perfecta Chriſti Caritas,
Mundi triumphat Principem.

Militibus Chriſtianis edicit Apoſtolus. *Vigilate, & State in* Fide. 1. ad Cor XVI.

II. Spes à *Fide* in Milite Chriſtiano non auellatur. Eſt autem *Spes* virtus voluntati hominis fidelis diuinitus infuſa, per quam certò expectat æternam beatitudinem, ex meritis Iesv Chriſti Redemptoris, ſimulque ex operibus bonis, præueniente auxilio diuinæ gratiæ, obuenturam. *Spes* in Milite Chriſtiano

facit

facit temnere terrena, aſpirare ad cæleſtia, futuram retributionem reſpiciendo, nullam difficultatem reſpuere, hoſtem fortiter aggredi, nullas aduerſariorum copias metuere, die noctuque in armis conſiſtere, neque vnquam de obtinendâ victoriâ deſperare. Dicit *Fides*, in Milite Chriſtiano: parata ſunt magna, & inexcogitabilia bona ab Imperatore fidelibus ſuis. Dicit *Spes*, mihi illa ſeruantur. Tertia *Charitas*, curro, ait. ego ad illa, laborans, ſicut bonus Miles Chriſti. At vnde illi tanta ſecuritas, cùm *Spes* omnis humana ſit anxia, incerta, vacillans? Quia Imperatorem ſuum in omnibus expeditionibus præſentem habet, & ad illum conuerſus, dicit identidem; *Tu es, Domine, Spes mea*. Quicquid agendum, quicquid declinandum, quicquid tolerandum, quicquid operandum, *Tu es, Domine, Spes mea*: Si hoſtibus reſiſtendum, ſi caſtra eorum inuadenda, ſi propugnacula inimicorum obſidenda, ſi pugnâ ſtatariâ congrediendum, *Tu es, Domine. Spes mea*. Si acie confligendum, ſi monomachiâ certandum, ſi progrediendum, ſubſiſtendum, decurrendum, *Tu es, Domine, Spes mea*. Hæc vna mihi omnium promiſſionum cauſſa: hæc tota ratio meæ expectationis: prætendat alter meritum, ſuſtinere ſe iactet pondus diei & æſtus, ieiunare bis in Sabbato, ſe dicat; poſtremò, non eſſe ſe ſicut ceterôs hominum glorietur: *Mihi autem adhærere DEO bonum eſt, & ponere in Domino Spem meam*.

O Domine! ſi in Militiâ tuâ tribulatio infertur, in *Te ſperabo: Tu es, Spes mea*: ſi præmia promittantur, per Te obtinebo: ſi inſurgat hoſtis non niſi in *Te ſperabo*. Si ſæuiat Mundus, ſi fremat Malignus, ſi Caro aduerſus ſpiritum concupiſcat, in *Te ego ſperabo. Suſceptor meus es Tu, & Refugium meum DEVS meus: Sperabo in Te*. Quoniam liberabis me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. Scapulis tuis abumbrabis mihi: & ſub pennis tuis ſperabo. Scuto circumdabit me Veritas tua: non timebo à timore nocturno. A ſagitta volante de die, à negocio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. Cadent à latere meo mille, & decem millia à dextris meis: ad me autem non appropinquabit: Quoniam *Tu es, Spes mea, Domine*. Irruere in me conentur plenis caſtris inimicorum phalanges, nō accedet ad me malum: flagellum non appropinquabit tabernaculo meo. Cōſcribantur contra me Tartareæ legiones, non deſperabo, licet in deſerto, in terrâ hoſtili, inter medios aduerſariorum exercitus, in terra, inuia hoſtili, & inaquoſa. Quia Angelis tuis mandaſti de me, vt cuſtodiant me in omnibus vijs meis. In manibus portabunt me, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabo, & conculcabo leonem & draconem. Quoniam *in Te ſperabo*, Domine, liberabis me, proteges me, glorificabis me.

AGITE nunc, clamat *Miles* verè *Chriſtianus*, agite, cælum, terra, inferi, conſpirate ſuprema, infima, medioxuma, in certamen vos prouoco: aſtra in me bellent, orbis ſeſe obarmet vniuerſus: res omnes in meam perniciem conſpirent, ad ipſas Tartari fauces propellar, nihilominus *in Te ſperans* non ſuperabor. Itaque hoc mihi erit, vt ſemper fuit, poſt-

quam Militiæ tuæ nomẽ dare cæpi, Chriſte inuictiſſime, militare acroama: *In Te Domine, ſperaui, non confundar in æternum. In Domino ſperans non infirmabor.*

III. CONFIDENTIA *Spei* vel eſt proles, vel indiuidua comes in *Milite Chriſtiano*; qui quamdiu ſperat in Deo ſuo, tam diu confidit in *Domino Exercituum* diffidens ſibi. Militibus Chriſtianis inculcatur à Paulo: *Nolite amittere Confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem*, ad Hebræos x. Itaque ad nullam expeditionem ſe conferat *Miles Chriſtianus*, niſi prius proſtratus ad terram ſupplex dicat, *Domine DEVS Zabaoth, DEVS Omnipotens*, & Tibi, omnibusque tuis *Sufficiens*, Numen tuũ adoro ac veneror, cui nihil impoſſibile eſt, aut arduum. cùm ſit veriſſimum Angeli teſtimonium: *Apud DEVM non eſt impoſſibile omne verbum* Lucæ 1. Si me cingant tribulationes, ærumniæ, miſeriæ, hoſtilis exercitus: (*a*) De tribulatione inuocabo Dominum, & exaudiet me in latitudine Dominus: *Dominus mihi Adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi Adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos. Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum eſt ſperare in Domino: quàm ſperare in Principibus. Omnes gentes circumeant me*, circumdent me, cingant me, in ſcopum, in quem colliment Sagittæ paruulorum, conſtituant me: in nomine Domini vlciſcar in eos. Cucũ dátes circumdẽt me: in nomine Domini vlciſcar in eos. Circumdent me ſicut apes, & exardeſcant, ſicut ignis in ſpinis: in nomine Domini vlciſcar in eos. Si impulſus euertar ad caſum pronus, Dominus ſuſcipiet me: Fortitudo & Confidentia mea Dominus: & fiet mihi in ſalutem.

IV. Ex *Confidentiâ* & *Spe* oritur ANIMOSITAS, quæ à Milite Chriſtiano pellit Timiditatem. Non debet is eſſe Timidus, non formidoloſus, non puſillanimis, ſed Animoſus in quolibet conflictu: vt eius ſint voces & proteſtationes: *Dominus Illuminatio mea, & Salus mea, quem timebo? Dominus Protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* (*b*) *Quis DEVS præter Dominum?* aut Quis DEVS præter DEVM noſtrum? DEVS, qui præcinxit me Virtute ad bellum. Qui docet manus meas ad prælium: & poſuit, vt arcum æreum brachia mea. Qui dat mihi protectionem ſalutis ſuæ, & dextera eius ſuſcipiet me. Itaque perſequar inimicos meos, Mundum Peccatum, Cacodæmonem, & non conuertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt ſtare: cadent ſubtus pedes meos. O Domine! Tu præcinxiſti me Virtute ad bellum: & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me. Et inimicos meos dediſti mihi dorſum; & odientes me diſperdidiſti.

AD *Animoſitatem*, alacritatemque in Militibus ſuis excitandam Lacedæmones ad fiſtularum modulos prælium inibant. vt Ariſtoteles ſcribit in Problematis, & notat Gellius. (*c*) Sed nullus fiſtularum ſonus tantæ eſt ad id efficaciæ, quantæ diuina in Milite Chriſtiano inſpiratio, & Confidentiæ in DEO ſonoræ voces quas produximus. Oportet inquit bonus

(*a*) *Pſalm.* CXVII. (*b*) *Pſalm.* XXVI. (*c*) *Lib.* 1. *cap.* 2. *leg. Martia Rea lib. ſingul.*

bonus Politicus & Religioſus de Bello ſcribens, (a) Animoſos eſſe Milites, maximéque de Victoria confidẽtes. Quod conſequuntur, ſi Ducem ſuum peritum, facilemque arbitrantur. *Nihil æquè Militem animat, atque bona de Duce exiſtimatio: ſi putent illum ſingulari aliquo ſtratagemate, aut prudentiâ ſuos ſeruaturum: hoſtes vero debellaturum.* Nullus vnquam profanus, aut in Militiâ corporea Miles, illam de Ducis ſui prudentiâ, vigilantiâ, facilitate, potentiâ, alijsque Ducis maximi & peritiſſimi dotibus cõcipere potuit æſtimationem, quàm de ſuo infixam animo habet Chriſtianus & non ſit maximè animoſus? Fabius cum animos ſuorum contra Tuſcos erigeret, multaque adferret argumenta victoriæ, vnum addebat ſupereſſe, quod nondum eſſet proponendum, ne innoteſceret. Milites itaque cùm alioqui forti ſint animo, fiducia Ducis omnia pericula liberrimè obeunt. Sed ſi galeati ſint lepores, fruſtrà Ducis oratio conſolabitur. Pauidos mentio periculi percellit. Omnes animantes pauidæ ad bellum ſunt inutiles: fruſtra ceruum hortabere, vt pugnet in canes, qui nec videre canem, nec latratum audire ſuſtinet; ſed ad mẽtionem canis inhorreſcit.

V. ANIMOSITATI ſæpe adhæret AVDACIA. An hæc probanda in Milite Chriſtiano? Si *Audaciam* ſumas rigidè, vt Philoſophi Morales, & Theologi, Militi Chriſtiano non conuenit, quia eſt vitioſa: nempe, exceſſus in aggrediendo; cùm quis, vt imminens malum repellat, aliquid aggreditur, quod non conuenit, vel eo modo, quo non conuenit. Oriturque vitium illud, partim ex ſuperbiâ, eiusque filia, Vana gloria; partim ex defectu æſtimationis vitæ propriæ, ac ſalutis, partim ex animi ſtoliditate, & vecordia, qua fit, vt non apprehendantur, ſicut oporteret, pericula. Eſtque *Audacia* diſpoſitio propinqua ad *Temeritatē*, quæ aliena eſſe debet à Milite Chriſtiano, virtutum omnium ſtudioſo, & nullius vitioſitatis amatore, qualis eſt omnis nimietas, quæ in *Audacia* cernitur, quæ idcirco Græcis dicitur θράσος, quaſi, Cõfidentia nimia, qua quis ſine reſpectu, ad illa quæ conſiderari deberent, rem aliquam aggreditur. Scio in bello corporeo, ſeu vulgari, & profano, laudem habuiſſe Audaciam, quia frequenter felicẽ exitum dedit. Maurus quidam Cornicularius Cæſaris excitauit quoſdam vigiles, & per medias Cæſaris copias, præſidium Pompei induxit. Iſtiuſmodi exempla occurrunt in hiſtorijs plurima. Ex quibus, & multo minus ex vno, malè inferas Audax igitur Miles eſto: ſed Ducis prudentiâ, & Animoſitate vtatur. Animoſitatem laudo, Audaciam vitupero, niſi pro Animoſitate ſumatur, vt aliquando vulgò.

VI. AVDACIÆ loco Militi Chriſtiano eſt FORTITVDO, quæ propria eius virtus, qui militat ſub Vexillo cui inſcriptum. *Eſtote Fortes in bello, & pugnate cum antiquo Serpente.* Eſt autem *Fortitudo* Virtus, quæ animum ſuper periculorum metum erigit, & facit, vt nihil, niſi quod turpe eſt, timeat; toleret autem fortiter tum aduerſa, tum proſpera: quare animi motus moderatur, præcipuè in rebus terribilibus, & mortis periculis

(a) *Alam. Cenzen lib. 2. Polit. cap. 21. §. 5.*

Obedientiâ voluntatis, & intellectus, quicquid de *Obedientia* effectus & affectus, docetur, & exigitur à Religioſis, Militari conuenire poteſt, & deberet. Multi rerum militarium periti, Exercitum, veluti corpus, nullo proprio impetu, ſed Ducis tantum motibus per *Obedientiam* ferri debere adfirmarunt, idq; cæco quodam modo: atq; idcircò coërcendos, qui Ducum imperia interpretari, quàm exequi malunt, quique regendo ſe ingerunt. Nomen habet apud Romanos egregij Ducis militaris *Æmilius Paulus*, qui cum Exercitum in Macedonia accepiſſet minus obſequentem, loquacitatis, & curioſitatis plenum, ac ſe curis muneribusque Imperatorijs ingerentem, præcepit ei grauiter & ſeuerè, vt vnuſquiſque ei manum promptam, & acutum gladium præſtaret, ſibi reliqua curæ fore. Sed magis neceſſaria eſt *Obedientia* in *Militia Sacra*, quàm in profanâ. Et ſanè, qui in illâ excelluerunt, maximè Religioſi, admiranda dederunt eius virtutis exempla, quæ in Vitis Patrum, & Sanctorum hiſtorijs eſt legere.

IX. PRVDENTIA. Hæc cum non videatur aſſociari poſſe cum *Obedientia* militari, præſertim illa cæca; à multis quæſitum fuit, an Militi gregario conueniat? nam Ducem debere eſſe prudétiſſimum, quis ambigat? Reor Prudentiam alienam non eſſe debere à Milite, ſiue profano, ſiue Sacro; quamuis ſummam in neutro exigam. Vnius interdum Militis prudenti conſilio pugna reſtituitur, caſtra defenduntur, propugnaculum conſeruatur. Mali Milites cenſebantur Eretrienſes, qui vt gladioli cor non habere dicebantur: quare, faciles vinci Themiſtocles pronunciabat. Multa abſente longius Duce, ex tempore militari prudentiâ facienda occurrunt, quæ ſtupidis ſtolidisq; non veniunt in mentem. Mediocris Prudentia in gregario Milite nunquam obeſt, prodeſſe poteſt ſemper, ſi Obedientiæ copuletur. In Militiâ Sacrâ magis adhuc eſt neceſſaria cuilibet *Prudentia*, non carnis, ſed ſpiritus; quæ & DISCRETIO. Quâ qui excellit, nihil temerè, & ſine conſilio aggredietur: nec conſilium cuiuſlibet, ſine examine approbabit: rumoribus, ſuſpicionibusque minimè credulus: non callidus nec verſutus: ſagax tamen, & ſedulus vtilium inueſtigator, ac promtus rerum actor.

X. TEMPERANTIA ſuadens *Sobrietatem*, *Abſtinentiam*, inediam, imbibeliam, diuturna ieiunia, famem, ſitimq; ardentem & moleſtam in Milite maximè commendatur, & eſt neceſſaria tam ſacro, quàm profano. Sic ſuperantur hoſtes animæ, Dæmon, Concupiſcentia, Peccatum: *Dominus IESVS* clamat Ambroſius Epiſtola ad Eccleſiam Vercellenſem. *nos aduerſus Diaboli tentamenta fortiores reddere volens, ieiunauit vt ſciremus, quia aliter illecebras mali non poſſumus vincere.* Militi Chriſtiano perpendendum, quod ingenioſè ſuggerit Papa Gregorius lib. xxx. Moral. cap. 26. *Muros Ieruſalem coquorum Princeps* (Nabuzardan) *deſtruit quia virtutes animæ, dum non reſtringitur venter, perdit. Hinc eſt, quod Paulus contra Ieruſalem mænia decertanti vires coquorum principi* (Ventri) *ſubtrahebat cum diceret*: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. *Vnde præmiſerat*: ſic pugno, non quaſi aërem verberans: *quia cum*

ſtibus capitaliſſimis obtinendam: modò ſit diſcreta, id eſt, ſecundum Prudentiam Chriſtianam, quæ præſcribit, vt viribus ac valetudini ſit commenſurata. Quod ex Doctoribus Scholaſticis tradit eorum Magiſter, Thomas 2.2. quæſt. 188. art. 7. Hinc Victores glorioſiſſimi hoſtium infernalium, & Victorum fuerunt, qui abſtinentiſſimi. Quales præ ceteris celebrã tur, Paulus primus Eremicola, Antonius, Malchus, Hilarion, Simeon Stylites, qui annos omninò LXXX. perpetuò nocte dieque ſub dio ſtetit in columnâ, vix cibum, vix ſomnum capiens.

XI. AVSTERITAS. RIGOR. DVRITIA ſiue ſit Virtus, ſiue virtutis militaris conditio, Temperantiæ iungẽda eſt Militi, non ſolùm quoad eſculenta & poculenta; ſed quo ad omnia quæ corpus circumſtant, & carnem affligunt: Certè, Vegetius bonus Magiſter Militiæ profanæ, præſcribit, non ſolùm ciborum delicias aſpernari, ſed etiam durari ad tolerantiam conſtantem membra, commorari ſub papilionibus, aut Ioue frigido: ſolem & aëris iniurias patienter ferre. Miratus ſum aliquando Imperatorem Hadrianum, & Militem bonum & Ducem egregium, (a) qui tabernacula ex frondibus facta dirui iuſſit, quod Militẽ ſuum vellet eſſe Solis, & imbrium tolerantem. An non hoc eſt eſſe Styliten, ſub dio in columna? De *Milite Chriſtianò* diſſerens Hieronymus in epiſtola ad Theodorum Monachum, monet imprimis, vt à delicijs ſit alienus; tum auſteritatem ſuadet, aut præſcribit argumentis militaribus: *De cubiculo ad aciem, de vmbrâ egrediens ad ſolem, corpus aſſuetum tunicæ, loricæ onus non ſuſtinet: caput opertum linteo galeam recuſat: mollem ocio manum durus exaſperat capulus: fortior autem Miles ex confragoſo venit.*

XII. VELOCITAS, AGILITAS, CELERITAS ad Virtutem militarem accedit: certè, in Milite laudanda eſt, cùm ſit fortitudinis indicium & ſæpe in expeditionibus neceſſaria. In bello qui velocior, ſæpe eſt felicior, & victorioſior. Scatent exemplis hiſtoriæ militares. Vnũ do notatum à Famiano Strada in Bello Belgico. (b) Obſidebat Alexander Parmenſis Antuerpiam, quam vt melius cingeret, & hoſtilia auerteret auxilia, iuſſit Mandragonium aduerſus Lilloum, Rubaſium in Delani mouere copias, & oppugnare arces: diuerſâ non magis parte, quàm fortuna id factum: *dum alter ſenili cautione cunctabundus occaſionem corrupit: alter iuuenili feſtinatione præferuidus, conſilium hoſti, defenſionemq; præripuit.*

PRO Milite Chriſtiano eſt illud, omnium linguis celebratum, *Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* Quæ facit Angelos ſuos & Milites ſuos Spiritus; celeres, veloces, agiles: & *Miniſtros ſuos ignem vrentem*: Pſalm. CIII. tam veloces, quàm eſt ignis vrens, ac volans. Quibus dicatur ad omnem expeditionem: *Ite Angeli veloces*, Iſaiæ XVIII. ite ô Angeli, ô Apoſtoli, ô Religioſi, ô Eccleſiaſtæ, ô Concionatores, Catechiſtæ, Euangeliſtæ, ô Milites mei, ad pugnandum cum Cacodæmone, ad profligandа Vitia, ad ſubigendum Mundum. Ad deuincendum Carnem, ad reportandam

(a) *Fulgoſus lib.2.cap.2.* (b) *Decade 2.lib.6.* (c) *Anno 1584*

de inimicis humani generis victoriam. Ite, non languidi, non cunctabundi, nõ tardi, ſed citi, veloces, agiles. Quid hæretis? periculum eſt in mora. Tentatio eſt grauiſſima, dum agitur in bello Spirituali, de emendanda vitâ, de expugnanda cupiditate, de peragendâ pænitentiâ, de vitando peccato, de ingrediendo ſtatũ ſecutũ Religionis, à tarditate occaſionem optimam corrumpẽte. Vt in bello, inquit grauis auctor, qui ſe viribus inferiores ſentiunt, ad inducias petendas confugere ſolent; & in omni moleſtia, quæ omninò depelli non poſſit, id ſaltẽ agitur, vt quo id liceat, differatur: ita Dæmonis ars eſt, inter alias artes, vt quos à pugnando contra vitia & concupiſcẽtias dimouere nequeat, quoſque à Militia Chriſtiana non poteſt impedire, vel extrahere; iis ſaltem morarum cauſſas varias inijciat, ne celeriter aggrediantur facere quod deliberarunt. Quibus ſæpè occinendum: Ite Angeli veloces: ite Milites animoſi, & agiles: Neſcit tarda molmina, qui vos Tyrones erudiuit, Spiritus Sancti gratia. Non eſt contraria Fortitudini militari Militis velocitas, vt poſſet exiſtimare quiſquam. Quis velocior fuit in vlla gente Aſaële? de quo libro II. Regum 2. *Curſor velociſſimus fuit, quaſi vnus de capreis qui morantur in ſiluis*, quem tamen fortem virum fuiſſe nõ negauit Abner, & facto oſtẽdit.

SI de Militia Spirituali loquamur, tarditatem & cunctationem in ea ſuam accuſat, & ita luget S. Auguſtinus l. VIII. Confeſſion. cap. 5. *Non erat, quod Tibi reſponderem, dicenti mihi*: Surge qui dormis, & exſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus: *& vtique oſtendenti Te vera dicere, non erat omnino quid reſponderem veritate conuictus, niſi tantum verba lenta & ſomnolenta*: Modò & ecce modò ſine paulluluin: *Sed modò & modò, non habebant modum: & Sine paullulum, in longum ibat.* Poſteà velocitatem contrariam in duobus Militiæ Chriſtianæ Tyronibus mirificè commẽdat, qui lecta Antonij vita, adeò exarſerunt ad imitandum, vt ex illa hora, eo ipſo, quo legerant, loco, Dei ſeruitio ſeſe conſecrarint. Eadem eſt ceterorũ in Militia Sacra Doctorum, Chryſoſtomi, (*a*) Hieronymi, (*b*) Anſelmi, (*c*) Thomæ Aquinatis, (*d*) Bernardi, (*e*) Celeritatem commendantium in Milite ſententia.

XIII. PROMPTITVDO *moriendi.* Hanc ingenerat *Fortitudo*, Chriſtiani Militis. Tertullianus ſanè commendans Religionis noſtræ Martyres, Fortitudinem Chriſtianorum ex eo probat, quod prompti paratiq; ſint mori: nempe pro DEO, CHRISTO, FIDE, quæ ipſis bellandi cauſſa ſunt legitima. Et cur mori detrectet, qui benè ſe moriturum, non ambigit? quia pro Chriſto, & cum illo. Hanc promptitudinẽ non habẽt improbi, quia mortẽ horrent, & vt cumq; ſors cadat, malè ſe morituros ſciũt, cum malè vixerint, & non niſi mala poſt mortem expectent. In mortẽ tamen nonnunquã ferũtur, quaſi parati: ſed furor, ira, rabies illos impellit, aut deſperatio. Fortaſſè quoſdam etiam error tediſuræ vitæ, & ſuperſtitio: de quibus Lucanus.

(a) *Hom. 57. ad popul.* (b) *Epiſt. 103.* (c) *Epiſt. 1.* (d) *Opuſc. 17. cap. 9. & 10. 2. 2. q. vlt.* (e) *Sermone, Ecce nos reliquimus.*

Populi quos deſpicit Arctos,
Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus haud vrget lethi metus: inde ruendi.
In ferrum mens prona viris, animæq; capaces
Mortis: & ignauum eſt reditura parcere vitæ.

Hi vitæ ſuæ ſunt prodigi; quod laudem non habet in Chriſtiano Milite, in quo commendatur

XIV. STRENVITAS, quæ multa con tinet ſi non virtutes, certè virtutibus militaribus affinia, à quibus cognominatur *Strennus*, id eſt, ad res gerendas promptus, fortis, alacer, vigilans, laboris patiens *Chriſtianus* Miles. Cui vel maximè conuenit è Virtutibus capitalibus.

XV. IVSTITIA, quæ alias continet.
Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes.
Miles Chriſtianus ius ſuum quique tribuit, Deo diuinum, homini humanum: dat DEO, quæ DEI ſunt, Cæſari, quæ Cæſaris: non furatur, ſpoliat, deprædatur: nulli facit iniuriam: neminem concutit: ſuis contentus eſt ſtipendijs: pro Iuſtitiâ pugnat: vt ius ſuum cuilibet tribuatur, gladium portat, Iuſtitiæ Adminiſter, cui illud in ore, & in fronte ſcriptum: *Iuraui & ſtatui cuſtodire* IVDICIA IVSTITIÆ TVÆ, Pſal. CXVIII.

ALIVM texit catalogum Virtutum Militarium, quas in ſuis Militibus exigit. CHRISTVS IMPERATOR octonario includens omnes. Cùm enim Delectum habuiſſet, vocatis ad ſe Diſcipulis, & delegiſſet ex ijs Duodecim, quos Apoſtolos ordinauit, nominauitque, orationem ad Militiæ ſuæ Tyrones habuit, in qua, à ſe Delectorum, Electorumque Militum Virtutes recenſentur. Sunt autem iſtæ.

I. PAVPERTAS *Spiritus*, Prima ergo conditio Militis Chriſti, vt ſit *Pauper Spiritu*, non ex vanâ gloria, non ex philoſophandi ſtudio; ſed ex laudabili voluntate à Spiritu-Sancto inſpirata, & ad Spiritualia bona tendente, ſiue ad militandum expeditius DEO, & ſuperandum Mundum, Carnem, Cacodæmonem. Qualis fuit primorum Chriſti Militum, Apoſtolorum, & illos imitantium Religioſorum. Quoniam autem *Paupertas Spiritus* oritur ex contemptu opum, & humilitate, hanc etiam virtutem includit, velut radicem. Quare per *Pauperes Spiritu*, SS. Hilarius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Nyſſenus, Epiphanius, Leo, Gregorius intelligunt *Humiles* mente & voluntate; qui ſunt optimi Milites Chriſti, & non ſunt inflati ſuperbia, velut vento, vt in profana Militia glorioſuli Thraſones.

II. MANSVETVDO ſeu MITITAS. Vult Chriſtus ſuos *Milites* eſſe *Mites*, nō ex naturâ phlegmaticâ, lenta, fæmineâ & languidâ; ſed *Mites Spiritu*, id eſt, ex virtute Spirituali manſuetudinis aſpirata à Spiritu Sancto, & tendente ad bonorum Spiritualium adquiſitionem. Sint Milites profani impatientes, rixoſi, furibundi, Sacros Milites decet manſuetudo. & mititas.

III. ASSIDVITAS *Lugendi*. Milites mundani rideant, & gaudio diffluant, Chriſtianis luctus præſcribitur. *Beati qui lugent*, Luctu Compunctionis, ob DEVM multis peccatis oſtenſum, ob pronitatē peccandi, ob periculum hoſtibus capi-

tal bus ſuccumbendi: Luctu Compaſſionis ob tantam hominum multitudinē ſeruituti inimicorum infernalium mancipatam, & commilitonum plurimorū deſidiam, ac peccati vbique regnantem tyrannidem.

IV. Esvries & Sitis *Iuſtitiæ*. Non tantum eſculentorum & poculentorum Abſtinentia per voluntariam, aut neceſſariam inediam Militibus cuiuſcumque ſortis vſitatam; ſed *Fames* & *Sitis Iuſtitiæ* in ſe ac in proximis procurandæ, vel augendæ. Beati ſunt Milites Chriſti, *qui eſuriunt & ſitiunt Iuſtitiam*: qui auidi ſunt, vt iuſtitiam conſequantur & augeant, etiam per eſuriem & ſitim, aliasque carnis macerationes, ſiue ſponte ſuſceptas, ſiue aliunde illatas: qui eſuriem & famem ortam, ex publica, aut priuata ciborum inopiâ patienter tolerant: qui prompti ſunt ad eſuriendum & ſitiendū, vt per ieiunium, & faucium ariditatem carnem doment, pro peccatis ſatisfaciant, ſibi vel proximis gratiam Dei impetrent: qui pro fide Chriſti, pati carceres, & in ijs famem, ſitimque ſint parati: qui non recuſent in caſtris Chriſti fame & ſiti enecati potius, quàm in aduerſarij tentorijs lautè epulari: denique, qui eſuriunt ac ſitiunt Iuſtitiæ, & omnis virtutis perfectionem.

V. Misericordia, quæ Iuſtitiæ in Milite Chriſtiano iungenda eſt: quoniā eius opus omne ex virtute profectum, vel eſt debitum, & eſt *Iuſtitia*; vel indebitum gratuitumque, & eſt Miſericordiæ, quæ Iuſtitiæ rigorem temperare debet. Non ſit *Miles Chriſtianus* ferox, crudelis, truculentus, etiam erga inimicos, quos quamuis ſubactos captosque miſericordiæ tam ſpiritalis, quàm corporalis operibus fouere deberet, & bis vincere, ac in bono malum ſuperare. Ad hoc hortatur Dux noſter: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter cæleſtis miſericors eſt*, Lucæ vi. Et ſicut fuit ipſe, *qui pertranſijt, benefaciendo & ſanando omnes*. Actuum x.

VI. Mvnditiès *Cordis*. Mundum cor eſt mens caſta, & pura ab omni libidine, carniſque concupiſcentia. Non exigitur à Milite Chriſtiano, vt mundo & polito ſit corpore, vt benè tonſus, pexus, ceruſſatus, ornatis incedat veſtibus, vt argento, auro, gemmis decorus prodeat in publicum; ſed vt mundo ſit corde, nimirum, pura caſtaque mente: purâ etiam conſcientia, ab omni peccato mundata, à prauis cogitationibus ac deſiderijs; à paſſionibus, & perturbationibus; ab omni mala intentione; denique ab omni fraude, duplicitate, & hypocriſi aliena.

VII. Pax. Hæc non eſt exiſtimanda contraria profeſſioni Militis Chriſtiani, etiam in bello externo ac corporeo, quod nunquam gerere debet, niſi vt pacem obtineat, vel conciliet. Militibus ſuis præſcribebat Chriſtus: Eſtote *Pacifici*, quia *Beati Pacifici*. Græcè eſt εἰρηνοποιοὶ, id eſt, *pacem facientes*, vti vertit Interpres Syrus, ideirco arma induite, bellum fortiter gerite, pugnate, hoſtes ſubigite; ſed, vt pacem faciatis: Pax ſit belli veſtri finis: vt pax ſanciatur cum Deo, pax cum proximo, pax cum vobiſmet ipſis: Deo ſubiecti, proximo poſt lites & contentiones reconciliati, in vobiſmet ipſis tranquilli per pacem conſcientiæ, quæ exſuperat omnem ſenſum,

Reſpicite Chriſtum Imperatorem veſtrum, qui eſt *Pax noſtra: qui fecit vtraque vnum: qui per ſanguinem ſuum pacificauit omnia, ſiue quæ in terris ſiue quæ in cælis ſunt*, ad Epheſ. II. ad Coloſſ. I.

VIII. TOLERANTIA *perſequutionis propter Iuſtitiam*. Virtutes præcedentes *Militis Chriſtiani* in actione ſitæ ſunt, hæc quæ ceterarum eſt conſummatio in paſſione, & *Patientia*. Difficilius eſt dura pati, quàm agere. In hoc excellebat Miles Romanus: in iſto glorietur Chriſtianus iuxta illud: *Fortia agere Romanum eſt: Fortia pati, Chriſtianum eſt*: non disiungendo, ſed copulando: ita tamen, vt emineat patiens *Tolerantia*: eaque. Tum latiſſima, extendens ſe ad omnis generis perſequutiones, obtrectationes, moleſtias, calumnias, iniuriasq́;, ſiue corpus, ſiue famam, ſiue externorum bonorum rapinam concernentes; vndecumque, ſiue ab inimicis & alienis, ſiue à falſis fratribus, & domeſticis; ſiue à Dæmonibus, aliiſue inferantur: Tum puriſſima, quo ad intentionem diuini honoris, amoris, beneplaciti: Tum intenſiſſima, qua non tantum patienter & libenter, ſed & gaudenter aſperrima, & moleſtiſſima perferantur: Tum fortiſſima, & conſtantiſſima, vſque ad ſudorẽ, cruorem, martyrium: Tum inſatiabilis, quam aquæ multæ tribulationum non extinguant, nec flumina perſequentium tyrannorum obruant. Sed caueat *Miles Chriſtianus*, ne ob aliam cauſſam agat & patiatur, quàm propter *Iuſtitiam*: quia eſt *Iuſtus, Chriſtianus, Catholicus*: qui bello iuſto iuſtitiam defendit, quia Iuſtitiam in omnibus ſequitur, quia legem Dei ſeruat. Conſilia Chriſti amplectitur: quia ius viduarum, pupillorum, Religioſorum tuetur, quia fidem Catholicam propugnat, quia Eccleſiã defendit; quia, quæ iuſta ſunt, ſemper, & vbique exequitur.

IN his Octo Virtutibus Militis Chriſtiani, continentur quæcumque in eo deſiderari poſſunt, quas S. Lucas ad quattuor redegit, vt obſeruat S. Ambroſius: ſed in iis octo, iſtæ quattuor ſunt, & in quattuor illis, illæ octo. Quattuor nominat Lucas, quia contentus fuit quattuor virtutes amplecti cardinales: ſcilicet *Iuſtitiam*, quæ alienas opes non appetens, ſancta gaudet Paupertate: *Temperantiam*, quia eſurire & ſitire mauult, quàm ſaturari & comeſſari: *Prudentiam*, quæ hic lugere & flere appetit, vt in cælo videre & exultare mereatur: *Fortitudinem*, quæ pro Chriſto & virtute omnia probra, & maledicta, & aduerſa quælibet generosè ſuſtinet & ſuperat.

HÆ *Virtutes* ſunt in animo *Militis Chriſtiani*. Præter quas, ſpectantur aliquæ in corpore; *altitudo, decor firmitas; robur, color, latera*. Legebant olim Romani grandes, oculis vigilantibus, erecta ceruice. Marius tyronem adoptabat libenter, qui ſenos pedes, aut quinos decemque vncias habebat: multi breuis ſtaturæ, aut mediocris, ſed benè conſtipatos probabant: macilentos aliqui & neruoſos: pingues pauci, aut obeſos. Generosè Pyrrhus. *Tu grandes elige, aiebat ego exercitatione fortes reddam*. Et Brennus productis contemptiſſimis Græcorum, ac cum fortiſſimis ſuorum componens, hortabatur, vt tanti contra contra tantillos pugnarent. In *Milite Chriſtiano*, ſi Virtus ſit animi, flocci facienda eſt omnis alia corporis.

LIBER II.

AVXILIA SOCIORVM ECCLESIÆ MILITANTIS.

In quo numerantur & deſcribuntur diuerſi Exercitus Auxiliares Militiæ Chriſtianæ.

COMMENTATIO I.

EXERCITVS ANGELICVS.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: Et eripiet eos. Pſalmo XXXIII. 8.

MEMBRVM I.

I. *EXERCITVS SOCIALIS Militum Chriſtianorum, ſunt ANGELI.*

ROMANI, præter Ciues, & Vrbis incolas, externa etiam Sociorum Auxilia duocabant, vt & numeroſior eſſet exercitus, & fortior. Eodem itaque tempore, quo Romæ ciuium Delectus habebatur, Cóſules, teſtibus, Polybio & Liuio, confæderatis Italiæ ciuitatibus, vnde Sociorũ Auxilia petere volebant, ex S. n. Conſ. numerum militum imperabant: & diem locumque edicebant, quo conuenire deberent.

deberent. Socij vero Delectu in ſuis ciuitatibus habito, ſacramentoque dicto, cum Præfecto, & altero, qui ſtipendia militibus penderet, ad Conſulem, Imperatorém-ue Romanum proficiſcebãtur. His autem mirum in modum augebatur Romani robur Exercitus. Affine quid vſu venit in Eccleſiâ Militante, & Exercitu Militum Chriſtianorum, qui cũ hoſtibus, quà viſibilibus, quà inuiſibilib⁹ congrediuntur. Is ſæpe neque par eſſet aduerſariorum copijs neque robore ſat firmus, niſi Sociorum Auxilijs fulciretur. Non deſunt autem & fortiſſimi & fidelisſimi Socij, qui magno nobis pugnantibus ſunt ſubſidio, & hoſtibus terrori: ad nutum autem Imperatoris Summi noſtris ſe ſolent adiungere copijs; ac ſæpe ipſorum pugnandi virtute & dexteritate victoria obtinetur.

Hi Socij, quorum fidelitate ac robore nobis plurimum eſt fidendum, ſunt Mentes illæ, à corporeâ concretione ſemotæ, quas ANGELOS dicimus. Hi namque Exercitum Socialem conſtituunt, & Imperatori, cui & nos, militant. De quibus iucunda mihi ſemper eſt commemoratio, & commentatio pergrata: capto etiam non rarò opportunitatem inflammandi Auditores Lectoresque meos, ad præcipuum quendam erga Beatos illos Spiritus cultum ac venerationem, maximè autem, erga Cuſtodem Tutelaremque, cui illud frequenter, ſingulari mentis, immò linguæ penè, ex luctu, dulcedine, iuuat ingeminare:

Angeli mi, bone Dux animæ, bone mentis Achates.

Quo ſine non poſſum viuere: nolo mori.

Idem, vt faciatis non rarò, ſum equidem vobis auctor ACADEMICI CHRISTIANI, & hic habenas velim laxetis, cũm de Cuſtodis Angeli deuotione venerationeque agitur. Quam, vt promoueam, enarrabo quid in Militia, ſacra profanaque, Spirituali æquè ac corporea, opis præſidijq; expectari poſſit. Et vt intelligatis, ANGELOS CVSTODES, & eorum quemlibet, non ſolùm, quod ab alijs pertractatum, eſſe in peregrinatione iucundum vehiculum, animæ obſeſſæ inexpugnabile munimentum, Socium in labore, refrigerium in calore, ſuccurſum in periculo, leuamen in lapſu, illuminatorem mentis, protectorem corporis, miniſtrum Iuſtitiæ, diſpenſatorem gratiæ, ſupernarum benedictionum diſtributorem largiſſimum, verum etiam, quod noſtri eſt inſtituti, COMMILITONEM maximè fidelem & ſtrenuum.

***

MEMBRVM II.
ANGELI SOCIALES
Milites. Exercitus. Caſtra.

ATQVE, vt inde exordiar. Aio, Angelos eſſe Imperatoris ſupremi MILITES: & ex ijs conflari in Eccleſiâ Militante, ac Militiâ Chriſtiana Socialem Exercitum: nec diuerſa ab ijs ipſis deſiderari poſſe *Caſtra*, cùm præſtent ad munimentum, quæ caſtra non poſſunt. Res iſta operoſa probatione nõ indiget. Quid vulgatius apud Chriſtianos, quàm Angelos eſſe Milites, atque ita vocari hominum reſpectu, quia pro eis aduerſus humanæ naturæ inimicum Satanam prælium ineunt, DEO ſic volẽte. Zachariæ IX. vbi agitur de DEO forti, oppugnante inimicos, & propugnante ſibi caros, *Circumdabo Domum meã*, inquit, nempe, congregationem fideliũ, Eccleſiam. Animam quam liber, vt ædem à me inhabitam, *ex his* QVI MILITANT *mihi euntes & reuertentes*, id eſt, ex Angelis meis, vt interpretatur D. Hieronymus. Appellantur ijdem *Exercitus*, qui nihil aliud eſt, quàm multitudo militum benè ordinata ſub ſuis ductoribus, vel vno capite. Cùm Lucæ ſecundo Angelus Domini ſteriſſet iuxta paſtores, & claritas DEI circumfulſiſſet illos, facta eſt paullò poſt cum Angelo *multitudo Militiæ cæleſtis*. Nominantur *Caſtra DEI*, quâ appellatione vſus eſt Patriarcha Iacob Geneſ. XXXII. cùm innumerabiles propè Angelos videret accelerare in auxilium ſuum contra perſequutorem Eſau & exercitum eius appropinquantẽ. Angeli autem illi diuiſi erant in duas acies. Vnde locum illum Iacob vocauit מחנים, *Machanaim*, quod nomen eſt duale, & ſignificat bina caſtra, vel binas acies: hinc & vrbs ibidem poſtea ædificata dicta eſt *Machanaim*. Canticorum VII. nuncupantur *Chori caſtrorũ*; non tantùm caſtra, vt impugnatos defendant, verùm etiam Chori muſici, vt vndique cinctos, & anguſtiâ preſſos ſpe victoriæ, & internâ conſolatione exhilarent.

LIBRO Regum tertio, cap XXII. cùm vocaſſet Rex Iſraël, qui copiarum multitudine ſuperbus, illi nimium fidebat, Michæam Prophetam, vt benè ominata ſibi in hoſtem tendẽti prædiceret, quod fecerant pſeudo-prophetæ; ille elata voce: *Vidi*, inquit, *Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum. & omnem* EXERCITVM COELI *adſiſtentem ei a dextris & à ſiniſtris*. Quod repetitur lib. ſecundo Paralipom. cap. 18. Quæ ſequuntur autem, indicant ſermonem eſſe de Angelis. Qui, quoniam Milites, dicuntur *Virtutes*, Pſalmo CII. *Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius. Benedicite Domino omnes* VIRTVTES *eius, qui facitis volũtatem eius*. Lucæ XXI. *Virtutes cælorum mouebuntur*. Sic DEVS, quia Imperator, ſalutatur

ſalutatur titulo, *Dominus Virtutum*. Pſalmo XLVI. *Dominus Virtutum nobiſcum*. Pſalmo XXIII *Dominus Virtutum ipſe eſt Rex gloriæ*. Eodem ſpectat cognominatio, *Domini Sabaoth* ſiue *Exercituum*. Ieremiæ XI. 20. *Tu autem* Domine Zabaoth, *qui iudicas iuſtè & probas renes & corda* Paulus Apoſt. ad Romanos IX. *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus*. Iacobus in epiſtola ſua Catholica, cap. V. *Clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.*

MEMBRVM III.

ANGELI SOCIALES

Legiones. Copiæ. Acies.

EST autem Socialis Angelorum exercitus numeroſiſſimus. Et Chriſtus quidem, Paſſionis ſuæ tempore, cùm eum animoſiſſimus Petrus, enſe fortaſſe rubiginoſo, vellet ab irruente milite defendere, inquiebat tumultuanti: *An putas, quia non poſſum rogare Patrum Meum, & exhibebit mihi modò plus quam duodecim Legiones Angelorum?* Matthæi XXVI. Vbi Dominum loquutum fuiſſe, cenſent Interpretes, ex conſuetudine Romanorum, qui tunc in Iudæa dominabantur: nulla enim gens, præter Romanam, in Militia Legionibus vtebatur. Apud Romanos autem *Legio*, ſex millia hominum continebat, vt ſcribit Vegetius, (*a*) & ſequitur S. Hieronymus; aut vt Polybius adfirmat, quattuor millia ducentos pedites, equites trecentos: aliquando tamen in bellis grauioribus pedites quinque millia. Vt vt ſit, Chriſtus D. ea loquendi formula voluit indicare ingentem Angelorum militantium numerum: opponebat autem Angelos hominibus, multos paucis, potentes impotentibus. Colligit hinc Origenes Angelos, bonos perpetuò contra malos Spiritus belligerare, ideóque Militiam cæleſtem tam multis Scripturæ Sacræ locis appellari. Verùm, Legiones duodecim minima pars eſt huius Exercitus. Siquidem multitudo Angelorum adeò eſt numeroſa, vt multis partibus excedere dicatur multitudinem rerum corporearum. Si enim tanta multitudo creaturarum corporalium requiritur, vt diſtantiam impleat, quæ inter viliſſimam creaturam, & hominem omnium corporalium creaturarum nobiliſſimam interiacet, quanto opus erit numero, vt repleatur interuallum, quod porrigitur ab infimo Angelo vſq; ad ipſum DEVM? Quæ eſt ratiocinatio Gabrielis Biellij, Scholaſtici Germani in ſecund. Sententiar. Nec diuerſa ab illâ videtur valuiſſe apud S. Bernardinum Senenſem, Tom. IV. Serm. 49. dum conficit, Angelos numero ſuperare ſtellas cæli, arenam maris, puluerem terræ, & quicquid corporum ſiue maximorũ, ſiue minimorũ,

O incluſis

(a) *Veget. lib. 2. cap. 2. S. Hieronym. in Matth.*

incluſis inter hos terminos medioxumis, vniuerſum hoc complectitur.

At verò, S. Thomas colligit ingenioſè multitudinem huius Exercitus ex proportione inter corpora ſuperiora & inferiora. Atque ita, ſicut in corporibus, inquit, videmus, quantum vnum altero ſuperius eſt, tanto, & quaſi incommparabiliter maius eſſe. Id quod in elemento ignis liquet, qui aëre ſuperior: & ſecundum aliquos quidem decuplo. Quod colligi poſſe putant ex Ariſtotele, aſſerente, ex vna parte aquæ confici decem partes aëris. Idem apparet in ſphæra Lunæ, quæ amplior eſt ſphæra ignis. Tū in ſphæra, ſeu cælo Mercurij, quod orbem Lunæ intra ſe continet: Sicque deinceps, vſque ad vltimum cælum, quod quanto ceteris eminet, tanto eorum vaſtitatem excedit. Ita proportionaliter ſentiendum de creaturis ſpiritualibus; cùm altitudo loci in corporalibus aſſimiletur ſublimitati eſſentiæ in Spiritualibus: & exceſſus molis corporeæ reſpondeat magnitudo numeri. Ex quo infertur, cùm Angeli animabus hominum, quoad gradum, ſuperiores ſint, Angelos etiam illos, qui in infimo ſunt ordine, plures eſſe numero omnibus animabus totius mundi, quæ ſunt, erunt, fuerunt. Arçhangelos conſequenter, numeroſiores Angelis, & ſic deinceps. Quod aliquatenus inſinuat Diuina Scriptura, quæ de multitudine cæleſtium Spirituum loquens exaggeratione vtitur peculiari. Danielis VII. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia adſiſtebant ei.* Qui numerus, quamuis determinatus, complectitur, ſenſu Interpretum grauiſſimorum, multitudinem DEO adſiſtentium, eique militantium penè infinitam. Certè, S. Brigitta reuelatione diuina edocta, ſcribit libro IV. Si computentur omnes homines, qui nati ſunt ab Adam, vſque ad nouiſſimum, qui moriturus eſt, in fine mundi, plus quam decem Angeli inuenientur pro vno quoque homine. Sed de Angelorum numero pertractatum eſt alijs locis accuratè. Harum autem Copiarum Socialium, ſub DEO ac CHRISTO, caput eſt S. MICHAEL, de quo actum ex profeſſo Tomo I. huius Operis. Commentatione V. & VI.

* * *

COM-

COMMENTATIO II.

EXERCITVS ANGELICVS

Quomodo in Eccleſiâ Militante auxilietur Militibus Chriſtianis in bello, tum corporali, tum ſpirituali.

Membrvm I.

ANGELI SOCIALES

Ducunt Commilitones ad locum pugnæ & victoriæ idoneum: Hoſtes autem abducunt, & ſeducunt.

SVB D. Michaele Præfecto, vt vocabant Romani, præſtant boni Angeli ea omnia officia, quæ Cõmilitones ad belli Societatem vocati ſolent. Imprimis autem, quia ſocij aliundè venientes locorum ferè magis ſunt gnari, indices ſe offerunt exercitui ne facilè aberrent, aut in inſidias præcipitent. Idem faciunt Angeli: ducunt exercitum, cui adiunguntur, & commodum pugnandi, vel ſe tuendi locum demonſtrant. Ita Angelus, qui in Ægypto pro populo DEI pugnauerat, deinde caſtra præceſſit, Ductoris optimi functus officio, Exodi XIII. Gratias etiam agebat DEO virago Ivdith, quod aduerſus Holofernem dimicatura Angelum habuerit, qui euntem commorantemque cuſtodierit, Iudith XIII. Baldvino Regi, cùm exercitus ipſius anguſtijs viarum concluſus, & omnes in periculo eſſent, ne deprehenſi ab hoſtibus internecioni darentur, Ducem quẽdam incognitum apparuiſſe ſcribunt, qui apprehenſo vexillo, per aliam viam vniuerſum agmen deduxit: vt ex fide dignis' auctoribus narrat Cæſar Barronius. (a)

Ita etiam Theodosivs Imperator, de Ioanne tyranno, qui Rauennæ tyrannidem arripuerat reportauit victoriam. Ioannes Placidiam Theodoſij amitam vnà cum Valentiniano nato pulſam coëgerat ad Theodoſij fidem confugere. Qui mortuo Honorio, mox contra Tyrannum, miſit Ardaburium, qui rem benè geſſerat in Perſide, cum exercitu. Sed is à Ioanne circumuentus, Rauennamque ductus, in liberâ tamen cuſtodia liberaliter eſt habitus, quod Ioannes per Ducem captum in ſpem certam, ad ſocie-

(a) *Tomo* XII. *Ann.* 1144.

tatem Imperij peruenturum ſe veniſſet. At Theodoſius acceptâ clade multo magis irritatus, Aſparem, Ardaburij filium ad patrem in libertatem aſſerendum, & tyrannum delendum miſit. Cui DEVS ob Imperatoris virtutem, cæleſtem Ducem Angelum, paſtoris ſpecie miſit, qui caſtra Aſparis per inuias paludes ſicco veſtigio, vt quondam Iſraëlem, Rauennam vſque nihil tale metuentem, perduxit. Vbi Aſpar patentes portas, nullo prohibente ingreſſus, tyranno capto, caput præcidit, patremque incolumem reduxit. Theodoſius quo tempore victoriæ nuncius eſt allatus Circenſibus præſidebat, ſed gratus Victori DEO, & Cæleſtibus Socijs, miſſis ludicris: Agite, inquiebat, ciues, quando nobis cæleſte Numē præſenti ope adfuit, & hoſtes noſtros expugnauit, meritas illi laudes in proximo templo canamus. Surrexit è ſpectaculo Ciuitas Conſtantinopolitana tota, & è Circo in ædem proximam ſupplicabunda gratulabundaque proceſſit, tanta frequentiâ (Socra. lib. 2. cap. 23. Niceph. lib. 14. cap. 7.) vt vrbem vniuerſam in Eccleſiam migraſſe diceres.

IDEM contingit in Militiâ Spirituali, quando fortiter aggrediendi hoſtes animæ, aut contra illos ſtandum. Tunc Angelus ducit ad campum, in quo facilius poſſit à Milite Chriſtiano obtineri victoria: pertrahit ad Religionem, præit ad ſolitudinem, antecedit properantem ad ædes ſacras: ſcit enim ijs in locis facilius hoſtem ſuperari. PAPHNVTIVS. inter Martyres clarum nomen, (a) per Angelum, præhensâ dextera, ad tribunal, victoriæ ſuæ arenam, ſi non pertractus, certè, manuductus fuit. Ibi vltrò, incredibili audaciâ, vt indigitabant hoſtes; fiduciâ, vt cenſebant commilitones, Iudici Ariano ſe ſtitit, dicens: ego Paphnutius, profeſſione Catholicus ſum, & tibi me præſentem exhibeo, vt tormentis carnificū tuorum promouear ad coronam Martyrij, ad quam iam dudum anhelo.

HOSTIS internus aliquando ſuperari non poteſt, niſi in cæmeterio, aut etiam in ſepulcreto, inter oſſa tabo fluentium cadauerum: eo te perducet fidelis ductor, vt cum victoria inde redeas. (b) LAFFARDVS fuit Colonienſis Monachus, qui cùm aliquamdiu curam habuiſſet clauium Monaſterij, tædio affectus, oppugnari cæpit à tartarea Legione vna; mouebatque hominem maximè, quod ipſe nobilis, alijs ſortis inferioris deberet ſubſeruire: & profectò, loco minus commodo præliabatur. Cùm itaque ſtatuiſſet ſub aurorâ, caſtra Religionis deſerere, eſſetque penè in procinctu; offert ſe videndum fluctuanti vir aſpectu venerandus, monens, vt ſe antecedentem ſequeretur. Fecit id Monachus, qui vt ad portam Eccleſiæ, & oſtium cæmeterij venit, vltrò aperiri animaduertit: in ſepulcreto autem tumbæ abditâ vi patuerunt. Duxit ergo illum Angelus ad vnum è monumentis patefactis locumque pugnæ opportuniſſimum deſignauit, illud ſuggerens. Viden' Laffarde, hunc hominem, non hominem nunc, ſed caſſum animâ corpus; propediem talis & ipſe eris: dic ſodes, deſertâ religioſâ militiâ, quò te conferes? quam diu ſupereris? quem finem ſortieris? quid iuuabit

(a) *Surius April.* XXVIII. (b) *Vincent. Spec. hiſtor.*

iuuabit pauculis diebus indulſiſſe genio, cum diſpendio bonæ æternitatis? Cùm autem ad plures eum vrnas ducere vellet fidus ille Achates, ſat eſſe dixit Monachus, & animatus loci opportunitate, fortiter tentatores abegit, victoriamq́; ad Monaſterium regreſſus, è polyandrio retulit.

NEQVE ducunt tantùm Sociales Angeli ad locum pugnæ commodum ſuos Socios, quibus opitulatum veniunt, ſed abducunt etiam, & quod incredibile videri poſſet, ſeducunt hoſtilem exercitum, ne ſocialem intercipiat. Ponam hic narrationem, prout accepi à fide dignis huic loco propriam, & admirabilem. Anno M. DC. XX. cum MAXIMILIANVS Boioriæ Dux (a) in rebelles Bohemos moueret, non procul Bilſinâ in vili pago (Lithiz ei nomen) per aliquot dies caſtra habuit, hoſte ſatis vicino, & ad inſidias variè procurrẽte. Multis fruſtra tentatis, noctem vnam, quæ opportunior viſa, delegit ſibi hoſtis, forſan non minimam cladem illaturus, ſi inferre illi tam conceſſum, quàm deſtinatè. Mens erat Maximilianum Ducem, & omnem illic militem vi repentinâ opprimere. Et, vt cruenta hæc fraus certiore iret ſucceſſu, ſelectiſſimos quoſque milites ad ſigna euocabant primipili. Ibat agminis caput, quod & belli, Fridericus, Elector Palatinus: ibat Dux Anhaltinus, ibat & Ducis Anhaltini filius, ibant præſtanti animo & numero Duces complures, cum ſuis quiſque ſelectis copijs Primum agmen Comes ab Hollach ducebat, coniunctis ex omni turma ſelectis equitibus, & muſquetarijs, vt eſſent mille trecenti. Hos Hungari, illos Auſtrij, iſtos alij atque alij ſequebantur. Principis Anhaltini filius (qui hæc ſuâ manu conſcripſit) Palatinum proximus antecedebat. Hi omnes caſtris ſuis horâ ſeptimâ primæ noctis cæperunt egredi. Decem millium inſidioſa hæc phalanx fuiſſe creditur. Euntibus nox fauebat, Ducem Maximilianum locus nõ defendebat, nec adeò numeroſus, puto, miles, qui hoſti par eſſet, vigilabat. Vigilabant tamen pro amico exercitu inſomnes Angeli, in Socios adſciti. Qui (quod ipſis facile) confidiſſimum hoſtem, & iam inſidias metuentem, quas ſtructuri ts venerat, in caſtra reduxerunt, an repulerunt? certè, redierunt, re non tantùm infectâ, ſed nec quidem incæptâ.

TRIPLEX hoſti obiectum impedimẽtum. *Primum*, à viâ aberrarunt, qui apud illos viæ duces periti ſſimi habebantur: facillimum eſt errare, cùm Angeli ſeducunt. *Alterum*, tantæ viarum anguſtiæ occurrebant, vt vniuerſum agminis ordinem turbarint, & ſoluerint. *Tertium*, terror planè Panicus viam omnem coëgit relegere: nam eæ, inter Hungarorum præſertim ordines ortæ ſunt turbæ, vt hoſtem, quem quæſiuerant, oppreſſuri, iam fugerent, velut proditi perſidique. Ita aduerſarios abducere ſolet, bonus ſuorum Dux Angelus Socialis. Sed id frequentius facit quamuis inuiſibiliter, dum animam oppugnatum veniunt acies Tartareæ, quarum conatus, illas impediendo ab acceſſu, aut auertendo à ſuſcepto itinere, aut aliò impellendo, infringit, aut diſſipat.

(a) *Drexel. Horol. Aug. Cuſt. Gloria bellica Bauari.*

MEMBRVM II.
ANGELI SOCIALES
De victoriâ Socios reddunt ſecuros. Eoſdem animant. Immò, in hoſtem impellunt.

SPONDENT Angeli, dum in belli Societatem inuitantur ab hominibus, cælesti Militiæ deuotis, auxiliatem manum, animosque addunt, & de victoriâ certos faciunt, quod fidiſſimorũ eſt Sociorum, & inſuperabili virtute pollentium, quales ſunt Virtutes Angelicæ, Poteſtatibus iunctæ. Mortuo Iſdigerde Perſarum Rege, bellum fuit attox & anceps inter Perſas & Romanos, Theodoſio Imperatore. Qui ad DEVM confugit, & Imperij neceſſitates illi commiſit. Nec irrita fuit fiducia nam cum Conſtantinopoli trepidaretur, & anxij eſſent boni omnes de ſucceſſu, Angeli circa Bithyniam, ĳs, qui Conſtantinopolim proficiſcebantur, occurrentes apparentesq; nunciare iuſſerunt, & bono animo eſſent, & precarentur, DEoque fiderent, ſuperiores fore Romanos: ſimul verò addiderunt, eſſe conſtitutos ſe belli illius curatores. (*a*) Quo reſponſo non ſolùm ciuitas confirmata eſt, ſed & milites fidentiores facti. Et promiſſis exitus reſpondit. Romani enim Perſas Niſibi incluſos obſederunt, exercitum profligarunt, & repentè tumultu excitato, ita perterrefacti ſunt Perſæ, vt ſe armatos in Euphratem præcipitarent.

NARRAT Martinus Cromerus nobilis rerum Polonicarum Scriptor, (*b*) Leſcum Polonorum Principem, cum parua manu inſequutum multa Lithuanorum millia, qui Poloniam tunc diuexabant: cùm autem ex labore itineris paullulum requieuiſſet, adſtitiſſe è cæleſtium Militum exercitu quendam (fuiſſe Archangelum Michaëlem eſt creditum) & ſuum ei auxilium addixiſſe, certum etiam reddidiſſe de victoria: qua potitus, eidem Angelo Sociali Lublini templum extruxit, quod DEO ad memoriam Archangeli eſt conſecratum.

(a) *Socrates lib.* VII. *cap.* 18. *Niceph. lib.* XIV. *cap.* 21. (b) *Lib. x. hiſtor.*

MEMBRVM III.
ANGELI SOCIALES
Præſidio ſunt Socijs. Hoſtibus timorem incutiunt.

EXEMPLIS id demonſtrari poteſt plurimis. In Diuinis paginis occurrit primò IACOB Patriarcha, Gen. XXXII. qui cùm per regionem fratris ſibi infeſti inſidijs expoſitam iter haberet, cum familiâ & impedimentis, duas vidit

Angelorum acies auxiliares. Vna erat Angeli Cuſtodis, & Præſidis Meſopotamiæ Hic cum Angelis ſibi ſubditis, atque ſubordinatis, quaſi inſtructâ acie, comitatus fuerat, & ſecurè deduxerat Iacobum à Meſopotamia ad cõfines Chananææ. Ibi occurrit ei, eumque excepit Angelus præſes Chananææ, cum ſuâ acie Angelorum ſibi ſubditorum, vt eum per Chananæam ſecurè perducerent ad patentis domum, & ab Eſau alijſque ei infenſis tuerentur & protegerent. Sicut enim, vt commentantur Scripturæ expoſitores, Principes externum Principẽ, per ſuas terras, datis militibus præſidiarijs, ſecurè deducunt, & vicino Principi eiuſque præſidiarijs, vlterius deducendũ conſignant; ita cum Iacobo faciunt Angeli. Iidem verò, tanquam acies ſociales Iacobo contra Eſau, hoſteſque alios tuentur, & immiſſo timore ex manibus illorum eripiunt. Exiſtimat autem Diodorus Tarſenſis, Angelum præfectum ſecundæ aciei, & præſidem Chananææ, fuiſſe S. Michaëlem. Hic enim conſtitutus fuit à DEO Princeps poſterorum Iacob, nempe populi DEI omnium ſcilicet Iſraëlitarum: vt patet Danielis X. & XII. En exercitum Socialem, in acies diſtinctum ſuis cum Ducibus. Qui idem officium præſtiterunt populo Iſraëlitico, tum in Ægypto, vbi præſidio ei fuerunt, & pugnarunt pro eo, Exodi VII. quando multis ſignis & miraculis contra Pharaonem defenderunt fideles, tum in egreſſu de Ægypto. Cum enim exercitus Pharaonis, Iſraëliticum exercitum perſequeretur, Angelus ex Sociali exercitu vnus, qui præcedebat caſtra Iſraël, convertens ſe venit, haud dubiè cum Socijs, & ſtetit inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſraël, ac toto quidem noctis tempore, ita Iſraëlem tuebatur ab Ægyptijs, vt hos aditu prohiberet, Exodi XIV.

EST iucunda, & ad hoc caput accommodatiſſima hiſtoria, in libro IV. Regum cap. VI de Eliſeo Propheta. Rex Syriæ pugnabat contra Iſraël, & conſilio inito cum belli Ducibus, inſidias certo in loco tendere conſtituerat. Agnouit, DEO reuelante, ſtratagema Vates: monet igitur Regem Iſraël, vt ſibi caueat: addit, ſi conſultum ſuis velit, locum prius occuper, quod factum ſedulò, & in tempore. Vt patere conſilium animaduertit Syrus, indignabundus de proditione ſuos inſimulare cæpit. Sed reſponſum tulit, non militum perfidiâ fieri, quod ſuſpicatur, ſed Eliſei prædictionibus, quem nihil, licet ex maximè abditis, lateat. Iuſſit itaque Rex Syriæ, vt capiatur quantocyus Eliſeus, & vt ad ſe adducatur. Erat tunc temporis Propheta in Dothan: quò miſit Rex ſolicitus equos & currus, ac robur exercitus. Qui cùm venirent nocte, circumdederunt ciuitatẽ. Conſurgens autem diluculo miniſter Eliſei vidit exercitum in circuitu ciuitatis; terretur, horret, accurrit trepidus ad Magiſtrum ſuum, non ſine eiulatu Heu, heu, heu, Domine mi, quid faciemus? Cui placidiſſimè Propheta: *Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis*. Cùmque oraſſet Eliſeus ait: *Domine, aperi oculos eius, vt videat*. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce *mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſei*.

SVNT hic pulcherrima documẽta pro Milite Chriſtiano. Qui, ſi ſit qualis eſſe debet

debet, alter Eliſeus imprimis, non eſt, quod ipſe, & qui cum ipſo, timeant: nam ſemper dicere poteſt: *Plures nobiſcum ſunt*, quàm cum aduerſarijs. Plures, nimirum Angeli, qui pro DEO & eius amicis ac militibus, quaſi cæleſtes acies innumeræ & fortiſſimæ militant, & in omnibus ac ſingulis *DEVS Sabaoth*, id eſt, exercituum. Præclarè S. Ambroſius, ſerm. I. de Eliſeo. *Diuinus timor*, adde, & amor, *terrorem à nobis expellit hoſtilē Arma autem hæc noſtra ſunt, quibus nos Saluator inſtruxit. Oratio, Miſericordia, atque Ieiunium. Ieiunium enim melius, quàm murus tuetur. Miſericordia facilius liberat, quàm rapina. Oratio longius vulnerat, quàm ſagitta. Sagitta enim non niſi proximè conſpectum, percutit aduerſarium: Oratio autem etiam longius poſitum vulnerat inimicum.* Plures habet Iuſtus ſecum defenſores, quàm ſint oppugnatores. *Mira res*, inquit idem Doctor, *plures è cælo defenſores meretur ſanctitas, quàm in terris oppugnatores adduxit improbitas.* Adiungit cauſſam. *ſcire enim debes, quod aduerſarij meritis magis quàm virtute vincuntur: & non tam virtute, quàm ſanctitate ſuperantur. Sicut S. Eliſeus hoſtes ſuos non armis ſuperabat, ſed oratione vincebat.* Impetrando nimirum Socialem Angelorum exercitum, qui equis & igneis curribus inſidere videbatur, pulcherrimo ad exhilarandum Prophetam, horribili ad terrendum hoſtes ſpectaculo.

ANGELI enim, quâ ſunt potentiâ, equos & currus ſpecie ignis ex aëre & nubibus, ac radijs Solis, appoſitè ad ignis colorem exhibendum, per eas trans parentibus efformarant. Quibus figuris ac ſplendoribus Eliſeo ſuam cælæſtem naturam, igneamque celeritatem, fortitudinem, vim & efficaciam repræſentabant. Et nobis repræſentarent aliquando, ſi vt oculi nobis aperirentur, noſtra mereretur oratio, aut Sancti alicuius, DEOque percari interceſſio: Orauit enim Eliſeus, & aperuit Dominus oculos pueri. *Non mirum*, ait Antiſtes Mediolanenſis, *ſi oratio aperuit oculos, vt videret exercitus: non mirum, inquam, ſi nouos inſerit oculos, qui noua promeretur auxilia. Aut cur non acies producat ob tutum, qui acies inſtruxerat Angelorum? Cur, inquam, non oratione ſua hebetudinem pupillarum detergeret, qui meritis ſuis caliginem nubium penetrauit? Neceſſariò ergo S. Eliſeus hoc facto, miniſtro formidoloſo præſtitit ſecuritatem, cui iam refuderat claritatem:* Vis & tu auxilio Socialis Angelorum exercitus hoſtibus tuis eſſe terribilis, & eius aſpectu quandoque frui? imitare Eliſeum, cuius animus erat in cælo, quamuis ipſe degeret in terrâ. *Quid mirum*, vt diſſerit S. Ambroſius, *ſi is auxilia meretur è cælo, cuius animus ſemper in cælo eſt? Sicut ait Apoſtolus:* Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt. *Ergo ſi noſtra conuerſatio in cælis eſt, & Cæleſtium conuerſatio poteſt eſſe nobiſcum, hoc eſt, vt qui vitâ viuimus, Angelorum rectè conſortium mereamur. Eſt ergo ſanctè viuentibus quædam inter ſe cognatio, coniunctio, atque ſocietas: nec intereſt, vtrum in cælis maneant, an in terris, Angelici ſint habitus vel humani, dummodò in ijs ſit eadem vita, vel ſanctitas. Conuerſatio enim connectit, quos ſeparat elementum, & diuerſis licet corporibus diuidantur, ijſdem tamen actibus coniun-*

coniunguntur. Atque ideò fit, vt Sancti ſibi quodam conſortio coherentes à ſe inuicem non diſcedant; & modò Angeli ad terras veniant, modò homines ad cæleſtia transferantur. Ac profectu meliore quibus vita communis eſt, incipiunt illis viuendi etiam elementa eſſe communia.

PORRO, quemadmodum Eliſeus vallatus ab hoſtibus corporeis, liberatus ab ijs fuit auxilio exercitus Socialis Angelorum, ita frequenter Domino militantes dum cinguntur & infeſtantur ab hoſtibus internis animæ, à Spiritibus cenodoxiæ, gaſtrimargiæ, luxuriæ, inuidentiæ, iracundiæ, acediæ, ne ſuccumbant, à cæleſtibus illis Socijs defenduntur. Expertus id fuerat S. Abbas Iſidorus, qui alteri impetrauit à DEO, vt exercitum hunc auxiliarem oculis cerneret, ne terreretur aduerſariorum multitudine. Res ita contigit, vt narratur in Vitis Patrum. B. Moſi Abbati quodam tempore tam vehementem intulit tentationem fornicationis Dæmon Aſmodæus, vt quietus in cellâ nequiret diutius permanere. Contulit ſe itaque ad Abbatem Iſidorum, ac violentiam inſultus diabolici illius magnâ cum animi mæſtitudine narrauit. Cùm autem Iſidorus, quod fieri ſolet in iſtiuſmodi certamine, multa Sacræ-Scripturæ teſtimonia produceret, quibus ei animum addere, & conſolari conabatur, & rogaret, vt in ſuam cellulam reuerteretur; id à Moſe interius turbulento impetrare non potuit. Tunc Abbas Iſidorus ad ſuæ manſiunculæ ſuperiora Moſen perduxit, eiq; dixit: reſpice ad Occidentem, & vide: vidit autem verſus illam mundi plagam innumerabilem Dæmonum multitudinem, vehementer cum furore tumultuari, & quaſi ad prælium paratos in conflictum ruere turmatim, & aduerſarios laceſſere. Dixit ei iterum Abbas Iſidorus: reſpice ad Orientem; cùmque eam in partem attentius oculos conijceret, vidit innumerabiles Angelorum copias, ad prælium æquè paratas. Tum Iſidorus: Ecce, quos in Occidente vidiſti, ipſi ſunt, qui etiam iuſtos, & Sanctos DEI infertis impugnant. Quos verò verſus Orientem conſpexiſti, hi ſunt quos in adiutorium Seruis ſuis mittit DOMINVS EXERCITVVM DEVS. Cognoſce igitur quod plures ſunt nobiſcum, quàm cum illis, ſicut dixit Eliſeus Propheta. Quia maior eſt, qui in nobis eſt, quam qui in hoc mundo. His dictis confortatus in Domino Moſes, reuerſus eſt in ſuam cellulam benedicens Dominum.

HVC facit contemplatio S. Bernardi, qui exponens militare illud ænigma Cantici Canticorum capite 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimulaui Te Amica mea*; ſic ſcribit: Anima, *nuſquam eſt ſine Angelorum cuſtodia. Et ne dixeris in corde tuo. Vbi ſunt? quis eos vidit? vidit eos Propheta Eliſeus, & fecit orando, vt videret etiam Gieſi. Tu non vides, quia non es Propheta, nec puer Prophetæ. Vidit Patriarcha Iacob, & ait:* Caſtra DEI ſunt hæc, Gen. XXXIII. *Vidit & Doctor Gentium, qui dicebat*, ad Hebr. 1. 14. Nonne omnes adminiſtratorij Spiritus ſunt, in miniſterium miſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis? *Ergo Angelicis ſuffulta miniſterijs, & ſuperno ſtipata agmine Sponſa incedens, ſimilis eſt Equitatui Domini.* Eodem ſenſu S. Gregorius Nyſſenus Oratione III. in explanatione

natione eiuſdem ſponſalitij griphi, dum proponit obſcuram inuolucro caſtrenſi quæſtionem. Quo pacto Sponſa comparari potuerit Equitatui DEI, contra currus & exercitum Pharaonis, cùm certum ſit, DEVM oppreſſiſſe Ægyptios, non turmis equitum, ſed fluctibus maris rubri? Hinc illa carmina Iſraëlitarum, Exodi XV. *Dominus quaſi vir pugnator: Omnipotens nomen eius. Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare. Abyſſi operuerunt eos: deſcenderunt in profundum quaſi lapis. In Spiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ: ſtetit vnda fluens: congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.* Nulla hic eſt mentio Equitatus DEI Pharaonem perſequentis, deturbantis, ſubmergentis. Reſpondit id factum fuiſſe virtute inuiſibili, quâ in aquis miracula ſunt edita, vt Iſraëlitis elabentibus, Pharao cum ſuis inuolueretur. Explanans autem, quæ-nam hæc virtus inuiſibilis fuerit, nominat ingentem exercitum Angelorum: de quo Propheta Habacuk cap. III. *Qui aſcendis ſuper equos tuos: & quadrigæ tuæ ſaluatio.* S. Hieronymus quoque dum exponit vaticinium Iſaiæ LXVI. *Adducent omnes fratres veſtros, & de cunctis Gentibus donũ Domino, in equis & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem Sanctum meum,* Angelos deſignari putat. *Per diuerſi generis vehicula,* inquit, *miniſteria intelliguntur Angelica.* His equis & curribus Elias raptus eſt: & Eliſeus ſe ſeruari neſcienti puero demóſtrauit. Et Zacharias Propheta cap. I. vidit in nocte equos rufos, nigros, varios, & albos: & dixit, *Qui ſunt iſti Domine mi?* & ait Angelus: *iſti ſunt, quos miſit Dominus,* in ſubſidium videlicet DEO militantium. Verùm, de Angelis, quatenus conſtituunt Equitatum Domini Exercituum, agitur ſuo loco vberius. Hic eoſdem, non niſi, quatenus ſunt Exercitus Militiæ Sacræ Socialis celebrantur.

MEMBRVM IV.

ANGELI SOCIALES

nunc in primo agmine, aut ante illud: nunc in medio, aut in poſtremo pro Socijs cum hoſte congrediuntur.

SOCII bellatores, vt ſe fideles maximè oſtendant, in primâ acie contra hoſtem ſolent agere, aut illam præcedere. Id ſolenne eſt Angelis, quando in ſubſidium ſtrenuè militãtibus veniũt Eo ſanè prælio, quo Iudas Machabæus Timotheum vicit, quinque in equis ornati, aureis armis fulgentes apparuerũt, è quibus duo Machabæum defendebant, tres alij ante primam aciem acriter hoſtes inuadebant, vt eſt libro ſecundo Machabæorum cap. X. *Cùm vehemens pugna eſſet,* inquit Sacer Scriptor, *apparuerũt aduerſarijs de cælo viri quinque,* quos Angelos fuiſſe cæleſtes dubitare non poſſumus; quo ſchemate?

Equitum...

Equitum, nam inſidebāt *equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præſtantes. Ex quibus duo Machabæum medium habentes armis ſuis circumſeptum, incolumem ſeruabant, in aduerſarios autem tela & fulmina iaciebant: ex quo & cæcitate confuſi, & repleti perturbatione cadebant. Interfecti ſunt autem viginti millia quingenti, & equites ſexcenti.* Alio item prælio, quo Iudæi contra Lyſiam dimicarunt, procedere in aëre viderunt duos Equites inſignes, quorum auxiliari manu præferocis Lyſiæ exercitus fuit proſtratus, libro ſecundo Machabæor.
,, cap. 11. Nam Machabæus, & qui
,, cum eo erant, vt cognouerunt expug-
,, nari præſidia, cum fletu & lacrymis
,, orabant Dominum, & omnis turba
,, ſimul, vt bonum Angelum mitteret
,, ad ſalutem Iſraël. Cùmque pariter
,, prompto animo procederent, Ieroſo-
,, lymis apparuit præcedens eos Eques
,, in veſte candida armis aureis haſtam
,, vibrans. Tunc omnes ſimul benedi-
,, xerunt miſericordem Dominum, &
,, conualuerunt animis, non ſolum ho-
,, mines, ſed & beſtias ferociſſimas &
,, muros ferreos parati penetrare. Ibant
,, igitur prompti, de cælo habentes Ad
,, iutorem, & miſerantē ſuper eos Do-
,, minum. Leonum autem more im-
,, petu irruentes in hoſtes, proſtraue-
,, runt ex ijs vndecim millia peditum,
,, & equitum mille ſexcentos. Vniuer-
,, ſos autem in fugam verterunt.] Tanti eſt momenti, habere in exercitu DEI Sociorum Auxilia.

QVORVM præſentaneam opem & admirabilem experti fuerunt Chriſtiani Principes frequentius, quàm Duces Iſraëlitarum. Et imprimis CONSTANTINVS M. cui auxiliaturos aduolaſſe Cælites, & interfuiſſe prælio, quo de ſummâ rerum dimicatum eſt contra Maxentium Tyrannum fatebantur olim, quia negare non poterant, Chriſtianis infenſiſſimi gentilitiæ ſuperſtitionis præcones. Audiatur Nazarius Conſtantini Panegyriſta, quamuis Ethnicus, quo nemo elegantius calamo depinxit Socialem Angelorum exercitum. *In ore*, inquit, *eſt omnium Galliarum, Exercitus viſos, qui ſe diuinitus miſſos præſeferebant. Et quãuis Cæleſtia ſub oculis hominum venire non ſoleant, quod craſſam & caligantem aciem ſimplex, & inconcreta ſubſtantia natura tenuis illudat: illi tamen Auxiliatores* (Conſtantine) *tui aſpici audiriq; patientes vbi meritum tuum teſtificati ſunt, mortalis viſus contagiũ nõ refugerunt. Sed quænam illa fuiſſe dicitur ſpecies? quæ amplitudo membrorum, quæ alacritas voluntatum? Flagrabant verendum neſcio quid vmbones coruſci, & cæleſtium armorum lux terribilis ardebat. Tales enim venerant, vt tui crederentur. Hæc ipſorum ſermocinatio, hoc inter audientes ferebant: Conſtantinum petimus Conſtantino imus auxilio.* Addit de ſuo Orator Gentilis. *Habent profectò & Diuina iactantiam, & Cæleſtia quoq; tangit ambitio illi cælo lapſi, illi diuinitus miſſi gloriabantur, quod Tibi militabant. Ducebat hos credo Conſtantius, qui terrarum triumphis altiori Tibi ceſſerat, diuinas expeditiones iam diuinus agitabat.*

EST, qui opinatur à Panegyſta deſcriptum Exercitum Socialem, ex Cælitibus quidem coactum, non tamen Angelis, ſed Beatis ad cælum tranſlatis, & Con-

ſtantino ſuppetias veniſſe Sanctos; nominatim, Thebæos, & Britannam Societatem: *Gereonem, Gregorium Maurum, Conſtantium Thebeum, Vrſulam* cum ſuis vndecim millibus. *Ætherenm, Valeriumq́, Britannos*, quos Coloniæ Agrippinæ Mater imperatoris & Eccleſiarum Helena Auguſta coluerat. Quæ ita admitto, vt tamen in hac ſacrâ expeditione plures ex Angelicis Spiritibus, ſi non omnes, fuiſſe adfirmem. Cùm enim hominibus in bello ſuppetiatum venit alij Cælites, ſigno aliquo peculiari, quales ſint, ſe prodere ſolent; vt oſtendetur, cum de ſecundo Exercitu Sociali pertractabitur. Et nunquam fortaſſe alij Beati opitulantur hominibus in Militiâ, niſi ductoribus Angelis eorumque intermiſtis copijs. Quas ſæpius opem tuliſſe Conſtantino conſtat ex Commentatione illâ, quæ fuit de MICHAELE Archangelo ARCHISTRATEGO. Poſt Conſtantinum, nominetur

THEODOSIVS, cui in celeberrima, & ab Ethnico etiam Claudiano decantata contra Eugenium Victoria duo è cæleſtibus Spiritibus Antelignani adfuerunt, vt Theodoretus refert lib. v. c. 24. Nunc, vt veteribus noua copulemus.

FERDINANDVS II. Imperator à DEI Cælitumque cultu laudatiſſimus, multa bella geſſit, ſed è quibuſcumque victoriam reportauit, eam DEO per Angelos Cælitesq́; ſuos præſentem opem ferente adſcribere potuit. Quod fecit ſanè perlibenter, dicere ſolitus re proſperè geſta, nunciatâ-ue victoriâ: *Non nobis, Domine, non nobis ſed nomini tuo da gloriam.* (a) Glorioſiſſima victoria, quam de capitaliſſimis hoſtibus obtinuit, fuit Pragenſis, (b) ſic dicta, quod cæſis ijs, ad Pragam in Albo monte, recuperatâ Regni Bohemiæ Coronâ, ipſoq́; regno, Bohemia, & adiunctis prouincijs triumphum videretur poſſe agere. Sed actum fuiſſet in prælio Montis Albani, niſi exercitus Socialis Angelorum ſubſidio veniſſet Ferdinando. Id fidem maiorem inueniet, ſi habeatur ex aduerſariorum confeſſione, quam continet colloquium duorum militum habitum Auguſtæ Vindelicorum, vbi conuenerant in eodem Hoſpitio, non diu poſt memoratam victoriam. (b). Miles vnus erat religione Catholicus, & gente nobilis, alter Dux belli è Wittembergia oriundus, qui rebellium Bohemorum caſtra ſequebatur. Huic Miles, quæſo, inquiebat, ſtrenue Domine, fas mihi ſit quærere, quî tandem fieri potuerit, vt omnis adeò animus vobis in pedes conciderit? An non vobis locus multo æquior, quàm Catholicis? An non vobis æquè ac Catholicis copioſus exercitus? An non penes vos Morauí equitatus robur? An non vos tormentorum curulium numero illic loci ſuperiores? An non feſſum Catholicorum agmen? quod vos diſpoſitâ per quietem acie excepiſtis. An non vobis vrbs à tergo munimen? vicinum palatiû, Stella nomine, pro pugnaculum? Vnde ergo Catholicis victoria, vobis fuga? Ignoſcat mihi, Domine, tuus genius: penè auſim dicere, fæminæ fuiſtis, quia noluiſtis vincere. Audijt hæc è Wittenbergiâ militiæ Dux, Et, ſi finiuiſti, ſubiunxit,

(a) *Guliel. Lamormani in Ferdinando cap. x1.* (b) *Anno* 1620. *Nouemb. Florus Forman.*
(b) *Ierem. Drexel. Heroł. Aug. cuſtod.* 150.

iunxit, quæ in nos promere volebas, & me audi.

PVGNÆ ratio hæc fuit. Nos nec noſtras, nec hoſtium vires ignorauimus; quis vtrimque numerus eſſet legionum ſciuimus; & ita equitatum equitatui, turmas turmis, legionem legioni oppoſuimus, prout licuit. Certè, hic Ducum nec induſtria accuſari poteſt, nec prudentia. Arma nobis cum hoſte paria fuerunt, Locus fateor nobis æquior fuit, ac opportunior quàm hoſti: ex edito pugnabamus in ſubeuntes. Sed & alia, non nego, Bohemorum parti contra Bauarum militem fauebant, ideoque victoriæ iam ferè certi, non ſicut illi, diu deliberandum de ineundo conflictu cenſuimus: è re noſtra eſſe viſum eſt plerisque omnibus, CONFLIGERE. At verò poſt aliquod pugnæ felix initium, noua nobis ex aduerſo Caſtra ſtare, Gens incognita, & nunquam viſa ſe opponere, Legio ſe oſtendere, de quâ nihil vnquam nobis innotuerat. Hic mihi crede, Domine, ea omnium animos inuaſit cõſternatio, vt nemo niſi fugam cœperit circumſpicere. Nec eſt, quod quis adeò id nobis vitio vertat. Ipſi equi ſtabant, & tremebant. Mox partes noſtræ labare, dein multùm inclinare, inde ruere: demum, omnes apertiſſimè fugere. Et ſanè plures noſtri in fugâ cæſi, quàm in pugnâ. Quæ autem, quæſo, hæc inuiſa fuit Legio? quæ acies incognita? quæ noua Caſtra? profectò, non alia quàm Socialis Exercitus Spirituum Angelicorum miſſus in ſubſidium Imperatori Orthodoxo, Catholico, DEI, Angelorumque cultori eximio.

MEMBRVM V.

ANGELI SOCIALES.

Hoſtes Sociorum in caſtris opprimunt.

CASTRA hoſtium fortiter aggredi, in ijsque aduerſarios opprimere, ſolet eſſe ſtratagema Socialis exercitus: quo vtuntur, cùm id expedire iudicant Angeli, vt hoſtilem exercitum intra munitiones ſuas ſecurum circumueniant, ac deleant: Libro quarto Reg cap. XIX. cùm Rex Aſſyriorum miſiſſet validam manum ſuorum ſub Rabſace, vt cingerent Ieruſalem, & multa minitarentur Duces exercitus, atque inſultarẽt Ezechiæ, cui obijciebant, cap. XVIII. 19. *Quæ eſt iſta fiducia, quâ niteris? forſitan iniſti conſilium, vt prapares te ad præliũ? In quo confidis, vt audeas rebellare? An ſperas in baculo arundineo atque confracto, Ægypto, ſuper quem, qui incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam? Sic eſt Pharao Rex Ægypti omnibus qui confidunt in ſe. Quod ſi dixeris, in Domino DEO noſtro habemus fiduciam: nonne iſte eſt, cuius abſtulit Ezechias excelſa & altaria? & præcepit Iuda & Ieruſalem: ante altare hoc adorabitis in Ieruſalem? An fiduciam habes in Ægypto propter currus & equites?* Ita illi, iamque perurgebant deditionem, & res planè deploratæ videbantur,

debantur, nec vlla ſpes auxilij affulgebat; miſit ſummus bellorum moderator ad pientiſſimum Regem Ezechiam ſibi familiarem Prophetam, qui bono animo eſſe iuberet, hac pollicitatione addita: *Non ingredietur Rex Aſſyriorum vrbem, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. Per viam quâ venit reuertetur: & ciuitatem non ingredietur. Protegam vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.*

TVM verò nocte amandauit auxiliū ex Sociali Angelorum exercitu. E quo vnus aliquis aggreſſus ſtratagema, rem momento confecit: nam percuſſit Angelus Domini in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. *Cùmq; diluculò ſurrexiſſet*, qui duxerat exercitum, *vidit omnia corpora mortuorum & recedens abijt, & reuerſus eſt Sennacherib Rex Aſſyriorum.* Tantæ potentiæ eſt vel vnus ex Sociali Cælitum exercitu, dignus, cuius memoria renouetur colaturque à Militibus Chriſtianus. Quod fecerunt maiores noſtri, qui fuſili ex ære ſtatuâ Angelum hunc, qui Aſſyriorum caſtra funeribus oppleuit, honorarunt. Eam ſe ſpectaſſe D. Chryſoſtomus (a) ante mille ducentos & amplius annos teſtatur, nō ſine ſenſu pietatis & lacrymis. Vtinam hoc tempore in exercitu Catholico videndum ſe aliquando præberet, & potentia ſua vteretur Auxiliaritor Angelus!

(a) *S. Chryſoſt. Orat. quod idem ſit legislator veteris & noui Teſt.*

MEMBRVM VI.

ANGELI SOCIALES

Caſtrorum in morem circumdant, & protegunt ſibi commiſſos, ſi in periculo ſint conſtituti.

DE vno hoc pronunciat Dauid Pſalmo XXXIII in quo gratias agit DEO quod euaſerit periculum tantum, vt nihil propius eſſet, quàm vt incidiſſet in manus ſuorum aduerſariorum: *Benedicam Dominum in omni tempore. ſemper laus eius in ore meo. Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Ita ſolet facere DEVS dum videt infeſtari iuſtum, quem tuetur, vel per ſe, vel per Angelum, cui mandauit cuſtodire ſibi carum. Pſalmo XXXIII. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Quo alludi putat Theodotus ad Angelum, qui Aſſyrios interfecit pugnantes contra Ezechiam: eſt tamen vniuerſale pronunciatum ſummæ conſolationis, cum eſt in extremo periculo Chriſti Miles; tunc enim immittit, vel emittit Angelus Domini, aut Angelum Dominus, vt Caſſiodorus legit, & caſtrametatur, vel caſtra figit aut locat, quaſi tentorijs diſpoſitis, vt in modum coronæ cingat ſocios, quos tuendos ſuſcepit. Ipſe ſe immittet, vt exponit D.

Baſilius ac locabit more caſtrorum, ſimulque pugnabit, vt ait Theodorus Interpres. Aut immittet præſidium ſuum, quo muniat, ac veluti cingat circumpoſitis caſtris, dipoſitiſque vigilijs.

AT vnus-ne, aut plures? Dum dicitur Angelus collectiuè plures ſignificare poteſt. Sic vidit Eliſeus, (a) & oſtendit puero ſuo *montem plenum equorum & curruum igneorum*, hoc eſt, Angelorum, qui tuerentur ipſos: & ſub Machabæo, viſi ſunt ſuper Ieruſalem *diebus quadraginta per aëra equites diſcurrentes,* (b) atque cohortes dimicantes: & Iacob obuiam ſibi factos Angelos *Caſtra DEI* nominauit: (c) & Chriſtus duodecim legiones Angelorum. ſi vellet, aduocare ſe poſſe dicebat, contra illos, qui comprehendere ipſum volebant: & eidem plures dicuntur miniſtraſſe. Nihilominus, per vnicum Angelum auxiliarem, Dominus Exercituum nonnunquam efficit illa, quæ caſtrorum opus eſſe videntur, cùm vnius, quod monent, Baſilius Euthymius, Nicephorus, tanta ſit potentia, vt cum integris caſtris comparari poſſit. Vnicus erat Angelus, qui Aſſyriorum caſtra tot tantiſque funeribus cumulauit. Et ſufficeret ſatis ſuperque ſemper vnus ad grandia & miranda opera: tamen placet DEO interdum multos, aliquando plurimos ſubmittere ad opus vnum eximium, vt ſic maiorem terrorẽ hoſtibus incutiat, & intelligant homines, propè innumerabilem eſſe numerum Militum eius, Iob xxv qui omnes ſunt administratorij Spiritus, & mitti poſſint, DEO mandante, propter eos, qui hereditatem capient ſalutis Hebr. I. Nam *idem quaſi iugum*, vt loquitur Cyrillus Alexandrinus, in cap. VI. Iſaiæ, *eſt omnibus Sanctis Spiritibus, & herili muneri ſeruiunt, non indignam cenſentes virtutem, ſed honori laudiq; ducentes.*

QVAM benè prouiſum eſt Chriſti Militibus, quos talis circumdat acies ſocialis! quæ nonnunquam vnicam cingit Animam ad tutelam. Et ſunt ſanè præclari Interpretes, qui ex illo loquendi modo, quo dicuntur Angeli caſtra metari in circuitu timentium, colligunt, Angelos circum animas, quas cuſtodiunt, verſari & operari, quamuis ſubire, penetrare, illabi in ipſas, & immiſcere ſe non poſſint, ſeu infundi ac implere, vt loquũtur, præter S. Bernardum, (d) Patres à Magiſtro (e) ſententiarum nominati. Licet Origenes, (f) intra nos etiam ſcribat multos Angelos eſſe: & adducit illud Pſalmi CII. *Benedic anima mea Domino & omnia, quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.* Certius eſt, quod ſint in circuitu timentium Dominum, vel in *gyro*, vt habet Eutychianus Papa Ep. 2. Quo facit etiam illud Zachariæ IX. *Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi, euntes & reuertentes*, quod S. Hieronymus exponit de Angelis Tutelaribus. Quamuis autem vnum quilibet ordinarium habeat, tamen ad vnius etiã ſolius cuſtodiam vel curam in aliqua re particulari, plures interdum deſtinantur. Quos haud malè dicas deſignatos per *Sexaginta fortiſſimos*, illos, qui *ambiebant*

(a) *Lib. IV. Reg VI.* (b) *Lib. 2. Machab. V.* (c) *Geneſ. XXXII. Matth. XXVI. Matth. IV.*
(d) *S. Bern. Serm. 5. in Cant.* (e) *Mag. 2. diſt. 8. litt. a.* (f) *Orig. hom. 9. in Ieſ.*

ambiebant lectum Salomonis, vt eſt Canticorum I. *accinctos gladio, & ad bella doctiſſimos, propter timores nocturnos*, Item, per Clypeorum & omnis generis armaturæ multitudinem pendentem ex Turri Dauid, Cant. IV. vt Gregorius Nyſſenus exponit homilia VII. Porro, illud Zachariæ, *Circumdabo domum meam*; quæ eſt Eccleſia Chriſto Militans, & Anima Iuſti licet vertere ex Hebræo (a). *Caſtra metabor Domui meæ*: vel, *Ponam caſtra circa Domum meam*. vt eam propugnem. Tigurinus legit, *Circumducam caſtrum domui meæ*. Pagninus: *Ero ſicut caſtra domus meæ*. Omnia eò tendunt, vt indicent, inſtar caſtrorum à bonis Angelis vallari ac defendi exercitum Deo militantem, contra euntes & reuertentes prædatores vaſtatoreſque.

HVC etiam facit Domini promiſſum apud eundem Prophetam capite ſecundo: *Ego ero ei, ait Dominus, Murus ignis in circuitu*. Chaldæus habet: *Murus igneus illam per circuitum ambiens*. Non eſt quod metuat hoſtes, ſiue noctu, ſiue interdiu, ſiue ſit in vrbe, ſiue extra illam in campo libero; ecce enim promitto, quod ego ipſe ero pro muro; eoque non lapideo, ſed igneo: Ego inſtar Muri eam cingam & tutabor, ſoloque aſpectu hoſtes fugabo. *Montes in circuitu eius*, nempe Ieruſalem, aut aliarum ciuitatum, *At Dominus in circuitu populi ſui*, Pſalm. CXXIV. Ille murus ſublimis, ſolidus, igneus, inexpugnabilis. *Ipſe murus & antemurale* Iſaiæ XXVI. *Ipſe murus ignis: qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis*, Hebræor. I. 7. vt & ipſi ſint Murus igneus, & caſtra ignea, ſicut viſi ſunt ſpecie equorum & curruũ igneorum defendentium Eliſeum eiuſque Congregationem contra exercitum Syrorum. (b) Ita & Eliam curru igneo ad quem Dæmones accedere non auderent, rapuerunt in cælum. (c) Quid mirum, terreri abigique hoſtes ad conſpectum murorum, caſtrorum, curruum, equitum igneorum, flammas eiaculantium.

CVM Gainas (d) gente Scytha magiſter militum hæreticus Arianus, ſtudio tyrannidis vehementer elatus adipiſci deſideraret Imperium, quamuis pridem fidem addixiſſet Chalcedone apud B. Martyrem Ephemiam Imperatori Arcadio; moliebatur clam quicquid poterat contra vrbem Conſtantinopolitanam. Et quoniam clara luce nihil proficeret, conabatur noctu barbaros immittere, qui palatium concremarent. Sed reperit ſibi obſiſtentem exercitum Socialem Catholicorum, & Murum igneum Conſtantinopoleos. Siquidem miſſis ab eo barbaris ad incendium ac prædas, Angelorum turba apparuit armatorum, ingentia corpora habentium. Illi verò putantes eſſe Milites in ſe armatos abceſſerunt. Hoc cùm Gainæ fuiſſet nunciatum, incredibile ei viſum eſt: nouerat enim omnem exercitum per ciuitates conſtitutum. Quapropter denuò ſequenti nocte alios deſtinauit. Cùmque idem ei renunciatum fuiſſet; nam iteratò Angeli caſtrorum in morem videndos ſe præbuerant; tandem, ipſe fortunam tentare voluit; congregatâ ergo multitudine

(a) חניתי *Chaniti*, *Zachariæ* IX. 8. (b) *Lib.* IV. *Reg.* 6. (c) *Lib.* IV. *Reg.* 2. (d) *Hiſt. Tripert. lib.* X. *cap.* 6. *Socrat. lib.* VI. *cap.* 5.

tudine progreſſus ad vrbem, miraculi experimentum ſumpſit, repulſus ab ijs, qui in modum coronæ vrbem cuſtodiebant, & erant ei tanquam Murus igneus, illi ſimilis, quo cinctum fuiſſe Paradiſum (a) quidam cum Lactantio (b) autumant, ita intelligentes flammeum gladium quo Angelus Paradiſum cuſtodiebat.

VT autem contra hoſtes viſibiles, ſic & contra inuiſibiles Angeli ſunt in circuitu timentium Dominum, ac metantur caſtra; & Saluator ipſe, vt *Murus & ante murale*, ſecundum pollicitationem, Iſaiæ XXVI. *Ego ero ei murus ignis in circuitu.* Quod ita exponit Theodoretus Zachariæ ſecundo. *Mea benignitate ero ei Murus, qui tranſcendi non poſſit. Nam ſicut pyra ingens tranſiliri nequit, ſic vinci non poteſt, qui gratia DEI cuſtoditur.* Magno animo Miles Chriſtiane. Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereunt peccatores à facie DEI. Quis itaque hoſtem timeat? quis de inimicis magnoperè ſit ſolicitus? etenim DEVS cuſtos tutorq; noſter *Ignis conſumens eſt*, Hebræor. XII. qui ſecum ducit exercitum Socialem peditum equitumque igneorum, quos prote vigilare, & ciuitatis caſtrorumq; portas cuſtodire iubet. Nam de ijs intelligit Epiſcopus Abulenſis illud Iſaiæ LXII. *Super Muros tuos Ieruſalem conſtitui Cuſtodes tota die ac nocte, perpetuò non tacebunt*, id eſt, nunquam ceſſabunt vigilare, teque monere, vt hoſtium tum viſibiliū, nempe Dæmonum inſidias, & Concupiſcentiarum illecebras caueas. De Angelis quoque hoc accipiunt S. Hieronymus, Hugo & S. Bernardus, Serm. IV. de dedic. Eccl. Angeli enim ſunt reuera Cuſtodes Eccleſiæ Militantis, & fidelium omnium, qui eos ab hoſtibus tuentur.

(a) *Geneſ.* 3. 24. (b) *Lib.* 2. *Inſt. cap.* 3.

MEMBRVM VII.

ANGELI SOCIALES

Pro Socijs, & cum ijs fortiter pugnando victoriam pariunt.

HIC copia exemplorum obruimur: nam præter illa, quæ ad hoc caput ex ſuperioribus referri poſſunt, ſunt alia quam plurima, è quibus ſelectiſſima ſubiungemus. IOSAPHATVS vt narratur lib. II. Paralip. cap. 20. Iudæorum Imperator de Moabe & Ammone ingentibus copijs Iudæam infeſtantibus, nobiliſſimam victoriam reportauit. Nā cùm DEVM inuocans, auxiliarem de cælo manum impetraſſet, animatus fuit à Iahaziel Zachariæ F. DEI nomine ſpondente, poſtero die è cælo adfore præſidium, ipſumque Cælitum Imperatorem pro Rege & plebe pugnaturum. Quod factum: ſiquidem, altera die progreſſus Ioſaphatus cum exercitu, præire iuſſit, & præcinere cantores ſuos carmem Dauidicum, ex Pſalmo CXXXV. *Confitemini Domino, quoniam in æternum miſericor-*

dia eius. Vix carmen occinere cœperant muſici, cùm hoſtes territi fortaſſe viſis Cæleſtibus, in ſuamet ferrum viſcera cõuerterunt, & ſe ipſos miranda, miſerandáque cæde ſtrauerunt, mactarunt, & conciderunt.

ANNO MCDLXXXIV. Congenſe regnum Luſitanorum claſſibus patuit. Cùm autem Chriſto nomen dediſſet Rex, vnà cum multis ſuorum, victoriam mirabiliter de rebellibus Cælitum ope obtinuit, Vexillo Crucis in prælium educto. Ioanni nomen huic Regi fuit. Eo defuncto, filius natu maior Alphonſus ſequebatur; minor erat omninò alienus à Chriſtianis ſacris: quocirca in certamen adquirendi regni venerunt. Innumeri, qui nondum Chriſtum colebant, natu minorem ſequebantur, & maximas copias aduerſus alterum paucis ſtipatum militibus educebant. Ventum tandem ad pugnam. Vix initum prælium, Chriſti hoſtes in fugam ſe protinus ſubito pauore correpti dederunt. Dux exercitus hoſtilis captus palam confeſſus eſt, ſe magnam militum copiam, equis inſidentem, & Crucibus inſignitam, tantaque luce ſplendentem, vt oculos omnium perſtringeret conſpexiſſe in ipſo conflictu: eius autem metu perterritum cum ſuis ſe fugæ commiſiſſe. Ita ferè Oſorius, *(a)* & ex illo Thomas Bozius. *(b)* Paullò expreſſius Maffæus. *(c)* qui Ducem è fugâ retractum, ſcribit narraſſe, quod viderat ipſo congreſſus initio circa Alphonſum apparuiſſe viros humana ſpecie auguſtiores; ipſius, quam Luſitani adorarent, Crucis nota diſtinctos, clariſſima circumfuſos luce, vultu acerrimo præliantes. Eo autem viſo milites ſuos ingenti horrore perfuſos, ex templò ſe in fugam dediſſe. Itaq; ſibi non eſſe iam dubium, quin, præter Chriſtianorum DEVM, nemo vel in terris, vel in cælis colendus adorandusque ſit. Quare manus & ipſe dedit, ac per baptiſmum Chriſtianis ſacris mox fuit initiatus.

ANNO DCI. qui numeratur quintus Regum Francorũ Theodeberti & Theodorici fratrum conflatum fuit ciuile bellum inter eos atque Clotharium filium Regis Chilperici, Heredem verò Guntheramni, magnaqúe facta vtrimque cæde, ceſſit tandem victoria Theodeberto ac Theodorico; cuius potiſſimùm virtute? vnius ex Sociali exercitu: nam in ipſa pugna Angelus Domini adſtans euaginatum viſus eſt tenuiſſe gladium, vt ex Aimonio *(d)* narrat Baronius.

* * *

(a) *Lib.* III. *hiſt.* (b) *Lib.* V. *de ſignis Eccl.* (c) *Hiſt. Ind.* (d) *Aimon. de reb. Fran, lib.* 3. *cap.* 87. & 88. *Baron. Tom.* 8. *Ann.* 601. *n.* 30.

MEM-

MEMBRVM VIII.

ANGELI SOCIALES

Tam in maritimâ, quàm in terreſtri Militiâ Socijs opitulantur. Nec in duello deſerunt.

QVOD probè intellexit inuictiſſimus Rex Portugalliæ Emmanuel, qui idcirco primariæ naui ſuæ claſſis, quæ ad Indias nouum ſubactura orbem deſtinabatur, nomen impoſuit, GABRIEL ARCHANGELVS. Nimirum, vt exercitus, qui illa vehebatur ad expugnationem Indiarum, non tam dominandi cupidine, quàm deſiderio ſeminandi Euangelium, protectione & cuſtodiâ frueretur illius Archangeli, qui primus Euangelicæ renouationis nuncium inueterato mundo attulerat. Sed multo ante in nauali prælio, Chriſtiani Gabrielis opem experti fuerant. Rem fusè narrat Cæſar Baronius: (*b*) breuius hic pono, quæ ad noſtrum titulum ſpectant.

IVSTINVS Imperator auditâ Homeritarum Chriſtianorum ſtrage per Dunaan Regem tyrannum Apoſtatam Hebræum diriſſimè perpetratâ, excitauit Eleſbaan Regem Æthiopum Chriſtianũ ad vltionem. Is omnium quæ facta fuerant conſcius, cùm validum collegiſſet exercitum, miſit quindecim millia Æthiopum ad Homeritidis partes magis occidentales, ipſe per mare claſſem duxit, vt ſic hoſtes coërceret. Antequam autem nauigaret, venit ad templum, vbi inſignibus regijs depoſitis, ingreſſus illud eſt habitu priuato. Stans autem ex aduerſo aræ, cum DEVM multum oraſſet, & ſanctum Monachum conſuluiſſet, benedictione ab eo acceptâ, abijt lætus: & cùm iuſſiſſet ne exercitus plus quàm viginti dierum viaticum ferret, nauigauit. Sed neque negligens fuit Rex Homeritarum: validum enim inducens exercitum, venit in eum locum, vbi expectabatur Rex Æthiopum: cuius milites aliqui ex inſperato aduenientes plurimos trucidarunt ex aduerſarijs. At reliqua pars militum Chriſtianorum ſummâ rerum inopiâ laborabat in mari, & ab hoſte irruente ſummoperè premebatur. Illi verò ad pietatis remedia confugientes, longâ ſupplicatione factâ, & ſacrâ communione ſumptâ cum lacrymis Domini inuocabant auxilium. Ipſe autem eos audiuit: & ſtatim vox quædã fuit de cælis audita, & ter nomen Archãgeli, GABRIEL, GABRIEL, GABRIEL. Confidentes ergo Æthiopes, cùm deſcendiſſent de nauibus, & manus conſeruiſſent cum hoſtibus, eos fuderunt, & omnes interfecerunt, etiam Regem catenâ vinctum. Iam duellum ſpectare & in eo Sociale Angelorum auxilium.

VENCESLAVS Bohemiæ Rex, cum occurriſſet in finibus Duci Carinenſi, qui exercitum inimicum inducere cœperat, & iam proxima quæque vaſtabat, obtu-

(a) *Maffeus lib. 1. hiſt. Ind.* (b) *Anno* 524.

natione eiuſdem ſponſalitij griphi, dum proponit obſcuram inuolucro caſtrenſi quæſtionem. Quo pacto Sponſa comparari potuerit Equitatui DEI, contra currus & exercitum Pharaonis, cùm certum ſit, DEVM oppreſſiſſe Ægyptios, non turmis equitum, ſed fluctibus maris rubri? Hinc illa carmina Iſraëlitarum, Exodi XV. *Dominus quaſi vir pugnator: Omnipotens nomen eius. Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare. Abyſſi operuerunt eos: deſcenderunt in profundum quaſi lapis. In Spiritu furoris tui congregata ſunt aquæ: ſtetit vnda fluens: congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.* Nulla hîc eſt mentio Equitatus DEI Pharaonem perſequentis, deturbantis, ſubmergentis. Reſpondit id factum fuiſſe virtute inuiſibili, quâ in aquis miracula ſunt edita, vt Iſraëlitis elabentibus, Pharao cum ſuis inuolueretur. Explanans autem, quæ-nam hæc virtus inuiſibilis fuerit, nominat ingentem exercitum Angelorum: de quo Propheta Habacuk cap. III. *Qui aſcendes ſuper equos tuos: & quadrigæ tuæ ſaluatio.* S. Hieronymus quoque dum exponit vaticinium Iſaiæ LXVI. *Adducent omnes fratres veſtros, & de cunctis Gentibus donũ Domino, in equis & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem Sanctum meum*, Angelos deſignari putat. *Per diuerſi generis vehicula*, inquit, *miniſteria intelliguntur Angelica.* His equis & curribus Elias raptus eſt: & Eliſeus ſe ſeruari neſcienti puero demõſtrauit. Et Zacharias Propheta cap. I. vidit in nocte equos rufos, nigros, varios, & albos: & dixit, *Qui ſunt iſti Domine mi?* & ait Angelus: *iſti ſunt, quos miſit Dominus*, in ſubſidium videlicet DEO militantium. Verùm, de Angelis, quatenus conſtituunt Equitatum Domini Exercituum, agitur ſuo loco vberius. Hic eoſdem, non niſi, quatenus ſunt Exercitus Militiæ Sacræ Socialis celebrantur.

MEMBRVM IV.

ANGELI SOCIALES

nunc in primo agmine, aut ante illud: nunc in medio, aut in poſtremo pro Socijs cum hoſte congrediuntur.

SOCII bellatores, vt ſe fideles maximè oſtendant, in primâ acie contra hoſtem ſolent agere, aut illam præcedere. Id ſolenne eſt Angelis, quando in ſubſidium ſtrenuè militãtibus veniũt. Eo ſanè prælio, quo Iudas Machabæus Timotheum vicit, quinque in equis ornati, aureis armis fulgentes apparuerũt, è quibus duo Machabæum defendebant, tres alij ante primam aciem acriter hoſtes inuadebant, vt eſt libro ſecundo Machabæorum cap. X. *Cùm vehementis pugna eſſet*, inquit Sacer Scriptor, *apparuerũt aduerſarijs de cælo viri quinque*, quos Angelos fuiſſe cæleſtes dubitare non poſſumus; quo ſchemate

Equitum

Equitum, nam inſidebāt *equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præſtantes. Ex quibus duo Machabæum medium habentes armis ſuis circumſeptum, incolumem ſeruabant, in aduerſarios autem tela & fulmina iaciebant: ex quo & cæcitate confuſi, & repleti perturbatione cadebant. Interfecti ſunt autem viginti millia quingenti, & equites ſexcenti.* Alio item prælio, quo Iudæi contra Lyſiam dimicarunt, procedere in aëre viderunt duos Equites inſignes, quorum auxiliari manu præferocis Lyſiæ exercitus fuit proſtratus, libro ſecundo Machabæor. „ cap. 11. Nam Machabæus, & qui „ cum eo erant, vt cognouerunt expug- „ nari præſidia, cum fletu & lacrymis „ orabant Dominum, & omnis turba „ ſimul, vt bonum Angelum mitteret „ ad ſalutem Iſraël. Cùmque pariter „ prompto animo procederent, Ieroſo- „ lymis apparuit præcedens eos Eques „ in veſte candida armis aureis haſtam „ vibrans. Tunc omnes ſimul benedi- „ xerunt miſericordem Dominum, & „ conualuerunt animis, non ſolum ho- „ mines, ſed & beſtias ferociſſimas & „ muros ferreos parati penetrare. Ibant „ igitur prompti, de cælo habentes Ad- „ iutorem, & miſerantē ſuper eos Do- „ minum. Leonum autem more im- „ petu irruentes in hoſtes, proſtraue- „ runt ex ijs vndecim millia peditum, „ & equitum mille ſexcentos. Vniuer- „ ſos autem in fugam verterunt.] Tanti eſt momenti, habere in exercitu DEI Sociorum Auxilia.

Quorum præſentaneam opem & admirabilem experti fuerunt Chriſtiani Principes frequentius, quàm Duces Iſraëlitarum. Et imprimis Constantinus M. cui auxiliaturos aduolaſſe Cælites, & inter fuiſſe prælio, quo de ſummâ rerum dimicatum eſt contra Maxentium Tyrannum fatebantur olim, quia negare non poterant, Chriſtianis infenſiſſimi gentilitiæ ſuperſtitionis præcones. Audiatur Nazarius Conſtantini Panegyriſta, quamuis Ethnicus, quo nemo elegantius calamo depinxit Socialem Angelorum exercitum. *In ore*, inquit, *eſt omnium Galliarum, Exercitus viſos, qui ſe diuinitus miſſos præſeferebant. Et quāuis Cæleſtia ſub oculis hominum venire non ſoleant, quod craſſam & caligantem aciem ſimplex, & inconcreta ſubſtantia natura tenuis illudat: illi tamen Auxiliatores* (Conſtantine) *tui aſpici audiriq́, patientes vbi meritum tuum teſtificati ſunt, mortalis viſus contagiū nō refugerunt. Sed quænam illa fuiſſe dicitur ſpecies? quæ amplitudo membrorum, quæ alacritas voluntatum? Flagrabant verendum neſcio quid vmbones coruſci, & cæleſtium armorum lux terribilis ardebat. Tales enim venerant, vt tui crederentur. Hæc ipſorum ſermocinatio, hoc inter audientes ferebant: Conſtantinum petimus Conſtantino imus auxilio.* Addit de ſuo Orator Gentilis. *Habent profectò & Diuina iactantiam, & Cæleſtia quoq́ tangit ambitio. Illi cælo lapſi, illi diuinitus miſſi gloriabantur, quod Tibi militabant. Ducebat hos credo Conſtantius, qui terrarum triumphis altiori Tibi ceſſerat, diuinas expeditiones iam diuinus agitabat.*

Est, qui opinatur à Panegyſta deſcriptum Exercitum Socialem, ex Cælitibus quidem coactum, non tamen Angelis, ſed Beatis ad cælum tranſlatis, & Con-

ſtantino ſuppetias veniſſe Sanctos; nominatim, Thebæos, & Britannam Societatem: *Gereonem, Gregorium Maurum, Conſtantium Thebæum, Vrſulam* cum ſuis vndecim millibus, *Ætherenum, Valeriumq́ Britannos*, quos Coloniæ Agrippinæ Mater Imperatoris & Eccleſiarum Helena Auguſta coluerat. Quæ ita admitto, vt tamen in hac ſacrâ expeditione plures ex Angelicis Spiritibus, ſi non omnes, fuiſſe adſtruem. Cùm enim hominibus in bello ſuppetiatum veniūt alij Cælites, ſigno aliquo peculiari, quales ſint, ſe prodere ſolent; vt oſtendetur, cum de ſecundo Exercitu Sociali pertractabitur. Et nunquam fortaſſe alij Beati opitulantur hominibus in Militiâ, niſi ductoribus Angelis eorumque intermiſtis copijs. Quas ſæpius opem tuliſſe Conſtantino conſtat ex Commentatione illâ, quæ fuit de MICHAELE Archangelo ARCHISTRATEGO. Poſt Conſtantinum, nominetur

THEODOSIVS, cui in celeberrima, & ab Ethnico etiam Claudiano decantata contra Eugenium Victoria duo è cæleſtibus Spiritibus Anteſignani adfuerunt, vt Theodoretus refert lib. v. c. 24. Nunc, vt veteribus noua copulemus.

FERDINANDVS II. Imperator à DEI Cælitumque cultu laudatiſſimus multa bella geſſit, ſed è quibuſcumque victoriam reportauit, eam DEO per Angelos Cæliteſq; ſuos præſentem opem ferente adſcribere potuit. Quod fecit ſanè perlibenter, dicere ſolitus re proſperè geſta, nunciatâ ue victoriâ: *Non nobis, Domine, non nobis ſed nomini tuo de gloriam.* (*a*) Glorioſiſſima victoria, quam de capitaliſſimis hoſtibus obtinuit, fuit Pragenſis, (*b*) ſic dicta, quod cæſis ijs, ad Pragam in Albo monte, recuperatâ Regni Bohemiæ Coronâ, ipſoq; regno, Bohemia, & adiunctis prouincijs triumphum videretur poſſe agere. Sed actum fuiſſet in prælio Montis Albani, niſi exercitus Socialis Angelorum ſubſidio veniſſet Ferdinando. Id fidem maiorem inueniet, ſi habeatur ex aduerſariorum confeſſione, quam continet colloquium duorum militum habitum Auguſtæ Vindelicorum, vbi conuenerant in eodem hoſpitio, non diu poſt memoratam victoriam. (*b*) Miles vnus erat religione Catholicus, & gente nobilis, alter Dux belli è Wirtembergia oriundus, qui rebellium Bohemorum caſtra ſequebatur. Huic Miles, quæſo, inquiebat, ſtrenue Domine, fas mihi ſit quærere, quî tandem fieri potuerit, vt omnis adeò animus vobis in pedes conciderit? An non vobis locus multo æquior, quàm Catholicis? An non vobis æquè ac Catholicis copioſus exercitus? An non penes vos Moraui equitatus robur? An non vos tormentorum curulium numero illic loci ſuperiores? An non feſſum Catholicorum agmen? quod vos diſpoſitâ per quietem aciem excepiſtis. An non vobis vrbs à tergo munimen? vicinum palatiū, Stella nomine, pro pugnaculum? Vnde ergo Catholicis victoria, vobis fuga? Ignoſcat mihi, Domine, tuus genius: penè auſim dicere, fæminæ fuiſtis, quia noluiſtis vincere. Audijt hæc è Wirtenbergiâ militiæ Dux, Et, ſi finiuiſti, ſubiunxit,

(a) *Guliel. Lamormaini in Ferdinando cap. x1.* (b) *Anno 1620. Nouemb. Florus Germ.*
(b) *Ierem. Drexel. Herol. Aug. cuſtod. 150.*

iunxit, quæ in nos promere volebas, & me audi.

Pvgnæ ratio hæc fuit. Nos nec noſtras, nec hoſtium vires ignorauimus; quis vtrimque numerus eſſet legionum ſciuimus; & ita equitatum equitatui, turmas turmis, legionem legioni oppoſuimus, prout licuit. Certè, hic Ducum nec induſtria accuſari poteſt, nec prudentia. Arma nobis cum hoſte paria fuerunt, Locus fateor nobis æquior fuit, ac opportunior quàm hoſti: ex edito pugnabamus in ſubeuntes. Sed & alia, non nego, Bohemorum parti contra Bauarum militem fauebant, ideoque victoriæ jam ferè certi, non ſicut illi, diu deliberandum de ineundo conflictu cenſuimus: è re noſtra eſſe viſum eſt pleriſque omnibus, Confligere. At verò poſt ali quod pugnæ felix initium, noua nobis ex aduerſo Caſtra ſtare, Gens incognita, & nunquam viſa ſe opponere, Legio ſe oſtendere, de quâ nihil vnquam nobis innotuerat. Hic mihi crede, Domine, ea omnium animos inuaſit cõſternatio, vt nemo niſi fugam cæperit circumſpicere. Nec eſt, quod quis adeò id nobis vitio vertat. Ipſi equi ſtabant, & tremebant. Mox partes noſtræ labare, dein multum inclinare, inde ruere: demum, omnes apertiſſimè fugere. Et ſanè plures noſtri in fugâ cæſi, quàm in pugnâ. Quæ autem, quæſo, hæc inuiſa fuit Legio? quæ acies incognita? quæ noua Caſtra? profectò, non alia quàm Socialis Exercitus Spirituum Angelicorum miſſus in ſubſidium Imperatori Orthodoxo, Catholico, Dei, Angelorumque cultori eximio.

Membrvm V.

ANGELI SOCIALES.

Hoſtes Sociorum in caſtris opprimunt.

Castra hoſtium fortiter aggredi, in ijſque aduerſarios opprimere, ſolet eſſe ſtratagema Socialis exercitus: quo vtuntur, cùm id expedire iudicant Angeli, vt hoſtilem exercitum intra munitiones ſuas ſecurum circumueniant, ac deleant: Libro quarto Reg cap. xix. cùm Rex Aſſyriorum miſiſſet validam manum ſuorum ſub Rabſace, vt cingerent Ieruſalem, & multa minitarentur Duces exercitus, atque inſultarẽt Ezechiæ, cui obijciebant, cap. xviii. 19. *Quæ eſt iſta fiducia, quâ niteris? forſitan iniſti conſilium, vt præpares te ad prælium* [illegible] *In quo confidis, vt audeas rebellare? An ſperas in baculo arundineo atque confracto, Ægypto, ſuper quem, qui incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam? Sic eſt Pharao Rex Ægypti omnibus qui confidunt in ſe. Quod ſi dixeris, in Domino DEO noſtro habemus fiduciam: nonne iſte eſt, cuius abſtulit Ezechias excelſa & altaria? & præcepit Iuda & Ieruſalem: ante altare hoc adorabitis in Ieruſalem? An fiduciam habes in Ægypto propter currus & equites?* Ita illi, iamque perurgebant deditionem, & res planè deploratæ videbantur,

debantur, nec vlla ſpes auxilij affulgebat; miſit ſummus bellorum moderator ad pientiſſimum Regem Ezechiam ſibi familiarem Prophetam, qui bono animo eſſe iuberet, hac pollicitatione addita: *Non ingredietur Rex Aſſyriorum vrbem, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. Per viam quâ venit reuertetur: & ciuitatem non ingredietur. Protegam vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.*

TVM verò nocte amandauit auxiliū ex Sociali Angelorum exercitu. E quo vnus aliquis aggreſſus ſtratagema, rem momento confecit: nam percuſſit Angelus Domini in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. *Cùmq; diluculò ſurrexiſſet*, qui duxerat exercitum, *vidit omnia corpora mortuorum & recedens abijt, & reuerſus eſt Sennacherib Rex Aſſyriorum.* Tantæ potentiæ eſt vel vnus ex Sociali Cælitum exercitu, dignus, cuius memoria renouetur colaturque à Militibus Chriſtianus. Quod fecerunt maiores noſtri, qui fuſili ex ære ſtatuâ Angelum hunc, qui Aſſyriorum caſtra funeribus oppleuit, honorarunt. Eam ſe ſpectaſſe D. Chryſoſtomus (a) ante mille ducentos & amplius annos teſtatur, nō ſine ſenſu pietatis & lacrymis. Vtinam hoc tempore in exercitu Catholico videndum ſe aliquando præberet, & potentia ſua vteretur Auxiliaritor Angelus!

(a) *S. Chryſoſt. Orat. quod idem ſit legiſlator veteris & noui Teſt.*

MEMBRVM VI.

ANGELI SOCIALES

Caſtrorum in morem circumdant, & protegunt ſibi commiſſos, ſi in periculo ſint conſtituti.

DE vno hoc pronunciat Dauid Pſalmo XXXIII in quo gratias agit DEO quod euaſerit periculum tantum, vt nihil propius eſſet, quàm vt incidiſſet in manus ſuorum aduerſariorum: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Ita ſolet facere DEVS dum videt infeſtari iuſtum, quem tuetur, vel per ſe, vel per Angelum, cui mandauit cuſtodire ſibi carum. Pſalmo XXXIII, 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Quo alludi putat Theodorus ad Angelum, qui Aſſyrios interfecit pugnantes contra Ezechiam: eſt tamen vniuerſale pronunciatum ſummæ conſolationis, cum eſt in extremo periculo Chriſti Miles; tunc enim immittit, vel emittit Angelus Domini, aut Angelum Dominus, vt Caſſiodorus legit, & caſtrametatur, vel caſtra figit aut locat, quaſi tentorijs diſpoſitis, vt in modum coronæ cingat focios, quos tuendos ſuſcepit. Ipſe ſe immittet, vt exponit D. Baſilius

Baſilius ac locabit more caſtrorum, ſimulque pugnabit, vt ait Theodorus Interpres. Aut immittet præſidium ſuum, quo muniat, ac veluti cingat circumpoſitis caſtris, diſpoſitiſque vigilijs.

AT vnus-ne, aut plures? Dum dicitur Angelus collectiuè plures ſignificare poteſt. Sic vidit Eliſeus,(a) & oſtendit puero ſuo *montem plenum equorum & curruum igneorum*, hoc eſt, Angelorum, qui tuerentur ipſos: & ſub Machabæo, vti ſunt ſuper Ieruſalem *diebus quadraginta per aëra equites diſcurrentes*, (b) atque cohortes dimicantes: & Iacob obuiam ſibi factos Angelos *Caſtra DEI* nominauit: (c) & Chriſtus duodecim legiones Angelorum, ſi vellet, aduocare ſe poſſe dicebat, contra illos, qui comprehendere ipſum volebant: & eidem plures dicuntur miniſtraſſe. Nihilominus, per vnicum Angelum auxiliarem, Dominus Exercituum nonnunquam efficit illa, quæ caſtrorum opus eſſe videntur, cùm vnius, quod monent, Baſilius Euthymius, Nicephorus, tanta ſit potentia, vt cum integris caſtris comparari poſſit. Vnicus erat Angelus, qui Aſſyriorum caſtra tot tantiſque funeribus cumulauit. Et ſufficeret ſatis ſuperque ſemper vnus ad grandia & miranda opera: tamen placet DEO interdum multos, aliquando plurimos ſubmittere ad opus vnum eximium, vt ſic maiorem terrorē hoſtibus incutiat, & intelligant homines, propè innumerabilem eſſe numerum Militum eius, Iob xxv qui omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus, & mitti poſſint, DEO mandante, propter eos, qui hereditatem capient ſalutis Hebr. I. Nam *idem quaſi iugum*, vt loquitur Cyrillus Alexandrinus, in cap. vi. Iſaiæ, *eſt omnibus Sanctis Spiritibus, & herili nutui ſeruiunt, non indignam cenſentes virtutem, ſed honori laudiq́ ducentes.*

QVAM benè prouiſum eſt Chriſti Militibus, quos talis circumdat acies ſocialis! quæ nonnunquam vnicam cingit Animam ad tutelam. Et ſunt ſanè præclari Interpretes, qui ex illo loquendi modo, quo dicuntur Angeli caſtra metari in circuitu timentium, colligunt, Angelos circum animas, quas cuſtodiunt, verſari & operari, quamuis ſubire, penetrare, illabi in ipſas, & immiſcere ſe non poſſint, ſeu infundi ac implere, vt loquũtur, præter S. Bernardum, (d) Patres à Magiſtro (e) ſententiarum nominati. Licet Origenes,(f) intra nos etiam ſcribat multos Angelos eſſe: & adducit illud Pſalmi CII. *Benedic anima mea Domino & omnia, quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.* Certius eſt, quod ſint in circuitu timentium Dominum, vel in *gyro*, vt habet Eutychianus Papa Ep. 2. Quo facit etiam illud Zachariæ ix. *Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi, euntes & reuertentes*, quod S. Hieronymus exponit de Angelis Tutelaribus. Quamuis autem vnum quilibet ordinarium habeat, tamen ad vnius etiā ſolius cuſtodiam vel curam in aliqua re particulari, plures interdum deſtinantur. Quos haud malè dicas deſignatos per *Sexaginta fortiſſimos*, illos, qui *ambiebant*

(a) *Lib. iv. Reg vi.* (b) *Lib. 2. Machab. v.* (c) *Geneſ. xxxii. Matth. xxvi. Matth. iv.*
(d) *S. Bern. Serm. 5. in Cant.* (e) *Mag. 2. diſt. 8. litt. a.* (f) *Orig. hom. 9. in Ieſ.*

biebant lectum Salomonis, vt eſt Canticorum I. *accinctos gladio, & ad bella doctiſſimos, propter timores nocturnos*. Item, per Clypeorum & omnis generis armaturæ multitudinem pendentem ex Turri Dauid, Cant. IV. vt Gregorius Nyſſenus exponit homilia VII. Porro, illud Zachariæ, *Circumdabo domum meam*, quæ eſt Eccleſia Chriſto Militans, & Anima Iuſti licet vertere ex Hebræo: (a) *Caſtra metabor Domus mea*: vel, *Ponam caſtra circa Domum meam*, vt eam propugnem. Tigurinus legit, *Circumducam caſtrum domui meæ*. Pagninus: *Ero ſicut caſtra domus mea*. Omnia eò tendunt, vt indicent, inſtar caſtrorum à bonis Angelis vallari ac defendi exercitum Deo militantem, contra euntes & reuertentes prædatores vaſtatoresque.

Hvc etiam facit Domini promiſſum apud eundem Prophetam capite ſecundo: *Ego ero ei, ait Dominus, Murus ignis in circuitu*. Chaldæus habet: *Murus igneus illam per circuitum ambiens*. Non eſt quod metuat hoſtes, ſiue noctu, ſiue interdiu, ſiue ſit in vrbe, ſiue extra illam in campo libero; ecce enim promitto, quod ego ipſe ero pro muro; eoque non lapideo, ſed igneo: Ego inſtar Muri eam cingam & tutabor, ſoloque aſpectu hoſtes fugabo. *Montes in circuitu eius*, nempe Ieruſalem, aut aliarum ciuitatum, *At Dominus in circuitu populi ſui*, Pſalm. CXXIV. Ille murus ſublimis, ſolidus, igneus, inexpugnabilis. *Ipſe murus & antemurale*, Iſaiæ XXVI. *Ipſe murus ignis*: *qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis*, Hebræor. 1.7. vt & ipſi ſint Murus igneus, & caſtra ignea, ſicut viſi ſunt ſpecie equorum & curruū igneorum defendentium Eliſeum eiusque Congregationem contra exercitum Syrorum. (b) Ita & Eliam curru igneo ad quem Dæmones accedere non auderent, rapuerunt in cælum. (c) Quid mirum, terreri abigique hoſtes ad conſpectum murorum, caſtrorum, curruum, equitum igneorum, flammas eiaculantium.

Cvm Gainas (d) gente Scytha magiſter militum hæreticus Arianus, ſtudio tyrannidis vehementer elatus adipiſci deſideraret Imperium, quamuis pridem fidem addixiſſet Chalcedone apud B. Martyrem Ephemiam Imperatori Arcadio; moliebatur clam quicquid poterat contra vrbem Conſtantinopolitanam. Et quoniam clara luce nihil profecerat, conabatur noctu barbaros immittere, qui palatium concremarent. Sed reperit ſibi obſiſtentem exercitum Socialem Catholicorum, & Murum igneum Conſtantinopoleos. Siquidem miſſis ab eo barbaris ad incendium ac prædas, Angelorum turba apparuit armatorum, ingentia corpora habentium. Illi verò putantes eſſe Milites in ſe armatos abceſſerunt. Hoc cùm Gainæ fuiſſet nunciatum, incredibile ei viſum eſt; nouerat enim omnem exercitum per ciuitates conſtitutum. Quapropter denuò ſequenti nocte alios deſtinauit. Cùmque idem ei renunciatum fuiſſet; nam iterato Angeli caſtrorum in morem videndos ſe præbuerant; tandem ipſe fortunam tentare voluit; congregatâ ergo multitudine

(a) חניתי *Chaniti*, *Zacharia* IX. 8. (b) *Lib.* IV. *Reg.* 6. (c) *Lib.* IV. *Reg.* 2. (d) *Hiſt. Tripert. lib.* X. *cap.* 6. *Socrat. lib.* VI. *cap.* 5.

tudine progreſſus ad vrbem, miraculi experimentum ſumpſit, repulſus ab ijs, qui in modum coronæ vrbem cuſtodiebant, & erant ei tanquam Murus igneus, illi ſimilis, quo cinctum fuiſſe Paradiſum (*a*) quidam cum Lactantio (*b*) autumant, ita intelligentes flammeum gladium quo Angelus Paradiſum cuſtodiebat.

VT autem contra hoſtes viſibiles, ſic & contra inuiſibiles Angeli ſunt in circuitu timentium Dominum, ac metantur caſtra; & Saluator ipſe, vt *Murus* & *ante murale*, ſecundum pollicitationem, Iſaiæ XXVI. *Ego ero ei murus ignis in circuitu.* Quod ita exponit Theodoretus Zachariæ ſecundo. *Mea benignitate ero ei Murus, qui tranſcendi non poſſit. Nam ſicut pyra ingens tranſiliri nequit, ſic vinci non poteſt, qui gratia DEI cuſtoditur.* Magno animo Miles Chriſtiane. Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereunt peccatores à facie DEI. Quis itaque hoſtem timeat? quis de inimicis magnoperè ſit ſolicitus? etenim DEVS cuſtos tutorq; noſter *Ignis conſumens eſt*, Hebræor. XII. qui ſecum ducit exercitum Socialem peditum equitumque igneorum, quos pro te vigilare, & ciuitatis caſtrorumq; portas cuſtodire iubet. Nam de ijs intelligit Epiſcopus Abulenſis illud Iſaiæ LXII. *Super Muros tuos Ieruſalem conſtitui Cuſtodes tota die ac nocte, perpetuò non tacebunt*, id eſt, nunquam ceſſabunt vigilare, teque monere, vt hoſtium tum viſibiliũ, nempe Dæmonum inſidias, & Concupiſcentiarum illecebras caueas. De Angelis quoque hoc accipiunt S. Hieronymus, Hugo & S. Bernardus, Serm. IV. de dedic. Eccl. Angeli enim ſunt reuera Cuſtodes Eccleſiæ Militantis, & fidelium omnium, qui eos ab hoſtibus tuentur.

(a) *Geneſ.* 3. 24. (b) *Lib.* 2. *Inſt. cap.* 3.

MEMBRVM VII.

ANGELI SOCIALES

Pro Socijs, & cum ijs fortiter pugnando victoriam pariunt.

HIC copia exemplorum obruimur: nam præter illa, quæ ad hoc caput ex ſuperioribus referri poſſunt, ſunt alia quam plurima, è quibus ſelectiſſima ſubiungemus. IOSAPHATVS vt narratur lib. II. Paralip. cap. 20. Iudæorum Imperator de Moabe & Ammone ingentibus copijs Iudæam infeſtantibus, nobiliſſimam victoriam reportauit. Nã cùm DEVM inuocans, auxiliarem de cælo manum impetraſſet, animatus fuit à Iahaziel Zachariæ F. DEI nomine ſpondente, poſtero die è cælo adfore præſidium, ipſumque Cælitum Imperatorem pro Rege & plebe pugnaturum. Quod factum; ſiquidem, altera die progreſſus Ioſaphatus cum exercitu, præire iuſſit, & præcinere cantores ſuos carmem Dauidicum, ex Pſalmo CXXXV. *Confitemini Domino, quoniam in æternum miſericor-*

dia eius. Vix carmen occinere cœperant muſici, cùm hoſtes territi fortaſſe viſis Cœleſtibus, in ſuamet ferrum viſcera cõuerterunt, & ſe ipſos miranda, miſerandaque cæde ſtrauerunt, mactarunt, & conciderunt.

ANNO MCDLXXXIV. Congenſe regnum Luſitanorum claſſibus patuit. Cùm autem Chriſto nomen dediſſet Rex, vnà cum multis ſuorum, victoriam mirabiliter de rebellibus Cœlitum ope obtinuit, Vexillo Crucis in prælium educto. Ioanni nomen huic Regi fuit. Eo defuncto, filius natu maior Alphonſus ſequebatur: minor erat omninò alienus à Chriſtianis ſacris: quocirca in certamen adquirendi regni venerunt. Innumeri, qui nondum Chriſtum colebant, natu minorem ſequebantur, & maximas copias aduerſus alterum paucis ſtipatum militibus educebant. Ventum tandem ad pugnam. Vix initum prælium, Chriſti hoſtes in fugam ſe protinus ſubito pauore correpti dederunt. Dux exercitus hoſtilis captus palam confeſſus eſt, ſe magnam militum copiam, equis inſidentem, & Crucibus inſignitam, tantaque luce ſplendentem, vt oculos omnium perſtringeret conſpexiſſe in ipſo conflictu: eius autem metu perterritum cum ſuis ſe fugæ commiſiſſe. Ita ferè Oſorius, (*a*) & ex illo Thomas Bozius. (*b*) Paullò expreſſius Maffæus. (*c*) qui Ducem è fugâ retractum, ſcribit narraſſe, quod viderat: ipſo congreſſus initio circa Alphonſum apparuiſſe viros humana ſpecie auguſtiores; ipſius, quam Luſitani adorarent, Crucis nota diſtinctos, clariſſima circumfuſos luce, vultu acerrimo præliantes. Eo autem viſo milites ſuos ingenti horrore perfuſos, ex templò ſe in fugam dediſſe. Itaq; ſibi non eſſe iam dubium, quin, præter Chriſtianorum DEVM, nemo vel in terris, vel in cælis colendus adorandusque ſit. Quare manus & ipſe dedit, ac per baptiſmum Chriſtianis ſacris mox fuit initiatus.

ANNO DCI. qui numeratur quintus Regum Francorũ Theodeberti & Theodorici fratrum conflatum fuit ciuile bellum inter eos atque Clotharium filium Regis Chilperici, Heredem verò Guntheramni, magnaque facta vtrimque cæde, ceſſit tandem victoria Theodeberto ac Theodorico; cuius potiſſimùm virtute? vnius ex Sociali exercitu: nam in ipſa pugna Angelus Domini adſtans euaginatum viſus eſt tenuiſſe gladium, vt ex Aimonio (*d*) narrat Baronius.

***

(a) *Lib.* III. *hiſt.* (b) *Lib.* V. *de ſignis Eccl.* (c) *Hiſt. Ind.* (d) *Aimon. de reb. Fran, lib.* 3. *cap.* 87. & 88. *Baron. Tom.* 8. *Ann.* 601. *n.* 30.

MEM-

Membrvm VIII.

ANGELI SOCIALES

Tam in maritimâ, quàm in terreſtri Militiâ Socijs opitulantur. Nec in duello deſerunt.

Qvod probè intellexit inuictiſſimus Rex Portugalliæ Emmanuel, qui idcirco primariæ naui ſuæ claſſis, quæ ad Indias nouum ſubactura orbem deſtinabatur, nomen impoſuit, Gabriel Archangelvs. Nimirum, vt exercitus, qui illa vehebatur ad expugnationem Indiarum, non tam dominandi cupidine, quàm deſiderio ſeminandi Euangelium, protectione & cuſtodiâ frueretur illius Archangeli, qui primus Euangelicæ renouationis nuncium inueterato mundo attulerat. Sed multo ante in nauali prælio, Chriſtiani Gabrielis opem experti fuerant. Rem fusè narrat Cæſar Baronius: (*b*) breuius hic pono, quæ ad noſtrum titulum ſpectant.

Ivstinvs Imperator auditâ Homeritarum Chriſtianorum ſtrage per Dunaan Regem tyrannum Apoſtatam Hebræum diriſſimè perpetratâ, excitauit Elesbaan Regem Æthiopum Chriſtianũ ad vltionem. Is omnium quæ facta fuerant conſcius, cùm validum collegiſſet exercitum, miſit quindecim millia Æthiopum ad Homeritidis partes magis occidentales, ipſe per mare claſſem duxit, vt ſic hoſtes coërceret. Antequam autem nauigaret, venit ad templum, vbi inſignibus regijs depoſitis, ingreſſus illud eſt habitu priuato. Stans autem ex aduerſo aræ, cum Devm multum oraſſet, & ſanctum Monachum conſuluiſſet, benedictione ab eo acceptâ, abijt lætus: & cùm iuſſiſſet ne exercitus plus quàm viginti dierum viaticum ferret, nauigauit. Sed neque negligens fuit Rex Homeritarum: validum enim inducens exercitum, venit in eum locum, vbi expectabatur Rex Æthiopum: cuius milites aliqui ex inſperato aduenientes plurimos trucidarunt ex aduerſarijs. At reliqua pars militum Chriſtianorum ſummâ rerum inopiâ laborabat in mari, & ab hoſte irruente ſummopere premebatur. Illi verò ad pietatis remedia confugientes, longâ ſupplicatione factâ, & ſacrâ communione ſumptâ cum lacrymis Domini inuocabant auxilium. Ipſe autem eos audiuit: & ſtatim vox quædã fuit de cælis audita, & ter nomen Archãgeli, Gabriel, Gabriel, Gabriel. Confidentes ergo Æthiopes, cùm deſcendiſſent de nauibus, & manus conſeruiſſent cum hoſtibus, eos fuderunt, & omnes interfecerunt, etiam Regem catenâ vinctum. Iam duellum ſpectate & in eo Sociale Angelorum auxilium.

Venceslavs Bohemiæ Rex, cum occurriſſet in finibus Duci Carinenſi, qui exercitum inimicum inducere cœperat, & iam proxima quæque vaſtabat, obtu-

Q 2 lit eſ

(a) *Maffeus lib. 1. hiſt. Ind.* (b) *Anno 524.*

natione eiuſdem ſponſalitij griphi, dum proponit obſcuram inuolucro caſtrenſi quæſtionem. Quo pacto Sponſa comparari potuerit Equitatui DEI, contra currus & exercitum Pharaonis, cùm certum ſit, DEVM oppreſſiſſe Ægyptios, non turmis equitum, ſed fluctibus maris rubri? Hinc illa carmina Iſraëlitarum, Exodi XV. *Dominus quaſi vir pugnator: Omnipotens nomen eius. Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare. Abyſſi operuerunt eos: deſcenderunt in profundum quaſi lapis. In Spiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ: ſtetit vnda fluens: congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.* Nulla hic eſt mentio Equitatus DEI Pharaonem perſequentis, deturbantis, ſubmergentis. Reſpondit id factum fuiſſe virtute inuiſibili, quâ in aquis miracula ſunt edita, vt Iſraëlitis elabentibus, Pharao cum ſuis inuolueretur. Explanans autem, quæ-nam hæc virtus inuiſibilis fuerit, nominat ingentem exercitum Angelorum: de quo Propheta Habacuk cap. III. *Qui aſcendes ſuper equos tuos: & quadrigæ tuæ ſaluatio.* S. Hieronymus quoque dum exponit vaticinium Iſaiæ LXVI. *Adducent omnes fratres veſtros, & de cunctis Gentibus donũ Domino, in equis & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem Sanctum meum,* Angelos deſignari putat. *Per diuerſi generis vehicula,* inquit, *miniſteria intelliguntur Angelica.* His equis & curribus Elias raptus eſt: & Eliſeus ſe ſeruari neſcienti puero demõſtrauit. Et Zacharias Propheta cap. I. vidit in nocte equos rufos, nigros, varios, & albos: & dixit, *Qui ſunt iſti Domine mi?* & ait Angelus: *iſti ſunt, quos miſit Dominus,* in ſubſidium videlicet DEO militantium. Verùm, de Angelis, quatenus conſtituunt Equitatum Domini Exercituum, agitur ſuo loco vberius. Hic eoſdem, non niſi, quatenus ſunt Exercitus Militiæ Sacræ Socialis celebrantur.

MEMBRVM IV.

ANGELI SOCIALES

nunc in primo agmine, aut ante illud: nunc in medio, aut in poſtremo pro Socijs cum hoſte congrediuntur.

SOCII bellatores, vt ſe fideles maximè oſtendant, in primâ acie contra hoſtem ſolent agere, aut illam præcedere. Id ſolenne eſt Angelis, quando in ſubſidium ſtrenuè militãtibus veniũt Eo ſanè prælio, quo Iudas Machabæus Timotheum vicit, quinque in equis ornati, aureis armis fulgentes apparuerũt, è quibus duo Machabæum defendebant, tres alij ante primam aciem acriter hoſtes inuadebant, vt eſt libro ſecundo Machabæorum cap. X. *Cùm vehemens pugna eſſet,* inquit Sacer Scriptor, *apparuerũt aduerſarijs de cælo viri quinque,* quos Angelos fuiſſe cæleſtes dubitare non poſſumus; quo ſchemate?

Equit...

Equitum, nam inſidebât *equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præſtantes. Ex quibus duo Machabæum medium habentes armis ſuis circumſeptum, incolumem ſeruabant, in aduerſarios autem tela & fulmina iaciebant: ex quo & cæcitate confuſi, & repleti perturbatione cadebant. Interfecti ſunt autem viginti millia quingenti, & equites ſexcenti.* Alio item prælio, quo Iudæi contra Lyſiam dimicarunt, procedere in aëre viderunt duos Equites inſignes, quorum auxiliari manu præferocis Lyſiæ exercitus fuit proſtratus, libro ſecundo Machabæor.
,, cap. xi. Nam Machabæus, & qui
,, cum eo erant, vt cognouerunt expug-
,, nari præſidia, cum fletu & lacrymis
,, orabant Dominum, & omnis turba
,, ſimul, vt bonum Angelum mitteret
,, ad ſalutem Iſraël. Cùmque pariter
,, prompto animo procederent, Ieroſo
,, lymis apparuit præcedens eos Eques
,, in veſte candida armis aureis haſtam
,, vibrans. Tunc omnes ſimul benedi-
,, xerunt miſericordem Dominum, &
,, conualuerunt animis, non ſolum ho-
,, mines, ſed & beſtias ferociſſimas &
,, muros ferreos parati penetrare. Ibant
,, igitur prompti, de cælo habentes Ad
,, iutorem, & miſerantē ſuper eos Do-
,, minum. Leonum autem more im-
,, petu irruentes in hoſtes, proſtraue-
,, runt ex ijs vndecim millia peditum,
,, & equitum mille ſexcentos. Vniuer-
,, ſos autem in fugam verterunt.] Tanti eſt momenti, habere in exercitu DEI Sociorum Auxilia.

QVORVM præſentaneam opem & admirabilem experti fuerunt Chriſtiani Principes frequentius, quàm Duces Iſraëlitarum, Et imprimis CONSTANTINVS M. cui auxiliaturos aduolaſſe Cælites, & inter fuiſſe prælio, quo de ſummâ rerum dimicatum eſt contra Maxentium Tyrannum fatebantur olim, quia negare non poterant, Chriſtianis infenſiſſimi gentilitiæ ſuperſtitionis præcones, Audiatur Nazarius Conſtantini Panegyriſta, quamuis Ethnicus, quo nemo elegantius calamo depinxit Socialem Angelorum exercitum. *In ore*, inquit, *eſt omnium Galliarum, Exercitus viſos, qui ſe diuinitus miſſos præſeferebant. Et quãuis Cæleſtia ſub oculis hominum venire non ſoleant, quod craſſam & caligantem aciem ſimplex, & inconcreta ſubſtantia naturæ tenuis illudat: illi tamen Auxiliatores (* Conſtantine*) tui aſpici audiriq; patientes vbi meritum tuum teſtificati ſunt, mortalis viſus contagiũ nõ refugerunt. Sed quænam illa fuiſſe dicitur ſpecies? quæ amplitudo membrorum, quæ alacritas voluntatum? Flagrabant verendum neſcio quid vmbones coruſci, & cæleſtium armorum lux terribilis ardebat. Tales enim venerant, vt tui crederentur. Hæc ipſorum ſermocinatio, hoc inter audientes ferebant: Conſtantinum petimus Conſtantino imus auxilio.* Addit de ſuo Orator Gentilis. *Habent profectò & Diuina iactantiam, & Cæleſtia quoq; tangit ambitio illi cælo lapſi, illi diuinitus miſſi gloriabantur, quod Tibi militabant. Ducebat hos credo Conſtantius, qui terrarum triumphis altiori Tibi ceſſerat, diuinas expeditiones iam diuinus agitabat.*

EST, qui opinatur à Panegyſta deſcriptum Exercitum Socialem, ex Cælitibus quidem coactum, non tamen Angelis, ſed Beatis ad cælum tranſlatis, & Con-

ſtantino ſuppetias veniſſe Sanctos; nominatim, Thebæos, & Britannam Societatem: *Gereonem, Gregorium Maurum, Conſtantium Thebæum, Vrſulam* cum ſuis vndecim millibus. *Ætherеum, Valeriumq́; Britannos*, quos Coloniæ Agrippinæ Mater Imperatoris & Eccleſiarum Helena Auguſta coluerat. Quæ ita admitto, vt tamen in hac ſacrâ expeditione plures ex Angelicis Spiritibus, ſi non omnes, fuiſſe adfirmem. Cùm enim hominibus in bello ſuppetiatum veniūt alij Cælites, ſigno aliquo peculiari, quales ſint, ſe prodere ſolent; vt oſtendetur, cum de ſecundo Exercitu Sociali pertractabitur. Et nunquam fortaſſe alij Beati opitulantur hominibus in Militiâ, niſi ductoribus Angelis eorumque intermiſtis copijs. Quas ſæpius opem tuliſſe Conſtantino conſtat ex Commentatione illâ, quæ fuit de MICHAELE Archangelo ARCHISTRATEGO. Poſt Conſtantinum, nominetur

THEODOSIVS, cui in celeberrima, & ab Ethnico etiam Claudiano decantata contra Eugenium Victoria duo è cæleſtibus Spiritibus Anteſignani adfuerunt, vt Theodoretus refert lib. v. c. 24. Nunc, vt veteribus noua copulemus.

FERDINANDVS II. Imperator à DEI Cælitumque cultu laudatiſſimus multa bella geſſit, ſed è quibuſcumque victoriam reportauit, eam DEO per Angelos Cæliteſq; ſuos præſentem opem ferente adſcribere potuit. Quod fecit ſanè perlibenter, dicere ſolitus re proſperè geſta, nunciatâ-ue victoriâ: *Non nobis, Domine, non nobis ſed nomini tuo da gloriam.* (a) Glorioſiſſima victoria, quam de capitaliſſimis hoſtibus obtinuit, fuit Pragenſis, (b) ſic dicta, quod cæſis ijs, ad Pragam in Albo monte, recuperatâ Regni Bohemiæ Coronâ, ipſoq; regno, Bohemia, & adiunctis prouincijs triumphum videretur poſſe agere. Sed actum fuiſſet in prælio Montis Albani, niſi exercitus Socialis Angelorum ſubſidio veniſſet Ferdinando. Id fidem maiorem inueniet, ſi habeatur ex aduerſariorum confeſſione, quam continet colloquium duorum militum habitum Auguſtæ Vindelicorum, vbi conuenerant in eodem hoſpitio, non diu poſt memoratam victoriam. (b) Miles vnus erat religione Catholicus, & gente nobilis, alter Dux belli è Wirtembergia oriundus, qui rebellium Bohemorum caſtra ſequebatur. Huic Miles, quæſo, inquiebat, ſtrenue Domine, fas mihi ſit quærere, quî tandem fieri potuerit, vt omnis adeò animus vobis in pedes conciderit? An non vobis locus multo æquior, quàm Catholicis? An non vobis æquè ac Catholicis copioſus exercitus? An non penes vos Morauicequitatus robur? An non vos tormentorum curulium numero illic loci ſuperiores? An non feſſum Catholicorum agmen? quod vos diſpoſitâ per quietem acie excepiſtis. An non vobis vrbs à tergo munimen? vicinum palatiū, Stella nomine, pro pugnaculum? Vnde ergo Catholicis victoria, vobis fuga? Ignoſcat mihi, Domine tuus genius: penè auſim dicere, fœminæ fuiſtis, quia noluiſtis vincere. Audijt hæc è Wirtenbergiâ militiæ Dux, Et, ſi finiuiſti, ſubjunxit,

(a) *Gulиel. Lamormani in Ferdinando cap. xi.* (b) *Anno 1620. Nouemb. Florius Forinam.*
(b) *Ierem. Drexel. Heyrol. Aug. cuſtod. 150.*

iunxit, quæ in nos promere volebas, & me audi.

Pvgnæ ratio hæc fuit. Nos nec noſtras, nec hoſtium vires ignorauimus; quis vtrimque numerus eſſet legionum ſciuimus; & ita equitatum equitatui, turmas turmis, legionem legioni oppoſuimus, prout licuit. Certè, hic Ducum nec induſtria accuſari poteſt, nec prudentia. Arma nobis cum hoſte paria fuerunt, Locus fateor nobis æquior fuit, ac opportunior quàm hoſti: ex edito pugnabamus in ſubeuntes. Sed & alia, non nego, Bohemorum parti contra Bauarum militem fauebant, ideoque victoriæ jam ferè certi, non ſicut illi, diu deliberandum de ineundo conflictu cenſuimus: è re noſtra eſſe viſum eſt plerisque omnibus, Confligere. At verò poſt aliquod pugnæ felix initium, noua nobis ex aduerſo Caſtra ſtare, Gens incognita, & nunquam viſa ſe opponere, Legio ſe oſtendere, de quâ nihil vnquam nobis innotuerat. Hic mihi crede, Domine, ea omnium animos inuaſit cōſternatio, vt nemo niſi fugam cæperit circumſpicere. Nec eſt, quod quis adeò id nobis vitio vertat. Ipſi equi ſtabant, & tremebant. Mox partes noſtræ labare, dein multum inclinare, inde ruere: demum, omnes apertiſſimè fugere. Et ſanè plures noſtri in fugâ cæſi, quàm in pugnâ. Quæ autem, quæſo, hæc inuiſa fuit Legio? quæ acies incognita? quæ noua Caſtra? profectò, non alia quàm Socialis Exercitus Spirituum Angelicorum miſſus in ſubſidium Imperatori Orthodoxo, Catholico, Dei, Angelorumque cultori eximio.

Membrvm V.

ANGELI SOCIALES.

Hoſtes Sociorum in caſtris opprimunt.

Castra hoſtium fortiter aggredi, in ijsque aduerſarios opprimere, ſolet eſſe ſtratagema Socialis exercitus: quo vtuntur, cùm id expedire iudicant Angeli, vt hoſtilem exercitum intra munitiones ſuas ſecurum circumueniant, ac deleant: Libro quarto Reg cap. xix. cùm Rex Aſſyriorum miſiſſet validam manum ſuorum ſub Rabſace, vt cingerent Ieruſalem, & multa minitarentur Duces exercitus, atque inſultarēt Ezechiæ, cui obijciebant, cap. xviii. 19. *Quæ eſt iſta fiducia, quâ niteris? forſitan iniſti conſilium, vt praepares te ad prælium? In quo confidis, vt audeas rebellare? An ſperas in baculo arundineo atque confracto, Ægypto, ſuper quem, qui incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam? Sic eſt Pharao Rex Ægypti omnibus qui confidunt in ſe. Quod ſi dixeris, in Domino DEO noſtro habemus fiduciam: nonne iſte eſt, cuius abſtulit Ezechias excelſa & altaria? & præcepit Iuda & Ieruſalem: ante altare hoc adorabitis in Ieruſalem? An fiduciam habes in Ægypto propter currus & equites?* Ita illi, iamque perurgebant deditionem, & res planè deploratæ videbantur,

debantur, nec vlla ſpes auxilij affulgebat; miſit ſummus bellorum moderator ad pientiſſimum Regem Ezechiam ſibi familiarem Prophetam, qui bono animo eſſe iuberet, hac pollicitatione addita: *Non ingredietur Rex Aſſyriorum vrbem, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. Per viam quâ venit reuertetur: & ciuitatem non ingredietur. Protegam vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.*

Tvm verò nocte amandauit auxiliũ ex Sociali Angelorum exercitu. E quo vnus aliquis aggreſſus ſtratagema, rem momento confecit: nam percuſſit Angelus Domini in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. *Cùmq; diluculò ſurrexiſſet*, qui duxerat exercitum, *vidit omnia corpora mortuorum & recedens abijt, & reuerſus eſt Sennacherib Rex Aſſyriorum*. Tantæ potentiæ eſt vel vnus ex Sociali Cælitum exercitu, dignus, cuius memoria renouetur colaturque à Militibus Chriſtianus. Quod fecerunt maiores noſtri, qui fuſili ex ære ſtatuâ Angelum hunc, qui Aſſyriorum caſtra funeribus oppleuit, honorarunt. Eam ſe ſpectaſſe D. Chryſoſtomus (a) ante mille ducentos & amplius annos teſtatur, nõ ſine ſenſu pietatis & lacrymis. Vtinam hoc tempore in exercitu Catholico videndum ſe aliquando præberet, & potentia ſua vteretur Auxiliaritor Angelus!

(a) *S. Chryſoſt. Orat. quod idem ſit legislator veteris & noui Teſt.*

Membrvm VI.

Angeli Sociales

Caſtrorum in morem circumdant, & protegunt ſibi commiſſos, ſi in periculo ſint conſtituti.

De vno hoc pronunciat Dauid Pſalmo xxxiii in quo gratias agit Deo quod euaſerit periculum tantum, vt nihil propius eſſet, quàm vt incidiſſet in manus ſuorum aduerſariorum: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Ita ſolet facere Devs dum videt infeſtari iuſtum, quem tuetur, vel per ſe, vel per Angelum, cui mandauit cuſtodire ſibi carum. Pſalmo xxxiii. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Quo alludi putat Theodorus ad Angelum, qui Aſſyrios interfecit pugnantes contra Ezechiam: eſt tamen vniuerſale pronunciatum ſummæ conſolationis, cum eſt in extremo periculo Chriſti Miles; tunc enim immittit, vel emittit Angelus Domini, aut Angelum Dominus, vt Caſſiodorus legit, & caſtrametatur, vel caſtra figit aut locat, quaſi tentorijs diſpoſitis, vt in modum coronæ cingat ſocios, quos tuendos ſuſcepit. Ipſe ſe immittet, vt exponit D.

Baſilius

Baſilius ac locabit more caſtrorum, ſimulque pugnabit, vt ait Theodorus Interpres. Aut immittet præſidium ſuum, quo muniat, ac veluti cingat circumpoſitis caſtris, dipoſitiſque vigilijs.

AT vnus-ne, aut plures? Dum dicitur Angelus collectiuè plures ſignificare poteſt. Sic vidit Eliſeus,(*a*) & oſtendit puero ſuo *montem plenum equorum & curruum igneorum*, hoc eſt, Angelorum, qui tuerentur ipſos: & ſub Machabæo, viſi ſunt ſuper Ieruſalem *diebus quadraginta per aëra equites diſcurrentes*, (*b*) atque cohortes dimicantes: & Iacob obuiam ſibi factos Angelos *Caſtra DEI* nominauit: (*c*) & Chriſtus duodecim legiones Angelorum, ſi vellet, aduocare ſe poſſe dicebat, contra illos, qui comprehendere ipſum volebant: & eidem plures dicuntur miniſtraſſe. Nihilominus, per vnicum Angelum auxiliatem, Dominus Exercituum nonnunquam efficit illa, quæ caſtrorum opus eſſe videntur, cùm vnius, quod monent, Baſilius Euthymius, Nicephorus, tanta ſit potentia, vt cum integris caſtris comparari poſſit. Vnicus erat Angelus, qui Aſſyriorum caſtra tot tantisque funeribus cumulauit. Et ſufficeret ſatis ſuperque ſemper vnus ad grandia & miranda opera: tamen placet DEO interdum multos, aliquando plurimos ſubmittere ad opus vnum eximium, vt ſic maiorem terrorē hoſtibus incutiat, & intelligant homines, propè innumerabilem eſſe numerum Militum eius, Iob xxv qui omnes ſint administratorij Spiritus, & mitti poſſint, DEO mandante, propter eos, qui hereditatem capient ſalutis Hebr. I. Nam *idem quaſi ingnum*, vt loquitur Cyrillus Alexandrinus, in cap. VI. Iſaiæ, *eſt omnibus Sanctis Spiritibus, & herili nutui ſeruiunt, non indignam cenſentes virtutem, ſed honori laudiq; ducentes.*

QVAM benè prouiſum eſt Chriſti Militibus, quos talis circumdat acies ſocialis! quæ nonnunquam vnicam cingit Animam ad tutelam. Et ſunt ſanè præclari Interpretes, qui ex illo loquendi modo, quo dicuntur Angeli caſtra metari in circuitu timentium, colligunt, Angelos circum animas, quas cuſtodiunt, verſari & operari, quamuis ſubire, penetrare, illabi in ipſas, & immiſcere ſe non poſſint, ſeu infundi ac implere, vt loquūtur, præter S. Bernardum, (*d*) Patres à Magiſtro (*e*) ſententiarum nominati. Licet Origenes,(*f*) intra nos etiam ſcribat multos Angelos eſſe: & adducit illud Pſalmi CII. *Benedic anima mea Domino & omnia, quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.* Certius eſt, quod ſint in circuitu timentium Dominum, vel in *gyro*. vt habet Eutychianus Papa Ep. 2. Quo facit etiam illud Zachariæ IX. *Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi. euntes & reuertentes*, quod S. Hieronymus exponit de Angelis Tutelaribus. Quamuis autem vnum quilibet ordinarium habeat, tamen ad vnius etiā ſolius cuſtodiam vel curam in aliqua re particulari, plures interdum deſtinantur. Quos haud malè dicas deſignatos per *Sexaginta fortiſſimos*, illos, qui *ambiebant*

(a) *Lib. IV. Reg VI.* (b) *Lib. 2. Machab. V.* (c) *Geneſ. XXXII. Matth. XXVI. Matth. IV.*
(d) *S. Bern. Serm. 5. in Cant.* (e) *Mag. 2. diſt. 8. litt. e.* (f) *Orig. hom. 9. in Ieſ.*

tudine progreſſus ad vrbem, miraculi experimentum ſumpſit, repulſus ab ijs, qui in modum coronæ vrbem cuſtodiebant, & erant ei tanquam Murus igneus, illi ſimilis, quo cinctum fuiſſe Paradiſum (*a*) quidam cum Lactantio (*b*) autumant, ita intelligentes flammeum gladium quo Angelus Paradiſum cuſtodiebat.

VT autem contra hoſtes viſibiles, ſic & contra inuiſibiles Angeli ſunt in circuitu timentium Dominum, ac metantur caſtra; & Saluator ipſe, vt *Murus & ante murale*, ſecundum pollicitationem, Iſaiæ XXVI. *Ego ero ei murus ignis in circuitu.* Quod ita exponit Theodoretus Zachariæ ſecundo. *Mea benignitate ero ei Murus, qui tranſcendi non poſſit. Nam ſicut pyra ingens tranſiliri nequit, ſic vinci non poteſt, qui gratia DEI cuſtoditur.* Magno animo Miles Chriſtiane. Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereunt peccatores à facie DEI. Quis itaque hoſtem timeat? quis de inimicis magnopere ſit ſolicitus? etenim DEVS cultos tutorq; noſter *Ignis conſumens eſt*, Hebræor. XII. qui ſecum ducit exercitum Socialem peditum equitumque igneorum, quos pro te vigilare, & ciuitatis caſtrorumq; portas cuſtodire iubet. Nam de ijs intelligit Epiſcopus Abulenſis illud Iſaiæ LXII. *Super Muros tuos Ieruſalem conſtitui Cuſtodes tota die ac nocte, perpetuò non tacebunt*, id eſt, nunquam ceſſabunt vigilare, teque monere, vt hoſtium tum viſibiliū, nempe Dæmonum inſidias, & Concupiſcentiarum illecebras caueas. De Angelis quoque hoc accipiunt S. Hieronymus. Hugo & S. Bernardus, Serm. IV. de dedic. Eccl. Angeli enim ſunt reuera Cuſtodes Eccleſiæ Militantis, & fidelium omnium, qui eos ab hoſtibus tuentur.

(a) *Geneſ.* 3. 24. (b) *Lib.* 2. *Inſt. cap.* 3.

MEMBRVM VII.

ANGELI SOCIALES

Pro Socijs, & cum ijs fortiter pugnando victoriam pariunt.

HIC copia exemplorum obruimur: nam præter illa, quæ ad hoc caput ex ſuperioribus referri poſſunt, ſunt alia quam plurima, è quibus ſelectiſſima ſubiungemus. IOSAPHATVS vt narratur lib. II. Paralip. cap. 20. Iudæorum Imperator de Moabe & Ammone ingentibus copijs Iudæam infeſtantibus, nobiliſſimam victoriam reportauit. Nā cùm DEVM inuocans, auxiliarem de cælo manum impetraſſet, animatus fuit à Iahaziel Zachariæ F. DEI nomine ſpondente, poſtero die è cælo adfore præſidium, ipſumque Cælitum Imperatorem pro Rege & plebe pugnaturum. Quod factum: ſiquidem, altera die progreſſus Ioſaphatus cum exercitu, præire iuſſit, & præcinere cantores ſuos carmem Dauidicum, ex Pſalmo CXXXV. *Confitemini Domino, quoniam in æternum miſericordia*

dra eius. Vix carmen octinere cœperant muſici, cùm hoſtes territi fortaſſe viſis Cælestibus, in ſuamet ferrum viſcera cõuerterunt, & ſe ipſos miranda, miſerandaque cæde ſtrauerunt, mactarunt, & conciderunt.

ANNO MCDLXXXIV. Congenſe regnum Luſitanorum claſſibus patuit. Cùm autem Chriſto nomen dediſſet Rex, vnà cum multis ſuorum, victoriam mirabiliter de rebellibus Cælitum ope obtinuit, Vexillo Crucis in prælium educto. Ioanni nomen huic Regi fuit. Eo defuncto, filius natu maior Alphonſus ſequebatur: minor erat omninò alienus à Chriſtianis ſacris: quocirca in certamen adquirendi regni venerunt. Innumeri, qui nondum Chriſtum colebant, natu minorem ſequebantur, & maximas copias aduerſus alterum paucis ſtipatum militibus educebant. Ventum tandem ad pugnam. Vix initum prælium, Chriſti hoſtes in fugam ſe protinus ſubito pauore correpti dederunt. Dux exercitus hoſtilis captus palam confeſſus eſt, ſe magnam militum copiam, equis inſidentem, & Crucibus inſignitam, tantaque luce ſplendentem, vt oculos omnium perſtringeret conſpexiſſe in ipſo conflictu: eius autem metu perterritum cum ſuis ſe fugæ commiſiſſe. Ita ferè Oſorius, (*a*) & ex illo Thomas Bozius. (*b*) Paullò expreſſius Maffæus. (*c*) qui Ducem è fugâ retractum, ſcribit narraſſe, quod viderat: ipſo congreſſus initio circa Alphonſum apparuiſſe viros humana ſpecie auguſtiores; ipſius, quam Luſitani adorarent, Crucis nota diſtinctos, clariſſima circumfuſos luce, vultu acerrimo præliantes. Eo autem viſo milites ſuos ingenti horrore perfuſos, ex templò ſe in fugam dediſſe. Itaq; ſibi non eſſe iam dubium, quin, præter Chriſtianorum DEVM, nemo vel in terris, vel in cælis colendus adorandusque ſit. Quare manus & ipſe dedit, ac per baptiſmum Chriſtianis ſacris mox fuit initiatus.

ANNO DCI. qui numeratur quintus Regum Francorũ Theodeberti & Theodorici fratrum conflatum fuit ciuile bellum inter eos atque Clotharium filium Regis Chilperici, Heredem verò Guntheramni, magnaqúe facta vtrimque cæde, ceſſit tandem victoria Theodeberto ac Theodorico; cuius potiſſimùm virtute? vnius ex Sociali exercitu: nam in ipſa pugna Angelus Domini adſtans euaginatum viſus eſt tenuiſſe gladium, vt ex Aimonio (*d*) narrat Baronius.

* * *

(a) *Lib.* III. *hiſt.* (b) *Lib.* v. *de ſignis Eccl.* (c) *Hiſt. Ind.* (d) *Aimon. de reb. Fran, lib.* 3. *cap.* 87. & 88. *Baron. Tom.* 8. *Ann.* 601. *n.* 30.

MEMBRVM VIII.

ANGELI SOCIALES

Tam in maritimâ, quàm in terreſtri Militiâ Socijs opitulantur. Nec in duello deſerunt.

QVOD probè intellexit inuictiſſimus Rex Portugalliæ Emmanuel, qui idcirco primariæ naui ſuæ claſſis, quæ ad Indias nouum ſubactura orbem deſtinabatur, nomen impoſuit, GABRIEL ARCHANGELVS. Nimirum, vt exercitus, qui illa vehebatur ad expugnationem Indiarum, non tam dominandi cupidine, quàm deſiderio ſeminandi Euangelium, protectione & cuſtodiâ frueretur illius Archangeli, qui primus Euangelicæ renouationis nuncium inueterato mundo attulerat. Sed multo ante in nauali prælio, Chriſtiani Gabrielis opem experti fuerant. Rem fusè narrat Cæſar Baronius: (*b*) breuius hic pono, quæ ad noſtrum titulum ſpectant.

IVSTINVS Imperator auditâ Homeritarum Chriſtianorum ſtrage per Dunaan Regem tyrannum Apoſtatam Hebræum ditiſſimè perpetratâ, excitauit Elesbaan Regem Æthiopum Chriſtianũ ad vltionem. Is omnium quæ facta fuerant conſcius, cùm validum collegiſſet exercitum, miſit quindecim millia Æthiopum ad Homeritidis partes magis occidentales, ipſe per mare claſſem duxit, vt ſic hoſtes coërceret. Antequam autem nauigaret, venit ad templum, vbi inſignibus regijs depoſitis, ingreſſus illud eſt habitu priuato. Stans autem ex aduerſo aræ, cum DEVM multum oraſſet, & ſanctum Monachum conſuluiſſet, benedictione ab eo acceptâ, abijt lætus: & cùm iuſſiſſet ne exercitus plus quàm viginti dierum viaticum ferret, nauigauit. Sed neque negligens fuit Rex Homeritarum: validum enim inducens exercitum, venit in eum locum, vbi expectabatur Rex Æthiopum: cuius milites aliqui ex inſperato aduenientes plurimos trucidarunt ex aduerſarijs. At reliqua pars militum Chriſtianorum ſummâ rerum inopiâ laborabat in mari, & ab hoſte irruente ſummopere premebatur. Illi verò ad pietatis remedia confugientes, longâ ſupplicatione factâ, & ſacrâ communione ſumptâ cum lacrymis Domini inuocabant auxilium. Ipſe autem eos audiuit: & ſtatim vox quædã fuit de cælis audita, & ter nomen Archãgeli, GABRIEL, GABRIEL, GABRIEL. Confidentes ergo Æthiopes, cùm deſcendiſſent de nauibus, & manus conſeruiſſent cum hoſtibus, eos fuderunt, & omnes interfecerunt, etiam Regem catenâ vinctum. Iam duellum ſpectate & in eo Sociale Angelorum auxilium.

VENCESLAVS Bohemiæ Rex, cum occurriſſet in finibus Duci Carinenſi, qui exercitum inimicum inducere cœperat, & iam proxima quæque vaſtabat, obtulit eſ

(a) *Maffeus lib. 1. hiſt. Ind.* (b) *Anno 524.*

lit ei ſingulare certamen, vt multorum cædibus parceret. Vbi ventum eſt ad manus, Angeli apparuerunt, qui Venceſlaum protegentes, arma miniſtrabant. (a) Quo viſo Dux veniam petijt, eaque impetratâ diſceſſit.

(a) *Luitprandus lib. 2. hiſt. cap. 14.*

MEMBRVM IX.

ANGELI SOCIALES

Socijs in tuto collocatis, pro ijs dimicant viſibiles

RARVM planè eſt, & ab hominibus minimè vſurpatum, quod ſciam, vt Angelus aduocatus in auxilium, Commilitonis ſui perſonam induat, & pro eo fortiter in prælio dimicet, quamuis Socius procul in tuto ſit conſtitutus. Exemplum eius fidei ac tutelæ celebrat hiſtoria Hiſpanica. ANNO Chriſti CMLXXXII. à Garſia Fernando Caſtellæ Comite, cum Mauris ad Gormatium oppidum, ipſamque Durij ripam, acie dimicatum eſt. Cæſi profligatique hoſtes haud exiguo numero. Accidit in eo prælio quidpiam, quod memoriæ prodendum eſſe videtur, inquit Ioann. Mariana hiſtoricus lib. VIII. Hiſt. cap 9. Ferdinandus Antolinus vir nobilis & religionis cultui deditus rei diuinæ procurandæ cauſsâ, quod ſemper ante pugnam facere conſueuerat, manſit in templo, dum ab alijs dimicatum eſt. Numini quam grata eius viri pietas eſſet, miraculo indicatum. Ipſo in templo primùm, deinde domi ignominiæ metu reſidente, latitanteque, eius ſpecie Quidam, GENIVS ſcilicet BONVS, inter primos fortiter pugnare viſus eſt: vt eius diei victoria Antolino potiſſimùm tribueretur: recentia vulnerum veſtigia, & ſanguinis maculæ in equo, & in armis inuenta, miraculum confirmarunt: reque omni proditâ, Antolini Militis pientiſſimi innocentia, virtuſque illuſtrior euaſit.

VALET autem, tum hoc, tum reliqua ſuis locis recenſita exempla, & tota hæc de Auxilijs Sociorum Angelicorum commentatio, ad excitandam admirabilem in animo fiduciam, ſpemque; hoſtes æquè viſibiles ac inuiſibiles profligandi, & in aduerſis tutò ſecurèque agendi. Cur enim metuas? cur animum deſpondeas? Inuadit te Mundus, Caro, Cacodæmon: cingunt te agmina vitiorum capitalium: infeſtant perturbationes animæ: circumdat ciuitatem hoſtilis exercitus: inuadunt patriam & latrocinantur religionis inimici, bonorum aduerſarij, perturbatores pacis publicæ. Bono animo. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Si conſideres te cinctum eſſe Sociali Beatorum Spirituum exercitu, *non timebis à timore nocturno: à ſagitta volante in die; ab incurſu & Dæmonio meridiano.* Si benè tibi conuenerit cum auxiliatoribus Socijs, *cadent à latere*

à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. Non accedet ad te malum, & flagellū non appropinquabit tabernaculo tuo. Quanto animo vel in grauiſſimo diſcrimine eſſe conuenit Militem, qui talibus cinctus eſt ſtipatoribus, quibus DEI iuſſu incumbit die noctuque pro ſalute ſibi commendati excubare? Quamuis autem toto vitæ tempore fideliſſimam hominibus operam præſtent illi Commilitones noſtri, faciunt id tamen multo & feruentius, & conſtantius, in vltimo illo ſub vitæ terminô cum Cacodæmone conflictu, in quo vertitur æternitas, vel ſupplicij, vel gloriæ. Atque idcirco, dum integrum nobis eſt, votis, precibus, & totius vitæ innocentiâ, tanquam ſtipendio nobis conducendus eſt familiaris ille noſter Hyperaſpiſtes, Collateralis, Tutor, vt quando maximè eius erit vſus, colluctantem tam importunè non deſerat.

Angeli mi, bone Dux animæ, bone mentis Achates,
Te ſine nō poſſum viuere, nolo mori.
Da vocemq́ oculumq́ animumq́ manumq́,
Vt mox ad Superos, Te comitante ferar.

NOTÆ

In quibus Auctores & Auctarium.

§. I. SOCIALIS.] *Romani Socios ſuos appellabant, quos ita fœdere coniunctos habebant, vt & belli & pacis eſſent participes. Græci* συμμάχους *dicunt. Hinc bellum Sociale, quod cum Socijs geritur: exercitus Socialis, qui conſtat ex Socijs: fœdus Sociale, quo Socij inter ſe iunguntur & obligantur.*

§. II. ANGELI Socij in bello hominibus.] *Legendi auctores, qui ſcripſerunt, vel vniuersè de Angelis, vel ſignatè de Angelo Cuſtode.* Franciſcus Albertinus *libello de Angelo Cuſtode.* Iacobus Hautinus, *lib. cui tit. Angelus cuſtos. ſeu de mutuis Angeli Cuſtodis, & Clientis Angeli officijs.* Anton. Dauroultius *in Catechiſmo hiſtorico cap.* 3 *tit.* 23. 33 34. *& ſeqq.* Laurentius Byerlinck *in Theatro vitæ, Tomo* 1. *tit.* ANGELVS. §. Auxilia Angelorum in bello *& Tit.* Victoria virtute diuina impetrata. *Nicolaus* Serarius *Commentario in cap.* 10. *lib.* 2. *Machab. & Orat. Luthero-Turcicâ.* Valentinus Leuchtius *in Speculo Hiſtoriarum, vbi collegit, Miraculorum, prœliorum, & Victoriarum, ex Sacris, Eccleſiaſticis, & Ciuilibus Scriptoribus memorabilia exempla, quæ diuina potius ope per Cœlites, quàm humanis copijs de hoſtibus reportatas laureas, trophæa, triumphos repræſentant.* Matthæus Raderus *in Aula Sancta Theodoſij cap.* 12. *quod inſcribitur:* Admiranda domi bellique ſingularem Theodoſij religionem declarantia.

§ III. ANGELVS habitu Paſtoris] *?me de Angelo hiſtoriam tradunt Græci & Latini.* Socrates *lib.* VII. *cap.* 23. Nicephorus *libro* XIX. *cap.* 7. *in cuius ora I. Langus interpres adfirmat, ad Mulbergam anno Chriſti* M. D. XLVII. *geminam huic rem in Albi flumine contigiſſe.* Paulus Diaconus *lib* XIV. Otto Friſingens. *lib.* IV. *cap.* 23. Sigebertus *in Chronico Anno Chriſti* CCCC. XXVI. Baronius CCCC. XXXV.

§. IV, SANCTI Vbij an apparuerint, & pugnaue-

pugnauerunt pro Conſtantino.] Ægidius Gelenius *Eruditus Hiſtoricus in Admirandis Colonia Agrippin. Vbiorũ Vrbis, l. 1, Syntagmate IV. Conatur probare incũabula libertatis fidei Chriſtianæ in Vbijs fuiſſe tempore Conſtantini: hunc ibi Crucem ſpondentem victoriam vidiſſe: hinc capiſſe gloriam & triumphum fidei Chriſtianæ: ex Vbijs rapuiſſe exercitum contra Maxentium: cum quo quando acie congrediebatur, Cælites, qui apparuerint fuiſſe Chriſtianos & maximè Vbios Martyres & Patronos* Qui enim alij fuiſſent iſti Cælites viſi? *Confidenter ſanè. Vellem vt fidem fecerit omnibus ſtudioſè conquiſitis coniecturis. Sed reuerà, non ſunt niſi coniecturæ, quæ benè affectum ducunt, ἀδιάφορον non trahunt.*

§. V. ANGELI Sociales, pro ſuis Socijs, & cum ijs pugnant, fideliter, fortiter, conſtanter.] *Sociali Angelorum exercitu à ſupremo Imperatore ſubmiſſo plus effici, quàm mortalium copijs probarunt pij Imperatores, Reges, Principes.* Conſtantinus, *non ſemel expertus, quid poſſent Cælites.* Theodoſius *M. qui idcirco arma à votis inchoabat*, Theodoſius *Minor eiuſdem virtutis, & felicitatis heres: ſequuti deinde*, Ottones, Caroli, Maximiliani, Ferdinandi, Ludouici, Philippi, Emmanueles, Alphonſi.

ROILAS *Scytha cùm totam propè Scytharum Ruſſorumq́ gentem ad arma concitaſſet, Iſtroq́ traiecto, Thraciam depopulatus copias ad Conſtantinopolim ipſam admouiſſet, ratus inexpectato ſe belli fulmine vrbem oppreſſurum: Numine pro Theodoſio propugnante, cæleſti telo, ingenti nubium fragore, ſed inuiſibili, vt reor, auxiliaris Angeli detorto fulminatus, & in cinerem redactus, cum toto ſimul exercitu, peſtilitate, tempeſtateq́, inuſitato bellandi mortalibus, ſed immortalibus Socijs conſueto in ore deletus eſt. Quam victoriam Proclus mirificè pro concione, velut epinicio, illuſtrauit. Ita ferè* Socrates *lib. 2. cap. 24.* Theodoret. *lib. 5. cap. 36.* Nicephor. *lib. 14. capite 4. & alij hiſtorici.*

TAMETSI *omnibus Chriſtianis & iuſtis potiſsimùm, auxilia ſua promptiſsimè Auxilia offerant; nihilominus obſeruatum eſt à Viris Angelorum familiaritate fruentibus, quattuor eſſe Claſſes, quarum ſingularem curam protectionemq́ ſuſcipiunt.* Prima *eſt Caſtorum, & Virginum, quibus grauis eſt continua cum Carne pugna.* Secunda *Religioſorum, qui Militia Spirituali ſingulari ſe Sacramento deuouerunt.* Tertia, *miſericordiæ operibus deditorum.* Quarta, *perſequutionem amore DEI patientium.*

Legendus Albertinus *de Angelo Cuſtode cap. 7.* Hautinus *de Tutelari cap. 9.* Hieronymus Platus *lib. III. de bono ſtatus Religioſi cap. 18. quod eſt de Tentationibus, quas aliqui obijciunt in Religione multas eſſe. Quid præſtiterit Eques Angelus lege apud V.* Bedam *in Cuthberti hiſtoria, cap. 1.*

***

COMMENTATIO III.

II. EXERCITVS SOCIALIS

Ex hominibus ad Cælum translatis.

Subuenite Sancti DEI

Occurrite Milites Domini.

MEMBRVM I.

COELITES

Ex hominum genere Militibus Christianis in terrâ certantibus ſunt Exercitus Auxiliarij.

PRÆTER Exercitum Socialem ex Angelis, ACADEMICI CHRISTIANI, eſt alius non minus fidus ex iis coaleſcens, qui mortalitatem exuti, ab omni quidem militandi onere moleſto, neceſſario, & coacto vacationem acceperunt, in viuentium tamen mortalium gratiam, cùm id poſtulat humana neceſſitas, cælo effuſi, militaria cum iis munia obeunt, & ſuentur, victoriæ non nunciatores tantùm, & præſagi, ſed auctores etiam. Exercitus non immortalium ſolùm, ſed verè immortalis, de quo gloriatur meritò ECCLESIA MILITANS, & Militia Chriſtiana; meliori iure, quàm olim Perſica, in qua *Immortales* dicebantur decem millia Perſarum, flos totius Militiæ: quod is numerus ſemper integer ſeruaretur, in bello cæſis, aut morbo ſontico laborantibus, aut fato occumbentibus, ſuffecti ſtatim fuerint alij, qui numerũ implerẽt. Eſt Exercitus ille noſter Socialis omninò Immortalis ex Immortalibus, quorũ nullus in bello vnquam cæditur, nullus morbo, neq; lento, neq; præcipiti, neq; longo, neq; breui tentatur, neque vlli ſontico eſt obnoxius; nullus etiam interit, vt neceſſarium ſit aliquem alium ſubſtituere.

COELITVM autem cùm varij ſint Ordines, omnes ſunt prompti, ſi aduocentur, vt mortalibus in terrâ certantibus, ſiue in Spirituali bello contra hoſtes animæ, Mundum, Carnem, Cacodæmonem, iiſque ſubſeruientes Tartari copias ſiue in corporali prælio, contra hoſtes Reipublicæ, Patriæ, Eccleſiæ opem præſentaneam ferant, illoſque validiſſimè oppugnent, opprimant, & exſcindant.

ſcindant. Iidem omnes ſunt Milites voluntarij, vt rectè VOLONVM Exercitum conſtituere dici poſſint. Glorietur de Caſtore & Polluce, totque alijs Dæmonum ludibrijs gentilitas: veriora Chriſtianis à Cælitibus ſunt ſubſidia. O quoties viſibili formâ noſtri curam ſuſcipere vſi ſunt, & periculis eripere felici cum DEO fruentes æuo SANCTI!

MEMBRVM II.

APOSTOLI

In Exercitu Sociali Cælitum fidelibus opitulantur.

SS. PETRVS & PAVLVS.

ANNO Domini CMXV. (a) Græcis Latiniſq; quotidie confligentibus, ex infidelibus ne vnus quidem ſuperfuit Pænorum (ita vocabantur Saraceni, qui ex Africâ venerant) qui non aut gladio trucidaretur, aut viuus continuò caperetur. Viſi ſunt autem à religioſis fidelibus in eo bello Sanctiſſimi Apoſtoli PETRVS & PAVLVS, quorum precibus & auxiliari manu Chriſtiani Pænos fugarunt, & ipſi victoriam obtinuerunt. Eoſdem in exercitu CONSTANTINI ductores fuiſſe cælo lapſos, & miſſos diuinitus, agminis illius viſibilis, quem Panegyriſta Ethnicus deſcribit, fas eſt credere. Nam iidem Apoſtolorum Principes à DEO miſſi Conſtantino apparuerunt, vt ad fidem baptiſmumque ſuſcipiendum operâ S. Sylueſtri Pontificis Romani hortarentur. A ſomno excitatus Imperator acciri iubet Epiſcopum, à quo quæſiuit ſolicitè, eſſentne apud Chriſtianos Dij, PETRVS & PAVLVS. Cui Sylueſter: nobis ô Imperator, DEVS vnus eſt, plures non agnoſcimus. Quos tu vidiſti, & nominaſti, vt Tibi notos, Serui ſunt & Apoſtoli DEI viui. Qui quod præcipuè propter egregiam fidem, caritatiſque ardorem, DEO grati carique fuerint, ſanctitatis arcem occuparunt, primum inter Sanctos locum obtinentes. Primi quippe gentibus omnibus Diuinitatem D. N. IESV CHRISTI annunciauerunt, atque ab ipſis Eccleſiæ omnes initia ſumpſerunt. (b) Horum deinde auxilio potiſſimùm, poſt ſubſidia Angelorum, fretum Conſtantinum, tam audacter contra religionis Chriſtianæ hoſtes progreſſum, & toties tam glorioſas pro fide & Eccleſia retuliſſe victorias, quis dubitet? Et fuit ea perſuaſio antiquorum, *Petrum & Paulum* primos eſſe è Cælitibus fidelium in bello *Opitulatores*; quare eorum præcipuè cùm pugnandum eſſet, ſupplici prece poſtulabant auxilium. Vnico contentus ero exemplo.

ANNO DCCCXLVI. tempore Leonis IV. Pon-

(a) *Luitprandus lib. 2. cap. 14. Baron. Tom. x. An. 915. Thomas Bozius lib. XVII. de Sign. Eccl. c. 7.*
(b) *Euſebius lib. VII. hiſt. cap. 33.*

IV. Pontif. (a) Saraceni nauibus euecti circa littera Tuſciæ, maxima damna intulêre quibuſdam ciuitatibus. Deinde portui Romano applicantes exercitum, ſpe potiundæ Vrbis Romam tendebant, quam Romani validè muniuerant. Quare ſpe Vrbis potiundæ depoſitâ, cuncta circa Vrbem diripiebant, Eccleſias ſpoliabant, & incendebant. Baſilica S. Petri eo tempore fuit ornamentis ſuis orbata, altare profanatum, quæ placuere hoſtibus, direpta. Sic ſpolijs onuſti receſſerũt Saraceni, Neapolim tendentes, & oram maritimam percurrentes. Leo Pontifex, vt impiorum inſolentiam compeſceret, adiutus *Ludouici* Auguſti auxilijs Oſtiã proficiſcitur cum hoſtibus dimicaturus, ſed prius auxiliares cælo copias euocauit, Ductoresque illorum, PETRVM & PAVLVM, quos, vt à ſummo Imperatore impetraret, hortatus eſt milites vt Synaxi Euchariſticâ ſe munirent: tum DEO ſupplex factus, hanc fudit orationem. *DEVS, cuius dextera B.* PETRVM *ambulantem in fluctibus, ne mergeretur erexit, & Coapoſtolum eius* PAVLVM *tertio naufragantem de profundo pelagi liberauit, exaudi nos propitius & concede, vt amborum meritis, horum fidelium tuorum brachia, contra inimicos Eccleſiæ tuæ ſanctæ dimicantia Omnipotenti dextra tua corroborentur, & de recepto Triũpho nomen ſanctum tuum in cunctis gentibus glorioſum appareat.* His dictis, ſtatim facto Crucis ſigno pugnandi copiam fecit Chriſtianis Militibus. Qui ita pugnam inierunt, ac ſi victoriam certò ſibi promiſſam iam haberent in manu. Tandem, poſt longum & acre certamen hoſtes ſuperantur fuganturque. Multi in ipſo prælio periêre, plerique viui capti ſunt, & Romam perducti.

(a) *Naucler. Volum.* 2. *Generat.* 2. *Ann.* 846.

S. ANDREAS.

IN Britanniâ cùm inter Anglos & Scotos inſtructa eſſet vtrimque acies ad dimicandum, in eaque aut vincendum, aut moriendum fortiter & honeſtè, cunctis in manifeſto diſcrimine ad religionem conuerſis, opemque à Chriſto religioſis precationibus petentibus complura pia vota ſunt audita. (a) Hungus Pictorum Rex D. ANDREAM, in cuius Picticа Scoticaque gens erat tutelâ, frequentibus ſuſpirijs, lacrymiſque, vt peculiaribus ſuis populis, ne tam impijs Anglorum armis in exitium adducerentur, auxiliaris foret, eſt precatus. Soluto Regi intempeſta nocte in ſoporem extemplò adſtans Apoſtolus, iuſſit alacriori eſſe animo; nec hoſtium multitudine terreretur, plurimamque ſpem in diuina locaret ope: fore, vt glorioſam de Anglis poſterâ die aſſequeretur victoriam. Mirum ſcribunt tunc accidiſſe ſupra Pictorum caſtra, lucidam cælo apparuiſſe CRVCEM illius inſtar, quâ Apoſtolus ANDREAS pro Chriſti nomine ſupplicio

(a) *Hiſtor. Brit. lib.* x. *hiſtor. Scotor.*

ſupplicio olim erat affectus: haneque Apoſtolum ipſi Regi oſtendiſſe, addidiſſeque id oſtentum antepartam victoriã haud cælo defuturum. Experrectus Rex milites iam tum lucentem Crucem intempeſtâ nocte admirantes edocet, quã fortunam D. Andreas ſibi ſuoque exercitui fuiſſer pollicitus; per quietem hortatus, prima luce alacres hoſtes aggrederentur, Numine ſibi propitio & adverſo hoſtibus, eoque illorum multitudinem minimè timendam.

Sequuta Regis verba grata omnium vociferatio, quam hoſtes audientes (nã hi noctem totam in armis vociferabantur) lucidam ſimul conſpicati CRVCEM, quidpiam mali portento raſi ſibi præſagientes, ingenti pauore ſunt perculſi. Sub primam lucem Hungus eductis è caſtris militibus inſtructiſq; copijs ſignum cum hoſtibus manus conferendi dedit. altiori voce inclamans D. ANDREAM manifeſtè AVXILIAREM adeſſe, quo DVCE, abſque diſcrimine victoriam Pictos Scotoſque ſequuturam. Ad Regis verba, tanta vi milites in Anglos ſunt inuecti, vt cùm impetum non poſſent ſuſtinere, primum Northumbri, mox tota acies impulſa terga dederit. Hungus itaque potitus victoriâ vt ſe verum Seruatoris Apoſtoli cultorem oſtenderet, augendæ religionis ſtudio ſacram ædem magnifico auxit apparatu, & Sacerdotum ad Diuina exequenda numerum.

ANNO MXCVIII. cùm in expeditione ſacrâ Chriſtiani Antiochiæ in maxima rerum deſperatione eſſent, & extrema quæque ſibi timerent, quod innumeros Saracenorum, Perſarum, (a) Turcarumque exercitus aduerſus ſe paratiſſimos viderent, ipſi autem fame propè enecti, vix poſſent pedem mouere, & pauciſſimi eſſent illis equi, quibus vti in bello poſſent, apparuit Petro cuidam Clerico S. ANDREAS, monens, vt Principibus Chriſtianæ Militiæ ſuo nomine ediceret, vt in Eccleſia Principis Apoſtolorum LANCEAM, qua transfixus eſt Chriſtus, defoſſam humi quærerent, loco, quem deſignabat, eaque prælatâ procederent ad bellum, nec dubitarent, fore ſe victores. Cùm autem Clericus diu tergiuerſatus fuiſſet, iterum, iterumque monitus, obiurgatus, & minis additis compulſus, tandem rem detexit. Quæſiuerunt illi, & vt prædictum fuerat, inuenerunt. Pergentes aduerſus inimicos, celeberrimam victoriam reportarunt: ex quâ ſpolia multa, varia & opima, vberrimamque rerum omnium copiam ſunt adepti. Illud porrò mirabilius accidit: nam cùm Milites Chriſtiani in hoſtes tenderent, defatigatique & extenuati eſſent omnes, continuò ros pluuius cælitus defluxit, quo vires omnium recreatæ, roburque additum, & ſpes victoriæ confirmata.

CHRISTIANI iterum pugnam cruentiſſimam conſeruêre cum Carbona Perſarum Duce, & iam videbatur acies illorum inclinare; ſed apparuêre agmina innumera Equitum albatorum, qui tantum terrorem incuſſerunt hoſtibus vt illi protinus ſe in fugam darent, ex quibus Chriſtiani occiderunt centum millia equitum; peditum numerus iniri haud potuit

(a). *Gulielm. Tyrius lib. 6. de bello ſacro cap. 4. & 19. Naucl. Genera. 37. volu. 2. Baron. tomo* XI. *Ann.* 1098. *Tom. Bozi. lib.* 17. *cap.* 17.

potuit præ multitudine. *Auctor, Robertus Monachus.* Denique, quàm fidelis ſit Auxiliator in Militia Chriſtiana S. Andreas deprædicant Equites Crvcis *Burgundicæ*, quam & Andreanam vocant, ex duobus baculis rudibus, non dolatis, à quibus truncati ſunt rami, decuſſatim poſitis. Quibus inſignibus Gens Burgundica ſe profitetur D. Andreæ Clientem, cum illum, vt Patronum, & in bellis potiſſimùm Auxiliatorem colat.

S. IACOBVS MAIOR.

VT Burgundi Andream, tanquam certum in Militiâ Opitulatorem, ita Hiſpani Iacobvm Maiorem inuocant, & ſentiunt. Admiranda ſunt, quæ referuntur patrata fortiter ab Hiſpanis (quibus Luſitanos etiam deſigno) ope D. Iacobi Apoſtoli: paucis contentus ero: Anno Chriſtiano dcccxliv qui ſecundus fuit regni Ramiriri, ſiue Ramiri Regis Oueti in Hiſpaniâ regnantis, contigit celeberrima illa, & omni ſcriptorum genere decantata victoria de Saracenis, quando Iacobvs viſus eſt ante aciem aduerſus Barbaros dimicare cum ſuis, fugarē hoſtes, inſequi fugitiuos, triumphum Hiſpanis parere. Res ita accidit, (*a*) vt Hiſpani Scriptores memorant. Cùm Ramirus regnare cœpiſſet, miſerunt ad illum Saraceni vt daret ijs annuatim quinquaginta puellas nobiles, quas ſibi matrimonio coniungerent, & totidem de plebe, ad ſolatium nobilium, ſicut olim fecerat Rex Mauregatus. Poſtulata hæc in dedecus gentis, & ignominiam religionis Chriſtianæ interpretatus Ramirus, abnuit: & congregato exercitu Maurorum ditiones inuaſit, & vſque ad Nazarum ferro flammâque vaſtauit omnia. Saraceni hac belli denunciatione, ſimulque illatione irritati, cogentes exercitum proceſſerē vſque ad locum, cui nomen Albella. Hic exercitus Ramiri retroceſſit, vſque dum veniret ad Collem, qui Calbilium vocatur. Interim clauſit nox obſcuriſſima diem, quam Chriſtiani omnes tranſegerunt in precibus lacrymabundi. Regi aliquamdiu quieſcenti, videndum ſe dedit Iacobvs Apoſtolus, dixitque: Dominus meus Iesvs Chriſtus alias Prouincias orbis terrarum alijs fratribus meis Apoſtolis, Hiſpaniam totam meæ tutelæ deputauit, atque meâ muniuit protectione. Tunc manu ſua Regis manum ſtringens, ſubiunxit: Confortare & eſtò robuſtus: ego ſum Iacobvs Apoſtolus Chriſti, qui venio in auxilium tibi: non ambigas, ſuperabis mane auxilio DEI, Saracenorum à quo obſeſſus es hanc innumerabilem multitudinem: multi tamen ex tuis, quibus iam parata eſt æterna requies, migrabunt, percepturi coronam. Et ne dubites, videbis me in Equo albo deferentem maximum vexillum album. Summo igitur mane, factâ peccatorum confeſſione, & acceptâ

R 2 Corporis

(*a*) *Lucas Tudenſis in Chronico Roderic. Toletæ lib. 4. rer. Hiſp. cap. 13.*

Corporis & Sanguinis Domini communione, armatâ manu caſtra Barbarorum inuadite, Nomen Domini inuocantes: certo certius cadent in ore gladij.

HIS dictis diſceſſit Apoſtolus. Et Ramirus ad ſe reuerſus, conuocatis Epiſcopis, Abbatibus & Magnatibus, viſionem eius retulit. Qui gratias agentes DEO, fecerunt imperata, contra Barbaros progreſſi. In conflictu S. IACOBVS apparuit, ſicut promiſerat, Chriſtianos animando ad pugnam, & Saracenos fortiter feriendo. Chriſtiani autem, vt viderunt B. IACOBVM, roborati in Domino, concidendo gladijs Saracenos, clamabant identidem: Adiuua nos DEVS, & S. IACOBE. Tunc victi Saraceni fugerunt, & cæſi ſunt ex illis ferè ſeptuaginta millia. Reuerſi autem ſunt in caſtra Chriſtiani ingenti cum gloria. Addit Chronicon Hiſpan. Vaſæi. Ab eo tempore receptum fuiſſe vt Hiſpani in prælijs omnibus, præcipuè ſi cum infidelibus aut paganis res eſt, DEI ac D. IACOBI nomen implorent, quod ipſis eſt pro teſſera militari. Ramirus Rex ne ingratus eſſet Apoſtolo pro tam inſigni beneficio, de communi Præſulum ac nobilium conſilio ſtatuit, vt pro ſingulis boum iugis certa tritici menſura, quâ in ſoluendis primitijs vtuntur, & de ſingulis vini modijs, amphora vini annis ſingulis D. IACOBO ſolueretur, nomine voti, cũ diriſſimis execrationibus, ſi quis in poſterum violaret.

ANNO Domini M.XL. cùm FERNANDVS Caſtellæ & Legionis Rex Conimbriam in Portugalliâ ab Arabibus occupatam obſideret fuit Epiſcopus Græcus, nomine Hoſtianus, qui limina S. Iacobi viſitauerat. Is multis referentibus, audiẽs S. IACOBVM, vt Militem, ſæpe viſum fuiſſe auxilia Chriſtianis deferentem, deridens, noli te, inquiebat, Apoſtolum vocare Militem, ſed Paſtorem, aut Piſcatorem. Dum igitur noctu dormiret, apparuit ei S. IACOBVS, dicens: noli Hoſtiane dicere me non fore Militem contra Chriſti perſequutores. Quod vt pro explorato habeas, ecce iam equito, laturus auxilium Regi Fernando, qui annis ſeptem obſedit Conimbriam; &, vt ſis certus, conſpice claues, quibus cras horâ tertiâ aperiam portas ciuitatis Chriſtianis. Qua reuelatione perterritus, ſequenti mane viſum ſuum Canonicis Cõpoſtellanis retulit, & compertum eſt ita eueniſſe.

PLVRA ſunt Exempla de S. IACOBO huc ſpectantia in Hiſtoriâ Indicâ. *Ioannes Petrus Maffeius* eleganter deſcribit quæ, & quomodo in Cõgitiano Æthiopię regno, contra Chriſtianæ pietatis hoſtem immaniſſimum, & parricidam Panſum, pro Alphonſo nouo & Rege & Chriſtiano præſtiterint tum IACOBVS, tum ANGELI. Panſus cum copijs, quas ha„ bebat duplici inſtructas acie infeſtus „ ad vrbem aduolat. Non perterritus ea „ re Alphonſus, tum armatos, quos cir„ ca ſe habebat, pauciores quàm credi „ poſſit (non plus ſex & triginta fuiſſe „ Rex ipſe per litteras publicas admodũ „ religioſè teſtatur.) tum ceteram im„ bellem turbam quæ ad regiam percul„ ſa metu confugerat, bono ac præſenti „ animo

(a) *Lucas Tudenſis in Chronico Roderic. Sanctius hiſt. Hiſp. p. 3. cap. 26. Roderic. Toletan. de reb. Hiſp. lib. 6. cap. 11. Baron. Tom. 11. 1040.*

„ animo iubet eſſe, DEVM verum, quē „ ſpretis falſis Dijs venerari inſtituerint „ pro ipſis haud dubiè pugnaturū. Nec „ vana cecinit. Vbi ad teli iactum eſt „ ventum, Chriſtiani armati inermesq; „ ſublato pariter clamore, IESVM DEVM „ & S. IACOBVM, ex diſciplina Luſita- „ nica ingeminant. Mirum dictu, ad eas „ voces, tanquam cæleſti fulmine affla- „ ta prior acies, cum aliquamdiu atto- „ nitæ ſimilis fluctuaſſet terga poſtmo- „ dum vertit: cumque eandem trepida- „ tionem, pauoremque, ſubſidijs intu- „ liſſet, turbatis eo impetu ordinibus, „ conuerſiſque illicò ſignis, effuſa om „ nes fuga ſaltus auios & nemora peti- „ uere. Hanc tam incredibilem ac pla- nè diuinam, alia non minus admiranda ſubſequuta eſt, quam in præcedenti Comment. ex Maffeio dedimus: nam ad Angelos pertinet, qui clariſſima circumfuſi luce pro Chriſtianis acerrimè pugnare viſi ſunt.

APVD eundem, D. IACOBI opē, ac operâ Luſitani victoriam adepti ſunt, quā deſcribit lib. v. Fuit & illa diuina ad Repelini vada Odoardi Pacieci virtute & pietate relata, quam *Oſorius* lib. tertio Indicæ hiſtoriæ, & *Maffeius* lib. ſecundo enarrat. Lege eundem lib. I. & XII. *Ioannem Oſorium* in Concionibus bellicis & de S. Iacobo. *Nicolaum Serariū* in Orationibus Luthero-Turcicis, ſeu An. iturcicis. De *S. Iacobo* iterum inſpiciendus Cardanus lib. v. de varietate fortunæ cap. VIII. & *Petrus Binerus*, volumine, quod inſcripſit: *Solennia Diuina, & Excellentia Chriſti IESV ſplendentis in Beatis Apoſtolis, & Viris Apoſtolicis*. In eo de D. IACOBO quà Milite, & Militum Chriſtianorum Opitulatore ſummo; quà Hiſpanorum potiſſimùm Defenſore perpetuo, multa reperies, digna ingenio & pietate Hiſpanicâ. Nonnulla hic adponimus.

D. IACOBVS.

Dux Militiæ, ſimilis Leoni.

PRIMARIO Militiæ Romanæ Duci Iulio Cæſari conſecratus eſt Iulius menſis, quo tempore Sol regnat in Signo Leonis, non tam vt menſem illuſtret, quàm vt ab illo illuſtretur. Habes alterum Militiæ Chriſtianæ DVCEM, qui hoc eodem menſe celebratur, per quem celebris Menſis efficitur, S. IACOBVM APOSTOL. mirabilem Ductorem Militiæ, quem nouit Hiſpania Patronum, Catholicæ Eccleſiæ Cuſtodem, ac maximum Protectorem. Peropportunè honoratur Apoſtolus, cùm Sol eſt in Signo Leonis, cùm ſit *Leo* inter Apoſtolos. Scimus Solem Iuſtitiæ Chriſtum pro numero duodecim Cæleſtium Signorum, Apoſtolos elegiſſe duodecim, in quibus Diuinus Sol, quaſi in Signis apparet glorioſus. In Signo Virginis, cùm apparet in Ioāne: in Signo Leonis, cùm in Iacobo lucet

& ſplendet. Cùm eſſet Leo pro Veritatis defenſione electus, prouidit Chriſtus, vt præ ceteris Apoſtolis adeſſet myſterijs Reſurrectionis, Transfigurationis, & Orationis in horto, vt viden do roboraretur: teſte enim Plinio. *Leo in oculis vim habet.* Nouimus *Petri, Iacobi,* & *Ioannis* ſanctam Triadem accerſitam ad ſpectaculum montis Thabor. Inde Ioannes egreſſus oſtendit habuiſſe vim in eloquio: *Vidimus gloriam eius gloriam quaſi Vnigeniti à Patre*, 1. Ioan. 14 Habuit & Petrus: *Nos ſpeculatores facti illius magnitudinis* 2. Petri 1. 16. Cùm duo comites ſic loquantur, *Iacobe* ſancte, quid nobis de Transfiguratione pronuncias? Iam loqui fas eſt: impoſita ſilentij lex terminum habuit: *Nemini dixeritis viſionem donec à mortuis reſurgat Filius hominis*, Matth. XVII. 9. Tacet *Iacobus* & videt: quam Petrus & Ioannes habent in lingua vim, habet in oculis *Leo*.

Leo verè IACOBVS, in quem apprimè cadunt elogia de Machabæo: *Surrexit Iudas, qui vocabatur Machabeus, filius eius pro eo, & adiurabant eum omnes fratres eius, & vniuerſi qui ſe coniunxerant fratri eius. & prœliabantur prœlium Iſrael cum lætitia: & dilatauit gloriam populo ſuo: & induit ſe loricā, ſicut gigas; & ſuccinxit ſe arma bellica ſua in prœlijs: & protegebat caſtra gladio ſuo. Similis factus eſt Leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus Leonis rugiens in venatione. Et perſequutus eſt iniquos, perſcrutans eos; & qui conturbabant populum ſuum, & ſuccendit flammis. Et repulſi ſunt inimici eius præ timore eius, & omnes operarij iniquitatis conturbati ſunt: & directa eſt ſalus in manu eius. Et exacerbabat Reges multos, & lætificabat Iacob in operibus ſuis. & in ſæculum memoria eius in benedictione* I. Machab. III. Surrexit in mari IACOBVS, cuius præclara facinora contra Mauros in Hiſpaniâ præſtita, & in toto orbe patrata contra Religionis hoſtes nec planius, nec plenius poſſunt deſcribi, quàm præfatis verbis deſcripta legimus.

S. IACOBVS.

Præfectus Equeſtris Militiæ.

IN Militiâ pluris habetur veteranus Miles, quàm ceteri, qui ſerò nomen Militiæ dederunt. Scio Chriſtianæ Militiæ plures Diuos Tutelares conſtitui. *S. Dionyſium, Mauritium; Sebaſtianũ, & Georgium.* Quorum tres poſtremos Romanam Eccleſiam contra fidei hoſtes præcipuè inuocare conſueuiſſe, teſtatur Ordo Romanus de Diuinis Officijs. Nemo prior Militiam profeſſus, quàm S. IACOBVS cùm veteranus Miles ſit, præ cæteris in Militiâ debet æſtimari. S. MICHAELEM totus Militiæ cæleſtis Exercitus colit, quia primus viſus eſt in certamine, & præ cæteris Angelis veteranus Miles habetur. Nouus MICHAEL eſt IACOBVS. Ducit Equitatum Chriſtianæ Militiæ. Semper pugnat in Equo, & inde

& inde contra fidei hoſtes clamat: *Quis vt DEVS?* *Effunde frameam* Magne IACOBE, *& conclude aduerſus eos.* Pſal. XXXIV. 3 Conclude nobilis Eques, generoſo vectus Equo, cui DEVS, & cum DEO loquar, præbuit fortitudinem, circumdedit collo hinnitum, ſuſcitat è terrâ ſaltantem quaſi locuſtam volantem. *Gloria narium eius terror, terram vngula fodit, exultat audacter: in occurſum pergit armatis. Contemnit pauorem, nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus. Feruens & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem. Vbi audierit buccinam dicit: Vah! procul odoratur bellum, exhortationem Ducum & vlulatum exercitus.* Iob. XXXIX, 23. Hic Equus S. IACOBI *Apoſtoli Protectoris Hiſpaniarum*, in quibus excellunt maximè nobiles in prælio, quales deſcribuntur à Iobo, & à Iacobo eliguntur, & diliguntur.

S. IACOBVS.

Caſtus Miles.

IACOBVS erat Virgo, vt caſtra duceret, quæ à caſtitate nominantur. Vnde non immeritò S. *Iacobi Milites* caſtitatem coniugalem profitentur, vt Militem colant: & viri caſti ſuæ Militiæ Magiſtrum *Iacobum Virginem* recolant. Nec video eſſe quemquam Patronum Sacrû Militiæ, qui Virgo non ſit. Virgines ſunt, *Ioannes, Sebaſtianus, Dionyſius, Georgius*, magni Protectores in bello. Et quidem *Dauid* cùm tantus Miles eſſet, defecit à ſe ipſo, poſtquam amauit Bethſabee: ſicut & *Samſon* degenerauit à ſe, cum Dalilæ amoribus ſe dedit, & tradidit.

S. IACOBVS.

Dux Inſignis.

IACOBVM colunt pauperes vt cæleſtem Ducem & Imperatorem, quem ſibi pium & propitium inueniunt, & ſimul prædicant, tanti refert, vt qui bello, & & Militiæ præeſt, benignum & miſericordem ſe exhibeat, ſi velit à toto exercitu diligi & amari. *Alexander* Macedo, cum tempore hiemali exercitum duceret, & calefaceret ſe ad ignem cum aliquot Tribunis, monitus eſt, eſſe ad fores tugurioli militem rigentem frigore: iuſſit ſtatim eum introduci, ſurrexitque è loco, in quo erat, & ferè mortuum iam hominem, ibidem collocauit, & redeunti ad ſe dixit: *Gratia eſt tibi habere Seruitorem Imperatorem.* Magna militi collata gratia, ſed maior Imperatori, qui propter hanc beneuolentiam, & beneficentiam

centiam totius exercitus gratiam glorioſè comparauit CHRISTVS ipſe, cùm per modum exercitus duceret in deſertum turbas, vt gratum & amabilem ſe redderet, dixit Apoſtolis: *Miſereor ſuper turbam quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent* Marci VIII. 2. Suſtinebant laborem ex itinere, ex inediâ famem, ex longa via defatigationem, & tamen clementiſſimus Imperator ait: *Suſtinent me*: quaſi nec itineri laborem, nec inediæ famem, nec viæ laſſitudinem, ſed ſibi adſcriberet. Conſiderabat, quod ſua cauſſa omnia illa incommoda ſuſceperant & ideo: *Suſtinent me*, inquit. Ad exemplum Regum & Principum, quorum res agitur in caſtris, vt labores militares, quos miſeri milites patiuntur, ſuſcipiant ſuper ſe: vt diſcat vnuſquiſque regnantium dicere, *Suſtinent me*; & ad inquirenda remedia ſe accingant, more Chriſti D. qui ſtatim cum Apoſtolis egit, & iuſſit, vt cubantes ſupra fænum, conquieſcerent. Forſan cum Chriſtus dixit, *Suſtinent me*, inſinuare voluit, quales futuri eſſent pauperes in Eccleſia (nimirùm Religioſi, robur exercitus Militiæ Chriſtianæ) vt ſuſtinerent, & ſuſtentarent ſe, quatenus eſt caput & vertex Corporis myſtici, quod eſt *Eccleſia*.

MEMINERITIS S. FRANCISCI, & reuelationis Pontifici factæ. Vidit Pontifex in ſomnis iam iam lapſuram Baſilicã S. Ioannis Lateranenſis: ſed applicuit manum & ſubiecit humeros Franciſcus, eamque tenuit, ac ſuſtinuit, ne prolaberetur. Hæc eadem eſt vis Militum egenorum, quatenus non ſolùm Regna & Imperia ſuſtineut, ſed ſuſtentant Catholicam Religionem ſuis armis ac viribus. Inter quos primus eſt IACOBVS. Hic, cum tota ſua ſacra Militia Eccleſiam tuetur, ac efficit, vt Ethniciſmus, & Hæreticiſmus corruant: Eccleſia verò ſtet firma planè ac ſtabilis. *Columna ac firmamentum veritatis* eſt Eccleſia, vt teſtatur Apoſtolus, 1 ad Timoth. 3. 15. In Columna autem, præter ſcapum, qui eſt veluti corpus, eſt Capitulum ſuperius, & baſis inferius. In Eccleſiæ Columna Caput eſt CHRISTVS: Baſis IACOBVS APOSTOL. qui domi foriſque eam ſemper infractã, & in concuſſam retinet. IACOBVS Patriarcha ſemel luctatus eſt cum Angelo, & ſtatim cæpit claudicare. IACOBVS Apoſt. ſemper fuit firmus & ſtabilis in prælijs, ac proinde non eſt timendum, quod ſub illo claudicare Eccleſia poſſit. Non claudicabit, ſed ſtabit ſub tali baſi Columna ſemper firma, ſemper immobilis.

S. IACOBVS.

Hercule Hiſpanico magis auxiliaris.

HISPANIA magnum præclaræ virtutis eſt Theatrum, vbi fortiſſimus Hercules cum Geryone luctatus eſt, & vbi virtutis ſuæ Columnas triumphales erexit: & NON PLVS VLTRA pergere, nec progredi humanæ facultati datum

eſſe

eſſe famoſus heros ille definiuit. Delapſus eſt in Apoſtolos Spiritus-Sanctus, vt eius virtutem induti fortes eſſent in bello, & cum antiquo Serpente pugnarent. Ne quid deeſſet Eccleſiæ, prodijt inde non humanus, ſed DIVINVS HERCVLES, magnus luctator IACOBVS, qui bonum certamen fidei commiſit cum gente Hiſpanâ, & huius mundi Principem, qui ibidem, inſtar Geryonis regnabat, inuaſit, & tandem diuitijs, delicijs, & potentiâ armatum Fortem, qui cuſtodiebat atrium ſuum, debellauit, ac ſuperauit. Quo maior hic Geryon Geryone primo Hiſpanienſi, eo maior IACOBVS eſt Hercule, cuius Columnarum Trophæum in ſplendorem & gloriam S. IACOBI Apoſtoli conuerſum eſt. Erexit ille Columnas, & NON PLVS VLTRA eſſe adfirmabat: ſed tandem deletum eſt: PLVS VLTRA Columnis Herculis inſcriptum eſt, non ſolùm, quia prouincias vlteriores, & vlteriora Indorum Imperia Hiſpanorum arma penetrarunt (Quorum bona ſors ac fortuna debetur IACOBO APOST.) Sed quia magnus etiam hic HERCVLES genuit in Chriſto viros Sanctos ac miniſtros Apoſtolicos, qui Zelo ſancto ſuo ac prædicatione vlteriores prouincias, noua regna, ac nouos orbes, ac mundos Chriſto & Eccleſiæ repererunt, & compararunt. Nondum eſt finis nouorum Regnorum: ſemper PLVS VLTRA, & VLTRA PLVS erunt, vbi & Gloria DEI, & Honor S. IACOBI Apoſtoli magis ac magis eluceſcant.

S. IACOBVS.

De Piſcatore Miles.

SI Sacros euoluamus Annales egregios in Militiâ Duces ac Milites deprehendemus, inter quos nullus eſt prorſus, qui propter pugnam naualem adeptus ſit ſui nominis gloriam. Et in humanis profaniſque hiſtorijs, qui magis illuſtres, & inſignes Imperatores recenſentur nominis ac famæ, non fuerunt in mari *Piſcatores*, ſed potius in terra *Venatores* Huc pertinet quod ſcribit, & præſcribit Vegetius lib. 1. de re milit. cap. 7. *Piſcatores, Aucupes, Dulciarios, Linteones, omneſq; qui aliquid tractaſſe videbuntur ad gynecæa pertinens, longè arbitror pellendos à caſtris.* Quamuis non elegerit DEVS pro campo militari mare, ſed terram, in quâ DEVS olim pro populo Hebræorum cõtra ſuos hoſtes bella geſſit; nihilominus hic *Dominus DEVS Exercituum* cùm ad Militiam S. IACOBVM acceſſeret, euocauit de mari, & ſummum Militem de Piſcatore conſtituit. Hactenus nemo de Piſcatione ad Militiam, præter vnum IACOBVM à DEO vocatus eſt.

Mos inualuit apud DEVM, vti Scriptura monet, de paſcuis vocare ad caſtra, & *Paſtores* conſtituere *Duces* & *Imperatores*: quemadmodum Moſes & Dauid à DEO ſunt conſtituti. Præter hunc an-

tiquum morem IACOBVS Piſcator vocatus eſt, & Chriſtianæ Militiæ creatus Imperator. *Noua bella elegit Dominus*, Iudic. v. 8. quæ non *Militares Paſtores*, ſed *Piſcatores Bellicos* poſtulant. Paſtores lacte & laná expoliant gregem; vnde nō oues ſolùm quærunt, ſed earum exuuias: Piſcatores verò de piſcibus ſpolia non colligunt, ſed ipſos piſces ſuis retibus capiunt. Piſcatores quos ad Militiam eligit DEVS, vt more Piſcatorum ſe in bello gerant, decernit, & piſcibus ditant: *Non Veſtra ſed Vos*, 2. ad Corinth. xii. 14. Non quærimus ſpolia, non rerum veſtrarum exuuias; ſed tantùm animas veſtras, quarum potectores ſumus, ac defenſores, & pro quibus ſine vllo temporali ſtipendio prœliamur. Omnes verò qui de Paſtoribus Milites & Duces adſumpti fuerunt, Paſtorum illum ſeruabant ritum, vt ad nutrienda bella, & caſtra ſuſtentanda, rebus ac facultatibus plebem ſuam exſpoliarent. Exſpoliant & hodie ciues ac ſubditos ſuos Principes militares, qui more Paſtorum, & non ritu Piſcatorum tractant bellum, & magno pretio & diſpendio ſuorum, non tam bella gerunt, quàm emunt. Quales ſunt, qui non virtute ac fortitudine armorum, ſed immenſis, ac propè infinitis ſumptibus arces vel vrbes mercantur.

S. IACOBI

Militare Inſigne, Gladius purpureus.

INSTRVMENTA Martyrij ſunt illuſtria Martyrum *Stemmata*, & glorioſa eorundem *Inſignia*. Gloriatur in ſuâ *Rota* magna CATHARINA, & in *Gladio* ſuo IACOBVS APOSTOL. qui exultat, Enſem purpureo cruore rubentem, nobilibus ac generoſis ſuæ Militiæ pectoribus eſſe conſutum: & hoc duplici ex cauſsâ. *Prior* illa ſit, quia *Gladius purpureus* repræſentat alterum illum, quem in paſſione & martyrio proprio ſanguine purpurauit. Non dolet de paſſione Martyr, cuius repræſentationem amat. Non dolet de *Gladio* IACOBVS; cuius purpureum ſymbolum præ oculis multorum opponitur. Rex Martyrum CHRISTVS eſt, qui, vt oſtenderet, non doluiſſe ſeſe, ſed potius de CRVCE ſua, Paſſione, & Morte exultaſſe, voluit, vt ad viuum cruentum Myſterium incruento Sacramento exponeretur, & repræſentaretur. Rubet igitur Sacrificium in altari, rubet in prædictæ veritatis teſtimonium. Ob hanc eandem cauſſam ad imitationem Regis Martyrum exultat & gloriatur S. IACOBVS *Enſe purpureo*, quique ſuorum Militum pectoribus aſſuitur, ad ſempiternam nobilis paſſionis ſuæ memoriam & recordationem. *Poſterior* rubentis Gladij ſit cauſſa, velle Militarem Apoſtolum rubicundo ſanguine ſuo Crucigeros ſuos ad arma, & certamina contra viſibiles, & inuiſibiles hoſtes excitari. Potentius & efficacius generoſos animos mouet ad prælium, quam mouerat elephantos ad pugnam ſanguis mori, cuius eſt mentio

tio 1. Machabæor. vi. 34. Sacrificium, quod in altari Rex Martyrum in pane reliquit, vt animos ſuorum confirmaret, & excitaret, & idcirco *Panis cor hominis confirmans* nominatur.

AD eiuſdem ſui Regis exemplum pro Inſigni glorioſo & ſtemmate illuſtri IACOBVS accepit rubentem Sanguine Gladium, vt, qui ſunt de eius Militia Equites nobiles, & ſanguine excitentur & Gladio prælientur ingenuæ libertatis propugnatores. *Ad Militiam nullus aſpiret, niſi quem penitus liberum aut genere, vita conditione inquiſitio cauta deprehenderit* Lex eſt Gratiani, Valentiniani, Theodoſij, lib. vii. C. Theod. 1. 2. Ad hanc Militiam gerendam cùm eſſe debeat Miles animoſus, ſit ille laborioſus, non delicioſus. *Nemo Miles ad bellum cum delicijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, ſed de papilionibus expeditis & ſubſtrictis, vbi omnis duritia, & inbonitas, & inſuauitas conſtitit. Etiam in pace labore & incommodis bellum patiſiam addiſcunt: in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtudinem deſiccando. Sudore omnia conſtant, ne corpora atque animi expaneſcant.* Ita Tertullianus lib. ad Martyres cap. 3. Vtinam quod ſcripſit Symmachus lib. x. epiſt. 63. ad Theodoſium, ſcribere poſſer ex Belgio ad Militiæ IACOBÆÆ perpetuũ Adminiſtratorẽ PHILIPPVM Regem Catholicum: *Dignum eſt diuina veſtrorum temporum felicitate, vt peractam ſine offenſione Militiam, ſi Perennitatis veſtra prius vultus arriſerit, prærogatiua ſolennis exornet.* Rubet ſanguine Crux S. IACOBI, qui illam ſemper in ſe coluit, & colendam ac celebrandam alijs propoſuit, & tanquam diuina Fiſtula eam prædicauit.

S. IACOBI

Militaris Auxiliatoris Elogium.

NVLLA eſt Ars, quæ maiora ſortiatur priuilegia, quàm Militaris: nec vllus eſt Artifex, qui viuens & moriens maioribus gaudeat prærogatiuis, quàm is, qui Militiam profitetur. Cùm IACOBVS *Maior* is ſit Apoſtulus, vt bellica tractet, oportebat, vt tam in vitâ quàm in morte multis ornaretur prærogatiuis. Exornatus eſt, tanquam *Magiſter Militiæ*, quem ipſi Apoſtoli ſequerentur, ſequutique ſunt morientem, de Herode & eius gladio triumphantem, cum omnes eos in Martyrio ſuo præceſſerit. Habuit hanc laudem apud Romanos Iulius Cæſar, vt in expeditionibus militaribus ſemper diceret, EAMVS, & ille primus eſſet, qui omnes anteiret. Huic ſacratus fuit menſis Iulius, in quem ſolemnitas S. IACOBI incidit, & in quo ſilet iam Cæſar, & ſolus IACOBVS colitur, qui primus omnium Apoſtolorum præiuit, vt ad congreſſum cum Morte Commilitones ſuos vocaret, & præuocaret.

SOL in virtute ſuâ eſt, cùm ardent radij ſolares, ſicut ardore ſolent menſe Iulio,

Iulio, tunc *in meridiano exuret terram, & in conſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere? Fornacem cuſtodiens in operibus ardoris; tripliciter ſol exurens montes, radios igneos exufflans, & refulgens radijs ſuis obcæcat oculos*, Eccl. XLIII. 3. Sol Iuſtitiæ in ſuâ vi ac virtute eſt, cùm in IACOBI meridiano terram Maurorum ac hæreticorum exurit. *Et in conſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere?* quis Maurus? quis hæreticus? quis lumini fidei, & Eccleſiæ rebellis? *Fornacem cuſtodiens in operibus ardoris*; pro defenſione fidei, & Eccleſiæ DEI, *tripliciter exurens montes*, qui non minus timent, quàm ſuperbiunt. *radeos igneos exufflans*, per IACOBVM ac ſuæ Militiæ profeſſores Et *refulgens radijs ſuis ob cæcat oculos*. Habet Eccleſia cum Aquila conſonantiam, & Aquilæ in modum proles ſuas legitimas & adulterinas ad aſpectum Solis Iuſtitiæ probat & explorat. Quæ ferendo non ſunt, & in conſpectu Solis Iuſtitiæ, & illuſtris eius Radij nimirum, IACOBI Apoſtoli cæcutiunt, reſpuuntur, & abijciuntur è gremio fidelium. De gremio Eccleſiæ Catholicæ ſunt animæ, quæ & à SOLE *Iuſtitiæ*, & IACOBO tactæ, non obfuſcatur eorum viſus & obtutus; ſed illuminantur, & illuſtrantur ſplendore fidei; quæ & IACOBVM illuſtrem, & ipſe fidem ac religionem Chriſtianam decorauit, ac nobilitauit, *Calice* nimirum & *Gladio*. Herodatus lib. VII. refert Xerxem Regem Perſarum pro fauſtis auſpicijs Militiæ ſuæ, obtuliſſe Soli patellam aquâ plenam, & vtramque proiecit in mare, quod etiam Gladio donauit. Longè alia auſpicia ſunt *Calix* & *Gladius*, quibus IACOBVS Catholicæ fidei ac Religionis Propugnator & Protector inſignitur & illuſtratur. Habet *Gladium*, vt non ſolùm contra Mauros Chriſtum & eius fidem tueatur, ſicut & tuetur; ſed etiam contra hæreticos, vt Sacram Hoſtiam, & Calicem defendat, quemadmodum vbique præſtat. Et eius exemplo, patrocinioque EQVITES illuſtriſſimi, qui profitentur Militiam illam, quæ proprio nomine S. IACOBI appellatur, nuncupatione ab AVXILIATORIS ſui nomine deriuata, qua maximoperè nobiliſſimi Hiſpanorum gloriantur.

SS. IOANNES & PHILIPPVS.

ANNO Domini CCCXCIV. THEODOSIVS Magnus nunciata Valentiniani morte, & Eugenij tyrannide, exercitum in Europam traduxit. Erat tunc in Ægypto inter eos, qui exercebantur in Philoſophia religionis vnus, nomine Ioannes, qui particeps gratiæ ſpiritualis multa rogantibus ventura prædicebat. Ad hunc miſit Chriſti amans Imperator, qui percunctaretur de bello ſuſcipiendo contra Tyrannos, fuitq́; ab eo incruenta prioris belli victoria prædicta; ſed & altero ſuperiorem futurum Imperatorem, verùm poſt ingentem cædem. Hac ille ſpe niſus, acie inſtructa cum hoſtibus conflixit, & multis barbaricis auxilijs amiſſis,

miſſis, magnum hoſtium numerum concidit. Ibi cùm Duces paucos ſupereſſe dicerent ad prælium inſtaurandum, conſulerentque differendum bellum, ac primo vere, exercitu coacto, hoſtes obruendos eſſe multitudine, nequaquam placuit conſilium Imperatori: negabat enim permittendum, vt ea CRVCI adhæreret ignominiæ nota, & in Herculem transfunderetur gloria. Nam Imperatoris exercitui CRVX, Tyranni copijs Herculis ſimulacrum præferebatur. Attamē, quia reliquiæ Chriſtiani exercitus tenues erant, & admodum omnes animis conſternati, inuenta ædicula in montis vertice, vbi caſtra metabatur, totam noctē in ea Domino Exercituum ſupplicans Imperator inſumpſit. Mane verò ad gallicinium, ſomnus eum oppreſſit: & videre ſibi viſus eſt duos viros, candidis in veſtibus, equis albis inſidentes, qui bono ipſum eſſe animo iubebant, & formidine pulſa, cùm illuxiſſet, armatum exercitum inſtructumque educere ad pugnam ſe miſſos dicebant OPITVLATORES propugnatoresque ipſius: vnum eſſe IOANNEM, alterum PHILIPPVM, Apoſtolos. Hoc viſo ab oratione ſua nō fuit auocatus Imperator. Eadem autem apparitio facta fuit Militi cuidam, qui quantocyus illam Duci retulit, hic Imperatori.

QVI Militibus quid & ipſe vidiſſet aperuit, & animauit omnes, ſubiungens: Itaque formidine ablegata Propugnatores & Principes belli, IOANNEM & PHILIPPVM Apoſtolos ſequamur, nec quiſquam victoriam pugnantium multitudine æſtimet, ſed Ductorum quiſque conſideret potentiam. Hæc apud Milites proloquutus, confirmatis omnium animis, copias, de monte produxit. Tyrannus quoque ex longinquo cōſpecto hoſte, quem pugnaturum cernebat, ſuos inſtruit, ipſe collem occupat, iubetque Duces, viuentem vinctumque Imperatorem ad ſe ducere: moribundus enim, inquiebat, & cupidus vitæ finiendæ nobiſcum ille congreditur. Et quidem ordinibus diſpoſitis, multis partibus vincebant hoſtes numero, atque Imperatoris copiæ ita conſtiterant, vt poſſe numerari viderentur. Sed cùm iam pugna vtrimque inciperet, & tela conijcerentur, manifeſtam promiſſionis ſuæ fidem fecerunt PROPVGNATORES APOSTOLI. Coorta enim vis venti contraria hoſtibus auertit ſagittas illorum & baliſtas, ac haſtas, neque vllius teli vſus fuit: neq; ſagittarij aut legiones, vel funditores nocere Imperatoris copijs poterāt: quin etiam illatus puluis ingens in ora hoſtium, oculos, aperire non ſinebat. At Miles regius nullo affectus tempeſtatis tantæ detrimento confidenter ad hoſtiū cædem graſſabatur. Quare animaduerſâ, & perſpectâ opitulatione diuina, abiectis armis ad petendam ſalutem hoſtes conuertebantur. Quam leni animo Rex concedens, celeriter adduci ad ſe Tyrannum imperat. (a) Illi procurrentes ſubitò, ad tumulum properarunt, quem Tyrannus inſederat, ignarus victoriæ, qui cernens incitatos & anhelantes prouolare, non ambigens de victoria, quærit, an & Theodoſium vinctum, vt mandarat, adducant. At illi, non cum nos, ſed ad ipſum te adducimus. Sequere. Ita loquuti, de ſolio abreptum vinciunt, rapiuntque captiuum. Vt in conſpectum,

ſpectum venit, Rex memoria illi reuocata criminum in Valentinianum patratorum, & impiæ tyrannidis, nec non belli contra legitimum Imperium ſcelerati: denique Herculis exprobata imagine, ac vana illius fiducia, iuſtam legitimamque contra illum pronunciat ſententiam.

(a) *Theodoret. Eccleſiaſt. hiſtor. lib. 5. cap. 24. Ruffin. lib. 4. cap. 33. Tripar. 9. cap. 45. Baron. tom. 4. Ann. 394.*

MEMBRVM III.

S. IOANNES BAPTISTA

In Exercitu Auxiliari Sanctorum Chriſtianis pugnantibus ſuccurrit.

INTER Ordines Militares excelluit ſemper, & nomen etiamnum tuetur ſuum, Ordo Equitum S IOANNIS, qui licet fortaſſe à IOANNE Hircano Machabæo denominationem acceperit; (a) aut, vt exiſtimant aliqui à IOANNE Eleëmoſynario, Patriarcha Alexandrino, (b) benignitatis cognomine in pauperes celeberrimo, tamen vota IOANNI BAPTISTÆ, vt Patrono ſuo, nuncupant Ij primò habitarunt Ieroſolymis, vbi ſedes illorum primaria fuit Hoſpitale S. Ioannis Ieroſolymitani. (c) Sed rebus in Syria perditis, poſſeſſionem acceperunt Inſulæ Rhodi, vnde dicti fuere *Rhodij*; at, illa à Solimanno Turcarum Imp. in poteſtatem redacta, Melitam acceperunt, dono Caroli V. quare appellati fuerunt, vt etiamnum audiunt, *Melitenſes*; in quorum Militia quomodo ſe Auxiliatorem præſtiterit IOANNES BAPTISTA, teſtantur monumenta Ordinis. Hic ſufficiat retuliſſe, quod cùm Mahometes obſediſſet olim Rhodum, & Solimannus per ſuos Duces Melitam, viſus ſit in acie è Cælitum numero Quidam, qui Turcas ſtricto gladio minitabundus ab ingreſſu Rhodi, & ingreſſu oppidi S. Michaëlis in Melita repulerit. Quem fuiſſe IOANNEM BAPTISTAM, Militum *Rhodienſium* olim, nunc *Melitenſium*, nunquam non *Ioannitarum*, haud vanè exiſtimarunt Equites illi fortiſſimi.

DIVVM eundem in bellis Opitulatorem ſenſerunt, &, vt porrò haberent ſemper, adſciuerunt in Patronum Auxiliarem Longobardi, cùm ijs imperaret Theodelinda Regina. (d) Hæc baſilicam S. IOANNIS BAPTISTÆ in Modæcia conſtruxit, pro ſe, proque viro ſuo, & pro filijs ac filiabus, nec non gente Logobardorum. Ex quibus maiores natu venerunt vnanimiter cum Rege, & Theodolinda Regina, & dixerunt: Si S.Io-

(a) *Tyrius lib. 18. cap. 5. Vitriacus cap. 64. Marinus Sanutus Torſellus lib. 3. par. 8. belli ſacri.* (b) *Paulus Æmylius Blondus.* (c) *Iacobus Boſius Ioannes Azor. Inſtit. Moral. Boiſatius in hiſtoria de progreſſu Melitenſium. Thomas Bozius de ſig. Eccleſ. lib. 16. cap. 7.* (d) *Paul. Diac. lib. 4. cap. 7. & 22. de reb. Longob. Baron. tom. 8. Ann. 636.*

S. IOANNES BAPTISTA pro nobis ſnterpellator ſit apud Dominum DEVM N. IESVM Chriſtum, nos omnes vnanimiter pollicemur illi, omni-anno in die Natiuitatis ſuæ, hoc eſt VIII. Kal. Iulij de noſtris facultatibus tranſmiſſuros honorificè, ad Oraculum eius; vt per illius interpellationem habeamus iuuamen Domini N. IESV CHRISTI, tam in BELLO, quàm in alijs locis omnibus. Ab illo ergo die in omnibus actibus eorum cæperunt inuocare S. IOANNEM, vt illis præberet auxilium in virtute Domini N. IESV Chriſti. Atque ita illi omnes permanſerunt illæſi, VICTORESque extiterunt ſuper omnes aduerſarios ſuos, inquit rerum Longobardicarum Scriptor Paulus Diaconus. Tantum poteſt vnius è Cælitum numero in Militia Chriſtiana patrocinatio.

MEMBRVM IV.

SS. MARTYRES

In Exercitu Auxiliari Cælitum Militantibus ſub Chriſti Signis auxilium præbent.

S. GEORGIVS.

NVLLVS in hoc catalogo eſt celebrior Martyre GEORGIO Cappadoce. Qui totus militaris, & cataphractus, Equitis figura pingitur, Draconem perimens, & Virginem ab hoc liberans; imagine, vel vera, quæ qualis fuerit in Militia, repræſentet; vel ſymbolica, vt quidam exiſtimant; (a) ſiue per Virginem intelligatur Prouincia aut Ciuitas, quæ aduerſus Diaboli inſultus & vires, tanti Martyris implo ret auxilium; ſiue Eccleſia, (b) quæ piorum Magiſtratuum cura & armis contra Draconem, id eſt, Diabolum, omnemque omnium hæreticorum & ſceleratorum immanitatē defendenda eſt. S. GEORGII ad omnes Eccleſiæ ac Religionis hoſtes expugnandos opem olim imploraſſe Chriſtianos, fideique Romanæ conſortes ſatis conſtat ex libro, qui *Ordo Romanus* inſcribitur. Quod faciebant æquè Occidentales ac Orientales, vt indicat carmine Venantius Fortunatus libro I. in epigrammate XIII. quod ſcripſit, cùm Sidonius Moguntinorum Epiſcopus S. GEORGIVM æde ſacra ex ædificata honoraſſet.

Qui virtute potens Orientis in arce ſepultus,
Ecce ſub Occiduo cardine præbet opem.

NICEPHORVS Imperator Eundem inuocauit, vt *Auxiliarem*, & ad prænobilem victoriam propitium habuit, vti monſtrat in compendio hiſtoriarum Cedrenus. CHVMBERTVS quoque Francorum

(a) *Baron. Martyr. 23 April.* (c) *Vil. Vincentius, l. 3. de Orat. ſtud. Theol. c. 7.*

corum Rex ingentem ſimiliter D. GEORGIO Martyre *Adiutore* de hoſtibus victoriam eſt conſequutus, vt ſcriptum reliquit Paulus Diaconus in geſtis Longobardorum lib. VI. cap. 5. EVERHARDVS etiam Anglorum Rex, eius nominis III. in ancipitis prælij diſcrimine magno cum fructu & gloria, S. GEORGIVM inuocauit: nam feliciter illi ceſſit conflictus, quem deſcribit Thomas Walſinganus. Vt autem gratitudinem erga *Opitulatorem* ſuum oſtenderet, eius nomine ſplendidiſſimos nobiliſſimi Ordinis Equites inſigniuit. Siquidem *Eduardus*, cùm de Gallis atque Scotis, capto Ioanne Rege Galliæ, & Dauide Scotiæ triumphaſſet, illuſtrem conſcripſit Equitum auratorum Societatem, quam S. GEORGII tutelæ; ad cuius honorem in caſtro ſuo Windeſori templũ extruxerat auguſtiſſimum; commendauit, dedicauitque, & voluit vt ad pectus, D. GEORGII *Bellatorum Præſidis* effigie appenſa eſſent noſcibiles. Nominatur quidem Ordo *Garterij* ſiue *Periſcelidis* ab alio euentu, ſed Equites ſe *Georgianos* profitentur. Immò, tota Anglia cùm Catholica eſſet, GEORGII patrocinio gloriabatur, vt inuictiſſimi Bellatoris. Extat etiamnum Romæ in templo Collegij Anglicani elegans tabula, in qua ſpectatur pictus Eques S. Georgium repræſentans, addito hoc elogio: GEORGIVM *Cappadocem* ANGLIA *ſibi Protectorem elegit, & maximis beneficijs, tum pace, tum* BELLO *receptis ſemper religioſiſſime coluit.*

QVOD feciſſe etiam Imperatorem Mauritium non ambigo, quippe quem cùm ad Imperium iam iam euehendus eſſet, pius Archimandrita monuit, vt S. GEORGIVM, in honore ac pretio ſemper haberet maximo, quod in Annales Eccleſiaſticos retulit Cæſar Baronius tom. VII. Neque illud omittendum quod ſcribit Faber, *Libro de ſacris non temerè violandis*, GEORGIVM Martyrem à Turcis quoque bello innutritis hominibus maximi fieri. Denique colit illum Latina, Græca, Ægyptia, & Æthiopica Eccleſia, eiusque auxiliatem manum quælibet aduocat, ac frequenter expetitur. Martem fingebant Poëtæ, Iouis & Iunonis filium, natum apud Thraces, quod ea gens ſit bellicoſa Deum belli & armorũ eſſe, atque ita eum venerabatur Gentilitas. Non ita inſaniunt Chriſtiani, quibus DEVS vnus eſt, & neque GEORGIVS, neq; vllus è Cælitum numero, vt DEVS colitur; ſed vt eius Seruus & Voluntatis diuinæ adminiſter. Non tamen improbè cantauit pius Poëta, (*a*) Georgium veneratus.

Maxime bellorum Rector, quem noſtra iuuentus
Pro Mauorte colit. ————————

Nec malè alter gratitudinẽ teſtatur, (*b*)

Hac vita magne pro munere Diue GEORGI
Parua, ſed ex animo munera Cæſar obit.
Hoſtili toties, qui iam mucrone retuſo,
Accepto multo vulnere victor abit:
Nullum opus humanum hoc potuit: Sed vindice dextra
Magne tua noſtra hæc dextera tanta fuit.

Denique,

(a) *Baptiſta Mantua. lib.* IV. *Faſt.* (b) *Iul. Cæſar Scaliger in Diuis Nic. Scrar. l. 2. Litaneut.*

Denique, ad nomen Martyris alludens, effuſumque ſanguinem:

Felici augurio Tibi nomina facta Georgi
Terra tuo ſiquidē ſanguine culta fuit.

S. THEODORVS.

ANNO Chriſti CMLXXI. Zemisca Imperator ingenti gloria Ruſſos, Bulgaros, Scythas, Turcas & alios Barbaros aduerſus Romanos ſimul fœdere iunctos, numero trecentorum triginta millium militum, iteratis ſummo labore atque periculo prælijs ſuperauit, ope potiſſimùm, poſt Deiparæ fauorem, & auxilium, S. Martyris Theodori. Bellum accuratè deſcriptum habetur à Ioãne Curopalate ſigillatim cuncta, quæ in eo contigerunt, ordine proſequente, ac ex illo Cæſare Baronio Tomo x Annalium. Illud ad nos propius ſpectat, quod ſubiungit. Fertur diuinam opem tum Romanos eſſe conſequutos: turbo enim quidam à Noto vento in ora Scytharum conſtitit, haud permittens eos captis vti in bello conſilijs. Et Vir quidam conſpectus eſt ab omni Romanorum exercitu, equo albo vectus in ante-ſignanis pugnans, ſicque hoſtium commouere ac perturbare phalanges nulli prius, aut poſteà cognitus: quem aiebant vnum eſſe ex glorioſis Martyribus, Theodorum videlicet, quibus *Tutoribus*, ac *Propugnatoribus* contra hoſtes ſemper vtebatur Imperator. Et enim forrè accidit, vt hoc prælium eo die committeretur, quâ celebrare memoriam S. Militis conſueuimus.

ET fuit tunc mulier quædam nobilis ac primæ poteſtatis Bizantij, quæ per viſum illud ita eſſe confirmabat, referens vnâ ante congreſſum die, in ſomnis ſibi viſam præſto eſſę Genetricem Dei, & dicentem cuidam Militi, Theodore, meus ac tuus Ioannes in periculo verſatur: ad eius auxilium propera. Nec ſegnis fuit Theodorvs, cuius ſubſidio fuſi ſunt Scythæ, mutuoque conculcati plurimi interfecti ſunt, à Romanis verò cæſi numero penè infiniti, vulnerati autem ceteri ferè omnes. Ceterùm, Martyri debitum reddens honorem Imperator, & auxilij præmia rependens. Templum illud, vbi Sanctum eius corpus conditum eſt, à fundamentis euerſum maius pulcherrimumque exædificauit, attributis ei luculentis poſſeſſionibus: quod etiam pro *Euchanen*, *Theodoropolim* appellauit. Hic eſt ille Theodorvs fortiſſimus Miles, qui virtute Chriſtiana armatus, Centvrio patriæ terrorem Draconem confecit, Licinium terribiliorem & magis crudelem ſuperauit, tormenta eius omnia eluſit, & tandem imperterritus gladium iugulo excepit.

De quo vberius ago in Libro de ſanctis Militibus.

***

S. SABINUS.

ANNO Chriſti DCII. ARNVLPHVS Dux Spoletanus, cùm bellũ contra Romanos in Camatino geſſiſſet, victoriamque obtinuiſſet, requirere à ſuis militibus cæpit, quis nam vir ille fuiſſet, quem in prælio, quod commiſerat, tam ſtrenuè pugnantẽ vidiſſet: cùmque reſponderent, ſe illic nullum fortius bellantem, quàm Ducem ipſum vidiſſe: ille ait: Certè, multo per omnia meliorem illo vidi; qui quoties me aduerſæ partis aliquis percutere voluit, me ſemper ſuo clypeo protexit. Cùm autem Dux propè Spoletum, vbi baſilica B. Martyris SABINI Epiſcopi ſita eſt, & in quâ eiuſdem corpus venerabile quieſcit, aduenisset, interrogauit, cuius illa tam ampla domus eſſet? Reſpondentibus Chriſtianis; SABINVM ibi Martyrem tumulatum quieſcere, quem Chriſtiani quoties in hoſtem irent, præſidium haberent, ac proinde eum in auxiliũm inuocarent ſuum.

ARNVLPHVS verò, cùm adhuc eſſet Gentilis, quæſiuit: potéſtne fieri, vt homo mortuus aliquod viventibus auxilium præſtet? Quod cùm dixiſſet, equo deſiliens, eandem baſilicam inſpecturus intrauit. Tum alijs orantibus, ipſe baſilicæ eiuſdem picturas curioſè intuitus, mirari cæpit. Videns autem effigiem B. Martyris SABINI, adfirmauit cum iuramento, talem omninò eum virum, qui ſe in bello protexiſſet, fuiſſe, talem formam habitumque præ ſe tuliſſe. Tunc intellectum eſt, SABINVM Martyrem Duci in prælio fuiſſe auxiliatum. (*a*)

(a) *Paul. Diacon. de reb. Longobard. Baron. Tom. 8. Anno 602.*

S. DEMETRIVS.

CVM à Bulgaris obſideretur Theſſalonica, & Ciues ſupplicationem totâ nocte feciſſent, eoque vnguento, quod ex diuino Martyris ſepulchro, vt loquitur Cedrenus; (*a*) ſcaturit, vſi eſſent, ſpectatus fuit in acie Martyr DEMETRIVS, vt captiui iureiurando affirmarunt, dicentes, ſe iuuicem in equo vidiſſe, qui humanam phalangem ductaret, ex quo ignis exiliens hoſtes aduerſos cremaret.

S. MER-

(a) *Cedrenus comp. hiſt.*

S. MERCURIUS.

AUDETE Milites exclamat facundus Orator: (a) non excludit vos cælum, ſi quam alijs, vim etiam huic facitis. Fecit Mercurius, qui malè Decio primum, ſed benè pòſt Chriſto militauit. Cùm enim in ipsâ acie de Angeli ſui Tutelaris manu gladium accepiſſet, quo hoſtium benè magnam partem trucidauerat, non moratus eſt ſub illo deinceps mereri, qui optimum ſtipendium certam victoriam numeraret, quam ille etiam contra Decium reportauit. Quid enim Superi! quattuor palis alligatus diſtractusque, abſtrahi tamen ad tyranni partes non potuit. Suſpenſum è capite ſaxum ipſe pedes ſuſpenſus, velut faſcem ſuum generoſus Miles portauit. Sed neque ignes horruit, & plagas pro Chriſto etiam auerſas aduerſas putauit. Exilium velut miſſionem accepit, caput ſpiculatori, velut Imperatori coronandum porrexit.

Illud imprimis memorabile, quod Mercurii operâ etiam cùm in cælo iam ageret, Virgo Mater ſit vſa ad expeditionem militarem contra hoſtem Filij & ſuum. Siquidem perhibent D. Baſilium ante Virginis effigiem Iuliani Apoſtatæ impietatem accuſaſſe: hanc capitis in tyrannum ſententiam dixiſſe, & ad id ablegaſſe Mercurium, à quo ille cum Perſis confligens, confoſſus hauſtum è vulnere cruorem, cum hac impiâ voce in cælum eiaculatus ſit, *Viciſti Galilæe*, ſic Chriſtum nominare ſolitus. (a) Rem omnem ab abſente tunc Martyris haſta, & poſtridie cruentâ proditam eſſe. Sed eadem haſta animat in prælio bonos, quâ animam extorſit malorum peſſimo. Mercurius ſanè, cùm Georgio & Demetrio ante Syriæ Metropolim Comanis perſpicuè eſt opitulatus, vt pluribus exequitur Æmylius. (b)

(a) *Metaph. Sozomen. Ruſſin. Eutropi. Baronius.* (b) *Æmylius lib.* iv.

Membrum V.

SS. CONFESSORES

In Exercitu Auxiliari Cælitum Chriſti fidelibus belli tempore ſuppetias ferunt.

S. AMBROSIUS.

QUÆSITUM eſt curioſè aliquando ab Eccleſiaſticarum antiquitatum indagatoribus, cur cum flagello pingatur S. Ambrosius? Reſpondet Fulgoſus, lib. iv. quod eo Barbaros depellere viſus ſit, Chriſtianis in bello

opem ferens, flagellator infidelium, Opitulator fidelium. Quod nomen meruit illuſtri opitulatione aduerſus Gildonem tyrannum, quam ita ferè deſcribit Oroſius. (a) Circa Annum Domini CCCXCVIII. MASCEZIL Dux Militiæ Chriſtianæ ad Ardalionem fluuium, qui fluit inter Thebaſten, & Metrideram ciuitates, cum parua manu quinque millium militum, contra ſeptuaginta millium hoſtium contra metatus, cùm interiecta morâ excedere è loco oppoſitasque præiacentis vallis anguſtias transgredi vellet, incurrente nocte. B. AMBROSIVM Epiſcopum Mediolani paullò ante defunctum, per ſomnum ſibi videre viſus eſt, ſignificantem manu, & impacto ad humum ter baculo, dicentem; *Hic, hic, hic*. Quod ille prudenti coniectura intellexit, merito Annunciantis fidem victoriæ, verbo locum, numero diem ſignificari.

SVBSTITIT, ac tertio demum die per noctem orationibus hymniſque periugilem ab ipſis cæleſtium myſterijs Sacramentorum in hoſtem circumfuſum proceſſit. Et cùm ad eos, qui primi occurrebant pia pacis verba iactaret, Signiferum quendam in ſolenter obſiſtentem, & iam iamque pugnam excitantem, gladio percuſſum in brachio, cumq; manu debilem, ipſo vulnere coegit pronum inclinare vexillum. Quo viſo, reliquæ cohortes deditionem iam fieri priorum exiſtimantes, certatim eſſe ad Maſcezilem ſignis tradidere conuerſis Barbari, quorum magnam multitudinem Gildo ad bellum deduxerat, defectu militum deſtituti in diuerſa fugerunt. Gildo & ipſe fugam molitus, arrepta naui, vt in altum prouectus, ac deinde reuocatus in Africam, poſt aliquot dies ſtrangulatus interijt. Periclitaremur ſub tantorum miraculorum relatis, quaſi præſumptâ mentiendi impudentiâ, niſi adhuc vocem noſtram conſcientia eorum, qui interfuere, præcurreret, inquit Hiſtoricus Oroſius. Nullæ aguntur inſidiæ: nulla corruptio: ſeptuaginta millia hoſtium vincuntur penè ſine pugna. Fugit victus ad tempus, ne plus audeat victor iratus. Transportatur in diuerſum locum, vt neſciat frater occidi. quo vindicatur occiſo.

(a) *Oroſ. lib. 7. c. 36. Baron. tomo 5. Anno 398.*

S. MARTINVS.

SVB annum Domini CDLXVI. Leonis verò Imperatoris x. Enarichus Gothorum Rex, (a) Hiſpanijs incurſione vaſtatis deſcendit in Gallias, atque Aruernim obſedit. Tum Vir clariſſimus Ecdicius DEI virtute confiſus, magno miraculo ingentem hoſtium numerum, ſummáq; ipſorum potentiam longè diſpari paucitate militum atque virium ſuperauit: non quidem caſu, tentata, vt dici ſolet, fortuna, neque temeraria furentis Ducis audaciâ, ſed ingenti ſpe ex Diui-nitatis

(a) *Sidonius lib. VII. epiſt. 3. Baron. Tom. VI.*

nitatis inuocatione conceptâ: cuius nutu, vnus vincit & perſequitur mille, & duo fugant decem millia. Quis autem opem tulit tam paucis, prælantibus contra tam multos, Dominus Exercituum per Seruum ſuum MARTINVM. Audi Gregorium Turonenſem in relatione de Miraculis S. Martini, Ecdicius cùm obſideretur ab hoſtibus, & excluſo à ſe ſolario, turbatus impugnaretur, pro inuocationem B. Viri (MARTINI) fugatis hoſtibus liberatus eſt. Idque dæmoniacus in medio Eccleſiæ ipsâ horâ, quâ geſtum fuerat, eſt profeſſus, S. MARTINI obtentu hoc fuiſſe conceſſum. Idem S. Epiſcopus cùm obſidione Sabariam cinxiſſent Turcæ, Chriſtianis eſt opitulatus egregiè.

S. ISIDORVS.

ADEFONSVS Rex Hiſpan. totâ mente diligebat Dominum, ideò Sanctorum auxilium manifeſtum meruit habere ipſe dilectus à DEO. Cùm enim Baeciam obſediſſet & milites deſluxiſſent ab eo, effectq; cum paucis, innumerabiles Saraceni conglobati ex ciuitate properarunt, vt ipſum cum ſuis raperet. Tunc apparuit ei B. Confeſſor ISIDORVS dum dormiret, hortans, ne timeret multitudinem Saracenorum, ſed fortiter cum eis confligeret: quia ſicut fumus euaneſcerent à facie eius: fore etiam, vt ipſo illo die caperent ciuitatem. Imperator tantâ viſione confortatus in Domino, primo mane inito certamine cum Barbaris, ſtatim terga dederunt Saraceni, noſtris relictâ innumerabili multitudine ſpoliorum, ſtatimque tradiderunt vrbem, pro vitâ ſolummodò ſupplicantes. Imperator deſtruxit Baeciam, & multa ſimul caſtella terraſque Maurorum in poteſtatem redegit. Poſt hæc, Legionem reuerſus, cum magnâ gloriâ, inſtituit Confraternitatem in ipſa ciuitate ob memoriam tanti miraculi & honorem S. ISIDORI Confeſſoris.

(a) *Lucas Tudenſis in Chronico Mundi.*

MEMBRVM VI.

SS. VIRGINES

In Exercitu Auxiliari Cœlitum nonnunquam, vt bellatrices comparent.

S. VRSVLA

cum XI. Millibus VV.

S. GEREON

cum Mauris & Thebæis.

CIRCA Annum Chriſti M. Ducenteſimum LXVI. cùm Ciuitas Colonia Agrippina ad Rhenum obſideretur, (a) Comes Cliuenſis, & Stephanus de Wylen vno in tentorio nocturnu quieſcentes viderunt D. VRSVLAM radianti corona prælulgidam, cereum lucidiſſimum manu geſtantem lumine totius vrbis, & o bis luminibus æquipollentem, quam ſequebantur vndena Virginum millia, Sanctorum quoque Maurorum ac Thebæorum agmina: vt ſculptæ in mænibus Colonienſibus imagines circa Cænobium D. Panthaleonis, & picturæ antiquæ Baſilicæ S Gereonis teſtantur. Qui omnes videbantur Ciuitatem & portas roſeis Crucibus conſignare, & contra hoſtium vim ac potentiam præmunire ac militariter defendere. Quo miraculo territi hoſtes, ac de obtinenda ciuitate deſperantes, obſidionem ſoluerunt, temerarium exiſtimantes cum Gigantibus θεομαχεῖν, ac ipſos Diuos Diuinorumque armis munitos inanibus prælijs laceſſere. In memoriam Exercitus iſtius auxiliaris ſibi tam fauentis perpetuam, & ingem gratiarum actionem Colonia per enatum quot annis ipſo SS. Maurorum feſto, quod XV. Octob. celebratur tredecim grandes cereos donat Baſilicæ S. Gereonis, qui in crypta eiuſdem baſilicæ, vbi SS. Maurorum ac Thebæorum corpora requieſcunt tunc per dies aliquot lucere conſpiciuntur. Huc etiam ſpectat celeberrima amburbalis Theophoria Colonienſis.

***

S.THE-

(a) *Annal. Colon. Tulman. Bredenbach. lib. 4. Collat. Sacr. cap. 22.*

S. THECLA

AD Annum Domin. cccclxxvii. poſtquam Baſiliſcus Tyrãnus duobus ferè annis Imperium vi occupaſſet, à Zenone tandem armis depulſus eſt. Id autem non niſi Superûm nutu & auxilio Cœlitum eſſe factum, interueniente potiſſimùm apud DEVM pro Zenone S. Martyre Thecla probauit euentus. Nam de ea iſta habet Euagrius. Zeno per viſionem, vt fertur, conſpicatus Sanctam, ſtrenuam, & eximiam Martyrem Theclam, non ſolùm ipſum impellentem, verùm etiam pollicentem reſtitutionem, verſus Conſtantinopolim exercitum ducit. Atque viris, qui illam obſidebant, muneribus inductis, Baſiliſcũ, qui iam biennio regnauerat, Imperio exturbat, & ad ſacra templi adyta confugientem hoſtibus auferendum tradit. Quam ob cauſſam Zeno egregiæ Martyri Theclæ ampliſſimum templum ſplendore & pulchritudine eximium Seleuciæ vrbis Iſauriæ dedicauit, pluribuſque ac planè regalibus monumentis, quæ ad noſtram vſque ætatem ſeruata ſunt, exornauit.

DE eadem Martyre refertur hoc in Prato Spirituali Sophronij. (a) Narrauit nobis quidam Patrum, accepiſſe ſe à quodam Milite, quod cum bellum gererent in Africa Comani cum Mauritanis, victique fugarentur à Barbaris, ac plurimi eorum paſſim cæderentur, ipſum quoque vnus è barbaris nactus, haſtam, vt illum feriret, vibrare cœpit, ac dicere. Domine DEVS, qui apparuiſti ancillæ tuæ Theclæ, & eripuiſti eam de iniquorum manibus, libera & me de hac neceſſitate, & ſalua ex hac acerba morte: mox ibo in eremum, & agam vitam ſolitariam. Conuerſus autem neminem ex barbaris vidit. Itaque continuò venit ad hanc Lauram Cupatha, manſitque in ſpelunca, DEI ſe protegente gratia annos triginta quinque.

Profecto, cùm ſint tam fideles in bello, hominum in terris pugnantium Auxiliatores Sancti, DEO proximi, cuius nutu mittuntur laturi ſuppetias, non deberet eſſe inter Chriſtianos vllus Militiæ adſcriptus, qui non quotidie illos ſuos Patronos & Protectores coleret ac inuocaret. Quod fecit noſtris temporibus laudatiſſimæ memoriæ Imperator Ferdinandvs II. (b) Qui quotidie „ omnes cum Chriſto regnantes Sanctos in patrocinium aduocabat, Litanijs piè recitatis: & Viros iam æterna „ gloria donatos, qui vel Germaniam „ inhabitarunt olim, vel eandem Euangelij luce Deo dedicarunt; eos etiam, „ qui quondam in terris Milites, hodie in cælo triumphant, veneratus eſt „ plurimum; redactis in ſyllabum eorũ „ nominibus, quotidie illos in obſequij „ ac patrocinij ſpem compellauit. Vtinam imitentur inferioris ſortis Principes, & milites gregarij.

PETRVS

(a) Cap. xx. Baron. Tom. v. An. 540. (b) Guliel. Lamorm. in Virt. Ferd. cap. 8.

PETRUS DE PAZ

HVIVS nomen attexere lubet ſuperioribus, ob auxilium viuis in bello, poſt mortem ſuam præſtitum. Anno M.D.LXXXV. cùm admirando illo opere, dicto Gall. *l'Eſtaquade*, Alexander Farneſius Antuerpiam obſideret, Bataui Angliqúe, vt obſeſſis opem ferrent, & obſeſſi eodem tempore, vt hoſtem diſtinnerent, facta eruptione, acerrimè pugnabant, aggeremqúe iam Regio militi ereptum poſſidebant ſecuri, vt ſibi videbantur. Tum à Regijs militibus primò paucioribus conſpectus prope aggerem PETRVS de PAZ Hiſpanus Tribunus, vir & militaribus & pietatis ornamentis laudatiſſimus, qui iam menſibus aliquot ante defunctus, viſus hic armatus, vt ſolebat, Legionem præcedere, & ſuis quondam militibus manu aduocatis, vt ſe ſequerentur, imperare. Indicant primi ſecundis, hi tertijs, hi ſequentibus: vident omnes idem, mirantur; animisque reſumptis notum ſequuntur Ducem. Præit ille & rectà in hoſtem ducit. fit pugna, ſed Bataui in naues compulſi aggerem Regijs reliquêre. Hoc momento oppidum munitiſſimum ſpe victoriæ & ſe tuendi decidit. Hoc multorum militum grauium, qui ſe vidiſſe Petrum dudum mortuum ſanctè iurabant, teſtimonio compertum fuit, & ſcripſit Mart. Delrio tom. 1. Diſq. Mag. lib. 2. q. 26. Sect. 5. De eodem hæc habet *Famianus Strada* Decade ſecunda Belli Belgici libro ſexto. Ferunt quo poſtremùm tempore in hoſtium munimenta cum Italis mouebant Hiſpani, PETRVM PACIVM, huius Hiſpanicæ legionis, olim Tribunum, virum apprimè PIVM, carumqúe Militibus, qui aliquot ante menſes in Teneramundæ obſidione cecidarat, conſpectum hic fuiſſe, armis quibus conſueuerat indutum, præire ſuis, commonſtrare ſubeundi locum, legionemqúe, qua ſolebat, alacritate in hoſtes animare: exterritos autem, qui primi viderant, indicaſſe, ponè ſequentibus, hos alijs: omnes ſtupore ſuſpenſos addubitaſſe, ludibrio ne oculorum fallerentur, an PACIVM ipſum viuentem, pugnantemqúe ſpectarent. Sed poſtquam error conſenſu excludebatur, accepto omine, ſibi perſuaſiſſe, curæ eſſe DEO conatus ſuos, quibus cæleſti ope promouendis ſe Superi miſcerent, aſſociarentqúe.

***

NOTÆ

In quibus Auctores & Explicatiuncula.

§. PERSARVM Immortales.] Herodotus *lib.* VII. Ἀθάνατοι, *ſeu Immortales vocabantur hi Perſæ,eo quòd, ſi quis ex ipſis numerum, vel morte, vel morbo deſtituiſſet, alius in eius locum ſurrogaretur. Neque vnquam aut plures aut pauciores decem millibus erant. Cultu verò ex omnibus ſplendidiſſimo ornabantur; erantq; omnium lectiſſimi.* Eoſdem ſic deſcribit Q. Curtius *lib.* III. *Proximi ibant, quos Perſæ* Immortales *vocant, ad decem millia: cultus opulentiæ barbaræ non alios magis honeſtabat. Illi aureos torques,iſti veſtem auro diſtinctam habebant, manicataſque tunicas, gemmis etiam adornatas.* Suidas. *Immortales ſunt apud Perſas decem millia ſelectorum militum, quos & Xerxes Darij filius habuit.* Diodorus Siculus *lib.* II. *Robur ſunt exercitus decem millia, qui* Immortales *vocantur.* Xenophon *lib.* VII. Cyriped *Horum dena millia, regiam diu noctuq; in orbem digeſti cuſtodiunt (cum domi eſt Cyrus) quando autem prodit, ex vtroque Regis latere diſpoſiti incedunt. Alias ad Regis cuſtodiam ex his denis millibus, mille ſelectiſſimi ſecreti erãt,quos* Doryphoros *ſatellites,* σωματοφύλακας ἢ μηλοφόρους, *pomiferos, ſeu maloforos appellabant. Legendus* Barnabas Briſſonius, *qui multa de his ſcribit lib.* I. *de Regno Perſarum.*

COMMENTATIO IV.

III. EXERCITVS SOCIALIS.

Ex hominibus Deo in terrâ Sacratis:

Epiſcopis. Eccleſiaſticis. Religioſis.

Hi quoque fortiſſimi & egregij Pugnatores,tendentes arcum, & vtraque manu fundis ſaxa iacientes, & dirigentes ſagittas. I. Paralip. XII. I.

MEMBRVM I.

MOS ANTIQVVS

ducendi ad bellum viros Ordinis Sacri.

PRÆTER Exercitum Socialem ex Angelis,& Auxiliarem ex Hominibus cælũ incolentibus, eſt alius ex Hominibus in terrâ adhuc degentibus, ſed DEO conſecratis;quos ad bellum ducere, vt opem ferant Militibus fortiter pugnantibus, antiquiſſima eſt conſuetudo, ex DEI orta mandato quo in bellis Iſraëliticis ſemper fuerunt

Sacerdotes Domini, qui vel ſoli, vel magna pars fuerunt Victoriarum. Cùm egrederentur ex Ægypto filij Iſraël per modum caſtrorum, *ſexcenta ferè millia peditum virorum* arma tractantium, pugnaturi cum Pharaone, Amalecitis, Cananæis, & omnis generis hoſtibus mixti fuerunt inter illos Sacrorum adminiſtri, Exodi XII. Ingredientibus Terram promiſſam, Exercitus Iſraëliticus nunquam proceſſit ad prælium, nunquam obſedit ciuitatem aliquam, nunquam manus conſeruit, ſine Sacerdotum opitulatricibus copijs. Idem ſeruatum eſt poſterioribus temporibus, ſiue Iudices imperarent in Republicâ Iudæorum, ſiue deinde Reges, quem comitabantur Sacrorum Curatores.

NEQVE Imperatores Chriſtiani olim ad Caſtra, aut cum ijs contra hoſtes proficiſcebantur armati, ſiue Eccleſiaſticorum comitatu: in quo præter multitudinem Clericorum inferiorum, erant Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, Cardinales. Qui quamuis proprij gregis cura, & Epiſcopatuum ſuorum procuratione ſatis diſtinerentur; tamen vt bonum publicum prououerent caſtra ſequebantur. Imperatori & militibus futuri ſubſidio. Quarum expeditionum exempla ſunt obuia paſſim iu hiſtoriâ Belli Sacri, in Palæſtinâ contra Saracenos ad recuperandam terram ſanctam; in Hiſpaniâ ad expellendos Mauros; in Galliâ ad extinguendos Albigenſes; in Pannoniâ ad repellendos Turcas: in Italiâ, cùm eo ſe contulerunt Imperatores, ad puniendos, aut continendos Eccleſiæ rebelles, & hoſtes eius debellandos; in Germaniâ ad hæreticos domandos; in Britanniâ ad infideles arcendos, aut opprimendos. Idem conſtat ex Vitis, quæ ad nos peruenerunt, Sanctiſſimorum Epiſcoporum Germaniæ, qui non detrectabant, quando vſus poſcebat, cum exercitu Imperatorio itinera difficillima & periculoſiſſima ſuſcipere, cõmoditatum domeſticarum, & quietis propriæ negligentes. Præter quos, adſciſcebantur poſt Religioſorum Ordinum propagationem, illorum Cultores, quibus bellorum Duces triumphos ſuos frequenter adſcribebant: & meritò nam admiranda fuit, quæ in bellis præſtiterunt Viri Religioſi. De omnibus iſtis verè vſurpamus, quod eſt 1. Paralipomenon XII. *Hi quoque fortiſſimi & egregij Pugnatores, tendentes arcum, & vtraq; manu fundis ſaxa iacientes, & dirigentes ſagittas.* Quæ conuenire Viris Ordinis Sacrati, ſenſu myſtico ac tropologicoq́; demonſtratum eſt, cùm de illo pugnandi genere tractauimus.

MEM-

MEMBRVM II.
MOSIS & IOSVE

Exemplo docetur, quantum valent in Militia Exercitus Opitularis Sacerdotum.

OPITVLANTVR Viri DEO Deuoti in bellis Exercitui Domini Zabaoth non materiali acinace, frameâ, gladio, haſtâ, iaculo, ſimilibuſque inſtrumentis, ſed *Manu* & *Linguâ*, partim propriè, partim figuratè ſignificatis: *Manu* operationem, *Linguâ* Orationem denotante: Sed orationem duplicem: vnam ad DEVM directam, quæ eſt humilis & impetratoria, alteram ad Milites vibratam, quæ eſt vehemens & excitatiua, ac animatrix. Sunt in exercitu Clerici & Religioſi, tum vt Sacris operentur, & operum piorum exemplis milites ad pietatis exercitamenta incitent, quæ ſunt Militum Chriſtianorum: tum vt doctrinâ, prædicatione, cohortatione ad fortiter pugnandum contra Cacodæmonem, Mundum, Concupiſcentiam; & horum ſatellites, infideles, hæreticos, ſchiſmaticos, alioſque fidei, religionis, Eccleſiæ, ac virtutis hoſtes, extimulent, vrgeant, animent, inflamment. Hic finis eſt, cur caſtra ſequantur infulati.

IOSVE, qui interpretatur *Saluator populi* cùm pugnaret contra *Amalecitas* Exodi XVII. *Moſes & Aaron & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis. Cùmq; leuaret Moſes manus, vincebat Iſraël ſin autem paullulum remiſiſſet, ſuperabat Amalec. Manus autem Moſis erant graues*, nempe, ſeneſcentis, & extenſione diuturnâ in altum laſſatæ. Ideò Moſen ſuper lapidem ſedere fecerunt, eiuſque manus ſuſtentarunt Aaron & Hur. *Et factum eſt, vt manus illius non laſſarentur, vſque ad occaſum Solis, fugauitq; Ioſue Amalec, & populum eius in ore gladij.* Vt Moſen, contemplor Principem aliquem ſupremum, qui etiamſi non intersit prælio, ſuis tamen auſpicijs perficit omnia, per ſibi ſubſtitutum Ioſue, belli Ducem peritum, & animoſum: ipſe verò dum manibus hoſtem non cædit, illas ad DEVM eleuat, oratque intenſiſſimè; tum, vt à DEO victoriam obtineat; tum, vt illam non Militi, ſed habitanti in cælis exercituum Domino tribuendam proteſtetur.

TALIS fuit noſtro tempore FERDINANDVS II. Imperator, (a) qui ſtatim poſt mortem, vbique *Pius Fidei Reſtitutor*, vbique *Hæreſeos fortis Profligator*, vbique *Conſtans, Mitis, Munificus, Humanus*, quodque pulcherrimum eſt, vbique *DEO carus, & Sanctus* prædicabatur. Quem è ſummis Germaniæ Oratoribus, quidam *Ezechieli*, alius *Ioſaphato*, tertius *Dauidi* haud vanè comparauit. Qui apud Milites Duceſque Catholicos is eſt creditus, *cuius precibus plus poſſet tribui ad Victoriam conſequendam, quàm maximorum exercituum armis ac viribus.*

V a

(a) *Gulielm. Lamorat. cap.* XXI.

viribus. De quo hoc dixit è primis Ducibus quiſpiam: malle ſe, vt FERDINANDVS ſupplex ſemel ad Virginis Matris ædem accederet, ibique Litanias recitaret, quàm, vt ſelectorum militum duodecim millia ad ſe ſubſidio mitteret: plus ſe ab eius precibus, quàm ab horum viribus ſperare.

CVIVS erat hoc apud Turcas encomium: FERDINANDVS *Sanctus eſt*: *DEVS cum illo eſt*, *& pro illo pugnat*. Certè, cùm *Murtaſan* Budenſis Baſſa ac *Viſirius* ſciſcitaretur, quî factum eſſet, vt FERDINANDVS, vir minimè militaris, de Sueciæ Rege, fortiſſimo Duce, ac peritiſſimo triumpharit, reſponſum illud tulit à Turcâ ætate, & conſilio facile principe. Quid? quod GVSTAVVS ipſe Sueciæ Rex, *in tantâ, quam experiebatur fortunâ, vnam ſibi formidini Cæſaris eſſe virtutem* ſit profeſſus? Et *Gabriel Bethlemius* intrepidus bellator, *difficile ac dubiæ plenum aleæ opus eſſe pugnare contra Ferdinandum*. Nimirum, expertus erat plus eum Oratione apud DEVM, cui omnia adſcribebat, quàm exercitu licet numeroſiſſimo efficere. Quæ erat perſuaſio communis multorum, qui cùm Imperatorem in Supplicatione publica DEVM orantem, aut inſigni aliquo facinore pietatem exercere videbant, dicere erant ſoliti: Hodie Cæſar hoſtium millia aliquot profligauit. Vt meritò ſcripſerit *Carolus Carafa* (a) Auerſanus Antiſtes, & olim in Curia Imperatoris Apoſtolicus Nuncius, poſt CONSTANTINVM FERDINANDO non fuiſſe parem Imperatorem.

HIC egregiè Moſem imitabatur orantem in monte, cùm Ioſue pugnaret in valle; ſed non minus ille pugnabat ore, quàm iſte enſe: pugnabat gladio Ioſue, Oratione Moſes; plus contulit ad victoriam oratione Moſes, quàm gladio Ioſue. Nam cùm leuaret Moſes manus vincebat Iſraël; ſin autem paullulum remiſiſſet, ſuperabat Amalec, quamuis acriter pugnaret Ioſue. Itaque ſuadendum ſummis Principibus, vt ſi procedere contra hoſtem non poſſint cum exercitu, orent: oratione ſæpe plus quàm præſentia in acie efficient. Præclarè S. Chryſoſtomus homilia de hoc Moſis facto. *Stabat Moſes in monte proximus iam cælo, iam vicinus ſideribus. Et quanto eum ſublimitas montis extulerat, tanto oratio DEO proximum exhibebat. Oratio in vltionem inimici dirigebatur, cuius ſcelera iam interitum prouocabant. Quis autem iuſtorum non orando pugnauit? Quis hoſtem non orando deuicit. Orationibus Danieli viſa panduntur, ſopiuntur flammæ, feræ hebeſcunt, cadunt hoſtes, inimici vincuntur. Licet colloqui cum DEO orando, licet cum eo fabulari cum velis, licet precibus mercari quod optas. Et quamuis vocem eius audire non poſſis, tamen, dum id quod petis, accipis, colloqui tecum, & ſi non verbis, tamen beneficijs dignatur*. Oret igitur dum bellum iuſtè gerit, Princeps, Rex, Imperator. Nam *Oratio*, vt loquitur hac de re diſſerens Auguſtinus, *Oranti eſt præſidium, DEO Sacrificium, Dæmoni flagellum*, adde, hoſti gladius.

VIDEOR autem ſpectare quidpiam in ſchemate Moſis orantis, quod ſi imitetur Princeps Chriſtianus, dum orat pro

(a) *Epiſtol. ad Vrbanum* VIII. *Ann.* 1624.

pro ſuo exercitu, haud vanè ſperabit victoriam. Videtur ſanè Moſes leuaſſe, & extendiſſe manus iunctas, ita vt vola vna alteram, quâ Virgam, ſuam tot miraculorum patratricem tenebat, complecteretur. Nec enim Virgam, quippe paſtoritiam, & grandem, vnicâ manu tam diu in altum eleuatam tenere potuiſſet, vt obſeruat nobilis Scripturæ Diuinæ interpres. Virga autem Moſaica ſignificabat CRVCEM CHRISTI, Victoriarum omnium contra hoſtes inuiſibiles æquè ac viſibiles inſtrumentum. Hinc Patres docent, (a) Moſen ſic orantem Crucis IESV habitum, & typum geſſiſſe. Benè quidem, ſi concipias Moſen extenſis oraſſe brachijs, ſic enim Chriſtum in Cruce extendentem brachia referre potuit. At, ſi Virgam, ceu Crucem manibus ſ[illegible]tis tenentem contempleris obijcietur animo Moſes, CRVCEM, & in eâ CRVCI adfixum CHRISTVM, quod ille myſterium non ignorabat, extollens, admirans, amplectens, & poſt eius venerationem, & amoris oſculum, pro Milite ſuo robur, animum, victoriam poſtulans. Hoc faciat Princeps Chriſtianus, & in CRVCIFIXO ſpem ſuam ponens, ab illo Victoriarum Domino opem petat, nec de ſubſidio dubitet opportuno.

FECIT id, & expertus eſt quantoperè conducat, FERDINANDVS II. Imperator antea laudatus. (b) Huic DEVS, ſi quam aliam virtutem Principe Chriſtiano dignam, plenis, vt aiunt, manibus contulit, Spem certè & fiduciam infudit vberrimè. Quare DEI gratia fretus, & Redemptoris CRVCIFIXI pretioſo Sanguine ac meritis, nihil non aggrediebatur ad fidei & religionis Catholicæ conſeruationem & augmentum, ſpe plenus, fore, vt felicem ſortiretur euentum, ſi DEO, cuius voluntatem, ſuam faciebat, ita videretur. Nihil occurrit vnquam, quamuis arduum ac per difficile, in quo DEVM propitium ſibi non polliceretur, maximè, poſtquam rem omnem ſupplex commendaſſet CRVCIFIXO, ante quem orare erat ſolitus. Exempla non accumulo, vnum tacere non poſſum.

ANNO M.DC.XIX. menſe Iunio, Henricus Mathæus Comes Turrianus, traiecto Danubio Bohemorum rebellium exercitum ad Viennam, adeoque etiam in ſuburbijs ipſis collocarat. Conſpirantibus cum Turriano non paucis, qui in ipſa vrbe degebant, grauiſſimum Ferdinando periculum imminebat. Hæc inter ad aulam ſe contulit qui Ferdinando tunc Regi erat à Sacris confeſſionibus è Societate IESV Sacerdos, petijtque ſuũ Regi aduentum à primo Camerario indicari. Is dum conclauis; in quo Rex degebat, Ianuam tacitus aperit; mirum planè ſpectaculum, Regem intuetur ante CHRISTI è CRVCE pendentis effigiem humi pronum, deiectumq; iacere. Spectaculo attonitus, Confeſſario, quod viderat, aut refert, aut oſtendit, iubetq; tantiſper morari. Sub hæc in Regum conclaue Pater inducitur. Tum Rex: Verſabar, inquit, Pater, in periculis, quæ domi foriſque imminent, recogitandis: voluebam animo hoſtium in ſuburbijs

 conatus,

(a) *Tertul. lib. 3. contra Marc. cap. 18. Cyrill. in Collecta cap. 16. Cyprian. lib. 2. Teſtimon. 21. Iuſtin. contra Tryphon Proſp. 1. par. prædict. cap. vlt. Cornelius Exodi 17.* (b) *Guliel. Lamormain. cap. 2. de Virt. Ferd.*

conatus, Acatholicorum in ciuitate molitiones, quas exactè noui. Cùm nullum ab hominibus præſens viderem præſidium: ad DEVM confugi, quod ſoleo. Deieci me ante CRVCEM: meum Dominum adoraui: his planè verbis illum ſum alloquutus. Domine IESV Chriſte generis humani Redemptor, Tu, qui corda intueris, noſti, me non meam, ſed vnicam tuam quærere gloriam. Tamen ſi Tibi gratum eſt his anguſtijs, & hoc hoſtium conatu me deprimere, pudore ſuffundere, hominibus contemnendum dare, non recuſo: fiat voluntas tua: habes me indignum tuum famulum ad nutum quemque promptum paratumque. Has preces vix exſolui, & ſummâ ſpe plenus fui. Miram animi tranquillitatem fecit DEVS: irritos conatus hoſtium, ita ſpero, DEVS efficiet. Hæc ſuo Confeſſario Rex FERDINANDVS, quem fiducia non fefellit. Illicò enim adfuit auxilium, quo & vim & dolos hoſtium DEVS fregit, ac animos bonorum omnium erexit. Dicebatur eo tempore, & priuatè & publicè, CHRISTVM è CRVCE pendentem fuiſſe cum Ferdinando loquutum, iuſſiſſeque benè de rebus ſperare. Quod credibile eſt, licet Ferdinandi modeſtia ac humilitas, quod factum erat, occultaret.

EXEMPLVM Moſis pro populo ſuo orantis, vt hoſtibus in prælio eſſet ſuperior, ſequutus eſt Gregorius Thaumaturgus, Epiſcopus Neocæſarienſis. Qui ſæuiente perſequutione, pro ſuis ciuibus & Martyribus cum Tyranno depugnantibus, interceſſurus apud DEVM, in montem cum Diacono aſcendit, ibique extenſis manibus orarunt. Modum fructûque ſic enarrat in eius Vita Nyſſenus. *Sicut Moſes cùm procul abeſſet ab acie Amalecitarum per Orationem popularibus vires contra hoſtes iniecit: ita* Paſtor ſui gregis ſolicitus Gregorius *quaſi animi oculis intueretur ea quæ fiebãt, diuinum auxilium pro ijs, qui nomine fidei decertabant, inuocabat. Cùm autem aliquando DEVM precaretur, repentè angore perculſi, & veluti ſono quodam ad aures eius pertingente, aures admouere videbatur: ac poſtquam multo tempore erectus & immotus permanſiſſet, deinde quaſi propoſitum ſpectaculum bonum euentum habuiſſet, ad ſtatum priſtinum redijt, & clara voce DEVM pro victoria laudauit, dicens:* Benedictus DEVS, qui non dedit nos in prædam dentibus eorum. *Cùmq; familiares rogarent, quid vidiſſet? dixit, magnam ſe in illa hora vidiſſe ruinam, Diabolo ab adoleſcente quodam nobili in certaminibus pro pietate ſuſceptis deuicto. Adiecit & nomen, Troadium eum nominans, & quod poſt multa tormenta, quæ fortiter tolerauiſſet Martyrij corona redimitus eſſet. Obſtis pefactus his auditis Diaconus, cùm deinde in vrbem perrexiſſet, rem prorſus eodem momento & modo, quæ narrauerat Gregorius, eueniſſe comperit.*

IN Moſis facto & illud conſiderandum, quod acceperit ſecum in ſummitatem collis, Aaron Sacerdotum; & Hur, virum DEO deuotum, vt illi orarent, quod fecerunt ſtrenuè, & Principis ſui imbecillitatem naturalem fulcirent, nam manus eius laſſas ſuſtentabant ex vtraq; parte: ſicque *fugauit Ioſue Amalec, & populum eius in ore gladij,* ſeu in acie, in deuoratione, in conſumptione, in occiſione

ciſione gladii: aut, in ore, id eſt, voluntate gladij: nempe, ad ſatietatem, libitum, voluntatem, imperium gladij: hoc eſt, quot libuit gladio & gladiatori percutere, obtinuitq; perfectam victoriam: quæ ſperanda ſemper exercitui Catholico, ſi pro illo oret inceſſanter, ſicut orauit Moſes, Princeps Catholicus adductis ſecum in ſubſidium Sacerdotibus, Viriſque DEO Sacratis, qui & ipſi tum precibus, tum vita exemplari, tum pietate Milites ad officia iuſtitiæ Chriſtianæ exſtimulent, potentes opere ac ſermone.

MEMBRVM III.

IERICHO CAPTA

Oſtendit, plurimum poſſe in Militiâ Exercitum Opitularem Sacerdotum.

CVM expugnanda eſſet Iericho, ciuitas clauſa atque munita, dixit Dominus ad Ioſue capite VI. *Ecce dedi in manu tua Iericho, & Regem eius, omneſq; fortes viros. Circumite vrbem cuncti bellatores ſemel per diem ſic facietis ſex diebus. Septimo autem die Sacerdotes tollent ſeptem buccinas, quarum eſt vſus in Iubileo, & præcedant Arcam fœderis: ſeptieſq; circuibitis ciuitatem, & Sacerdotes clangent buccinis. Cùmq; inſonuerit vox tuba longior atque conciſior & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis, ingredienturq; ſinguli per locum contra quem ſteterunt.* Ita factum Et Ioſue de nocte conſurgente, Sacerdotibuſque Arcam circumducentibus, clangentibus, ac ſupplicantibus, & bellatoribus vociferantibus, corruerunt muri Ierichuntis, capta eſt ciuitas, reportata eſt de hoſtibus victoria. Hic videmus quantum valeat contra inimicos Exercitus opitularis Sacerdotum, tubis inſonantium, ad cælos clamantium, & Cælites in auxiliũ aduocantium. Non voluit DEVS Ierichunthem expugnari per bellatores Milites, ſed per Oratores Sacerdotes: non per inſtrumenta Militiæ profanæ, ſed per arma ſacræ: non per gladios bellatorum, ſed per enſes Sacerdotum, qui ſunt buccinæ DEO iubilantium. Hæc *Religionis inſignia arma ſunt Sacerdotum*, inquit S. Ambroſius in cap. X. Luc. v. 10. Sacerdotum arma ſunt in Militiâ Chriſtianâ non galeæ criſtatæ, non loricæ rigentes, non ſariſſæ fraxineæ, non micantes gladij, ſed buccinæ iubilei, ora laudem DEO canentia, lingua ad prædicandam DEI virturem expedita, Coronæ præcatoriæ, Miſſalia, Breuiaria, Diurnalia, quibus ſuam religionem. & Sacerdotum in caſtris inter milites teſtentur: his arietibus proſternuntur muri Ierichuntis: his catapultis corruunt munitiones hoſtium, non magis corporalium ac viſibilium, quàm ſpiritualium & inuiſibilium.

QUID deſignat Iericho? *Ciuitas*, vt loquitur Chaldæus, *occluſa foribus ferreis, & munita vectibus æneis*, muris cincta ſublimibus & turribis, vallata aggeribus

bus lapidoſis & conſtipatis, ciuitas humanâ vi vix expugnabilis, quid deſignat? Mundum, Carnem, Concupiſcentiam, Superbiam humanam ſuis cum turribus & vitijs. Quomodo expugnanda, occupanda, delenda eſt, aut ſaltem in poteſtatem noſtram redigenda? Vrbs hæc Superba? Buccinis Sacerdotum altè ſonantibus, prædicatione, oratione, ad pænitentiam cohortatione, DEI laudatione. Nam Iſraëlitæ Ierichuntem euerterunt choreas agentium Eccleſiaſticas vel cãtantium more potius quàm bellatorum, inquit Chryſoſtomus Hom. xxi. in Ep. ad Epheſ. Ita ab Apoſtolis, viriſque Apoſtolicis Mundus verè *Iericho*, id eſt, *Luna*, ſemper mutabilis, & perpetuò ſeſe mutans ac reuoluens, fuit euerſus. Clangentibus buccinis olim muri Ierichuntis cum turribus, & inædificatis caſtellis corruerunt; ſed multo facilius poſtea, perſonante prædicatione Apoſtolorum, vindictam interminante ſermone Sacerdotum, ac pietatem adducente exhortatione Eccleſiaſticorum, priuata publicaque oratione Clericorũ, Religioſorum, Concionatorum. *In aduentu Ioſue.* inquit Origines Homil. vii. *muri Iericho ſubuerſi ſunt: in aduentu Domini mei IESV* Mundus *vincitur, ſi tubam prædicationis eius audis & ſequeris, tibi deſtructus eſt Mundus.* Addit deinde, Dominum noſtrum IESVM deſtruxiſſe Mundi muros, nempe, firmamenta: ſcilicet, Idolorum cultum, diuinationem Dæmonum, Commenta augurum, aruſpicum, & magorum: Oratorum eloquentiam, Philoſophorum Sapientiam, denique Sapientum omnium rationes & argumenta. Clanxiſſe autem per ſuos Sacerdotes tubis quattuor Euangeliorum, nec non Epiſtolarum Petri, Pauli, Iacobi, Ioannis, Iudæ.

„ IERICHO formam præſentis Seculi obtinet, cuius robur & munimenta Sacerdotalibus tubis videmus eſſe deſtructa. Firmitas namq; & munimenta, quibus velut muris Mundus iſte nitebatur, Idolorum cultus erat, diuinationum fallacia arte Dæmonum miniſtrata; augurum, atque aruſpicũ, magorumque commenta, quibus omnibus, velut muris validiſſimis ambiebatur hic Mundus. Inſuper etiam diuerſis Philoſophorum dogmatibus, & eminentiſſimis aſſertionibus ac diſputationibus, velut proceris quibuſdam, & robuſtis turribus firmabatur. Veniens verò Dominus Noſter IESVS Chriſtus, cuius ille prior filius Naue deſignabat aduentum, mittit Sacerdotes, Apoſtolos ſuos, portantes tubas ductiles prædicationis magnificam cæleſtemque doctrinam. Sacerdotali tubâ primus in Euangelio ſuo Matthæus increpuit: Marcus quoque, Lucas, & Ioannes ſuis ſinguli tubis Sacerdotalibus cecinerunt. Petrus etiam duabus epiſtolarum ſuarum perſonat tubis. Iacobus quoque, ac Iudas. Addit nihilominus adhuc & Ioannes tuba canere per epiſtolas ſuas, & Apocalypſin. Lucas verò Apoſtolorũ geſta deſcribens Nouiſſimè autẽ ille veniens, qui dixit: *Puto autem quod nos DEVS nouiſſimos Apoſtolos oſtendit*, & in quattuordecim epiſtolarũ ſuarũ fulminans tubis, muros Iericho, & omnes Idololátriæ machinas, & Philoſophorũ dogmata vſque ad fundamenta deiecit. „

HVIVS

HVIVS Euangelici Tubicinis vim, virtutemq́; ad deijciendos vbique mœnia Mundi, mundanæ-ue Sapientiæ & arrogantiæ ita alicubi perſonat aurea Tuba Chryſoſtomi. Quemadmodum, ſi Miles vnus ab vniuerſo terrarum orbe bello impetitus inter medios hoſtium cuneos verſetur, nec quicquam aduerſi patiatur: Sic Paulus ſolus inter Barbaros, inter Gentiles, vbique terrarum, atque in omnibus maris partibus apparens inuictus manebat. Atque, vt ſcintilla aliqua in ſtipulam, aut fœnum incidens, in naturam ſuam vertit ea quæ vruntur: ad eundem hic quoque modum inuadens, omnes ad veritatem traducebat, torrentis inſtar peruadens omnia. Simili modo agendum eſſe in Militiâ Chriſtianâ à Sacerdotibus Euangelicis, Verbi diuini præconibus, Spiritus-Sancti Tubis, & Chriſti Imperatoris Tubicinibus eleganter declarat S. Auguſtinus Sermon. CVI. de Temp. neceſſitatem demonſtrans, vſumque, & efficaciam Exercitus opitularis Sacerdotum, ſi quidem victoriam de hoſtibus noſtris capitaliſſimis conſequi velimus. Audite.

„ IERICHO, Fratres, typum habuit Mundi huius. Sicut enim tunc canentibus tubis muri illi ceciderunt, ita & nunc oportet, vt ciuitas Mundi, id eſt, Superbia, cum ſuis turribus, Auaritia ſcilicet, Inuidia, atque Luxuria, ſimul cum populis, id eſt, omnibus Cōcupiſcentijs malis concidat. Non ergo oportet vt Sacerdotes in Eccleſia (in caſtris, in campo, in tentorijs, in circulis militum, in tribunalibus, coram tribunis, Centurionibus, Legatis, Imperatore) taceant; ſed audiant Dominum docentem Iſraël. LVIII. *Clama, ne ceſſes, quaſi Tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum.* Clamare ergo iubemur, & vehementer clamare Ne parcas, inquit, id eſt, peccatoris iniquitati, ne tacendo pereat: & dum verecundiæ eius conſulis, non conſulas ſanitati: ne vulnera illius, quæ clamando reſecare poteras, reticendo in peius enutrias. Clamare ergo iubemur: & ne quis ſe non audiſſe dicat, aut quem quam vox lateat Sacerdotis, vehementer clamare. Et ne fortè hoc ipſum non ſufficeret, addit, dicens: *Sicut Tuba exalta vocem tuam.* Scitis quod Tuba non tam oblectationis eſſe ſoleat, quàm terroris: non tam delectationem præferre, quam inferre formidinem. Tuba itaque peccatoribus neceſſaria eſt, quæ non ſolùm aures eorum penetret, ſed & cor concutiat: nec delectet cantu, ſed caſtiget auditu: & ſtrenuos quoſque hortetur in bonis, & remiſſos terreat pro delictis. Nam ſicut in prælio Tuba formidoloſi Militis mentem deijcit, & animum fortis accendit; ita & Sacerdotalis Tuba mentem peccatoris humiliat, animos viri Sancti corroborat. Nec parcit voci, vt parcat ſaluti: & vno eodemque ſono iſti adhortationem dat, quemadmodum ſit fortior ad vincendum; illi terrorem incutit, quemadmodum ſit tardior ad peccandum. Hæc enim conſuetudo Tubæ eſt, vt delinquentium opera diſſipet, & Sanctorum facta confirmet. Hæc omnia in figura facta eſſe non dubium eſt.

„ Nam Sacerdotales illius temporis

„ Tubas quid aliud præfiguraſſe credi-
„ dimus, quàm huius temporis Sacer-
„ dotum Prædicationes, per quas non
„ ceſſant peccatoribus terribili ſono au-
„ ſterum Iudicium nunciare, triſtem ge-
„ hennæ interitum prædicare, & quodã
„ comminationis ſtrepitu aures delin-
„ quentium verberare. Sicut enim tunc
„ Tubarum clangor deſtructis cæmen-
„ torum muris ad populi interiora per-
„ uenit; ita nunc Prædicatio Sacerdo-
„ tum deſtructis prauis cogitationibus,
„ ad animæ nuda pertranſit. Et ſicut ſa-
„ cræ vocis ſonus contumacem populũ
„ deſtruxit, ita & nunc Sacerdotalis
„ Prædicatio populum peccatorem ſub-
„ iugat.

AN non igitur ſuadendum, vt nunquam, bellorum Duces militem conſcribant, nunquam legiones conſtituant, nunquam exercitum mittant, ſiue ad obſidendum vrbes, ſiue ad confligendum cum hoſte, ſine his Tubicinibus? Quod Gratiano Imperatori ſuggeſſit Antiſtes Mediolanenſis, ſolicitus de ſuo alumno lib. v. de fide ad Gratianum. Inter cetera; *Non aratas acies in bello produxit* Ioſue, *non ariete, ceterisq́ tormentorum machinis, ſed Tubarum ſeptem Sacerdotalium ſono murorum hoſtilium ſepta depoſuit. Iſta bellum immane confecit Tubæ clangor, & Infula Sacerdotalis.* Præmiſerat ad eundem ſcribens in Prologo: *Ieſus filius Naue hoſtes, quos totius exercitus manu valida ſuperare non poterat, ſeptem Tubarum Sacerdotalium ſono vicit, vbi Ducem Militiæ cæleſtis agnouit. Ergo & iam vincere paras, qui* CHRISTVM *adoras, vincere paras, qui fidem vindicas.* Ita vicit CONSTANTINVS M. qui & Sacrum ſecum CRVCIS Tabernaculum, & Sacerdotes tanquam animæ cuſtodes, vt loquitur Euſebius in eius Vita, ducebat in ſuis bellicis expeditionibus. Ita noſtris temporibus FERDINANDVS II. qui Sacerdotem ſibi à ſacris confeſſionibus, quocumque iret ſecum voluit proficiſci, teſtatus (a) æquè ſibi gratam Sacerdotis Confeſſarij præſentiam, ac Angeli Tutelaris.

(a) *Gul. Lamorm. in Ferd. cap. ix.*

MEMBRVM IV.

BRITONES CHRISTIANI

Confirmant exemplo, magnoperè conſultum eſſe in Militiâ Chriſtianâ, vt aduocetur Exercitus Opitularis Sacerdotum.

„ SAXONES Pictique bellum aduer-
„ ſum Britones iunctis viribus ſuſ-
„ ceperant (vt narrat lib. 1. cap. xx.
„ V. Beda) quos eadem neceſſitas in ca-
„ ſtra contraxerat: & cùm trepidi par-
„ tes ſuas penè impares iudicarent, San-
ctorum Antiſtitum auxilium petiue- „
runt: qui promiſſum maturantes ad- „
uentum, tantum pauentibus fiduciæ „
contulerũt, vt acceſſiſſe maximus cre- „
deretur Exercitus. Itaque Apoſtolicis „
Ducibus Chriſtus militabat in caſtris, „

Adurant

,, Adorant etiam. Quadrageſimæ ve-
,, nerabiles dies,quos religioſiores red-
,, debat præſentia Sacerdotum; in tan-
,, tum vt quotidianis prædicationibus
,, inſtituti certatim populi ad gratiam
,, Baptiſmatis confugerent. Nam maxi-
,, ma exercitus multitudo vndam laua-
,, cri ſalutaris expetijt, & Eccleſia ad
,, diem Reſurrectionis Dominicæ fron-
,, dibus contexta componitur, atque in
,, expeditione campeſtri inſtar ciuitatis
,, aptatur. Madidus Baptiſmate proce-
,, dit Exercitus, fides feruet in populo,
,, & conterrito armatorum præſidio
,, Diuinitatis expectatur auxilium. In-
,, ſtitutio vel forma caſtrenſis hoſtibus
,, nunciatur: qui victoriam, quaſi de
,, inermi exercitu præſumentes, adſum-
,, pta alacritate feſtinant: quorum ta-
,, men aduentus exploratione cognoſ-
,, citur. Cùmque emenſa ſolennitate
,, Paſchali recens de lauacro pars maior
,, exercitus arma capere, ac bellum pa-
,, rare tentaret, Germanus ſe ducem
,, prælij profitetur. Eligit expeditos, cir-
,, cumiecta percurrit, & è regione. qua
,, hoſtium ſperabatur aduentus, vallem
,, circumdatam medijs montibus in-
,, tuetur.

,, QVO in loco nouum componit
,, exercitum ipſe dux agminis. Et iam
,, aderat ferox hoſtium multitudo, quã
,, appropinquare intuebantur in inſi-
,, dijs conſtituti. Tunc ſubitò Germanus
,, Signifer vniuerſos admonet & prædi-
,, cat, vt voci ſuæ vno clamore reſpon-
deant: ſecuriſque hoſtibus, qui ſe in- ,,
ſperatos adeſſe confiderent, ALLE- ,,
LVIA tertiò repetitum Sacerdotes ex- ,,
clamabant. Sequitur vna vox omniũ, ,,
& elatum clamorem repercuſſo aëre, ,,
montium concluſa multiplicant: ho- ,,
ſtile agmen terrore proſternitur, & ſu- ,,
per ſe non ſolum rupes circumdatas, ,,
ſed etiam cæli machinam, contremiſ- ,,
cunt, trepidationique iniectæ vix ſuf- ,,
ficere pedum pernicitas credebatur. ,,
Paſſim fugiunt, arma proijciunt, gau- ,,
dentes vel nuda corpora eripuiſſe diſ- ,,
crimini: plures etiam timore præci- ,,
pites, flumen quod tranſierant deuo- ,,
rauit. Vltionem ſuam innocens exer- ,,
citus intuetur, & victoriæ conceſſæ o- ,,
cioſus ſpectator efficitur. Spolia col- ,,
liguntur expoſita, & cæleſtis palmæ ,,
gaudia religioſus miles amplectitur. ,,
Triumphant Pontifices hoſtibus fuſis ,,
ſine ſanguine: triumphant victoria fi- ,,
de obtenta, non viribus. Compoſita ,,
itaque inſula ſecuritate multiplici, ſu- ,,
peratiſque hoſtibus, vel inuiſibilibus, ,,
vel carne conſpicuis, reditum moliũ- ,,
tur Pontifices. Quibus tranquillam ,,
nauigationem, & merita propria & ,,
interceſſio B. Martyris ALBANI para- ,,
uerunt, quietoſque eos ſuorum ,,
deſiderij felix carina ,,
reſtituit. ,,

***

MEMBRVM V.

SAXONES CHRISTIANI

Quàm felicem habeat exitum Conflictus, in quo, cum Sacerdotibus DEVM inuocantibus conſpirat clamor Militum, demonſtrans exemplo, aduerſus Vngaros infideles dimicantes.

CVM de Ierichuntinæ vrbis obſidione ſcribit diuinus hiſtoricus, videtur alicubi innuere, buccinis etiam Milites & populum perſonuiſſe. Quod ſi factum, non ambigo clamorem aut concentum fuiſſe penè vniſonum, & tam clangorem Sacerdorum, quam Militum fuiſſe quoddam orationis genus, quo *DEVS Sabaoth & Dominus Exercituum* vocabatur in adiutorium. Quo conſenſu, & clarâ voce orantium Sacerdotum, & ſpe magná præliantium Militum, nihil eſt efficacius ad obtinendam victoriam. Experti id ſunt Saxones ad fidem conuerſi, qui cum ſacro carmine ante conflictum Domini miſericordiam implorаſſent, illuſtri ſunt potiti victoriâ. Initium & finem belli deſcribit hunc in modum Cranzius l. III. Metrop. Saxon.

,, Conſtitutæ Vngaris induciæ finem ,, habebant, cum illi mittentes pro more nuncios dona ſolita poſtulabant. ,, Dederat enim Henricus Auceps, Rex ,, per ſingulos annos nonnihil donatiui nomine, quo obæratos haberet ſibi. Id cùm ſibi perpetuum Vngari ſperarent, Rex pernegauit, iam exercitato milite animoſior. Indignabundi ,, Vngarorum nuncij ad ſuos vacui reuertuntur, minitanturque ſubuertere ,, omnia, & parato iam agmine prorumunt. Vicinos Dalmatas admonent vt arma iungant ad vlciſcendos ſe, commeatus importent. Illi vbi in Saxones pugnandum audiuerunt, cum contumelia Vngaros reliquerunt, quod arma iam breui Saxonum comperiſſent.

PROFECTI igitur Vngari in Turingiam perueniunt. Adſcitur Regi nuncius repentinus de hoſtium inſolenti agmine. Iam pernicioſa ægritudine Rex laborabat: & tamen ſupra vires egit, vt arma per quatriduum quanta poterant iungerentur. Acceſsêre voluntarij, omnes in hoſtes fidei, & pietatis officium non grauatè obibant: ſcientes quid premij ſit conſtitutum in eo non deficientibus: quid etiam periculi ſi modò pro libertate non depugnent. Rex autem expeditum iam habens agmen equitum peditumque fidenter mouit in hoſtes. Vbi ſub mutuum aſpectum venerunt exercitus, clamor exoritur, à Chriſtianis quidem, (præcinentibus, vt reor, Sacerdotibus, & vt ab ijs edocti erant militibus) *Kyrie eleiſon*; ab Vngaris autẽ perfidis tartareus ſtridor inſonat *hui, hui, hui*: manus deinde conſeruntur. Ibi apparuit, quid ſupernum à Chriſtianis imploratum poſſit auxilium: quid etiam in armis miles fiduciæ ferat. Sternuntur perfidi ſine numero: capiuntur multi: cæleſti munere inſignis

ſignis ac mirabilis victoria Regi prouenit: Vngari, qui ſuper fuere, velut laceræ nauis fragmenta colligentes noctibus ſe ſubducunt. Rex victor in laudes Conditoris DEI reſolutus, eius gratiæ deputauit victoriam. Tributa quæ hoſtibus penderet, vertit in vſus pauperum.

MEMBRVM VI.

EQVITES CRVCIGERI

Conſonantia Sacerdotum & Militum in caſtris DEO ſupplicantium quid efficiat patet exemplo Crucigerorum Equitum Ieroſolymam obſidentium.

ANNO Domini M. XCIX. cùm à Chriſtianis, CRVCEM, in ſignum Militiæ Sacræ, geſtantibus, GODEFRIDO Lotharingo Duce, Ieroſolyma obſideretur, in caſtris *de publico decreto*, vt loquitur Scriptor Belli Sacri Wilhelmus Tyrius, lib. VIII. belli Sacri cap. II. *indicta ſunt vniuerſo populo Litania*, & adſumptis Crucibus, & Sanctorum patrocinijs, Epiſcopi & Clerus vniuerſus, induti Sacerdotalibus & leuiticis indumentis, nudis pedibus, & cum multa deuotione populum ſubſequentem vſque ad montem Oliueti præceſſerunt. Vbi Vir nobilis Petrus Eremita, & Arnolphus Nordmannorum Comitum familiaris, Vir Litteratus exhortationis ſermonem habentes ad populum in quantum poterant ad longanimitatem animabant. Quis verò concentus ſacerdotalis militarisque huius, & cum illo proceſſionis ordinatæ, ac piæ, Socialisque exitus? Victoria. Quid deinde? gratiarum actio, quæ nunquam à victoribus negligi deberet, cùm ad nouam ſit optima paraſceue.

VRBE captâ, & armis depoſitis in ſpiritu humilitatis & animo contrito, nudis veſtigijs, iunctis manibus, & ſumptis mundioribus indumentis, cũ gemitu & lacrymis, loca venerabilia, quæ Saluator propria voluit illuſtrare & ſanctificare præſentia, cœperunt omni deuotione circuire, & cum intimis deoſculari ſuſpirijs: ſpecialiter autem Dominicæ Paſſionis & Reſurrectionis Eccleſiam, vbi Clerus & populus fidelium, qui per tot annos, dure nimis & indebitæ ſeruitutis iugum portauerant, de reſtituta libertate Redemptori gratias exhibentes, cum Crucibus, & Sanctorum Patrocinijs Principibus occurrentes, eos in prædictam cum hymnis & canticis ſpiritualibus introduxerunt Eccleſiam. Intueri autem erat amæniſſimum, & ſpirituali plenum iucunditate, quanta deuotione, quanto pij feruore deſiderij ad loca ſancta accederet populus, quanta mentis exultatione, & ſpirituali gaudio Dominicæ diſpenſationis deoſcularetur memoriam. Vbique lacrymæ, vbique ſuſpiria, non

„ qualia mæror & anxietas ſolet extorquere, ſed qualia feruens deuotio, & „ interioris hominis cõſummata lætitia „ ſolet Domino in holocauſtum incendere. Erat porro tam in Eccleſia, quam „ per vniuerſum vrbem tantus populi „ gratias Domini exhibentis clamor, vt „ iam quaſi vſque ad ſidera tolli ſonus videretur: & de'js meritò dictum crederetur: *Vox lætitiæ & exultationis in tabernaculis iuſtorum.* Plura addit Tyrius, quæ quid efficiat Sacerdotum in Caſtris diligentia, ac proinde, quantoperè conducat, vt nullubi ſit exercitus ſine Sacerdotibus demonſtrat.

MEMBRVM VIII.

MISSIO CASTRENSIS

Vſus Sacerdotum in Caſtris.

VSVS Sacerdotum in Militiâ Chriſtianâ, ſiue agant cum Exercitu in caſtris, ſiue in campo aut conflictu contra hoſtes, inter gladios, & telorum glandiumque miſſilia; non eſt, enſem ſtringere, tela iacere, ſclopum exonorare, manum cum inimico conſerere, hoſtem trucidare: aliena hæc ſunt ab ordinis ſacrati manſuetudine, & ſanctimonia. Non oportere Epiſcopum, eadem eſt ratio de Sacerdote, eſſe *percuſſorem*, ſiue manu feriendo, ſiue armis lædendo, præſcribit Apoſtolus Timotheo (a) & Tito, quos Sacerdotes conſecrarat. *Percuſſorem Epiſcopum, ille condemnat*, inquit S. Hieronymus, *qui dorſum poſuit ad flagella, & maledictus non maledixit*, nimirum Chriſtus. Tam alienum vult eſſe Sacerdotem à percuſſione idem Doctor Apoſtolus, vt addat, non debere eſſe *litigioſum*, ἄμαχον, alienum à pugnâ, tam verborum, quàm verborum. Extat Decretum Eccleſiaſticum, quod ſub annum Domini DCC.XLII. in Francorum Synodo, cui interfuit S. Bonifacius (b) Moguntinus. & Burchardus Herbipolenſis Epiſcopi conditum reperio, in quo ſic præſcribitur: *Seruos DEI per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, & in hoſtem pergere omninò prohibemus, niſi illos tantum modò, qui propter diuinum myſterium*, MISSARVM *ſcilicet, ſolennia adimplenda, & Sanctorum Patrocinia portanda, ad hoc electi ſunt*: id eſt, *vnum vel duos Epiſcopos cum Capellanis Presbyteris Princeps ſecum habeat; & vnusquiſque Præfectus vnum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus indicere pænitentiam poſſit.* Vſus igitur Sacerdotum in caſtris, eſt contra hoſtes ſidei DEVM precari, Sacroſanctum Miſſæ officium celebrare, confitentibus peccata, abſolutionis beneficium impertiri, ſatisfactionem iniungere, emendationis propoſum perſuadere: ne ſceleribus ſuis Milites diuinum in ſe furorem concitent, monere, ab iniuriâ omni inferendâ

(a) *Timoth.* I I I, 3. *ad Titum* I. 7. (b) *Lib.* 2. *Vitæ cap.* 4. 12. 14

ferendâ deterrere, auxilium de cælo impetrare & opem à Superis, ſi officio ſatisfaciant, oſtentare. Tum Cruces, labora, Sanctorum Patrocinia, lipſana aliaque ſigna fidei orthodoxæ ac pietatis circumferre. Denique, hortari militem ad pugnandum animosè pro fide, religione, Eccleſia DEI, & animarum ſalute æterna.

OB hos fines ſoliciti ſunt Principes Catholici, ne ipſorum exercitus vnquam deſtituatur auxilio Sacerdotum. Atque hæc eſt origo Miſſionum caſtrenſium vt Societas IESV vocare conſueuit, & cordi habet, ne vnquam deſint ex Patribus idonei, qui in ijs verſentur. Celeberrima toto orbe eſt Belgica, quæ zelo & liberalitate Regis Catholici cæpit & magno totius patriæ, ac vicinarum regionum bono continuatur. Neque efficacius quicquam reperiri potuit ad emédandam Chriſtianam militiam, aut militum mores corrigendos. Per illius ſtrenuos operarios, plurimi in ipſis caſtris ab hæreſi abducuntur, iurandi, peierandi, blaſphemandi in olita apud milites coſuetudo exſtirpatur; pellices & ſcorta ablegantur; licentia & rapacitas multorum in pecunijs extorquendis, & bonis ruſticanorum diripiendis, reprimitur; odia diſſidentium exſtinguuntur; duella inter nobiles & viros Principes ſæpe numero impediuntur; ne cui vnquam confitendi copia deſit, ſtudioſè curatur; tuguria militum inuiſuntur; ægri pecuniâ, conſolatione, Sacramentis iuuantur; miſerorum egeſtati eleemoſynis emendicatis ſubuenitur; moribundis aſſidetur decedentibus funus curatur.

Alicubi multa & noua Chriſtianæ pietatis excitamenta in vſum inducta reperio, & quibuſdam quaſi legibus ad ſtabilitatem confirmata; ſed præcipuè hæc quattuor. Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum ad ægros magnâ pompâ, multiſque luminibus defertor. Statis per diem horis, ad nolæ ſignum Miſſæ Sacrificia peraguntor. Manè, meridie, ac veſpere, tubarum cantu Signum Angelicæ Salutationis dator. In Patrum tabernaculo, ante Virginis Deiparentis Statuam lampas perenniter luceto. Quæ poſtrema conſtitutio ingens ad deuotionem ſtimulus fuit. vniuerſo quidem militi, ſed excubitoribus potiſſimùm, qui nunquam interdiu, nunquam noctu tranſibant, niſi ponerent humi genua, Deiparæ inclamarent opem, ſuamque illi vitam & ſalutem commendarent, haud ſanè languidè, ſi quod periculum ceruicibus impendêre ſentiebant. Itaque ſi Principes conſultum velint ſibi, & ſuo militi, ſi ſecuri & cum certo victoriæ pignore contra hoſtes procedere, non negligant opitulantem Sacerdotum exercitum; curent, in caſtris vt ſint ex ſacro Ordine, Clerici, Religioſi, Sacerdotes, qui ſonorâ Tuba comprecationis, adhortationis, prædicationis inſonent; & non ambigant, cadet, licet munitiſſima Iericho, quælibet ciuitas hoſtilis, & multo magis, cuius illa typum geſſit, arrogantiæ mundanæ receptaculum, & Infernalium copiarum Exercitus.

* * *

NOTÆ

NOTÆ

In quibus Auctores & Tranſlata.

§. I. MOSES. IOSVE.] *Multa ſunt in hiſtoria pugnantis Ioſue contra Amalecitas, & orantis Moſis, quæ ad Militiam Chriſtianam transferri poſſunt. Legenda imprimis integra homilia* S. Chryſoſtomi *Tomo* 2. *de hac Moſis Oratione & Victoria Ioſue, quæ elegantiſſima eſt etiam in Latino ſermone. Multa habent interpretes in Exodum, ſed omnium diligentiam ſuperauit* Nicolaus Serarius *libr.* 1. *Ioſue cap.* 2. *multis quæſtionibus, quibus, quantumuis curioſiſſimi famem explere poteſt. Nonnulla ſparſa ſunt in Patrum Sermonibus & homilijs, quæ vſui eſſe poſſunt tum Ducibus, tum Militibus. Subiungo quædam ſelecta ex varijs.*

ORIGENES *homil* VI. *in Leuitic.* Ad bella non vadit Moſes, non pugnat contra inimicos. Sed quid facit? *orat.* Et donec ille orat, vincit populus eius. Si relaxauerit, & dimiſerit manus, populus eius vincitur & fugatur. Oret ergo & Sacerdos Eccleſiæ indeſinenter (*addo, Princeps, Rex, Imperator, ſi ad bella non vadit*) vt vincat populus, qui ſub ipſo eſt, & hoſtes inuiſibiles Amalecitas, qui ſunt Dæmones impugnantes eos, qui volunt piè viuere in Chriſto. *Peruti!e omni populo eſt exemplum cum bonis in rebus præeunt Principes, Pontifices, Eccleſiaſtici. Quod conſiderat in Moſe orante,* R. Eliezer *capitulo* 44. *ſic ſcribens*: Iſraelitæ omnes ſtabant extra ſua tabernacula & videbant Moſen genibus flexis orantem: ideoque & ipſi ſua flectebant genua. Videbant eum in faciem ſuam procidentem: procidebant & ipſi ſuper facies ſuas. Videbant illum ad cælos ſuas attollentem manus: tollebant & ipſi ſuas. Vnde diſcendum, quod orante Congregationis Capite, *quod quidam illius veluti* Apoſtolus, *& apud* DEVM inter nuncius eſt, omnis populus eum ſequi, vt reſpondere Amen ſoleat.

S. HIERONYMVS *lib.* 2. *aduerſus Iouin.* In Exodo aduerſus Amalec oratione Moſis & totius populi vſque ad veſperam ieiunio dimicatum eſt.

§. II. ORATIO Principis aut Epiſcopi, in bellis gladio eſt potentior.] *Ioſaphat Moabitas, Ammonitas & Syros, non tam armis, quàm oratione ſua & Sacerdotum caſtrenſium ſuperauit, lib.* 2. *Paral. cap.* 20. *Quæ tota hiſtoria huc pertinet: oſtendit enim egregie quomodo Sacerdotes orantes ſint opitularis in bello exercitus. Cum Ioſaphat accingeret ſe ad conflictum* dedit conſilium populo, & ſtatuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis ſuis, & antecederent exercitum, ac voce conſona dicerent. Confitemini Domino, quoniam in æternum miſericordia eius. Cumque cæpiſſent laudes canere, vertit Dominus inſidias *hoſtium* in ſemetipſos, & percuſſi ſunt.

S. AVGVSTINVS *ſerm.* IV. *de S Stephano*: Ieſus Naue in eremo pugnabat, & Moſes orabat. Non quidam ambo pugnabant, & ambo orabant: Sed vnus pugnabat & alius orabat Merito qui pugnabat non deficiebat, quia ille orando vincebat. *Sic orationibus auditorum ſuorum plurimum ſe fidere oſtendens idem Auguſt. ſubiungit.* Ita & ego loqui quidem videor, ſed alijs orantibus loquor, vt precibus eorum contingat mihi, quod Dominus ait: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud.* Si ille ab vno tantum orante iuuabatur, & non ſuperabatur, quanto magis ego, pro quo non vnus, ſed multi rogant DEVM mecum?

Legendus iterum Auguſtinus Serm. 228. *de Temp. in Appendice Serm.* 65. *vbi de Iudith orante & triumphante*: Vbi aſſiduis pulſatur orationibus cælum, potentia ſemper calcatur armorum. Ecce glorioſæ fœminæ caſtitatem ſeruauit oratio, & hoſtem ſeruare non potuit mulctando. Lugentem ciuitatem vna fœmina voluit vindicare, & tantus exercitus Regem (*contra orantem*) non potuit cuſtodire.

ORIGENES *homil.* XIII. *in Numeros ſcribit ſe accepiſſe à Magiſtro quodam ſuo Hebræo cauſſam, cur Vitulo herbas depaſcenti comparârit Balaam Iſraëlitas, quæ accommodata eſt ad noſtrum inſtitutum. Notent Duces & Milites.* Audierat Rex Moab, quia populus *Hebræorum* Orationibus vincit, & pugnat aduerſus hoſtes ore, non gladio, & ob hoc ſine dubio cogitauit apud ſemetipſum dicens: Quoniam quidem orationibus populi huius & precibus nulla poſſunt arma conferri, ideò etiam mihi tales aliquæ preces, & talia requirenda ſunt arma verborum, & orationes tales, quæ ſuperare poſſint orationes iſtorum. Vt autem ſcias tale aliquid cogitaſſe Regem, ex Scripturæ verbis intellige, quæ ego à Magiſtro quodam, qui ex Hebræis crediderat, expoſita didici. Scriptum eſt ergo. Et dixit Moab ad ſeniores Madian. Nunc oblinget Synagoga hæc omnes, qui in circuitu noſtro ſunt ſicut ablingit vitulus herbam campi. Aiebat ergo Magiſter ille. Cur vſus eſt exemplo Vituli ablingentis herbam campi? Ob hoc ſine dubio, quia vitulus ore abrumpit herbam de campo, & lingua tanquam falce, quæcumque inuenerit ſecat: ita ergo & populus hic, quaſi vitulus ore & labijs pugnat, & arma habet in verbis ac precibus. Hæc igitur ſciens Rex mittit ad Balaam vt & ipſe deferat verbis verba contraria, & precibus preces. *Similia habet* S. Auguſtin. *Serm.* 39. *de temp. iterum* Origen. *hom.* XI. *in Exod*

§. III. PRINCEPS *in bellis non numero militum, non viribus ſuis, non Ducibus ſuis, in induſtria ſua aut cuiuſuis alterius ita fidat, vt non magis Orationibus piorum, & maximè Sacerdotum. Exemplum præclarum dedit* MANVEL COMNENVS *Imperator, qui in* XI. *ſuarum Conſtitutionum, quæ* Medicatrix *dici ſolet, ita loquitur.* Ipſe diuinus Moſes, quando cum Amalec prælium commiſit, Sacerdotibus vtrimque innixus, ſic eum fugauit & vicit. Sicut ille ergo, meum quoque Imperium Antiſtitum ſuſtentaculo indigens ad aciem aduerſus nouum hunc Amalech propoſitum, & veluti quandam lucis Columnam nouum hunc Iſrael præcedentem, & eius greſſus dirigentem, preces eorum habere volens, hanc præſentem auream Bullam, & omnium Eccleſiarum Matri, nouæ Sion, DEI Sapientiæ habitaculo, & ijs, qui ſunt in omnibus inſulis, & in Oriente, & in Occidente Antiſtitibus donauit, eorum pio Imperio meo preces magis confirmans.

COLOIANNES *Imperator* Alexij Comneni *Imperatoris filius nobiliſſimas de Scythis victorias conſequutus eſt, cùm, vt refert Nicetas Croniata, inſtar Moſis, manus tenderet in cælos, DEIq; opem, & Sanctiſſimæ Virginis* MARIAE, *quam ideo in Curru triumphare voluit, auxilium imploraret.* Baronius *Tom.* XII. *Anno* 1123. Petrus Caniſius *in Mariali, & alij.*

Pompilius Numa dicenti cuidam: Hoſtes ò Numa, bellum contra te comparant, *At ego, inquiebat ille ridens, Sacrifico.* In quo quidem, *ait Oſorius lib.* VI. *de Regis Inſtitut.* Oſtendit hoſtium vires magis DEI propitio Numine, quam exercitus robore frangendas. *Legendus etiam Oſorius Concionator Sermone de expeditione contra hæreticos* Tomo 2.

§. IV. AARON & HVR.] *In Eccleſia Chriſti monte, ſunt duo genera hominum, qui Chriſti fidem & religionem ſuſtentant,*

Sacerdotes & boni Senatores, *Bonus Clerus, Magiſtratus bonus. Vide* Serarium *lib.* 1, *Ioſue cap.* 2. *q.* 15.

§. V. IERICHO expugnata.]: *Legendus* Serarius *Opuſculo de Ioſuanis Sacerdotibus cap.* 4 *Iericho fuit Vrbs magna, munita, locuples, regia, balſametis & palmetis adeò inſtructa vt ob odorem, quo ſuauiſſimo flagrabat, nomen eam inueniſſe putetur; Deorum tamen variorum ſuperſtitionibus, varijsque ſceleribus inquinata. Mundi huius immundi pura puta effigies. Qui multiplici Apoſtolicorum Sacerdotum circuitione & peregrinatione, vario item ac ſimplici eorundem buccinatu, & clangore funditus euerti exſcindiq; debet.*

§. VI MISSIONES Caſtrenſes.] *De his inſpiciatur* Imago primi Seculi *Societatis IESV lib.* VI. *Cap.* III. *Sect* 2. *quæ eſt de Miſsionibus arduis, quales, I. Hollandica. II. Caſtrenſis. III. Naualis. IV. Ad Peſtem, & Morbos contagioſos. Quæ omnes adminiſtrantur à* PP. *Flandro-Belgicis. Legatur etiam* Famianus Strada *Decade* II. *libro* VIII. *de Bello Belgico, vbi narrat, Alexandrum Farneſium Ducem Parmenſem, Anno* 1587. *ſtatuiſſe adhibere Patres Societatis IESV ad militum auxilium, exemplo præcedentium Gubernatorum, Albani, Requeſenij, Auſtriaci: euocaſſe eos in caſtra: ſuis primùm, pòſt regijs alimentis ſuſtentaſſe. Regem probaſſe factum. Deſcribit deinde munus, ac laborem Patrum, in caſtris, in expeditionibus, in acie, in pugnâ: addit laborum fructum multiplicem, tum in terra, tum in mari: nam ad maritima quoque eos deſignauit Alexander, & liberaliter vſus eſt Marchio Spinula. Sic terra, mariq; Militiam ſequi & bellum capere Patres certa ſacrorum procuratione attributa: magnis quidem ipſorum laboribus, multis in vtroque bello diſcriminibus, campiq; ac maribus ſæpe numero eorundem cruore conſperſis; ſed magno quoque caſtrorum claſsimq; bono, quorum felicitas non magis interdum armatis præliantium corporibus, quàm exoneratis animis, tanquam prægrauantium mercium iactu comparata eſt. Sanè, Aytonæ Marchio, prudens, acceptusq; Belgarum populis Gubernator, cùm in bellico ſuorum Senatu, multa in Hollandorum Militiâ multi collaudarent, reſpondiſſe fertur: Vtcumque illa ſe haberent, vnâ in re Hollandos ſuperari, Miſsione Caſtrenſi: ob quam vel ſolam ſperare ſe, DEVM fortunaturum Catholicorum Arma. Atq; hoc eſt celebre illud in Belgico exercitu Militaris diſciplinæ additamentum. Conſulatur denique* Cæſar Palazzolus *in Milite Eccleſiaſtico.*

COM-

COMMENTATIO V.

SVPPLEMENTA MILITIÆ CHRISTIANÆ.

Pugnabat cum illo Orbis terrarum contra inſenſatos. Sap. v. 21.

MEMBRVM I.

COHORTES SVBSIDIARIÆ Ex Creaturarum Vniuerſitate.

PRÆTER Ciues, & Sociorum Auxilia, erant in Militiâ Romanâ *Supplementa Militaria.* Quoniam enim in bello multi aut vulneribus acceptis, aut morbo contracto cadebant, ne ordines infrequẽtiâ militum ſoluerentur, habebant in caſtris Impetatores alios multos, quos in locũ legerent demortuorum. Qui propterea *Adcenſi.* & *Adſcriptitij* & *Adoptati.* vel *Optiones* nominabantur. Tranſcriptos quoque dictos auctor eſt Iſidorus, lib. x. Hi omnes à Centurionibus centuriabãtur. Quod ſi nec talium numero ſuppleri poſſet mortuorum ſyllabus, Supplementum à Senatu petebatur: multique milites noui, Supplementi nomine, ad caſtra mittebantur. Hi dein de diſtribuebantur in *Cohortes*, quæ idcirco *Subſidiariæ* dictæ reperiuntur, quod ſubſidio quocumque, & vbicumque eſſet opus, mitterentur. Liuius libro x. *Subſidiarias cohortes, quæ integræ ad longioris pugnæ caſus reſeruabantur, in primam aciem emiſit.*

Hæc quidem in Romanâ erant Militiâ, quæ, dum ad Sacram, cuius Imperator Supremus, DEVS, transferre meditatò moliebar, in mentem veniebat admirati incredibilem Numinis erga illos, quorum patrocinium ſuſcepit, & peculiarem protectionem, curam ac beneuolentiam. Quam cùm contemplaretur diuinus Vates, continere ſe non potuit, quin exclamaret, imo de pectore prorumpentibus vocibus: *Dicite Iuſto quia benè*, Iſaiæ III. 10. id eſt, omnia illi benè euenient. Non metuat bellum Carni, Sanguini, Mundo, Cacodæmoni indicere, non deſpondeat animum, ſi irruant aduerſarij, ſi in latrones incidat, ſi cingatur curribus & equitibus, ſi infeſtetur à capitalibus inimicis. Vnde illi tanta ſecuritas?

 curitas?

curitas? quia non ſolùm Imperator docet, quod apud homines planè inauditum, manus eius ad prælium; non modò à capite ad calcem armis illum munit impenetrabilibus; non tantùm ei vim virtutemque adminiſtrat humanâ maiorem; non ſolùm Angelorum, Sanctorumque in Cælis degentium hominum, & in terris agentium Sacerdotum Auxilia Socialia illi ſubmittit, quibus cinctus ad nullum tametſi numeroſiſſimum inimicorum expaueſcere debet exercitum; ſed etiam vt nihil omninò deſit ad Imperatoris bellicam prouidentiam, Subſidiarias cohortes ſuarum creaturarum, tanquam nouorum Militum deſtinat, quibus vel glorioſam de hoſte obtineat victoriam, vel tutus eius artes eludat. E contrario rectiſſimè vſurpes de iniuſto, impio, peccatore obſtinato, *Dicite illi quia malè*, licet habitet in regiâ, quamuis cinctus ſit numeroſo ſatellite; tametſi amicorum fruatur conſortio, nunquam vllibi tutus erit, inueniet vbique qui inſequantur, & infeſtent, ac tandem opprimant.

Membrvm II.

I. COHORS SVBSIDIARIA

eſt Siderea ex Stellis.

COHORTES autem illæ ſubſidiariæ, vt agnoſcatur Imperatoris nullis limitibus arctata potentia, non in vna colliguntur, ſcribunturue regione, ſed in tot omninò quod Vniuerſum hoc continet. Et prima quidem in ampliſſima Cælorum: conſtat enim ex Sideribus. Stellæ ſunt (ne vos lateat magnum Militiæ noſtræ myſterium) quæ nomina Militiæ Sacræ abortu ſuo dederunt, ac DEO militant fideliſſimè: atque ab eo, dum vſus eſt, ad nos, tanquam Supplementa, & Subſidiariæ phalanges amandantur, vt nobiſcum pugnent, & aduerſariorum potentiam cohibeant, ac vim elidant. Ita in Cælis Exercitum agnouit Moſes Sacræ Scriptor hiſtoriæ, qui initio Geneſis, poſtquam enarrauit Mundi incunabula, ſubnectit cap. II. *Perfecti ſunt Cæli & terra, & omnis ornatus eorum.* Vbi, quod Latiuus Interpres vertit, *Ornatus*, Hebraicè eſt צבא *Tzeba*, & propriè ſignificat exercitum, virtutem, militiam, δύναμιν, potentiam aut fortitudinem. Vnde Dominus, Zebaoth, ſeu Zabaoth, exercituum, vel virtutum. Dicit itaque Moſes, perfectum fuiſſe cælum & terram, & omnem exercitum eorum; quo ſignificatur, nullam ab Imperatore peritiſſimo aciem melius vnquam ordinatam, quam ſunt in cælo Siderum, in terra Animalium ordines, quos ductat per ſuos in Militia ſubſtitutos ſummus Modimperator, diſpoſiti. Per Exercitum ergo cæli, Aſtra accipio, quibus DEVS pro iuſtis & contra criminoſos præliatur: ſuntque tanquam Milites ad omnem Ducis iuſſionem paratiſſimi: nihil illis eſt promptius, nihil obſequentius Regi ad cuius nutum contra

tra

tra impios arma ſumunt, & ad conſligendum velociſſimè progrediuntur..

HINC toties in diuinis paginis nominatur *Militia cæli*, quæ etſi quandoque Angelos etiam complectatur, ſæpe tamen non niſi Stellarum eſſe poteſt, vt Ieremiæ XIX. *Erunt domus Ieruſalem, & domus Regum Iuda. ſicut locus Thophet immunda, omnes domus, in quarum domatibus ſacrificauerunt omni Militiæ cæli.* Loquitur de Idololatris Stellas latriâ colentibus. Ob eandem cauſſam appellari poſſe videntur Stellæ *Virtutes cælorum*, Sic Matthæi XXIV. vbi agitur de Chriſto ad prælium ſe apparante, dicitur: *Virtutes calorum* commouebuntur. Quo loco, veterum quidam Angelos *Cælorum Virtutes* appellari volunt: *(a)* quemadmodum in Solenni Eccleſiæ hymno cantatur: *Cæli Cælorumq; Virtutes*: ſenſum autem eſſe, Angeli obſtupeſcent, & quaſi attoniti commouebuntur. Tamen recentiores Interpretes ferè omnes, *Virtutes cælorum* Stellas vocari exiſtimant, ſicut Militia cæli vocari ſolent. Feſtiui ingenij commentum fuit, munia huius Militiæ, & Syderum Perfecturas deſignantis hunc in modum. Exercitus Siderei Dux & Moderator eſt Sol: cui, velut Legatus, additur Saturnus: Mars Centurionem agit: Venus annonæ Largitricem: Mercurius Quæſtorem: Luna Vigilum Præfectam. Stellæ fixæ, ſunt quaſi grauis armaturæ, & tardè incedentes milites: erraticæ, leuioris: aliquæ, vt triarij, haſtatæ: vt velites aliæ non nullæ, vt primipili militant. Nec deſunt in hoc exercitu Pegaſi, moloſſi, leones, tauri, vrſi, aliaque animalia, quæ ſi agminibus peritè miſceantur, hoſtibus terrorem & ſtragem inferunt. Sed hæc Poëtis decantanda relinquimus, nobis non licet eſſe tam fabuloſis.

PORRO, habere iſtos arma ſua milites haud eſt dubium: & ſatis clarè indicatur in libro Sapientiæ capite quinto, vbi de DEO Imperatore dicitur: *Armabit creaturam ad vltionem inimicorũ.* quaſi dicatur: Armatus Imperator Naturam vniuerſam armabit, incitabitque ad repetendas de impijs pœnas. Per creaturam autem eo loci intelligitur potiſſimùm quælibet quæ DEO ad Iudicium procedente conuitabitur & ſuo in ordine militatem operam præſtabit, (vt Tomo I. fuſius eſt declaratum.) Tales autem imprimis ſunt Stellæ, quarum exercitus ornatiſſimus eſt, beneque terſis ac lucentibus armis circumdatus: Lucent enim atque ſcintillant ſplendidè.

Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra.

canebat ille *(b)*

Id commendandum in exercitu, & maximè requirebat Aurelianus Cæſar, qui inter alia, ſeueræ diſciplinæ præcepta, quæ in epiſtola militari Vicario ſuo Tribuno relinquebat, hæc etiam erat: *(c)* *Militum arma terſa ſunt.* Aliquid huic ſimile in DEO licet animaduertere, de quo, ceu pugnatore eximio, dicitur: *Gladium ſuum vibrabit*, Pſalmo VII. Hebraicè *expoliet*, D. Hieronymus, *acuet*, nonnulli, *ſplendificabit*, vel *exterget*, quæ ſignificant, quod nunquam DEI arma ſqualeant rubigine. Porrò, quemadmodum

(a) *Origen. Chryſoſt. Beda Euthym. Theophyl.* (b) *Virgil. lib.* VI. *Æneid.* (c) *Vopiſcus in Aurelia.*

modum quando prælиandum, & manus cum hoſte iam iam conſerendæ ſunt, nulla ſtrenno Militi cura eſt ornamentorum : nam fœdo puluere & atro fumo nigreſcunt ac inuoluuntur omnia, nec certæ ſtationis habita ratione permiſcetur vtriuſque exercitus acies; haud aliter cæli Milites quando contra inſenſatos pugnabunt, deponent ſplendentia illa ſua ornumenta. Quomodo, quod dicitur, *Sol obſcurabitur, Luna vertetur in ſanguinem, Stellæ de cælo cadent*, quidam ad rem noſtram accommodatè exponunt. At, quibus-nam telis, haſtis vel gladijs Milites iſti hoſtem aggrediuntur? Sunt ea in triplici genere, & vocantur *Motus, Lumen, Influxus*, ſiue Qualitates occultæ. Motus eſt veluti funda, vel arcus, quo luminis globi, aut Sagittæ deſtinatò in hanc illam-ue partem certiſſimò vibrantur. Qualitatibus varij morbi, frigora, tempeſtas, ſterilitas, imber, ſiccitas, terræ motus, aliaque vt concuſſiones, & vulnera mortalia inferuntur.

QVOD autem ſubſidio veniant milites iſti, ſiue ad defenſionem iuſtorum, ſiue ad inimicorum DEI oppugnationem, & euerſionem, dubitare non poſſumus. Exemplum autem eſt rarum vnum è multis, quòd refertur in Libro Iudicum. Bellum erat Iſraëlitis, cum Rege Chanaan Iabin, & Duce eius fortiſſimo Siſara. Obtenta autem victoria, cecinerunt Debbora & Barac epinicium Domino, in quo prælij totius ſucceſſum deſcribunt, & quibus maximè viribus fuerint ſuperiores. Atque inter alia de Subſidiarijs copijs ita habent, Iudic. v. *De cælo dimicatum eſt contra eos : Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Nimirum, ſuis ſedibus & ſtationibus manēt immotæ: nā pleræque fixæ ſunt ſuis certis definitisque motibus caſtra metantur. Quibuſdam tamen in hoc exercitu quaſi adminiſtris vagari & exerrare inter medios alios milites conceſſum eſt : eæ ſunt Planetæ, quos vaga & errantia Sidera vocare ſolemus. Quærunt autem haud immerito viri in Sacris profaniſque eruditi, quomodo à Stellis contra DEI inimicos ſit pugnatum? Omitto Aſtrologorum quorundam figmentum, quippe vanum : ex ſtellarum ſitu, mutuoque aſpectu, diem Iſraëlitis fauſtum, Siſaræ infauſtum redditum.

EX Rabbinis aliqui exiſtimarunt, (*a*) calore valido & perurente, tanquam ignitis ſagittis actum eſſe : Stellas enim immenſum excitare calorem, eumque flammantem, quo ſuffocati ſint plurimi, terraque ſic indurruerit, vt equis excuſſæ fuerint vngulæ : Rabbinicum hoc eſt commentum, & ſapit quidpiam fabuloſum. Ex Interpretum Chriſtianorum cenſu Epiſcopus Abulenſis (*b*) opinabatur, vel igneas quaſdam inflammationes, vt cometas, ſtellaſque cadentes aduerſariorum inflammaſſe, & vſtulaſſe corpora; vel cùm è cælo iſtiuſmodi meteora in hoſtiles copias demitti viderentur tanto illas pauore perculſas fuiſſe, vt partim exanimes ruerent, partim per abrupta, ſaxoſa, vel inuia præcipitarētur, Ioſephus Hebræorum hiſtoricus ſcribit, lib. v. cap. 6. in ipſo prælij articulo imbricam, perfrigidam, grandineamque vehementi

(*a*) *Rarchi. Radack,* (*b*) *Quæſt. vi. in Iud.*

vehementi cum vento excitatam diuinitus tempeſtatem fuiſſe, quæ in hoſtium faciem & oculos magno illata impetu, omnem ijs arcuum, fundarum, armorumque vſum, aut caliginis denſiſſimæ obiectu, aut rigidiſſimo intenſiſſimi frigoris gelu eripier. Potuit autem illius tempeſtatis eſſe cauſſa Cælum, ſiue propriè, per ſingularem à DEO excitatum influxum; ſiue metaphoricè, vt denotentur Angeli, vti exponunt Vatablus & Valeſius: nec enim eſt inſolens illa Cæli acceptio, tum in Veteri, tum in Nouo Teſt. (*a*) Additur autem ſignatè: Stellas in ordine curſuſque ſuo manſiſſe. Tum, opinione Caietani, ne putaret quiſpiam aliquid eas paſſas, quemadmodum Sol & Luna paſſæ ſunt, dum à Ioſue (*b*) ijs fuit ſtatio imperata. Tum, vt ſignificetur, egregiè ab ijs pugnatum, quod fit à militibus, quando ſuum in acie quilibet locum tuetur, neque turbari ſinuntur ordines. Tum, vt quemadmodum milites, qui ex editiore loco pugnāt, felicius pugnant, & conſtantius, ita ſtellas dimicaſſe concipiatur. Hebræa vox ſignificat illas pugnaſſe ex ſuis aggeribus.

ET hæ ſunt primæ ſubſidiariæ copiæ, quæ centuriantur in ampliſsima cæli regione. De quibus vberius hic actum denuò vt intelligatur, ſi ſeriò ſeruiuerimus Domino Exercituum, ita vt inter illius amicos cenſeamur aut Clientes, dimicaturum in noſtri gratiam Cælum, ad noſtrum auxilium promptiſsimè aduolatura ſidera: Militiam totam cæleſtem noſtris ſeruituram vſibus. Contrà verò, ſi inter inimicos DEI recenſiti fuerimus, nullibi tutam nobis fore ſtationē, quùm vbique cælum noſtris immineat capitibus: vnde certiſsima peſtis improbis expectanda eſt.

PORRO, ſi, quæ dicta ſunt, ad myſticum moralemque ſenſum trahere iuuat, dicemus cum præclaro Interprete, (*c*) quotidie etiamnum de cælo contra hoſtes & vitia dimicari, quando è diuinis libris, ſacriſque traditionibus argumenta in illos, & veluti imbres ac fulmina iaciuntur. Stellæ aduerſus Siſaram pugnant, quando Viri doctrina, eloquentiaque ac ſanctitate fulgidi magno cum zelo catholicæ veritatem fidei tuentur, aduerſorum dogmatum vanitatem diſſipant ac proſternunt, docendo, concionando, ſcribendo, precando, pueros fidei elementa docendo, aliaque ſpiritualis Magiſtri officia exercendo.

SED obſeruandum eſt iſtud diligenter, Stellas dici pugnaſſe manentes *in ordine & curſu ſuo*. Non manent in ordine & curſu ſuo *Stellæ* illæ *rationales*, homines benè à teneris inſtituti, qui ſenſim, religionis, pietatis, deuotioniſque & coniunctionis cum DEO ſtudia deſerunt; qui temperantiæ ac ſobrietatis leges, quas ſibi indixerant, paullatim flocci faciunt, vel negligunt: oculos minus cautè cuſtodiunt: linguæ frænum laxant, vanitati adſueſcunt, malorum conſortio ſe aggregant, denique, quod ſibi coram DEO propoſuerant, non exequuntur. Non manent etiam in ordine & curſu ſuo illi, qui maiora viribus ſuis aggrediuntur, qui nimis altum ſapiunt: qui cum rudes ſint & imperiti, audent de rebus altiſsimis, & maximè abditis diſputationem inſtituere, cum hæreticis

(*a*) *Daniel.* VIII. 10. *Apoca.* XIII. 3. (*b*) *Ioſue* x. (*c*) *Nicol. Serarius quæſt.* 32.

hæreticis congredi, doctiſſimis viris ſuum arroganter præferre iudicium. Numquid omnes Apoſtoli, inquit S. Paulus? (a) nunquid omnes Prophetæ? (b) nunquid omnes Doctores? Vnusquiſque in quo vocatus eſt in hoc permaneat apud DEVM. Stella à Stellâ differt in claritate. Non poteſt Helice, quod enſifer Orion; non Pleias, quod Sirius; denque, non Luna quod Sol. Quiſque ſuo ſe pede metiatur. Multi perierunt, qui ſe maiora appetiuerunt.

(a) 1. *Corinth.* 12. 29. (b) 1. *Corinth.* 7. 24. (c) 1. *Corinth.* 15.

MEMBRVM III.

II. COHORS SVBSIDIARIA
eſt Meteorologica, ex Igneis, Aërei, Aqueis.

CONSCRIBITVR Cohors iſta, ſub orbe Lunæ in vicinis regionibus, vnde adueniunt ad nutum Imperatoris, tonitrua, fulmina, fulgura, grandines, venti, pluuiæ, aliaque his adfinia, ſupernè oriri ſolita, quæ idcirco *Meteora* appellantur; & mittuntur in ſubſidiũ Iuſtis contra hoſtes ſuos dimicantibus.

LAPIDES GRANDINIS
Fulmina. Fulgura. Tonitrua.

PVGNANTE fortiſſimo Hebræorum Duce Ioſue cum quinque Regibus Amorrhæorum. *Dominus miſit ſuper eos Lapides magnos de cælo. Et mortui ſunt multo plures Lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filij Iſrael*, vt totidem verbis refertur in hiſtoria Ioſue cap. x. Impetratam autem fuiſſe hanc ſaxorum procellam à DEO precibus Ioſuæ, ſupplementum exercitui ſuo alioqui nimis imbecilli à Domino Exercituum ſuppliciter poſtulantis, inſinuat Eccleſiaſticus, cap. XLVIII. pulcherrima illa narratiuncula. *Innocauit Ieſus Altiſſimum potentem in oppugnando inimicos vndiq́, & audiuit illum magnus & ſanctus DEVS, in ſaxis grandinis valdè fortis virtutis.* Quod autem dicantur *Lapides miſſi de cælo*, id de aëre intelligendum eſt: ſic enim ſæpe Cælum in Sacrâ Scriptura accipitur: Sic *Volucres cali* (a) dicuntur in Veteri Nouoque Teſt. Ab hoc enim cælo ſunt nubila, tonitrua, fulmina: hinc (b) grandines, pruinæ, imbres, procellæ, turbines: inde plurima mortalium mala, & concurrentes velut acies concretionum aërearum.

DVM verò Lapides grandinis magnos audio, eos concipio inuſitatæ cuiuſdam formæ. Quales fuerunt illæ duodecim

(a) *Pſal.* VIII. *Matth.* VI. (b) *Plin. lib.* 2. *cap.* 38.

decim ac etiam ſedecim pedum longitudinis, qui ex aëre ſuperiore prolapſi ſunt, ſub annum Domini DCCC XXIII. ac ſequentem, vt eſt apud hiſtoricos, Sigebertum, & Bonfinium: (a) quales ceciderunt inſtar oui anſerini anno M.CLXXXIII. vt ſcribit Bergomas: & quales viſi anno M. ducenteſimo, XI. in quibus ſculptum erat, Signum Crucis, Chriſti facies, ac titulus, IESVS NAZARENVS, quod habet Vincentius Beluacenſis: (b) Aut eius magnitudinis quales fuerunt, in quibus facies viriles cum barbis, ac muliebres cum crinibus & & peplis apparebant, anno M. CCCXCV. apud Albertum Kranzium, Lib. IX. cap. 5. Quales etiam fuerunt qui ſuperiore ſeculo anno M. D. VII. in ditione Wirtenbergicâ Rotenburgi apud Neccarum feneſtras & tecta cõminuerunt vt ſcribit Laurentius Surius in Commentario rerum geſtarum. Nec mirum id videri debet, cùm *Lapides* illi Angelorum operâ in aëre formarentur, eorum potentiâ, veluti manu conijcerentur, ac vibrarentur, vt certò, deſtinatoque ictu Chananæos peterent, ac obruerent; parcerent Iſraëlitis. Similem ex eadem regione Cohortem in ſubſidium miſit DEVS filijs Iſraël contra Pharaonem: fuit enim grando ſeptima Ægyptiorum plaga Exodi IX. Et lib. I. Regum cap. 7. quùm pugnaret Iſraël cum Philiſthijm, *intonuit Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthijm, & exterruit eos, & caeſi ſunt à facie Iſraël*, Samuele apud Dominum agente, vt ſubſidiariam illam manum populo ſuo ſubmitteret. Nam vt ſcribit Eccleſiaſticus cap. XLVI. *Innocauit* Samuel *Dominum Omnipotentem in oppugnando hoſtes circumſtantes vndique, in oblatione Agni inuiolati. Et intonuit de caelo Dominus & in ſonitu magno auditam fecit vocem ſuam; & contriuit Principes Tyriorum, & omnes Duces Philiſthijm.* Quanta, Deus bone! potentia vnius Cohortis ſubſidiariæ.

QVAM etiam frequenter ſenſerunt Chriſtiani Principes: immò, Imperator gentilis virtute Militum Chriſtianorum, quorum legio, cùm precibus ad DEVM fuſis, pluuiam exercitui impetraſſet, & contra hoſtem Fulmina, ab Antonino cognominata fuit κεραυνοβόλος, *Fulminatrix*. (c) THEODOSIVS Imperator religioſiſſ. quomodo ſupplicatione humillima à DEO obtinuerit eadem militiæ ſuæ ſupplementa refert Sozomenus, (d) & narrat S. Auguſtinus (e) libro v. de Ciuit. DEI, capite 26. *Theodoſius*, inquit, *Eugenium tyrannum accepto Prophetico reſponſo, fide certus oppreſſit: contra cuius robuſtiſſimum exercitum, magis orando, quàm feriendo pugnauit. Milites nobis qui aderant, retulerunt, extorta ſibi eſſe de manibus, quaecumque iaculabantur, cùm à Theodoſij partibus in aduerſarios vehemens ventus iret: & non ſolùm, quaecumque in eos iaciebantur, concitatiſſimè raperet; Verum etiam ipſorum tela in eorum corpora retorqueret.* Ob quæ Claudianus, licet gentilis Poëta exclamat: (f)

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduerſas acies, reuolutaq́ tela
Vertit

(a) *Lib. x. Decad. 2.* (b) *Lib. xxx. hiſt. cap. 138.* (c) *Euſebius lib. v. hiſt. cap. 5. Tertull. Apol. ad Scapul.* (d) *Sozom. lib. v 11. hiſt.* (e) *lib. v. de Ciuit. c. 26.* (f) *Claud. l. 1. de Honor. Conſul. 3.*

Vertit in auctores, & turbine reppulit haſtas.
O nimium dilecte DEO, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes, (acies) cui militat æther:
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

De Æolo fingit Ethnicus, quod diuino Numini fuiſſet adſcribendum. Contra Attilam etiam, cùm Aureliam obſideret, tonitrua & fulmina, tanquam ſubſidiarios Milites exciuit S. Amianus Epiſcopus. Contra alios tyrannos Sancti alij. Sunt enim de huiuſmodi Supplementis plenæ Sanctorum hiſtoriæ.

MEMBRVM IV.

III. COHORS SVBSIDIARIA

eſt Animalis, ex viuentibus in terrâ & lacunis, beſtiolis vilißimis, & abiectißimis.

HAC ſummus Imperator noſter & aduerſarios inuadit, & amicis ſuppetias ferre ſolet, vt admirabilem hominibusque incomprehenſibilem ſuam vim, ac poteſtatem in omnia declaret: Siquidem conflatur ex ijs creaturis, quæ vt naturâ & hominum æſtimatione ſunt viliſſimæ, ita maximè imbecilles habentur. Eas tamen DEVS ſub vnum quaſi vexillum colligit, & hoſtibus robore fortiſſimis, armaturâ inſtructiſſimis, multitudine numeroſiſſimis opponit, ac debellat. Et eſt profectò iucunda contemplatio, quæ ad fiduciam ſingularem in DEO collocandam meritò quemlibet animare debet, qua ratione DEVS aduerſarios ſuos bellandi genere planè ridiculo, vt ludere videatur, profligare & penitus delere conſueſcat.

RANARVM PHALANX.

CONTRA DEVM, eique dilectam gentem in Ægypto tunc commorantem pugnare deſtinauerat Pharao, Imperij illius Monarcha. Omnes artes adhibet, vt DEI populum profliget, aut peſſundet. Imperat opera grauia & intolerabilia: inſtat, viget, cogit, minatur: infantulos trucidat, adultos per omnia ſæuitiæ genera impellit ad ſeceſſionem. Inuocat Iſraël DEVM, rogat humillimè, velit reſpicere ærumnoſos, veniat ipſe, ſine quo nihil poſſunt, in auxilium, mittat, vt priſcis ſeculis, ſubſidiarium militem. Videt afflictionem populi ſibi cari Dominus, promittit opem, offert *Subſidiarias Cohortes* quam plurimas. Expectabantur haud dubiè Angelorum legiones aliquot. Quid DEVS? Iubet

Iubet pulſari tympanum per Moſen, vt quibus eſſet animus, ij nomen darei Militiæ, & in ſubſidium laborantibus DEI Militibus mittereutur. Res mira. accurrerunt ex templò RANÆ, Exodi VIII. &, vt concipiebat quidam. coaxatione mirificâ teſtatæ, quod in verba Imperatoris iurare peroptarent auctoranur. luſtratione factâ, infinitus eſt iuuentus pa luſtrium illarum animantium numerus, quæ depopulatæ Ægyptum, tantam intulerunt vaſtitatem, vt ad extrema fœdatus Pharao, vocauerit Moſen & Aaron, dixeritque penè ſupplex *Orate Dominum, vt auferat* RANAS *à me & à populo meo:* id eſt, vt abducat *Supplementa Militiæ* vobis miſſa, à terminis meis *& dimittam populum vt ſacrificet.* Itaque deuicit Dominus ferociſſimam gentem vnica *Ranarum* phalange.

SCINIPHVM ACIES.

CVM fidem non liberaret ſuam Pharao, & iterum acie congredi cum DEO eiusq; Militibus obſtinaſſet animũ, ad Imperatorẽ ruſus appellarunt Iſraëlitæ, & efflagitarunt copias ſubſidiarias. Effertur illicò belli ſignum: inuitantur voluntarij Milites, qui ſtipendia faciant haud coacti. Ad primum tubæ clangentis ſonum, ecce tibi SCINIPHES, tanto numero, vt is iniri non potuerit, dum recenſeretur exercitus. Conclamatur ad arma. Canitur claſſicum: prodit Pharao. educit Militem ſuum: Dominus Exercituum ſuum. *Sciniphes* militariter impreſſionem faciunt: antè, ponè, à lateribus hoſtem feriunt, diſſipant, fugant, reportant victoriam. Tantum valet in exercitu humano ſupplementum diuinũ.

MVSCARVM TVRMA.

FVSI licet fugatique, ſuo cum Pharaone, hoſtes, iteratò tentare voluerunt aleam. DEVS antiquum ſuum obtinens, non dignatus maioribus copijs agere, MVSCAM aduocat, importunam, impudentemque beſtiolam, ſed promptam ad imperium Altiſſimi Conueniunt ſubitò millia millium; dant nomen ad militiam, ſacramento ſe obligant, centuriantur. Diſtributæ in manipulos, caſtrametantur illicò in ipſis ædibus Pharaonis, & ſeruorum eius, atque in omni terrâ Ægypti. Deinde in aciem eductæ, ac ſi de ſummâ rerum prælio decertarent, eâ animoſitate, impetu, pertinaciâ hoſtem oppreſſerunt, vt is ſe victum palam, miſericordiam, pacemque poſtulans, ſit faſſus. Vocauit Pharao Moſen & Aaron. & dixit ijs: *Ite, & ſacrificate DEO veſtro*: hoc eſt, ſum ſuperatus.

Hanc confeſſionem ab hominum induratiſsimo *Muſca* expreſſerunt.

***

LOCVSTARVM LEGIO.

POENITVIT haud multo poſt ſuperbiſsimum Regem, datæ, in victoriæ ſignum, dexteræ. Itaque adhuc ſemel vltima experiri placuit. Erant in magnâ expectatione Iſraëlitæ. & anxij metuebant, ne deſperatis radiret in præcordia virtus. Et quidem armabat ſe Pharao, quàm poterat ſolicitiſsimè. Petunt *Supplementa* ſoluta ſuis diffiſi viribus Iſraëlitæ. Vt cogendum eſſe pro DEO Militem percrebuit, momento aſſilierunt, nam volare non poterant, LOCVSTARVM myriades aliquot, quibus aggregarunt ſeſe ex illo genere à quattuor ventis plures quàm ſunt in littore maris arenulæ. Vt promptitudinem cernas, non expectato alio mandato vllo. *Aſcenderunt*, inquit Textus ſacer. Exodi x. *Super vniuerſam terram Ægypti, & ſederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec poſtea futura ſunt: operueruntq; vniuerſam ſuperficiem terræ, vaſtantes omnia.* Et tam ſtrenuè rem egerunt, vt feſtinus Pharao vocauerit Moſen ingeminans, fortaſſe cum eiulatu: *Peccaui in Dominum DEVM veſtrum & vos.* O glorioſum de hoſte faſtuoſiſsimo per imbecilles Locuſtas triumphum!

„ ECCE, inquit Rupertus Abbas, qua-
„ les inſtruxit acies, quibus ex ordinibus
„ ſua caſtra compleuit Dominus pugnã-
„ do pro Iſraël in Ægyptios *Ranæ, Sci-*
„ *niphes, Muſcæ* atque *Locuſtæ* fuerunt
„ caſtrorum eius acies, & ex huiuſmodi
cohortibus totas contra fortes Ægy- „
ptios compoſuit Legiones. Singuli „
milites ſecundum ſe breues quidem „
& infirmi; verùm pro exercitibus „
Pharaonis ſatis valentes fuêre, Duce „
Imperio DEI. Nempe, quod multus „
hominum exercitus facere non po- „
tuiſſet; iſtæ phalanges locuſtarum „
ſtrenuâ peregêre militiâ: operuerunt „
enim vniuerſam ſuperficiem terræ. „
Quamobrem feſtinus Pharao, tan- „
quam ad deditionem vocauit Moſen „
& Aaron Duces tanti exercitus atque „
primates Imperatoris DEI. *Rogate*, „
inquiebat, *Dominum DEVM ve-* „
ſtrum, vt auferat mortem hanc à me. „
Hoc velut dediticius dixit. Sed vbi „
data eſt requies, tanquam refuga, in- „
durauit cor ſuum, nec dimiſit Iſraël. „
Attamen à LOCVSTA victus eſt fortis „
rex. Proinde ſatis eleganter, cùm di- „
xiſſet quodam loco DEVS per Pro- „
phetam: *Reddam vobis annos, quos* „
comedit Locuſta, bruchus, & eruca, „
continuò adiunxit: *Fortitudo mea* „
magna, quam miſi in vos. Fortitudo, „
inquit mea magna quæ iſta? Locuſta, „
bruchus & eruca; non ſanè reſpectu „
ſupernarum virtutum, & fortitudinũ „
cæleſtium, ſed infirmorum, & com „
paratione hominum in ſuâ infirmitate „
te ſuperbientium, qui ceruicem ſuam „
erigunt contra DEVM, quam „
pulici ſubiiciunt.

***

MEMBRVM V.

IV. COHORS SVBSIDIARIA

ex Inſectis, tum terreſtribus, tum volucribus, tum cum vtroque participantibus.

NON eſt exiſtimandum ſemel tantum, quando contra Ægyptios eſt dimicatum, DEVM iſtis copijs ſubſidiarijs ſuam in amicos oſtendere voluiſſe beneuolentiam, & in hoſtes ſuos potentiam, fecit id poſterioribus Chriſtianorum ſeculis ſæpiſsimè, paratus facere quotidie, ſi ſeriò illi in Militiâ ſacra operam noſtram addixerimus; & ab hoſtibus vallati, deſertique ab humanis præſidijs, eius opem caſtis intenſiſque precibus flagitauerimus. Adhuc ſuperſunt *Locuſtæ*, *Muſca*, *Rana*. *Sciniphes*, & his gemina ex inſectorum tribu animalcula, quæ ad primam Imperatoris noſtri vocem, dicunt: *Adſumus*. & conglobata in vnum militariter hoſtem inuadent, uoſque tutos præſtabunt.

CVLICVM AGMEN.

CONSTANTINO Imperatore defuncto Sabbores Rex Perſarum ad Niſibin caſtra promouit, & ciuitatem magnis peditum equitumque copijs obſedit. Poſt longam autem oppugnationem, ingentem vim aquæ, curſu præterfluentis fluuij artificio ſingulari retento, in vnam muri partem immiſit; cuius impetu mænia ſtrata, & via in vrbem patefacta eſt. Territi ciues, Epiſcopum ſuum, IACOBVM dictum, deinde NISIBITAM, interceſſorem apud DEVM adhibuerunt, & ſuppetias ſummus Imperator mittere non tardaret: actum alioqui de vrbe Numini deuota. Is primò ad mænia accedens, Militum incolarumque firmauit animos, diſiectam muri partem erigi iuſsit, adiuuitque, & machinis oppoſitis hoſtes irruentes repulit. Tum ciuium rogatu in murum aſcendit, & hoſtium multa millia contemplatus à DEO ſupplex petijt, vt in eos immittat denſum CVLICVM agmen. Quod illicò factum, & illi quidem tam fortiter contumaciterque obſidentes inuaſerunt, vt eorum cuſpides non ferentes equi & elephantes, ruptis vinculis fugerint, exercitumque diſsiparint, Culicibus interim aculeos ſuos in fugientes vibrantibus.

REX quoque Perſarum vidit, in mænibus quendam regali ſpecie, prorſus vt Imperatorem præeſſe crederet. Quo indignatus, capitis damnauit eum, qui obſidionem ſuaſerat, & Imperatorem Romanum abſentem dixerat. At omnes conſtantiſsimè adfirmabant, Conſtantium Antiochiæ agere. Quod vt verum eſſe intellexit, viſionis ſignificationem

perpendens Perſa, omninò ſibi perſuaſit, DEVM pro Chriſtianis bellum gerere, ac de Perſis *Culicum* agmine triū-phaſſe. Hæc Imperatoris noſtri eſt poteſtas. Qui alio tempore Muſcarum manipulo Chriſtianorum hoſtes fugauit.

MVSCARVM MANIPVLIS.

ANNO M. CC. LXXXVI. in Hiſpania ſub Petro Rege Aragonum, quando capta fuit Gerunda per Carolum Siciliæ, & Philippum Francorum Reges è Sepulchro S. NARCISSI, (a) quod violare attentabant Milites, MVSCARVM manipulus ſeſe proripiens in exercitum fecit impetum, & præualuit: nam poſtquam ingentem intuliſſet cladem in fugam egit milites, & à cœptis coēgit deſiſtere. Vnde apud eos in prouerbium abiêre MVSCÆ S. NARCISSI. MEGARENSES etiam populos à ſedibus ſuis Muſcarum Legiones pepulerunt, vt tradit Ælianus lib. XI. hiſt. cap. 28 mortalibus documento, nullum eſſe adeò exiguum & imbecillum animalculum, quod non ſit contra criminoſos hoſtis potentiſſimus.

(a) *Baron. Not. Mar. Martij 18.*

MVSCA DVELLATRIX

in ſingulari certamine victorioſa.

SED quid ego Muſcarum agmina, manipulos, legiones commemoro? Vnica ſæpenumero ſufficit, DEI mandato immiſſa, quæ duello cum robuſtiſſimo Milite ſuſcepto, eum deijcit & trucidat. Exemplum eius rei eſt horribile, & blaſphemis ſæpius narrandum. Ferunt quendam gladiatoria corporis firmitate, neſcio quo accepto infortunio irritatum, plenas blaſphemiæ voces in DEVM, tanquam amentata totidem tela vibraſſe, & œſtro percitum eo auſum progredi, vt Cæli terræque Dominum ad ſingulare certamen prouocaret, illud blaterans furioſus, veniret, ac enſe ſecum decerneret: id ſibi eſſe in optatis. Itaque Cataphractus prodit in campum monomachiæ opportunum. In capite caſsis, in pectore thorax ferreus, in cruribus erant ocreæ: in ſiniſtra pugio, in dextera machæra. Goliathum concipe, vel eorum è numero aliquem, qui Pelion Oſſæ imponere attentarunt. Aduocat magna vociferatione hoſtem è cælo. Aduolat actutum MVSCA. En Muſcam & Elephantem. Illa primò eminus circumuolitando, ludicra velitatione, duello præludebat: deinde paullatim oculis, quibus malignè cernebat è caſside glorioſus ille gigas, moleſtiam creabat incre-

incredibilem. Itaque in illam collectis viribus impetum facit blaſphemus: interimque iurat peieratque. *Muſca* dexterrimè declinat. Id bis, ter, ſæpe ſæpius factum: ſed ingenti niſu, & brachiorum armis ferreis grauium rotatu oppidò laſſus, cùm nihil tangeret, niſi vacuũ aërem penè concidebat.

OB rem eminus benè geſtam, exultabunda *Muſca* propius caſtra admouet, & cominus furentem aggreditur. Oculis autem, vt prius, maximè inſidiatur, qui per feneſtratam caſsidem lumen recipiebant. Pedunculis igitur ſuis & alarum remigio in foraminoſam galeam ſeſe inſinuat, & frequenter in galeæ bucculam, quo remeabat defatigati duellatoris ſpiritus. Quid faciat? obnititur, repellere conatur, in faciem ipſe ſuam armatâ manu inuehitur, caput ferrato pugno ferit, vt abigat inſidiatricem ſibique infeſtiſsimam *Muſcam*. Quæ victorioſa hactenus, finem impoſitura certamini, nunc punctim, nunc cæſim petebat pupulam, modò aſtutè retrocedebat: mox repentè non ſine ſonoro ſtrepitu impreſsionem faciebat. Poſt quæ ille Thraſo, paullò ante tam animoſus, totius corporis concuſsione oppidò laſſus, cùm ictus omnes eius, præterquã quos in proprium exitium capiti imprimebat validiſsimè, vt *Muſcam* abigeret, eſſent irriti, in terram deiectus, exhauſtuſque viribus, imbecillitatem agnoſcens humanam tardiùs, an etiam laſſus, dicere non habeo, vtinam! cùm DEVM prouocaſſet, à Muſca victus & proſtratus, animam ebullijt.

Ego ſanè MVSCAM tam glorioſâ, & eatenus inauditâ parta victoria, galeæ, hoſtis ſuperati, tanquam lætiſsimo ſibi erecto trophæo inſidere, expanſis quantum poterat, alis, concipiebam, illudque communicatâ ſibi cælitus, vt Aſinæ Balami, articulata voce, non ſine harmonia inſonare

Discite Iuſtitiam moniti, & non temnere Numen.

LOCVSTRARVM CENTVRIÆ

in Sarmatiâ belligerantes.

ANNO M.D.XLI. fuit Locuſtarum lues permagna & incredibilis multitudo in Sarmatia & regionibus ei conterminis. Hæ initio nullos habebant alas, ſed magnos dabant ſaltus: at paullo poſt acceſſerunt alæ, & tanto numero conſertim peruolarunt, vt duo milliaria in longum & latum cubito tenus occuparent, tanta conſtipatione, vt ſolis quoque ſplendorem à toto illo terræ tractu excluderent. Tranſuolabant aquas, arbores ædes, & obuia quæque cùm alæ ſuccreuiſſent. Erant magnitudine humani digiti graſſabantur atrociſsimè in fruges, & ea omnia quæ ad vſus hominum terra gignit. Tota æſtate ſæuierunt neque vlla vi aut arte retardari potuit maior quàm militaris depopulatio. Has tamquam DEI vindicantis acies diuinitus miſſas ad impiorum caſtiganda ſcelera piorum fuit perſuaſio.

MVRIVM

MVRIVM CATERVA

Hattonis & Popieli.

PLVS admirationis habet, quod à caterua Murium eſt perfectum, quãdo illos DEVS, vt ſcelerum vindices amandauit. Narrat Trithemius in Chronico Monaſt. Hirſaugiens. rem penè incredibilem, de *Hattone* Archiepiſcopo Moguntino. Anno Domini CMLXVII. *Hatto Abbas Fuldenſis* electus fuit in Archiepiſcopum. Is, inquit, fertur tempore famis magnam multitudinem pauperum mendicantium vno inhorreo concremaſſe. quaſi ipſi famen inducerent: volens ita conſulere tum illorũ inopiæ, tum communi vtilitati. Perhibent autem tertio anno nondum expleto, ſenſiſſe diuinam manum. Siquidem tanta turba Murium vndequaque prorumpens, glomerata in eum irrupuit. ſe dicitur vt quocumque ſe verteret eiuſmodi beſtiarum morſibus premeretur. Si erat in alto, aut eminentiori aliquo loco, *Mures* per parietes aſcendebant. Si incluſus alicubi, per rimas intrabant, eumque mordebant lacerabant, ac deuorare penitus geſtiebant. Erat autem tanta earum importunitas, vt quanto repellerentur impetu; tanto maiore furore incurſarent. Cùm autem ſe in terrâ nullibi tutum conſpiceret Antiſtes, aquarum ſe cinxit munimine, ac iuxta oppidum Bingam, turrim in medio Rheni ad cuſtodiam patriæ olim conſtructam ſcaphâ ſubuectus aſcendit; ſperans ſe eo loci Mures per vndoſi fluminis raptum non venturos. Sed non eſt locus, quo ſuam Iuſtitia diuina vindictam exercere prohibeatur. Natantes igitur per aquas infinita multitudine turrim per muros aſcendunt, intrant, Pontificem inquietant, fodunt, tandemq; interimunt. Turris autem in Rheni fluminis medio nomen retinens, dicitur, etiamnum *Turris Murium*. Ita quidem Trithemius. Sed falſam eſſe hanc de Hattone narrationem, ſeu fabulam potius, cenſuit, probauitque egregiè Moguntiacarum rerũ inueſtigator ſcriptorque accuratus Nicolaus Serarius libro v. & putat fabulæ originem petitam è Popieli Poloni Principis à Muribus ante Hattonem confecti peruagatâ hiſtoria, quam deſcribit Martinus Cromerus lib. ſecundo Polonus hiſtoricus in hunc modum.

POPIELVS Princeps ad res agendas ineptus ingenio nullo, ſtipes, caudexque, indeque iam omnibus erat deſpicabilis, cuius diſſolutos ac perditos mores, deformis facies, rarus in capite & barba pilus, quales ferè laſciui ſunt, magis deformabant. Vxorem habebat Principis cuiuſdam Teutonici filiam, quæ deguſtatâ ſemel dominatus dulcedine, deſpectaque viri inertiâ, muliebri aſtu imperium omne ad ſe tranſtulerat: vnus obſtabat ſcrupulus, patruorum viri ſui gratia, & auctoritas apud populum. Itaque viro, confictis in eos criminibus, perſuadet, illis viuis & incolumibus, Princi-

Principatum ipſum firmũ eſſe non poſſe. Mox initur necandorum illorum ratio. Grauem morbum Princeps ſimulat: patruos neci deſtinatos acciri eius nomine vxor iubet. Conueniunt ſine morâ: commendat ijs filios ſuos quaſi iam moriturus. Completur muliebri eiulatu regia: & tandem, in ſignum amoris, medicatum poculum ijs offert, prægustare ſe ſimulans. Cùm omnes ordine bibiſſent, fingit ſe ſomno premi. Illi verò digreſſi paullo poſt cùm venenum vitalia membra occupaſſet, de ſtatu mentis dimoueri & furentes, maximo cum cruciatu cadunt, & exanimantur.

RE nunciatâ, mulier cadauera inſepulta proijci mandat. Eos inſidiatores vitæ Principis, atque adeò DEI vindictâ percuſſos repentè vulgat. Sed non ſinit inulta eſſe diu diuinum Numen ſcelera. Nam ex cadaueribus putrefactis enati *Mures* inuſitatæ magnitudinis impium parricidam cum ſcelerata vxore, atque liberis fugientem quoquouerſus per aquam, flammamque perſequuntur: nec clauſtra proſunt, nec abigentium ſatellitum præſidia. Ad extremum, diffugientibus omnibus, adſumptis prius filijs, deinde vxore, poſtremò, ipſe infelix lenta morte à Muribus in arce Cruſuicia abſumptus eſt.

Extant apud Alexandrum Guaguinum in Sarmatiâ Clementis Ianitij verſus iſti, cum vtili monito.

Dum timet hic regno pelli vir inutilis, & cum
Coniuge conſultat, quid malè tutus agat;
Vim morbi ſimulat: patruos accerſit, & illis,
Viginti fuerant, toxica miſta dedit.
Orta cadaueribus vis Murum *erupit, & illum,*
Vxorem, natos vndiq; dente petit.
Dilaniat, fruſtra medios fugiebat in ignes,
Fruſtra in Goplæas perfidus hoſpes aquas.
Diſcite iuſtitiam, qui propter lucra paratas
Fertis & exertas ad ſcelus omne manus.
Eſt DEVS, eſt ſcelerum vindicta, eſt pœna malorum.
Vnde putes minimè poſſe venire venit.

GLIRIVM CVNEVS

in Epiſcopatu Oſnaburgenſi

GLIRES quoque ab Imperatore noſtro, tanquam Milites, mitti, & ad nutum obedire reperio. Gotſcalcus Ordinis S. Auguſtini (*a*) Concionator in Sermone quodam dominicali, ita, minus quidam Latinè, verè tamen vt reor, narrat. Legitur in Chronicis Epiſcoporum Oſnaburgenſis Eccleſiæ, quod erat quidam Epiſcopus illius Eccleſiæ, *Benno* nomine Anno Domini M. LXVIII. qui

(a) *Serm. 3. Domin. 4. poſt Paſcha.*

ſtatuit certam eleëmoſynam, & ſtipem dari per Epiſcopatum propter *Glires*. Interim, quoad illa dabatur, nunquam in illâ diœceſi *Glires* vel *ratti* paruerunt. Cùm autem Gotfridus ab Ariburg Epiſcopus illam eleemoſynam dimitteret, ſtatim Glirium copia rediit, & Epiſcopus ille miſerabiliter vitam finiuit.

APUUM EXAMEN

S. Medardi.

VTITVR quoque DEVS, tanquam Subſidiario ſatellitio, Apibus, quibus à natura ſunt tela, aculei. Feſtiua eſt narratio apud Fortunatum Preſbyterum in vitâ *S. Medardi Epiſcopi.* Fur nocturnus Apum aluearia, quæ ad Sancti illius Eccleſiam ſpectabant, furatus erat. Illæ collecto agmine furem aggreſſæ, in fugam verterunt, aculeatis ſtimulis pungentes malefactorem, nec dimittentes donec ad S. Epiſcopum totus ſanguinolentus perueniſſet, adhuc vndequaque Apibus circumſeptus. Itaque is prouolutus ad Medardi pedes, crimen ſibi dimitti poſtulauit. Non fuit autem inexorabilis: quare manu benedictionis edito ſigno, abſolutionis gratiam impertiit. Tunc *Apes*, ac ſi vim benedictionis Epiſcopalis perſentiſcerent, fure dimiſſo, velut Serui DEI iuſſis parentes, in loca ſua commigrarunt.

(a) *S. Medard. Epiſc. Surius Iunij* VIII.

PEDICULORUM CONFLUGES

Atheis & Hæreſiarchis metuenda.

NVNQVAM magis potentiam virtutemque ſuam impijs metuendam DEVS explicare videtur, quàm quando potentiſſimos & ſuperbiſſimos hoſtes aggreditur, & conficit ſubſidiarijs copijs illorum animalculorum, quæ vel audito nomine, abominamur, vt ſunt *Pediculi*, qui in puerorum aut ægrorum capitibus inter pilos ſtabulari ſolent. Obſeruatum autem eſt à diuerſis Scriptoribus, illos, qui contra DEVM inſurgere auſi, nefarium illi bellum intulerunt, Diuinitatis contemptores & hæreſiarchas quoſdam nominatiſſimos, Pediculorum acie fuiſſe proſtratos, atque omninò deletos. De ſuperbiſſimo *Herode* narrat Lucas Actuum XII. *Statuto die Herodes veſtitus veſte regia ſedit pro tribunali & concionabatur: populus autem acclamabat DEI voces & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem DEO, & conſumptus à vermibus expirauit.* Non potuiſſet aptius deprimi

tantæ

tanta ſuperbia, & caſtigari, quam ſi pediculari ſuperaretur exercitu. Iiſdem copijs deuictus eſt *Hunnericus*, vt auctor eſt Victor Vticenſis. Et Maximianus DEI hoſtis apud Euſebium, (*a*) Eutropium, Pomponium. Et Iulianus apud Sozomenum. (*b*) Apoſtata quoque Theotechnus, & alius, qui altare perminxerat apud Nicephorum. (*c*) Item, Claudius Herminianus apud Tertullianum, (*d*) qui vexatus dicebat: Nemo ſciat, ne gaudeant Chriſtiani. Adhæc, Monachus impuriſſimus ex Chriſtiano factus Iudæus apud Antiochum. (*e*)

TRANSILIO profanos ac gentiles, Alcmanem Poëtam, de quo Plinius: (*f*) Syllam Dictatorem, de quo Plutarchus: (*g*) Platonem, de quo Laertius. Vnde Prouerbium *Pediculi Platonis*: denique, Pherecidem (*h*) Pythagoræ magiſtrum. Numinis Diuini omnis contemptorem arrogantiſſimum, qui in Apollinis templo glorioſè inſoleſcens apud frequentem auditorum coronam, dicere fuit auſus: Nulli ſe vnquam DEO ſacrificaſſe, neque tamen minus ſe ſanum degere, quàm ſi hecatombas immolaſſet. Sed qui DEVM non agnouit ſanus, Pediculum DEI ſatellitem ab impio pænas exigentem ſenſit æger, & moribundus abigere non potuit.

SIC debellauit DEVS capitales ſuos inimicos, *Neſtorium* Hæreſiarcham, qui linguâ impiâ à vermiculis conſumptâ miſerrimè interijt, vt auctor eſt Euagrius. Et *Arnulſum* Cæſarem DEI Omnipotentis Sapientiam bonitatemq; ſpernentem, cuius corpus, cùm ad extrema veniſſet, minutis illis beſtiolarum toties nominatarum morſiunculis infeſtabatur, vt nulla Medicorum ope liberari poſſet. quod ſcribit Cuſpinianus. Et, qui agmen claudat, *Ioannem Caluinum*, quẽ iiſdem vermiculis obſitum, tandemque conſumptum expiraſſe miſerrimè, teſtatur Hieronymus Bolſecus in Vita, ſ addítque, Caluinum Dæmonibus inuocatis, blaſphemantem & execrantem obijſſe. Repeto.

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Numen.

Ex his liquet. nihil metuendum pijs, nihil non ſatis tutum eſſe impijs. Ab his ſcelerum pænas repetere Naturam armatam; infeſtum eis eſſe cælum, terram, ignem, aquam, aërem: cateruatim in eoſdem irruere fulmen, fulgur, tonitru, grandinem: agminatim eos inuadere viuentia rationis expertia, fœdiſſimas beſtiolas, locuſtam, muſcam, ſciniphes, ranas, glires, rodere eos, & abſumere pediculos. Iuſtis autem licet ab humanis omnibus ſint deſerti, in auxilium venire ſummi Imperatoris ſatellitium, ſuppetias ferre Angelos, ſubſeruire Sidera, tueri animalium exercitus ſubſidiarios, omnia benè feliciterque euenire, iuxta illud Propheticum, *Dicite Iuſto quoniam benè*. Quod vt experiamur, DEVM Sabaoth enixiſſimè precor.

* * *

(a) *Lib.8.cap.28.* (b) *lib.5.c.7.* (c) *lib.29.c.29.* (d) *Ad Scapu.cap.3.* (e) *Hom.84.* (f) *lib.11 cap.33.* (g) *in Syl.* δι πλάτωνος φθεῖρες. (h) *Cælius Rhodigin.lib.XIX.cap.3.*

NOTÆ

In quibus Auctores & Gloſſemata.

§. I. RANAE] *Legendi Interpretes in Exodum.* Iſidorus *lib.12.cap.6.* Vincentius *lib. 20. cap.60.* Albertus de animal. *lib.26.* Maiolus in Canicularibus *Colloq. 9. Vbi inter cetera. Vt Ranæ DEI vindictam exercerent miſſæ ſunt. Ita conſtituit Dominus ad maximam gentis Regisq; eorum ignominiam. Poterat Leonibus, poterat ferocioribus, generoſioribusq; animantibus vexare gentem, fœdiſſimo hoc animalculo exagitare maluit, vt lutum luto opponeret. Ita inanem deprimit Prouidentia diuina gloriam. Quæ aliquando non modò diuexauit ranis, vt AEgyptios, ſed ſedibus etiam gentes expulit. Auctor eſt* Varro *in Galliæ ciuitate incolas Ranarum multitudine fuiſſe propulſos, quod teſtatur* Plinius *lib.* VIII. *cap. 29.*

§. II. MVRES.] *Mira de Muribus collegit* Maiolus *Colloq.* VII. *Ad noſtrum inſtitutum. Ad hominum ſcelera corrigenda ſæpe* Mures *in immenſum creuêre numerum. Ex Cyaro Cycladum inſula incolas à Muribus fugatos Varronem auctorem eſſe teſtatur* Plinius *lib.* VIII. *cap.29. Quoſdam Italiæ populos de patrÿs ſedibus incurſione Murium fuiſſe depulſos; Mediam quoque regionem ob multitudinem murium ob omni cultore fuiſſe derelictam vaſtātibus omnia muribus, tradit* AElianus *lib.* XVII. *cap. 38.*

Cùm ob Arcam Fœderis irreuerenter habitam Azotÿ iram DEI experirentur nati in eorum regione Mures *in tantam copiam excreuerunt, vt confuſio mortis magnæ in eorum ciuitate apparuerit lib.1.Reg.cap 1.*

Non dubitarim, inquit Maiolus, *iram DEI excandeſcere, quando* Mures *in aliquem ſæuiunt. Quod de Hattone Archiepiſc. Moguntino ſcribit* Sifridus *Presbyter lib. Epitomes 1. anno Dom.923. Quamquam* Auctor Chronologicæ *compilationis anno 914. non Muribus id tribuat, ſed Dæmonibus infeſtantibus. At, vtrumque verum eſſe poteſt, vt à Dæmone, ſic permittente* DEO *infeſtatus,* Muribus *vitam exegerit. Quid de hac narratione ſentiendum dicitur in Textu noſtro. §. Mures Hattonis.*

Nauclerus *generat. 36. Anno 1071.* Quidam præpotens vir dum ad menſam ſederet in conuiuio repentè à Muribus circumuallatus ab ipſis penè eſt conſumptus, reliquis menſæ conuiuis ſine læſione dimiſſis. Verùm vbi à ſuis in mare proiectus fuiſſet, inſequuti *Mures* nauem ipſam conſcenderunt, ipſumque cadauer mortui vſque ad aquæ introitum corrodebant. In terram igitur poſitus à *Muribus* eſt integer comeſtus & dilaceratus. *Simile per omnia de Principe quodam Poloniæ Martinus recitat, inquit Nauclerus Quod & VVernerus in faſciculo tradidit ſub Nicolao II. Pont.*

§.III. MVSCAE.] *De* Muſcis *vide Maiol. Colloq.* V. *&* XXXIII. *vbi & de* Culicibus, *quarum multitudine tantâ vt nubes eſſe viderentur, pulſos Riſophagos India populos, & coactos deſerere regionem ſuam ſcribit* AElianus *lib.* XVII. *cap 37.*

§. IV. LOCVSTAE] *Integra poſſet inſtitui de Locuſtis commentatio, quatenus ſunt ſatellites DEI pœnas exigentis à quibuſdam.* Plinius *lib* IX. *cap.3. ſcribit eſſe in India quaternorum cubitorum longitudine. Et lib.* XI. *cap.29. ternorum pedum; fæmoribusq; & cruribus ſerrarum vſum præbentes, cum inaruerint. Addit,* Deorum iræ peſtis ea intelligitur: namque & grandiores cernuntur, & tanto volant pennarum ſtricore, vt alites credan-

cedantur, Solemque adumbrant, ſolicitè ſuſpectantibus populis, ne ſuas opertant terras *Exempla collegit vetera & recentia* Maiolus *Colloq.* v. *Legendi Interpretes SS. in c. 7. Exodi De Locuſtis Apocalypticis Interpretes Apocalypſis* IV. *vbi multa Cornelius.*

§. V. INSECTA.] *Ita vocantur animalcula, partim terreſtria, vt ſceleprendra, Stelliones: partim volucria, vt apes, veſpa: partim cum vtroque participantia, vt formica: partim pennis & pedibus carentia, vt tinea, quæ in homine naſcuntur. Dicta ſunt inſecta ab inciſuris; quæ nunc ceruicum loco, nunc pectorum ſunt, atque alui. Hæc* Alber. *M. appellat* Annulata. *Legendus* Plinius *lib.* XI. *cap.* 1.

§. VI. APES.] *De his multa* Maiolus *Colloq.* v. *Inter reliqua. Tanta concordia cum hoſtibus ſuis præliantur, vt equum occidant Id contigiſſe teſtatur* Ariſtoteles, *hiſt. anim. lib.* IX. *cap.* 40. *&* Plinius *lib.* X. *cap.* 18. *Sed & hominem aliquando à ſcelere ad pænitentiam adegerunt, quod plus eſt, quam occidere hominem. Narrat deinde exemplum de S. Medardo.*

Cuniculi *in Hiſpania vrbem quandam ita ſuffoderunt, vt incolas migrare adegerint.* Plinius *lib.* VIII. *cap.* 29.

Veſpæ *Phaſelitas eiecerunt, ex AEliano lib.* XV. *cap.* 26.

Scolopendra, *eſt animalculum è vermibus terræ; piloſum, multis pedibus: vnde & millepedam, centipedam, & multipedam vocant. Eſt & piſcis eiuſdem nominis à terreſtris animalculi ſimilitudine dictum. A ſcolopendris Rhætienſes ſedibus ſuis pulſos memorat* AElianus *lib.* XV. *cap.* 26. *Otrerietes* Plinius *ex Theophraſto lib.* VIII. *cap.* 29. Talpæ *in Theſſaloniam Ciuitatis cuiuſdam haud ignobilis incolas expulêre.* Plinius *lib.* VIII. *cap.* 29. *Vbi alia ſimilia producit.*

LIBER III.
TYROCINIVM MILITIÆ CHRISTIANÆ.
In quo diſſeritur de Exercitio Militari.

COMMENTATIO I.
OCIVM
A Militiâ Chriſtianâ ablegandum.

Dominica Septuageſimæ.

Quid hic ſtatis tota die ocioſi? Matthæi xx. 6.

MEMBRVM I.
DELECTVS & EXERCITIVM
Militiam inuictam faciunt.

QVÆSITVM perſæpe fuit ACADEMICI CHRISTIANI, à viris in Militiâ claris, quænam ſit cauſſa, cur Romani olim idololatræ, deinde, multis ſeculis Saraceni ac Turcæ, atque hoc & patrum noſtrorum æuo, Hæretici, ſiue Hugonottæ in Gallia, ſiue Geuſij in Belgio, ſiue Caluiniſtæ & Lutherani in Germaniâ, Proteſtantes vulgo dicti; eademque inſtitui poteſt quæſtio de Suecis Gothiſque qui hoc tempore omniâ penè in Germaniâ depopulati ſunt, tam felices breui tempore progreſſus habuerint: Nos

Nos verò Catholici, quorum iuſtiſſima ſemper fuit bellandi contra barbaros & ſectarios rebelles cauſſa, ſæpe ijs cedere fuerimus coacti, & etiamnum quando cum ijs congredimur, frequenter. Attendamus Turcarum progreſſus, quod offenſionis minus habet, quàm ſi de alijs diſſeramus. TVRCÆ gens mundo noſtro olim ignota, certè, ignobiles Scythiæ populi, Caſpij maris Caucaſiq; montis accolæ ſupra ſeptingeſimum ab hinc annum relictis patriæ ſuæ anguſtijs, portasque Caſpias egreſſi, latrocinantũ more, in Perſidem primùm, deinde in Pontum, & Cappadociam impetum fecerunt: occupataque minore Aſia, victricia arma in Europam importarunt, Græciamque omnem, ductu Mahometis, in poteſtatem redegerunt, ipſa etiam Imperij ſede Conſtantinopoli, poſt longam obſidionem, expugnatâ. Nunc verò tanta eſt potentia, tantus vbique terror, vt eorum amicitiam magni Orbis Reges ambire, mercarique dicantur. Eos bellis deuicti ac debilitati formidãt Orientis populi, Aſſyrij, Perſæ, Armonij: eorum vim atque arma ſenſerunt etiam Tartari, & horrent: eorumdem violentiæ reſiſtere non potuerunt, alijs vultu ipſo terribiles Æthiopes. Auorum noſtrorum æuo in Hungariam effuſi, capto Belgrado, obſiderunt Viennam Auſtriæ, & prædas Linzio vſque abegerunt. Tantos progreſſus ad Chriſtianorum perniciem, præter alias vaſtitates, vnus Solimanus facere potuit. Denique, victorijs plurimis regna regnis accumularunt, ita vt, quicquid olim florentiſſimæ nobiliſſimæque nationes imperijs ſuis habuerunt adnexum, Aſſyrij, Perſæ, Macedones, Romani in Oriente, ſoli nunc Turcæ in poteſtate ſua contineant tot regnorum domini, aut verius tyrãni.

HORVM cauſſam, qui ſolertter inueſtigant Tyeologi, altioribus, quàm merè humanis, nixi principijs, & ad cauſſas æternas reuocantes effectus temporaneos, potentiæ incrementum in infidelibus, & calamitates fidelium ac Catholicorum, proindeque diſcrimen in hoc genere inter vtrosque, ex arcanis diuinæ Prouidentiæ decretis acceſſunt: & enormia Catholicorum quorundam tum Eccleſiaſticorum, tum Politicorum, flagitia, quæ belli quoque tempore patrantur; ſat magnam cauſſam ærumnarum publicarum, indeque priuatarum, & vnde hæc conſequuntur, infelicitatis noſtræ in prælijs eſſe aſſerunt. At, qui militariter, & ex diſciplinâ militari hac de re diſputant, probato Theologorum in ſuo foro iudicio, quo ad cauſſam ſupremam, dicunt, duo quædam eſſe, quæ inuictam reddant Regis alicuius, aut Gentis Militiam, ſi rectè inſtituantur. DELECTVM & EXERCITIVM. Illo cooptantur ad Militiam idonei; hoc, & vitatur *Ocium*, quo nihil eſt in Militia pernicioſius; & ad omnia artis militaris munia aptantur ELECTI. Quomodo vtroque ſuperiores ferè ſint fidei hoſtes & bonorum, non eſt huius loci oſtendere, ſed neque contrarium, cum diſſeramus de Militiâ Sacra ac ſpirituali. Huius autem Princeps CHRISTVS Dominus, in Euangelio, hodiernæ diei, quæ dicitur, Eccleſiaſticâ phraſi, Septuageſimæ, vtrumque illud dicto commendat & facto: nempe, ELECTIONEM Militum, & perpetuum eorum EXERCITIVM; quoniam vtrumque in

que in Militiâ Spirituali, in quâ pugnatur cum hoſtibus animæ, eſt æquè, immò magis, quàm in corporali, neceſſarium. Sed poſterius potiſſimùm, nempe, EXERCITIVM MILITARE, quod eſt Ocio contrarium. De quo proinde diſſerendum eſſe monet rerum ſeries: nam de Delectu Militari, ſiue Electione actum eſt ſatis copiosè.

MEMBRVM II.
MILES CHRISTIANVS
nunquam debet eſſe ocioſus.

PRINCIPIO, qui Militiæ Chriſtianæ eſt adſcriptus, vel defenſiuè ſe habet contra hoſtem, vel offenſiuè in hoſtem. Nam vt bello defenſiuo ſe ſuaque tueri molitur contra potentiſſimum aduerſariarum partium exercitum: Cuius Imperator, eſt Cacodæmon; Centuriones, Peccata capitalia; gregarij Milites, malorum incentiua, occaſiones peccandi, perturbationes animi, ſenſuū illecebræ: vel decernit bello offenſiuo hoſtem laceſſere, illius ingredi regionem, quam hactenus in nobis occupauit, ſibi vendicando corpus & animam, tanquam duo ampliſſima regna: illum oppugnare, eijcere, debellare, ac penitus pellumdare. Siue autem hoc, ſiue illo modo cum hoſte agere ſit animus, imprimis curare debet, vt ſemper exercitatum habeat ſuum Militem, ſemper exercitio aliquo militari illum diſtineat, labore bellico occupet, denique, nunquam ſinat eſſe ocioſum. Hæc eſt vna de *Maximis* Militiæ Chriſtianæ, quæ ſi negligatur, nunquam præclari aliquid aggredi poterimus, nunquam noſtra à rapaciſſimis hoſtibus defendemus.

MILITES autem noſtri, quibus propria tuemur, ac hoſtilia inuadimus, in Militia Spirituali Morali ac Myſticâ, ſunt imprimis vt alibi fuſius eſt declaratum, ſed hic breuiter repetendum, Potentiæ animæ, *Intellectus*, *Memoria*, *Voluntas*. Quibus tanquam poteſtatem habentibus, ac vt vulgo loquimur, Officialibus, ſubſeruiunt tum Senſus interiores, *Communis*, *Imaginatio*, *Phantaſia*, *Collatiua*, *Æſtimatiua*; tum exteriores, *Viſus*, *Auditus*, *Guſtus*, *Odoratus*, *Tactus*. Quibus reſpondent totidem Senſus eiuſdem denominationis Myſtici, quos adhibemus ad ſenſationem quandam earum rerum, quæ longiſſimè abſunt, & inferno etiam aut cælo beatorum continentur. Auxiliares copiæ in eiuſdem Militiæ genere, ſunt Habitus diuerſi, inter quas militant Diſciplinæ Speculatiuæ & Practicæ. Sed robur Exercitus conſiſtit in Virtutum phalange. Hæc conſtat tribus turmis Equitum: ita appello Virtutes Theologicas, quæ altiores ſunt ceteris, Fides, Spes, Caritas, ductrices aliarum: deinde quattuor cuneis Volonum, quibus præſunt quattuor Virtutes Cardinales, Prudentia, Iuſtitia, Temperantia, Fortitudo: tum ſeptem cohortibus peditum,

[illegible] præſident ſeptem Virtutum [illegible] Humilitas, Largitas, Caſtitas, Benignitas, Temperantia, Patientia, Deuotio.

Qui ergo nomen vult tueri MILITIS CHRISTIANI, & multo magis, Ducis exercitus tam numeroſi, ſemper debet eſſe [illegible] in opere militari occupatus, nunquam otioſus. Dicam hoc [illegible] conari vt ſemper ſiui Potentiæ [illegible] ſuo [illegible]. Vt nunquam Intellectus [illegible] ab intelligendo aliquid [illegible], quod [illegible] nunquam Memoria ſit [illegible] piarumque recordatione. Voluntas iugiter appetat aliquid, quod virtutis ſtudium promoueat [illegible] ſenſus aſſiduè occupentur in [illegible], & à ratione præſcriptis. Videant Oculi non vanitatem, ſed pietatem. Audiant Aures non ſcurrilia, ſed honeſta, non [illegible], ſed caſta. Lingua [illegible] ſed [illegible] Odoratus [illegible], quæ ad [illegible] vitium [illegible] non mollia [illegible] delectationes [illegible], & [illegible] ſed [illegible] à peccato, & [illegible] prodeſt [illegible] militum, non quæ [illegible] corporis [illegible] vel [illegible], vel [illegible]. Operetur [illegible] prudentiæ, iuſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis. Nunquam ſit [illegible] ſemper plura [illegible] largiatis

aliquid pauperi: caſtitatis officium ſit in promptu ſemper: benignus ſis ergo omnes: patientiæ exercendæ occaſiones vbique capta. deuotionis operibus inſiſte, interius exteriusque iugiter aliquid operare.

ID proprium eſt Militis. Certè, Cicero, cùm laborem dilaudat, exemplum ducit à Milite in Tuſculana ſecunda: &, *Noſtri*, inquit, *exercitus, vnde nomen habeant, vides. Exercitus*, ait Vegetius, lib. 2. de re milit. *ex reipſa atque opere exercitij nomen accepit.* Nec aliter Varro, *Exercitus, quod exercitando fit melior.* Quomodo melior? quia fortior: confirmantur enim vires labore & exercitio. Quod obſeruauit Medicorum ſummus Hippocrates, cuius illud eſt effatum, lib. 2 de diæta *In exercitati homines ab omni labore fatigantur.* Idemq; generatim proloquitur: *Deſidia humectat, & imbecillum corpus fluidumq; reddit: labor ſiccat & robuſtum ſtrictumq; corpus facit.* Quare quicumque de re Militari ſcripſerunt copioſi ſunt, vt moneant, ne vnquam Miles otietur. Idem facit, dum de Militia Chriſtiana diſſerit Paulus Apoſtolus, optimus Militis Euangelici formator. Qui accuratè docet, tum in Epiſtola ad Ephesios, tum in ſecundâ ad Theſſalonicenſes, non poſſe eſſe Militem Chriſti, qui ſit otioſus. quod contrarie [illegible] otioſi ac malis [illegible] conditionis [illegible] proprietates & otioſum diſciplinam omnem militarem eneruat.

Quod varijs declarat epithetis, ac titulis, quibus efficit Otioſum,

MEMENTO III.

[illegible]

opere, [illegible], onera baiulant. Vade ad formicam [illegible], & attende, quam [illegible] ac laborioſa. Te[illegible] [illegible], in [illegible] partem reperies, [illegible] vel elementorum, perpetuam vel [illegible], vel [illegible], quæ [illegible] Ad quid DEVS homini [illegible], ad quid [illegible] dedit [illegible]? [illegible] DEVS [illegible] S. Baſilius, [illegible] Hinc [illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible], quæ ſequitur, eſt [illegible] e-[illegible]. Adhæc, eſt Ordo [illegible] [illegible], quem [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] *[illegible] quis [illegible] operari non manducet*: quam habet S. Paulus in ſecunda ad Theſſalonicenſes, vbi [illegible] [illegible] [illegible] laboris coniungitur. Siquidem, vt [illegible] vitam, ita labor & operatio conſeruat virtutem. Nec [illegible] Platonis iudicio virtus à labore actionis dependet quàm [illegible] vita. Quod ſpectat præclarum illud [illegible] [illegible] [illegible] quid facto opus eſſet ad vitam [illegible] [illegible] [illegible] *[illegible] ocium*: id eſt, [illegible] [illegible] dulcedo [illegible], & perturbat omnis tranquillitas: [illegible] [illegible] [illegible], & [illegible] [illegible] [illegible], quod [illegible] [illegible] [illegible] ad [illegible] [illegible] [illegible].

MEMBRVM IV.

OCIVM

inducit in Exercitu [illegible]. Hinc Milites ſeditioſi, mutinantes [illegible], qui in Militia [illegible] ſunt maxime euitandi.

QVONIAM in Exercitu, [illegible] [illegible] ordinem ſuum non [illegible], periculum eſt, ne reliquorum [illegible] quietem, vt in grege, vna aliqua ouicula [illegible] orbitam [illegible] [illegible]; ideo Paulus tam ſolicitè monet Theſſalonicenſes, vt ſubtrahant ſe ab omni fratre, id eſt, Christiano ambulante, ſeu conuerſante inordinatè. Græcè eſt *[illegible]*, id eſt, inconcinnè, incompoſitè, immoderatè, ambulante. Quod fit, dum quis contemptis legibus publicis ac ordine communi, viuit ſuo arbitratu, ac ſecundum [illegible] incompoſitam & inordinatam. Quare *ἄτακτον* vocat ordinis ac diſciplinæ turbationem, conſequentem [illegible], ac [illegible] [illegible] [illegible]. Quemadmodum [illegible] [illegible] [illegible] militaribus, qui ordinem non ſeruant, ac [illegible] diſciplinam militarem vocantur à bonis auctoribus [illegible], ita à Paulo Christiani illi, qui [illegible] diſciplinam [illegible] Militiæ, à [illegible] tanquam Duce, [illegible] Imperatore Christo præſcriptam non [illegible] *ἄτακτοι*. Et ſicut in [illegible] [illegible] deſertionem, ac turbationem [illegible] diſciplinæ, inducit ocium: nam Milites ocium incipiunt ſegneſcere, [illegible] [illegible], murmurare, [illegible] [illegible], ordinemque [illegible] [illegible], ac tandem rebellare. [illegible] [illegible] [illegible] Republicâ, & [illegible] [illegible] ocium cuncta perturbat, & ad [illegible] propellit.

Iſt[illegible] Milites [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], apud quos [illegible] [illegible] [illegible] *[illegible]*, *[illegible]*, qui [illegible] [illegible] Hiſpani,

[illegible] Rep[illegible] obſ[illegible] inter- [illegible] quàm Miles [illegible]. His mihi [illegible] [illegible] plena [illegible]ſt profana hi- [illegible] trahere per [illegible]os [illegible] memoria à puero cōplector [illegible] tempora, il[illegible]d[illegible]que demon- [illegible] Belgi[illegible] [illegible], incipiendo à [illegible] Duci Parmen- [illegible] D XCIII. cùm [illegible] præ[illegible]ct, [illegible] [illegible] nobus. Sed [illegible]; [illegible] A[illegible]a- dem[illegible] Quare ſit [illegible] [illegible] [illegible] D[illegible] & [illegible] [illegible] quibus [illegible]

(a) [illegible]

horte e[j]jcere: *Denunciamus vobis fratres, in nomine Domini* IESV CHRISTI: id eſt, per ipſum IESVM CHRISTVM (ponit enim nomen metonymicè, pro te nomine ſignificata, ac ſi dicat, præcipio vobis auctoritate ac poteſtate ſummi Imperatoris, cuius in hac Militia ſum Legatus) *vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè.* Quod eſt præceptum militare, obſeruatum a peritis Capitaneis, qui quam primum animaduertunt, Milites incipere tumultuari, abſtrahunt quoſcumque poſſunt, ipſoſque ſeditioſos ad diuerſa loca, & longè diſſita mittunt, vt gliſcenti malo, tanquam incendio graſſanti ſubſtrahatur materia. Vt dexterrimè tentatum perfectumque à Parmenſi antequam decederet. (a) & ſic caſtris regijs quietem, poſt ſeditioſorum tumultus, reddidit.

MEMBRVM V.

[illegible] O I V M

in Militia [illegible]. In quibus autem impediunt [illegible] in bello.

VT O[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & [illegible]

quod cu[illegible] ce[illegible]s [illegible], nunc huc, [illegible] vi[illegible] [illegible]. Inte- [illegible], vtma- te [illegible] a[illegible]tur, [illegible] [illegible] [illegible] V[illegible]s [illegible] [illegible] [illegible] D. A[illegible] [illegible]

deſic

[illegible]

[illegible] esse triumphaturum.

[illegible]

MEMBRVM VI.

[illegible]

[illegible]

A[illegible]

[illegible] Curiosi [illegible], quia [illegible] quia [illegible] animo [illegible], ac iudicio [illegible]. Huius [illegible] illud imprimis. De omni [illegible] cogitatione, [illegible] homines [illegible] reddimus. Tum illud: De omni [illegible] ocioso, quem [illegible] reddituros. Qui autem [illegible] ocio? Id ex definitione [illegible] est. [illegible] qui nec [illegible] [illegible], ut [illegible]. Quemadmodum [illegible], qui verbum [illegible] est loquutus, quod [illegible] non [illegible] ad [illegible] gloriam, vel [illegible] [illegible] aut [illegible] [illegible] pronunciauit, [illegible] verbum dixit, [illegible] est. Quod si tota die [illegible] colliquia miscuit, tota die ociosus [illegible] censebitur. Haud [illegible] de [illegible] piorum sanctum est. Qui [illegible] die in [illegible] [illegible] tempus [illegible], pilam verberans ad [illegible] [illegible] decurrens, [illegible] venatur muscas [illegible] [illegible], & si nulla [illegible] exercet, tota die est ociosus, [illegible] ex virtutis [illegible] agantur, & finem honestum habeant. Nempe, ut animo fatigato relaxatio aliqua concedatur, & sanitas ac vires [illegible] conseruentur & augeantur. Sed [illegible] bona ad [illegible] deinde bonum, [illegible] referenda sunt.

[illegible] & ad usum [illegible]. Ociosus [illegible], qui diebus Dominicis [illegible], quod superest temporis ab [illegible] [illegible], si tamen [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible], quam [illegible] tucus negligit, quid dico, quod [illegible] temporis [illegible]. Qui [illegible] [illegible] fabulatur, nugatur, [illegible] [illegible] aliquos [illegible] [illegible] [illegible] scriptum [illegible]. Qui [illegible] [illegible] [illegible] Upupa [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] nisi [illegible], & [illegible] vocatus ad [illegible]. Quid [illegible] ad [illegible] [illegible], & [illegible] [illegible] [illegible], & alia magis [illegible] [illegible]? Quae nulla satis [illegible] [illegible] vespertinis [illegible] [illegible] dicitur, aut cogitur, ut [illegible]. Quid si eo tempore adhuc in [illegible] inter pocula desideat? quid si [illegible] per plateas vagetur? [illegible] Canidiae [illegible]? [illegible] transigere DEO [illegible], & poenam [illegible] [illegible] [illegible] Prophetam [illegible] [illegible] [illegible]. Quid S. [illegible] loci commentario de [illegible] ociositate exponit, quam DEUS odio prosequatur.

OCIOSUS [illegible] Adolescens [illegible] per hebdomadam [illegible] [illegible] [illegible] antequam [illegible] [illegible] diunt,

dicitur, aut ipſe è plumis penè violenter extrahatur, vel expellatur. Tunc illotus, perplexus, ſomnolentus ad muſeum ſe confert, aut ad ſcholas ſemiueſtitus currit. Quid ſi non ſignatus Cruce? non munitus oratiuncula matutina? non præparatus ad diem benè tranſigendum? Præterea, qui officio in ſtilo exercendo, lectionibus memoriæ mandandis, in diſputando, repetendo, ſtudendo non ſatisfacit. Quid ſi collateralem ſuum ſtudere volentem fabulis turbet? geſticulationibus moleſtet? vexationibus diſtrahat? Quid ſi contubernalem ſuum præ ceteris diligentem & laborioſum rideat, propellat, exſibilet? Quid ſi ſocium ad nugas, ſcurrilitates, impuritatem alliciat? Adhæc, qui dum proficiſcendum ad gymnaſium, aliò deflectēs, ad Rheni marginem obambulat, circa vallum ciuitatis deſidet, in hortulo aliquo commoratur, in ſphæriſterio pilam, aut in foſſis vrbis ventoſum, inflatumquo follem exagitat. domum regreſſus, fortaſſe per Diuos Cælites iurat ſe non alibi fuiſſe, quàm in ludo litterario. Deinde, qui dum opera danda Magiſtro docenti, oſcitanter ac dormiendo audit ſuum Doctorem, aut quaſi faſtidiens nauſeanſque caput inter manus abdit, pallioque inuoluit, vt in concione nonnulli. An vt non audiant? Quid ſi fictitiam aliquam commentus cauſſam, egrediatur, naſo, non ſanguinem, ſed deſidiæ mucum ſtillante? Melius hoc, quàm vt eiuſdem condiſcipulatus modeſtos iuuenili petulantiâ, fabulis ſibilis, vocibus incondicis, pulſu, ſupploſione, ſtrepitu perturbent. Denique, qui ad omnē probi litterarum ſtudioſi exercitationem nauſeat. Et de his non reddet rationem in die iudicij, qui de verbo otioſo arguetur?

OCIOSVM pronuncio Adoleſcentem, diebus veniæ, aut facultatis, vt loquimini, vel recreationi deſtinatis, qui eo tempore ita relaxationi corporis, ſiue curſui, ſiue ambulationi, ſiue luſui inhiat, vt idcircò conſuetas ſuas preces, aliaque pietatis munia omittat, ſiue mane, ſiue interdiu, ſiue veſperi. Qui totum diem recreationi indulget. Qui non ideò neruos ingenij, vt arcus intenſi, relaxat, vt acrius deinde, cùm ſtudendum, ſpeculandumque erit, intendat ſed vt ſeſe oblectet. Qui ludit, vt ludat; non ludit, vt melius ſtudeat, ac ſeria deinde pertractet. Verùm hic quoque finis vltimatè ad bonum æternum eſt referendum: vt animæ conſulatur, vt ſalus perpetua obtineatur, vt DEVS tandem, qui eſt ſuper omnia benedictus, honoretur. Qui alio modo dies recreationis tranſigit, illum ego, ceu Ocioſum, daturum non ſolùm rationem, ſed & pænas inertis ocij, Chriſti Domini de verbo ocioſo doctrinam ſequutus, pronuncio.

* * *

MEMBRVM VII.
OCIOSI
Quemadmodum hi gemini Milites glorioſi facilè ſuperantur ab hoſtibus.

QVI *Ocioſus*, idem, iudicio Pauli Apoſtoli, eſt *Curioſus*, dicax, garrulus. Qui tituli ſunt Glorioſorum, vt vocantur, Militum, Troſſulorũ & Thraſonum, qui ad focum inter ſororculas, vnico ſpiritu difflant totos exercitus, vt Eurus folia, ac cubito, tanquam catapulta vel ariete muros quaſſant, & propugnacula, dum ſunt cum congerronibus ſuis deijciunt: in conflictu autem, dum pugnatur maximè, illi fugiunt maximè: velociſſimi dromedarij, ſcutati damæ, ocreati cerui, galeati lepores. Qui quàm ſint idonei ad militiam, maximè ſi gladijs alligari ipſi debeant, imbelles ac timidi, nimis quàm notum eſt: & experientia docuerunt integri exercitus, prouinciæ, & regna. Hinc illud:

Ocium Reges ſimul & beatas
Perdidit vrbes.

Ocio perijſſe bellicoſiſſimam Romam, & deletam militarem Carthaginem obſeruauit Auguſtinus lib. 1. de Ciuitate multis idem accidiſſe non eſt dubium, poſt deuictos hoſtes initio, ſed deinde armis depoſitis, ob adamatum ocium. Quare Cleomenes rogatus, cur Lacedæmonij hoſtes ſuos capitales non delerét? reſpondit, eos ſunt iuuentutis noſtræ.

ITAQVE diligentiſſimè aduigilant aduerſarij noſtri, vt nos deprehendant in ocio, tunc enim ſciunt maximè opportunum pro ſe eſſe tempus præliandi & victoriæ. Cerne Dauidem, bellicoſiſſimum Imperatorem, quo tempore ille fœdiſſimè ſuperatus eſt à Cacodæmone, qui toties à puero contra eundem fuerat victorioſus? Cùm vacaret ocio. Circumſtantias omnes ponderat Diuinus Codex, lib. II. Reg. XI. ad noſtram in prælio ſpiritali cautelam. Narrat, Regem, exutis armis, in ciuitate, & ad delicias extructo palatio quieuiſſe, dum Milites eius præliarentur in campo: deinde, ſurrexiſſe de ſtrato: tum verò oppugnatum fuiſſe à Dæmonio meridiano, & turpiter ſuperatum. Nam huc ſpectant, quæ in pſalmo nonageſimo inſinuantur de illhoc Dæmonio, quemadmodum exponebant olim eremicolæ apud Caſſianum. Vt illud, *Non timebis à timore nocturno*, referatur ad liberationem Dauidis, operâ Michol, ne à ſeruis Saulis noctu interceptus trucidaretur: illud, *A ſagitta volante in die*. intelligatur, de lanceâ Regis, quæ in Dauidem contorta, aliò fuit delata: hoc verò. *A negocio perambulante in tenebris*, denotet conſilia & conſpirationem Abſalonis, Achitophelis Chuſai, atque aliorum diuinitus diſſipata. demum, *Dæmonium meridianum* deſignet tentatorem laſciuiæ, qui ſub meridiem expertectum à ſomno inuaſit, in terram deiecit, & miſerè tractauit: à quo tamen liber fuiſſet,

eoque

eo què ſuperior, ſi laborans, vt ſolebat, in protectione DEI cæli fuiſſet commoratus.

Qvamobrem, cùm ſolicitus eſſet D. Antonius, quomodo prælio contra Cacodæmones poſſet eſſe ſuperior, audiuit à DEO: *Antoni, quæris DEO placere?* (quod fit viriliter hoſtibus reſiſtendo, eoſque ſuperando) *ora, & dum orare non poteris, manibus labora, ac ſemper aliquid facito.* Quàm diu Dauid exercuit ſe in Militia, non inſultauit illi luxuria; ſed poſtquam ocioſus domi remanſit, laborauit adulterio, & homicidium commiſit. Sampſon dum cum Philiſthæis pugnauit, non potuit capi ab hoſtibus, ſed poſtquam dormiuit in ſinu fœminæ, & ocioſè cum eâ remanſit, mox capitur, & excæcatur ab hoſtibus. Salomon dum occupatus eſſet in ædificatione templi, non ſenſit laſciuiæ impetum, ſed mox recedens ab opere, perſenſit inſultum procacis petulantiæ, adorauit vitulum aureum. Non vna id comparatione declarat S. Chryſoſtomus odij hoſtis acerrimus. Homilia [illegible]. in alteram ad Corinthios: *Sicut*, inquit, *terra non occupata ſemente, aut conſitione quamlibet herbam producit: ſic & anima quoties non habet quod agat rerum neceſſariarũ, cum omninò cupiat aliquid agere prauis actionibus ſemet tradit.* Quod eſt ab hoſte in conflictu domeſtico ſuperari. Et *quemadmodum oculus non deſinit cernere atque ob hoc, cernit mala, ſi quando bona non ſunt obiecta: ſic & cogitatio, quoties ſe abducit à neceſſariis, circa inutilia iam verſatur. Nã vndequaq; perſpicuũ eſt quod occupatio*, labor, *ſolicitudo, valet primum incurſum hoſtilẽ repellere.*

Solet hoſtis infernalis, ex obſeruatione B. Petri Damiani Reg. Eremit. cap. xxix. aſſilire hominem, vt aſtutus *Bellator*; non quando per exercitium acies contrariæ vigilant, ſed cùm excubiæ ocio, tanquam ſomno conſopitæ iacent. Inſidiatur Cacodæmon hominibus more periti *Aucupis*, qui ſagittas eiaculatur, non quando auis volat, ſed cùm nihil periculi ſuſpicans ſecura quieſcit. Nec malè Diabolum in hoc genere cum *Piſce* marino compares, quem ferunt hominem in mari adhuc natantem non aggredi, ſed quàm primum viribus exhauſtum, ac languentem cernit: tunc ſine mora aſſilit, inuadit, deuorat. His accedit, quod quando eſt confligendum cum hoſte, plurimum refert habere idonea ad inuadendum & mactandum inſtrumenta: quare paullò ante acuuntur gladij, limantur acinaces, aptantur ſclopi, purgantur fiſtulæ æneæ; hanc autem præparationem ad prælium ſpirituale, non ſolùm impedit Ocium, ſed arma ipſa, quibus pugnandum, tanquam rubigine inficit, ideoque reddit aut minus idonea, aut planè inutilia. Vidiſtis ne aliquando adoleſcentem imperitum, qui cùm ſtringere deberet gladium, extrahere è vagina non potuit, quod rubigine obductus corio firmiſsimè adhæreret; itaque ludibrio exceptus, & omnium cachinnis glorioſulus purpurata facie ſubduxit ſe furtiuè ex armatorum manipulo. Talis eſt ocioſus, cuius galea, thorax, lorica, enſis, tela omnia ſunt ſitu fœda, & rubiginoſa.

Svggerit hoc S. Chryſoſtomus, qui populariter, vt ſolet. Homil. xxxv. in Act. *Quis*, inquit, *vtilior eſt, quis magis expedi-*

expeditus? Is ne qui in delicijs marceſſit, vel qui exercetur domi foruſq;? Quæ Nauis? *ea ne qua nauigat, vel qua in littore ſubſiſtit? Quæ* Aqua? *ea ne qua fluit, vel qua ſtat immota?* Quod Ferrum? *an quod rotatur, vel quo nemo vtitur? Nonne illud quidem ſplendet, & argento eſt ſimile, hoc autem rubigine exeditur, conſumiturq;, & vbiq; eſt inutile. Tale quiddam fit etiam in anima ocioſa.* Rubigo *enim quædam apprendit eam, & conſumit ſplendorem aliaq; omnia.* Deinde pergit aureus Orator graphicè Ocioſi hominis inertiam ac turpitudinem depingere. Sed etiamſi arma maximè idonea habe retOcioſus, impediret tamen victoriam, multitudine hoſtium, qui ad vnicum Ocioſum proſternendum accurrunt. At, ne Hercules quidem contra duos aiebat ille: & præſumet aliquis irritare contra ſe innumerabiles? Certè experientiâ docti veteres Ægypti religioſi Monachi, nullo modo ſinebant eſſe ex ijs ocioſum aliquem, quod dicerent benè occupantum ac operantem ab vno, ocioſum ab infinitis oppugnari Dæmonibus. Caſſian. lib. x. Inſt. cap. 23.

AT præcipuè ab Aſmodæo Luxuriæ principe, qui pluſquam ſexcentas legiones ſub ſignis habet, quas ſecum adducit. Vnde monent in Militiâ ſpirituali verſati, vt qui à luxuriâ oppugnatur, occupetur, & laboret ſtrenuè, vel vexetur egregiè & exagitetur, ne vllum ocio tempus ſuppetat. Vſi fuerunt hac arte Magiſtri illius Cænobij, in quo egit Adoleſcens ille Græcus, de quo S. Hieronymus epiſtola ad Ruſticum. Vexabatur miris modis ad laſciuiam tyro, ætas florida, caro, ſanguis, æſtus interior irritabant: nullum reperiebatur remedium ex vſitatis: inuſitatum hoc præſcribitur, vt à fratribus, agente ſeniore, viro graui, moleſtetur, iurgijs ac contumelijs impetatur, accuſetur, nulla excuſationi locus detur: ad pœnam, velut reus trahatur, verbis grauiter caſtigetur, minis agatur, nullum ocioſè quieſcendi momentum indulgeatur. Ita factum. fuit hæc anni vnius exercitatio profectò laborioſa. Interrogatus poſt hæc adoleſcens, quomodo haberet? & num anhelaret magnoperè ad carnales delicias? exclamauit, tanquam è profundo excitatus ſomno: papæ! ita fatigor quotidie, vt viuere non libeat, & fornicari libebit?

QVANTVM autem præſidij habeant hoſtes animæ (qui ſunt, præter Cacodæmones, affectus, paſſiones, concupiſcentiæ, vitia omnia & peccata) ab ocio, & in illo, docuit ingenioſè Iſidorus Peluſiota militari vocabulo ita ſcribens lib. 1. Epiſt. 9. *Mens ocio dedita fit* Propugnaculum *perturbationum animi:* hoc eſt amor, odium iracundia, inuidia aliæque paſſiones immodicæ, in Ocio velut in arce munitiſsimâ agunt, vt non ſit modus illas vllis machinis, ſiue ex Scripturæ Sacræ armamentario, ſiue ex rationis naturalis officina petitis expellere, aut ſuperare. Ex mente etiam ocioſa, tanquam *Caſtro* inexpugnabili prorumpunt ſe perturbationum agmina, & in regionem ſubiectam impetum faciunt, contra rationem inſurgunt, aduerſus voluntatem metu iudicij diuini munitam vitiorum cohortes conſtituunt, ſicque facillimè victoriam reportant. Quamobrem ſtatuat oportet quilibet fidelis DEO ac CHRISTO, à quo deuomi-

denominatur, ſi in Militiâ Chriſtianâ, cui nomen dedit ſuum, decorè, cùm ſpe victoriæ agere velit, ac tandem de capitalibus animæ hoſtibus triumphare, omni ratione Ocium effugere, & optimis occupationibus vitam tranſigere, ne poſt, at ſerò nimis doleat *ſtultos præteriiſſe dies*: illudque S. Patris Auguſtini Doctoris laborioſiſſimi ſemper mente voluat: Laborantibus promittit DEVS vitam æternam: Ocioſis minatur ignem æternum.

Ab igne æterno libera nos Domine.

NOTÆ

In quibus Auctores & Additamenta.

§. I. MALECONTENTI.] *Ita nominari cœperunt tumultuantes Anno* 1578. *cùm Hannones & Arteſij in pacem religionis conſentire nollent.* Franciſcus Haræus *Tomo* 3 *Annal. Belgicor.*

§. II. SECESSIONES, & tumultuationes militares in Belgio.]

ANNO M.D.XCIII. *varijs locis Miles regius in ſeditionem verſus tumultuabatur ob non ſoluta ſtipendia. Vna parte* Hiſpani *in Arteſiâ propè arcem Auxianam tumultum excitabant, tum ob cauſſam dictam, tum occaſione ſumptâ ab Hiſpano quodam, quem quod Hedinij Virginem ſtupraſſet*, Carolus *Mansfeldius punire voluerat, vbi ipſum inuadentes* Hiſpani *cum corporis ſui cuſtodibus fugere coëgerunt, domum ij, & vaſa eius argentea diripuerunt. Inde conſtituto* Electo, *vt vocant, tumultuario ſibi et Duce, omnium audaciſſimo, oppidum S. Pauli occupantes muniêrunt: vnde Regis ſui Philippi ſubditos circumcirca integro anno miſerè deprædati ſunt. Idem fecerunt* Vallones *aliqui in* Hannonia *apud pontem ſupra Sambram. Et alij ad Rhenum Rhenobercæ: vbi expulſis Præfectis, ſingulis hebdomadibus nouum Electum creantes, omnia vectigalia & quæcumque a vicinis extorquere poterant in ſuos vſus inſolenter conuertebant.*

ANNO M.D.XCIV. *Archidux Erneſtus Auſtrius Belgij Gubernator, amiſſâ Groeningâ, curas ſuas conuertit ad ſeditiones illas regiorum militum componendas: iamq; eos pacarat, qui ad S. Pauli apud Atrebates fuerant tumultuati, numeratis aliquot florenorum millibus (6000.) Sed parum hoc profuit. Nam paullò poſt, menſe Auguſto*, Itali *pedites, equitesq;, accedentibus mox ex omni natione nonnullis alijs, ad duo circiter millia, quærentes ſibi, à morte Alexandri Farneſij Ducis Parmenſis, nulla ſtipendia numerata, oppidum Brabantiæ Sichemium, Diſthemo vicinum occuparunt, munieruntq;, & agrum circumiacentem omnem Bruxellam vſque excurrentes infeſtarunt, menſtruaq; contributiones imperarunt. Archidux certis legibus dudum cum ijs tranſigere conabatur, ſed fruſtra. Itaque neceſſe habuit contra ſuum & inordinatum hunc militem Hiſpanas aliquot cohortes mittere. Qui cùm aliquamdiu multum, ſed maximè Colonis infeſti fuiſſent; tandem* Itali *ſub finem Nouembris a Comite Mauritio perſuaſi, Regi Franciæ operam ſuam offerebant: ac intereà ſub mœnibus Bredanis à Mauritio contra vim Hiſpanorum defendebantur; donec Februario anni inſequentis, vtcumq; ab Archiduce fuêre pacati.*

ANNO M.D.XCVI. *vix in Belgium venerat Archidux* Albertus, *& cùm inordinatis illis ſeditioſisq; habuit quod ageret: cùm*

enim in Thenarum ciuitate eſſent, ad ordinem non redierunt, niſi poſt numerata ad trecenta triginta ducatorum millia, ultra alia trecenta ſexaginta millia, quæ durante ſeceſſione perceperant, vel extorſerant.

ANNO M.D.XCVIII. exeunte menſe Iulio, Liræ in Brabantia, præſidiarij Hiſpani tumultuari cœperunt, ac ſeceſſionem facere eiectiſq; centurionibus indecenter multa perpetrarunt. Eodem Anno obſtinatior fuit, magiſq; importuna Hiſpanorum in arce Antuerpienſi rebellio. Qui Auguſti menſis die VIII. ipſum Arcis Præfectum Auguſtinum Mexia perturbarunt. Inde furentes inſania, ædes ciuium, & imprimis Curiam Senatoriam globis tormentorum vt adactis impetierunt. Mox Ducem elegerunt (hinc Electo nomen) qui pro omnibus verba faceret, & ipſorum ageret cauſſam. Cum hoc & alijs ei adiunctis, congreſſi aliquot de Magiſtratu vrbis, pelliciti ſunt, ſe ſedulo operam daturos, vt ipſis ſatisfaciat: interim in ſumptum quotidianum ſingulis daturos, pediti duodenos, equiti vicenos quinos nummos: erant autem numero circiter ſexcenti. Ita ſpe ſolutionis illi aliquantiſper conquieuerunt. Qua non procedente, rurſum machinis rem agere cœperunt. Quin etiam hoc veluti tabellione, vel internuncio tandem vtebantur, vt quotieſcumque aliquid peterent, aut Magiſtratui quid indicare vellent, in vrbem eiacularentur. Accepto hoc nuncio Liranij ſe coniunxerunt, inito fœdere. Quid facti in? Septem menſium ſtipendia ijs oblata: quæ contemptim reſpuerunt. Neque enim quæ in Belgio tantum, ſed & quæ in Italia feciſſent ſtipendia quidam flagitabant. Nec ceſſarunt ab inſolentijs, donec tandem, menſe Nouembri, oblatis centum quinquaginta coronatorum millibus, partim re, partim promiſſis ſunt placati.

ANNO M.D.XCIX. cùm Batauí occupaſſent Embricam, Mendoza verò Hiſpanorum Ductor vſque medium Decembris copias circa Brabantiæ Gelariæ & Cliuiæ confinia d inuiſſet, occaſionem per flumina & ſtagna gelu concreta in hoſticum penetrandi præſtolans; in procinctu erant omnia, fluminibus & aquis paſſim tota ferè menſe, tam craſſa glacie ſtantibus, vt vel grauiſſima onera ſuſtinerent. Sed conatus omnis in irritum cecidit ob tumultuantem militem, & ſeditionem, quæ totum exercitum peruaſura videbatur. Et ſanè vno tempore vexillatio Germanica adiuncta ſibi Epiratarum equitum ala, Peram oppidulum Leodienſis agri, per ſcalas ſuperatis muris, & aliquot ciuibus occiſis, diripuerunt. Ad eos miſſus Comes Belgioſa, nec admiſſus, nec auditus fuit. Equites vero, præſertim Henrici Bergij Comitis per agrum Iuliacenſem & Colonienſem licentioſe graſſabantur. Tandem quoque, mille, & ducenti circiter equites pedites q; varijs è nationibus VVertam in Campiniæ finibus, & Hamontium Leodienſis ditionis oppidum, ut occuparunt. Et, vt imperij aliquam ſpeciem retinerent, peditatui vnum Electum, equitatui alterum præeſſe, iuſſerunt. Ad hos placandos miſſus vir magnæ auctoritatis, contumelijs ac minis ab inſolente milite fuit abactus. Ita rei benè gerendæ occaſio euanuit.

ANNO M.DC. idem euenit. Cùm parata eſſent omnia ad expeditionem, renuerunt, qui Hamontium occuparant ſeditionem. Supplicatum ferè alijs, qui in Sanct Andreæ propugnaculo morabantur fruſtra. non modo tumultuari, ſed & minari auſi. Et ſub veſperum plerique omnes conſtitiono facta, Præfectorum hoſpitia effregerunt, eoſq; captiuos abduxerunt, direpta etiam Gubernatoris domo. Horum exemplum imitati Cronecaurdienſes vicini, ſtatum & [illegible] imperium abiecerunt. Actum eſt, vt in ſeditioſos aſperiora ſtatuerentur, armiſq; cogerentur ad officium. Quod à conuulſi vnibus impetrari non potuit. Itaque fuit conniuendum, ac profligata audaciæ homines in ſuâ territoria relinquendi. Qui remotas etiam regiones

giones excurſionibus grauiter afflixerunt. Carpenum arcem propè Coloniam inſiderunt. vbique contumaciæ inſolentiæ ſigna relinquentes: & metuendum erat ne omnes copiæ ad ſeditioſos deficerent.

ANNO M.DCI. *nondum ſopita fuit ſeditioſorum improbitas. Immò, qui in propugnaculis circa Oſtendam præſidia agebant, ob non ſoluta ſtipendia, etiam imperium detrectare incipiebant. Ad Antuerpiam quoque nautæ & claſſiarij ſeceſſionem minitabantur, obſeſſo, tam infra, quàm ſupra vrbem, flumine.*

ANNO M.DC.II. *iterum tumultuatum eſt. Sexcenti in oppidulo Harmont agri Leodienſis equitatum peditatumq; ad defectionem ſolicitarunt. Contra quos itum eſt, ad ductum quatuor tormentis bellicis, & militum flore: præmiſſis nonnullis Præfectis, qui vel facti veniam, ſi paruiſſent, vel vindictam aliud ſi tentauiſſent, denunciarent: ad obedientiam hortantibus nihil effectum eſt. Interim, dum Grauia ab hoſte oppugnaretur, & Archidux Albertus ac Admiralius cum exercitu Diſthemium mouerunt, vt ſeditiones componerent, & ſeditioſos perſequerentur: at nullo operæ pretio: nam Grauia capta, & ſeditioſi libere vagati. Tantum malum parit in exercitu inordinatio, cuius origo ocium. Has ſeditiones, & plures alias deſcribunt hiſtorici bellorum Belgicorum, nominatim,* Franciſcus Haræus, *&* Famianus Strada, *ſeruato ordine temporum, in prima & ſecunda decade.*

§. III. OCIVM.] *Propriè eſt vacatio à labore, cuius oppoſitum eſt Negotium.* σχολὴ. *Columel. lib. 2.* Tam ocij quàm negocij rationem reddere conſueuerunt. *Accipitur etiam pro exercitatione leniore animi vel corporis, & relaxatione à grauioribus magisq; serijs. Hinc* Ocium litterarum, *pro ſtudio litterarum. Quod hoc genus exercitationis oblectamentum potius, quàm ſeria & laborioſa occupatio cenſeri debeat.* Quid dulcius ocio litterato, *id eſt,* ſtudio, &, vt ita dicā negocioſo ocio, *inquit alicubi Cicero. Sumitur quoq; pro quiete ac tranquillitate. Sic cum cetera bello arderent Rempublicam noſtram fuiſſe in ocio diximus: ita animus vocatur ocioſus, qui tranquillus & ſolicitudine vacuus. An ita dictum:* Scipio nunquam minus ocioſus, quàm cum eſſet ocioſus? *Cic. l. 3. offic.* Ocioſa pecunia *vocatur, quæ in arcâ iacet, nullum domino fructum adferens: ei ex aduerſo reſpondet* occupata: *occupare pecuniam eſt, apud aliquem fænori exponere, quod eſt quaſi exercere, ne ocio aut inertiâ apud eum langueſcat. Vlpianus* ſterilem pecuniam *vocat, L. 3. ff. de con. tit.*

OCIOSI effigies.] *Sunt, qui totos dies, menſes & annos recreationibus indulgent. Semper laxus iacet arcus: nunquam tenditur: mentis contentionem non remittunt, quia nunquam illa ad ſeria ſtudia actionesq; tenſa fuit: non ideò neruos ingenij relaxant, vt acrius deinde intendant, ſed vt ſeſe oblectent. Viuunt vt edant, non edunt vt viuant. Ludunt, vt ludant, non ludunt, vt ſeria agant. Nam aſſiduitate recreationum à curis & animum angentibus abhorrent, & inutiles redduntur. Quin contentione rerum inutilium, & laborum ludicrorum, non modo acrimoniam ingenij dilutam faciunt, ſed etiam corpus eneruant. Generoſos animos labor ipſe nutrit, fructu exhilarat, etſi fatigat. Ocio labor iucundior eſt.*

Pingue ſolum laſſat, ſed iuuat ipſe labor.

Huius igitur generationes peccata ſunt, quia inutiles & ocioſæ. Quibus hoc agitur, vt tædium vitetur, non vt ſibi conſtet vtilitas. Nihil autem deterius eſt faſtidio temporis, quod efficit etiam deſidioſum: tollit ocium negotioſum vano labore. Perinde eſt, ac ſi res precioſiſſima effluat, aut nihil aut vana agentibus. Tempus à DEO datum eſt, non vt moleſtum ſit, ſed precium adquirendæ æternitatis. Quare, qui ob Ocium ſibi moleſti ſunt non poſſunt optare multos annos, quos præcidere ſolet, aut morborum doloribus exagitare, ne deſit quod patiantur.

[illegible] XXIII. 4 *inter ſigna ponit illorum, qui ab* [illegible] *ſeuitate ex uduntur.* [illegible] vano, *idem eſt, quod o.ioſe, vt eſt in* [illegible] *Schaue, ocioſum,* [illegible] *ſignificat. Quare,* accipere in va- [illegible] *more fatuorū,* [illegible] *vel, ex vi vocis Hebreæ,* [illegible] *urere.* [illegible] *enim quod Interpres* [illegible] *accipere,* [illegible] *etiam* comburere. [illegible] *quædam eſſe videatur,* [illegible] *gratiæ ornamenta* [illegible] *quod ait Apoſtolus:* [illegible] *ſe* [illegible] *facere* [illegible] *ocioſe non* [illegible] *ad* [illegible] *fas* [illegible] *comparanda* [illegible] *bonitate* [illegible] *beati* [illegible] *gloriæ* [illegible] [illegible]

§. VI. [illegible] *habet* [illegible] *prox-* [illegible] *multi* [illegible] *fuit* [illegible] *ſtrænui* [illegible] *vires, arteria* [illegible] *nunquam interqui-* [illegible] *interrum* [illegible] *Actio* [illegible] *ſunt. Siremen* [illegible] *hanc* [illegible] *continet* [illegible] *nec* [illegible] *mortalium veneri* [illegible] *appetitum & animum regat, ac* [illegible] [illegible] *ſtudendo.*

tioni ſemper intenta.

§. VII. CVM *tam pernicioſum in Republicâ, & in caſtris maxime ſit* Ocium, *meritò illud eliminandum cenſuerunt Legulatores. Vtiliſſima Lex Athenis ab omnibus rationem, qua vitam ſuſtentarent exigebat. Draco eam pœnæ capitali ſanxerat, vt* Valerius *lib.* 2. *cap.* 1 *Gellius l.* 17. *c.* 7. Athenæus *in Dipnoſ. l.* 4. *cum magna laude referunt. Ægyptiorum eadem fuit ſeueritas, quod quia mirum videri poſſet in prouincia fertiliſſima, non temere eam quidam referendam putant ad Ioſephum Patriarcham, qui Ægyptijs vtiliſſimas leges reliquit. Corinthi etiam ratio otij ac negotij conſtare debuit, vt ſcribit* Athenæus *l.* v. *c.* 2. Lucani *hoc modo ocium ablegabant. Ocioſo nihil dabatur: iniquum enim eſt ocioſos frui laboribus induſtriæ. Quare ſi quis mutuum dediſſet ocioſo, eum, quaſi ignauiæ patronum, pretio multabant. Ex* Æliano *lib.* 1 x. Piſiſtratus, *quamuis alioqui tyrannus, ac crudelis, vt otiū auferret à Repub. boues & ſemina promittebat ocioſis, ſi colere agros vellent. Lex* Sardoa *multas pœnas ocioſis, multa laborantibus commoda præbebat. Lex eadem ac conſuetudo fuit* Argiuorum. *Apud* Spartanos *laboribus Helotæ opprimebantur, cæteris honeſtum concedebatur ocium, non tamen ignauum: quia militaribus exercitat. omnibus occupari ſolebant, aut alijs ſudoribus ad Eurot. un. Diſerte enim* Lycurgus *ac ſeuerè ignauiam omnem præſcripſerat.* Alexander ab Alexand. *l.* 3. *c.* 3.

Legendi Interpretes ſacri in ſecunda ad Theſſalonicens. Ioannes Pineda *Iob.* v. 7. Homo naſcitur ad laborem. Iulius Mazarinus *in Pſalm.* L *diſcurſu* 3. *Italico*, Gulielmus Baldeſanus *in Stimulo Virtut. lib.* 1. *cap.* v 11. Laurentius Beyerlinck *in Apophthog. Chriſt. tit.* Ocium. Theatrum vitæ, *eod. tit.* Ludouicus Creſſolius *in Myſtag. l.* 1 v. *c.* 17. Adamus Contzen *in Daniele*

COMMENTATIO II.

CLASSES QVATTVOR

Militare volentium ſub vexillo Chriſti,

Dominicâ Sexageſimæ.

Exijt, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum, Lucæ VIII. 5.

MEMBRVM I.

Quattuor ſunt Claſſes Auditorum Chriſti. Totidem volentium Militare Chriſto.

PROXIMO Conuentu, ACADEMICI CHRISTIANI, deſignauimus & excluſimꝰ baſilicâ edictione Imperatoris noſtri, & publico programmate quoddam genus hominum ad Militiam Sacram notoriè ineptum, ideoque notandum ſtigmate in fronte, tanquam infames, nimirum OCIOSOS, quia *Inordinatos*, ambulantes contra ordinem præſcriptum à Deo, à Naturâ, à Tempore: quia Inquietos, quia Curioſos, quia Glorioſulos, ſed ignauos, & hominum vaniſſimos. Illis igitur ablegatis, animaduerſo in Euangelio huius Dominicæ, quæ cognominatur *Sexageſima*, quatuor omninò Claſſes Auditorum CHRISTI, quibus conferam totidem ordines hominum, qui inuitantur à ſupremo Militiæ Chriſtianæ Duce ad bellandum contra ſpirituales inimicos animæ, qui ſunt Cacodæmon, Peccata, ac Cupiditates noſtræ ſeu Paſſiones. Sed poſtremus ordo [illegible] habet ad Militiam noſtram [illegible]: ideoque in delectu militari [illegible] habita eſt ratio.

PRIMVM genus eſt eorum, qui audiunt Chriſtum [illegible] concionantem, [illegible], commonentem, [illegible], comminantem, terrentem [illegible] ſtrà. Nam ſunt via patula. Lucæ [illegible] Matth. XIII. Mar IV. [illegible] ſemen, [illegible] alites, [illegible] tant. *Venit Diabolus,* [illegible] *de corde eorum ne* [illegible] Audiunt [illegible] non [illegible] concionem [illegible] quæ [illegible] clarere [illegible] ab [illegible], [illegible] Imperatoris Chriſti

Chriſti conſcribunt exercitum ad Sacram Militiam quales ſunt Verbi Diuini interpretes, Oratores Euangelici, conſcientiarum Præſides, Religioſi, pietatis ſtudioſi & Magiſtri, vt nomen velint dare Militiæ ſpirituali: pugnaturi, quod omnibus neceſſarium, contra hoſtem [illegible] contra ſuperbiam, laſciuiâ, [illegible] cæteraſque peſtes. Vt velint induere arma cæleſtia, tum ad defendendum, ſcutum fidei, galeam ſpei, loricam caritatis, hiſq; adiuncta non pauca, quæ in ſuperum bonorum armamentario cõtinentur, votum, confeſſio, ſatisfactio, ieiunium, oratio, eleemoſyna: tum ad offendendum, gladium zeli ac feruoris, fundam pietatis, telum amoris diuini, ſclopum meditationis, in quo exardeſcat ignis. Denique, vt velint vexillum CHRISTI ſequi, & illi ad ſuperiora præſtanda Sacramento militari adſtringi, ac fidem dare.

SED hæc ſurdis canuntur. Dicunt ſe militare velle Chriſto, nam ſe vocari & eſſe Chriſtianos, hoc ſe nunquam nomen eiuraturos: nihilominus negant categoricè, ſe ad Militiam tam laborioſam velle adſcribi. Nimirum, ſuggerit, ſuadet, ac perſuadet illis Dæmon vt [illegible] ſalutis æternæ cura, nec ſeria, nulla penè cæli & rerum futurarum cogitatione [illegible], nulla planè excolendi animi per Solidas virtutes ſolicitudine [illegible], ſub pallio ſagoque Chriſtiano [illegible] virtutem negligant, [illegible] ſectentur. Horum [illegible] Sapientiæ ſecundo cap. vbi [illegible] claſſis, nomine tenus [illegible] graphicè depingitur: *Venite & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creaturâ, tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ. Vbicumque relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors noſtra.* Simili modo inuitant ſe eiuſdem ſortis homunciones apud Iſaiam cap. LVI *Venite ſumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit, ſicut hodie & cras, & multo amplius.* Vulgatum eſt iſtud mancipiorum mundi ad voluptates ſuas detorquentium: De præſentibus gaudet Eccleſia. Comedamus & bibamus: cras enim moriemur.

Frange toros, pete vina, roſas cape.

Huius Claſſis homines dicit Paulus Apoſtolus ad Romanos 1 cap. DEVM tradere in reprobum ſenſum: habent enim auerſam à bono ac planè malitioſam mentem, omnis veri probique iudicij expertem: eſſe repletos omni iniquitate & iniuſtitia, ſcortatione quoque, nec non improbitate, auaritiâ, & vniuerſim malitia: inſuper eſſe plenos inuidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate. Adhæc, eſſe ſuſurrones, detractores, DEO odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, erga parentes immorigeros, inſipientes & deſipientes, fœdifragos gloriæ plus nimio appetentes, caritate vacuos, ſine miſericordia implacabiles, ab omni bono alienos. Hi belluarum more viuunt, ſenſuum voluptati ac titillatione corporis omnia [illegible] horum claſſe neminem eſſe [illegible] Auditores

meos planè mihi [illegible] quippe adoleſcentes omnes, minimum bonæ voluntatis, [illegible] appetentes, amantes virtutis, auidos pietatis, bonæ indolis, magnæ [illegible], [illegible] haud negligentes, [illegible] ſpiritualis capaces, Verbi diuini æſtimatores, immò, [illegible] Militiæ Chriſtianæ auctoratos. Vt tales enim quoſcunque hic ſuſpicor, eſſe, immò ſincerè habeo.

Eſt itaque altera ſeries eorum, in quos [illegible] Verbum cadit, tanquam in *petram*. Audiunt dicentem de peccati [illegible], virtutis pulchritudine, animæ [illegible] placet. Sed aduerſa omnia refugiunt, laborem detrectant, dolorem deteſtantur *atque ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt*: quia radices ſummæ voluntatis non habent. His [illegible] ſunt, qui nomen dant ad Militiam [illegible], qui cenſeri volunt inter illos, qui ſub Chriſti vexillo ſtipendia faciunt, qui honeſtatem amant, virtutem colunt, animæ ſalutem curant, ſed ſunt fragiles, ignaui, commoditatum nimis amantes, nolunt exerceri aſſiduò militariter. Nimis graue ijs videtur, mane ante lucem ſurgere, deinde ſtatim, poſitis in terrâ genibus, DEVM ſuppliciter venerari, illiusque opem ante [illegible] lucubrationis, actionisque inchoationem poſcere. quotidie rem diuinam audire. in conſcientiam minimum ſemel quot diebus inquirere [illegible] quot menſibus, & multo magis quot ſeptimanis de peccatis confiteri [illegible] omnibus penè maioribus feſtis Diuinæ menſæ cum debita præparatione accumbere. Ad aures non admittunt, multo minus corpori applicant, cilicia flagella, catenas: [illegible] cubare-

[illegible] militibus in caſtris & ſub dio [illegible] [illegible] ſibi imperari [illegible] omnem [illegible] tractationem [illegible]. Hæc [illegible] Chriſtianæ Militiæ exercitamenta. Ad quæ [illegible], qui cum [illegible] continuò [illegible] ſæpiuſculè [illegible] ſeparabuntur. Tales [illegible] ex Auditoribus meis vix [illegible], cùm reperiantur, vt perhibent quidam, qui delicijs nimis auidè [illegible] & ignauiæ nimium indulgent, ad [illegible] pietatis officia difficiles, languidi, [illegible] cordes.

[illegible] verò, tertius ordo continet quoſdam, qui aures habent, tanquam *ſpinetum* in quod ſi cadat Verbi Diuini ſemen, ſuffocatur. Nimirum, ſpinæ ſunt ſolicitudines [illegible], diuitiæ, dignitates, voluptates etiam, quæ fructum [illegible] ſementi impediunt. Huic Claſſi [illegible], in qua ſunt, qui ad Militiam ſacram aliquo tempore ſe gnauiter exercent ſed tandem deficiunt [illegible] per curas vaniſſimas ſemine, vel [illegible] dio rerum ſalutarium, & exercitij continuitate victi. Sunt enim non pauci, qui in infantiâ cum lacte materno [illegible] videntur adfectum ad pietatem [illegible] re poſſunt puſiones, & [illegible] aliquid murmurant [illegible] non [illegible] pomis, nucibus, caſtaneis, ſed [illegible], calculis precatorijs, libellis pijs. Itaque ſtatim à pueritia, [illegible] rationis tanquam in [illegible] primæ ætatis, [illegible] vexillo [illegible] [illegible] & [illegible] nomen Militiæ [illegible] [illegible] ita viuunt, vt Angelos [illegible] [illegible]. Quales [illegible] Sodalitate Reginæ Angelorum [illegible]

[illegible]

[illegible] aliqui, vtinam tandem non degenerent in Angelos infernales motum [illegible] cæli conuerſi in ve[illegible] Orci. Pleriqueque tamen eo[illegible] gradiuntur vſque ad adoleſcentiam: & tunc ſtatim degenerant, negligunt conſueta pietatis officia, orationes, confeſſiones, prælectiones [illegible] Magiſtris, inobedientes [illegible] animarum curatoribus. Quamuis è contrario aliqui tunc primum incipiant ad Pietatis culta ſe conferre, & perdurant vſque ad iuuentutem. In ea autem ætate, ſi non deflectant à probitatis orbita, pergunt alacriter vſque ad virilem. Hic ſi ſint conſtantes, aliquãdo in ſenectute, quod eſt miſerrimum, mutantur. Vt ille cui feſtiuus Poëta cecinit elogium verſu vno, qui multorum eſt inſtar:

Angelicus iuuenis ſenibus ſatanizat in annis.

Et ſanè, ſunt in ſenio aliqui bis pueri, vt Plato ſcribit lib. 1. de Repub. nempe qui auctoritatem habent ſenum, vitia puerorum: neque puerorum tantum, ſed infantium quoque, vt loquitur Seneca Epiſt. 1v.

Hvic autem inductioni per ætates factæ ſimilem facile eſſet conſtruere in diuerſis Gymnaſij Scholis, aut in eadem diuerſis temporibus, nimirum primo, medio, vltimo, & occurret eadem variatio. Infima Grammaticæ punculi illi

Quorum tota cohors pede vix eſt altior vno,

(fortiſſe, poſſe Polyphemi vlnæ vnius) quibus [illegible] ad omnia officia [illegible] terentur, ſi ipſis diceretur, quotidie interſſent diuino Miſſæ Sacrificio quotidie ſæpius: quæratur ab ijs, an velint fieri religioſi? detectis capitibus, elatis digitulis, acclamabunt, ita, ita Domine. Benè habet. creſcant iſti Pygmæi, gradum faciant ad claſſem ſuperiorem. Ibi intepeſcet ſpiritus: incipient aliqui queri de longitudine Sacri, diuturnitate orationis, frequentatione templi: creſcet murmur quò aſcenderint altius donec ad culmen venerint Grammaticæ Diſciplinæ. Tunc calore corporis feruente, æſtu ſanguinis vaporantis igneſcente, vt loquitur D. Ambroſius, [illegible] cupiditate noxia prædominante, difficile eſt compeſcere, ac vincire ratione ac monitis vel vnum ex ijs, qui antea tam erant compoſiti.

IN Philoſophico ſtadio idem animaduertitur. Initio omnes penè ſunt prompti & alacres ad officium, tum literarum, tum pietatis. Vix peruenitur ad Categorias Ariſtotelis, & deficiunt quidam, alij languere incipiunt, cum figurarum limen attigerunt: poſt paullulum fiunt, tanquam depontani ſenes, qui vix pontem pecudis Arcadicæ apud Logicos celeberrimum attigerunt. Reliquo curriculi Philoſophici tempore à quibuſdam ſiſtitur, deflectitur, pietatis ſemita deſeritur. Experimur quotidie magis, quod adoleſcens ſit

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis, cupiduſq;, & amata relinquere pernix.

(a) *S[illegible] Dauid.*

PAVCI reperiuntur, qui quales fuerunt in principio, tales perſeuerant vſque ad finem: qui eidem ſunt ſemper, vt ad audiendum attenti, ita prompti ad exequendum. Horum igitur eſt quarta claſſis, qui *corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum adferunt in patientia.* Cui reſpondet illorum in Militia Chriſtiana cohors invicta, qui vexillo Pietatis nomen volentes lubentes dederunt, & abſque temporis differentia, ſemper operibus mortalibus intenti, exercentur patienter & conſtanter. Hi autem nomen merentur MILITIS CHRISTIANI. Ad quam glorioſam appellationem non eſt ſatis, aliquando non eſſe ocioſum, ſed requiritur præterea, vt ſemper exerceatur.

MEMBRVM II.

EXERCITIVM MILITARE CONTINVVM in Militia bene conſtituta exigitur.

HOC autem Exercitium militare perpetuum tanti fecere in Militia, quicumque militari gloria ab orbe condito, fuere celebres, vt huic penè vni victorias ſuas adſcriberent: & vbi hoc deeſſet, nihil feliciter eſſi poſſe cenſerent. Quoniam autem idem valet in Militia ſpirituali, vt omnibus tam neceſſarium dogma imprimatur, volebam illud ſtabilire eorum teſtimonijs, qui de re militari præceptiones tradiderunt; & adducere, quæ Polybius, Plutarchus, Cæſar Liuius, Vegetius de Romanis; de Philippo, Alexandro, ac Macedonum exercitu Curtius; de Cyro ac Perſis Xenophon, de Turcis Leonclauius & Busbequius in hanc rem referunt multis luculenter. Sed animaduerti, nec horam nec diem fore ſatis ad earum commemorationem. Itaque mihi fidem adhibete, & certum vobis ſit, dogma iſtud militare omnium de Militia differentium dictis eſſe corroboratum. Quod vt ſuis Lacedæmonij Deorum quoque exemplo imprimerent ſtatuas Idolorum in publico collocabant armatas, vt ad Militiam eiusque labores omnes excitarentur.

DEVS verus nunquam eſt ocioſus. Semper operatur. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor,* inquiebat Militiæ noſtræ Princeps Ioannis v. CHRISTI Domini icunculis bellè cum exercitamentorum ſupellectile expreſſis, & depictis adſcribi ſolet: IN LABORIBVS A IVVENTVTE MEA Pſal. LXXXVII. 16. Certe, fuit ipſe, quam diu vixit nobiſcum *Vir & dolorum & laborum.* Atque quæ ſunt, inquitis, illa Militaria Exercitia? Optimum quæſitum, quod mihi occaſionem dat, multa ad Militiam Chriſtianam transferendi, ac Sapientiæ æternæ conſecrandi, quæ hactenus fuere contempta.

COMMENTATIO III.
PRIMVM EXERCITIVM
In Militiâ Chriſtianâ,
OPVS MANVVM.

MEMBRVM I.

Labor manuum eſt honeſtus & vtilis.

CHRISTVM Imperatorem ſemper laborioſum imitati ſunt primi Militiæ Sacræ Duces ſubordinati, imprimiſque Paulus Apoſtolus, qui creberrimè fidei ſuæ commiſſos ad Exercitium militare vocat, & ſuo exemplo incitat ad labores: negatque ſe vnquam fuiſſe Militem ocioſum, ideoque nec inquietum, nec ordinis deſertorem. *Ipſi ſcitis*, inquit, ſcribens Theſſalonicenſibus, Epiſt. II. cap. 3. *quemadmodum oporteat imitari nos*. Ego velle non Commilito tantum, ſed & Præfectus, Ductor, Anteſignanus, formam militandi, & exercendi vos, exemplo magis, quam verbo, tametſi nec hoc defuerit, præſcripſi, ac tradidi: ſequimini inſtitutionem meam. Ego vobis typus ac [illegible] ego ſolum, ſed eiuſdem [illegible] & zeli Apoſtoli alij. *N[illegible] fuimus inter vos.* Græcè, [illegible] poſſit, turbulentum quem negat ſe ocioſum, & conſequenter, inquietum, & diſciplinæ ac militaris ordinis fuiſſe turbatorem. Nunc attendite Exercitij perpetuitatem: *Nocte & die operantes.* Quod de *Manuum Opere* exponunt communiter interpretes. Siquidem artem mechanicam exercuiſſe Paulum, nempe Scenofactoriam, vnà cum prædicatione Euangelij, conſtat ex Actuum Apoſtolicorum XVIII. vbi narratur, quod egreſſus ab Athenis venerit Corinthum, & inueniens Iudæum, Aquilam nomine, Ponticum genere, & Priſcillam eius vxorem, manſerit apud illos, quia eiuſdem erat artis, nempe Scenofactoriæ, & operatus fuerit cum iis. Erant igitur tabernaculorum factores: Syrus interpres vertit, *Opifices conopæorum*. Franciſcus Vatablus, & alij, *aulæorum*: quæ fiunt ſcilicet ex conſutis pellibus, vti ſunt aulæa Turcica, quorum frequens eſt [illegible] verum, quomodocumque [illegible] eiuſdem erant artis. [illegible] pellium. Origenes lib. [illegible]

Paulum

Paulum vocat *phrygionem*, qui Nonio eſt limborarius. Donato barbaricarius, dicitur etiam *Segmentarius*, quod ſegmentis aureis te[illegible]iſque adiunctis veſtes pannosque exornet.

MVLTA circa hæc contemplatur, Pauli ſemper encomiaſtes ſummus Chryſoſtomus. Sed ad Militiam accommodate imprimis illud: quod Paulus non abſque myſterio fuerit *Scenifex*, vtpote, qui, tanquam laborioſus Miles, nunquã domi agens, aut ſubtecto, ſed foris ſemper ac ſub dio, vel ſummùm ſub papilione aut pellibus, quod etiam peregrinorum eſt, omnes doceret hic viuere, vt milites ac peregrinos: nihilominus Ciues Sanctorum ac domeſticos DEI. Peregrini non habent domum, ſed hoſpitantur in tabernaculis, ſicut fecerunt Filij Iſraël, peregrinantes per deſertum, & etiamnum faciunt Milites in caſtris. Nec miretur quiſpiam, *Paulum* virum nobilem, ac Sacris Litteris eruditum didiciſſe & exercuiſſe artem mechanicam. Fuit enim hoc viſitatum apud Hebræos ex inſtituto antiquorum Hebræorum. Inter quos Rabbi Scemahaia, & R. Gamaliel feruntur præſcripſiſſe, vt qui Sacras Litteras, iidem opificium aliquod manuale addiſcerent, tum corporis exercendi, & animi à ſtudijs relaxandi cauſsâ, tum, vt ſi ad inopiam redigerentur, eo victum ſibi pararent. Adiungebant, quod qui illud negligerent, procliuiores futuri eſſent ad peccata, quaſi minus idonei ſint huiuſmodi homines ignari, ignauique ad hoſtes ſpirituales deuincendos. In hunc finem Rab. Iohanna Sutoriam, R. Iuda piſtoriam dicit.

SED vile ac ſeruile eſt, inquis, manibus liberare. quis nobilium hoc dedecorum non ſibi ducat? Ita ſenſit aliquando Ariſtoteles, ſed reijcitur n[illegible] ab [illegible] qui de Republica. & vera nobilitate [illegible]unt, vt alibi probamus. Si exemplis agatur, quis nobilitate par CAROLO MAGNO Imperatore, qui, teſte Eginhardo ac alijs Scriptoribus de rebus Caroli, filios ſuos mechanicam aliquam, & filias ſuas lanificium, vel linificium diſcere voluit. Idem hodie nobiles nulli [illegible]tant, quorum filios in pictura, ſculptura, architectonicâ, in fabrili etiam tum lignariâ, tum argentariâ exercitari animaduertimus: idque tum otij & vitandorum peccatorum cauſsâ, tum, vt ſi opus aut neceſſitas ingruat, ad manum ſit, quo egeſtati ſuccurrant. Idem ergo ſibi faciendum putauit ex maiorum inſtituto Paulus, & reliqui Apoſtoli, qui alios ad idipſum ſunt hortati. Hæc ſanè [illegible] verba refert Clemens Romanus lib. I. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. LXVII. *Qui in Eccleſia iuuenes eſtis curate in omnibus rebus neceſſarijs ſedulò miniſtrare: cum omni ſanctitate operi veſtro vacate, vt omni tempore & vobis & egentibus ſuppeditare poſſitis. Etenim nos quoque vacantes Verbo Euangelij ſubceſiuas horas non negligimus alij enim ex nobis piſcatores ſunt, alij ſcenarum artifices, alij agricolæ, ne vnquam otioſi ſimus.* Et de Domini fratribus ſcribit Euſebius ex Hegeſippo, lib. 5 hiſt. cap. 5. vocatos fuiſſe ad Domitianum, qui omnes illos è medio tollere decreuerat, tanquam ex regio & Dauidico ſanguine prognatos. At cum manus oſtenderent partim duritias callis, partim laceras opere mechanico, ſine vlla moleſtia dimiſſi fuere.

opp[illegible]

quippe in quos idcirco millia rerum nouandarum ſuſpicio caderet.

APOSTOLVS, tanquam Militiæ noſtræ Duces, ſequuti fuerunt viri Apoſtolici, quibus nunquam eſt viſum eſſe dedecoroſum laborare manibus, quamuis ſacro Ordine eſſent initiati. Reprehenſiores illius Exercitij ſatis refellit S. Auguſtinus, qui iuſtum ſcripſit opus de opere Militum Chriſtianorum, quos ille Monachos appellat: in eo, *Honeſtas*, inquit, *non reprehendit, quod reprehendit ſuperbia eorum, qui vocari honeſti amãt, eſſe non amant.* Et reuera contemptus artium mechanicarum ex arrogãtia Philoſophorum Græcorum, & Oratorum quorundam, nonniſi immodica ſapientium, duxit ortum, quaſi ſordidæ eſſent, quia minus ad pompam ſplendidæ. Alia mens fuit non Hebræorum ſolùm, ſed Chriſtianorum quoque, quibus dignæ ſunt viſæ, & inter Exercitia Chriſti Militum conſerentur, maximè cùm non obligationis & neceſſitatis, ſed humilitatis & deuotionis ſpontaneæ cauſſâ in vſum veniunt. Vti contingit nunc in Religioſorum contubernijs, & olim factum fuiſſe teſtis locuples eſt Epiphanius, qui de Monachis narrationem inſtituens, hæreſi LXXX. *Laborant*, inquit, *proprijs manibus ad impertiendum etiam indigentibus. Quemadmodum & in ſingulis monaſterijs, tum in Ægypciorum regione, tum in alijs omnibus, ſic laborant ad iuſtitiam* (vt, nimirum, lucro iuſto, labore ſuo parto alant ſe & indigentes alios: adde, vt in iuſtitia proficiant & iuſtitia ipſorum ſit maior, quàm ſcribarum & Phariſæorum ocio vacantium) *velut apes, in manibus quidem habentes ceram opificij, in ore verò guttas mellis, cùm propria hymniferâ voce vniuerſorum Dominum iuxta proprium ſenſum laudant.*

De quodam Anachoreta laborem manuum fugitante, ad ſimilium, & aliorum inſtructione, hæc narrantur in Vitis Patrum, quæ etiam habet Ruffinus (*a*) in hiſtoria Eccleſiaſtica: *Ioannes Breuis, ſiue Nanus dixit aliquando fratri ſuo: vellem eſſe ſecurus, ſicut Angeli nihil operantes, ſed ſine intermiſſione ſeruientes DEO: & ſpolians ſe quo veſtitus erat indumento, abijt in eremum. Et facta ibi hebdomade vna, reuerſus eſt ad fratrem ſuum, pulſans oſtium. Cui frater, Quis es tu? Et ille, ego ſum Ioannes. Tum frater, Ioannes factus eſt Angelus, & vltra inter homines non eſt. Ille autem pulſabat, dicens: Ego ſum. Et non aperuit ei, ſed permiſit eum affligi. Poſteà verò aperiens, dixit ei: Si homo es, opus habes operari, & viuas; ſi autem Angelus es, quid quæris intrare in cellam? Et ille pœnitentiam agens, dixit: Ignoſce mihi peccatori, quia peccaui.*

HINC quorundam PP. graues ſunt reprehenſiones in eos Religioſos, qui præ ignauiâ detrectant laborare manibus. Theodoretus in Philotheo cap. X. inducit Theodoſium Anachoretam, dicentem, abſurdum eſſe, quod ſeculares affligant ſe laboribus, propter ſe, vt diteſcãt, propter Principes, vt eos paſcant: & Religioſi *ſedeant compreſſis manibus, alienis autem fruantur laboribus.* Quos idcirco S. Nazianzenus Epiſt. ad Celencium. comparat hirundinibus gyrouagis & garrulis, ſed nihil quod ad hominum vtilita-

(a) *Vit. P. lib. 5. tit. 10. num. 27, Ruffin. l. 3. hiſt.*

vtilitatem ſpectat, facientibus. Iiſdem aculeum reprehenſionis infigit & acriter perſtringit S. Auguſtinus libro ſuperius indicato de opere Monachorum.

SCIO hæc & eius generis alia iniquiſſimè detorqueri à Nouatoribus in Ordines Religioſorum mendicantium, quaſi ocioſi panem manducent, contra illud Apoſtoli, *Qui non laborat, non manducet*: quod nullibi reperitur dictum ab Apoſtolo, qui ita loquitur, in ſecunda ad Theſſalonicens. capite tertio, ver. 10. *Si quis non vult operari, non manducet.* Quod dici non poteſt de Religioſis mēdicantibus, qui ſemper laborare volūt, laborāt autē frequentiſſimè, ſiue manibus, ſiue alijs corporis membris. Nam ſine labore non perficitur pſalmodia, non effunduntur orationes ad DEVM, non audiuntur confeſſiones pænitentium, non fiunt conciones ad populum, non inſiſtitur tot laborioſis ad proximi ſalutem exercitationibus, vt præclarè docent præclariſſimi & laborioſiſſimi Doctores, Bonauentura, (*a*) & Thomas Aquinas, (*b*) vt omittam recentiores.

(a) *S. Bona. lib. de pauper. Chriſti p. 1.* (b) *S. Thom. 22. q. 187. a. 4.*

MEMBRVM II.

OPERE MANVVM

& Artium mechanicarum Exercitio in Militia Chriſtiana illuſtres è Nobilibus non pauci.

SED nos exemplis iterum agamus, vt conſtet haud dedecere nobilitatem Militiæ noſtræ manibus opus facere, virtutis cauſsâ, quod mechanici ſolent ob neceſſitatem. Et poſt Caroli Magni ſobolem ſuperius laudatam, nominetur. S. IVLIANVS *Conchenſis Antiſtes*, qui labore manuum victum quærebat, & facultates Eccleſiæ in pauperes erogabat. (*a*) Quanto illis melior, qui nobiles ſceleribus, ſe illuſtriores fore exiſtimant, ſi pauperes Eccleſiæ expilent, vt ocioſorum pediſſequorum turbam, vel canum ac equorum conflugem ex bonis Eccleſiæ nutriant.

WINOCI (*b*) Abbatis ſumma fuit nobilitas, ſummus apud Principes honor. Is quicquid operis aliorum manus, vel arduum, vel graue refugiebat, impigrè & conſtanter effectui dabat. Sæpius illud Pſalmographi voluens animo: *Labores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit*, Pſalm. CXXVII. graui manuum labore, tam ſuis quàm aliorum neceſsitatibus proſpiciebat, inopes ſuſtentabat, peregrinos fouebat. Hinc molam ſibi aptarat, quam ſubinde manibus circumagendo, ſubinde ad illam mente in DEVM eleuatâ orando, ſuis pauperumque vtilitatibus inſeruire cogebat. Et mirum in modum, cum viciſsim operi ſuccederet oratio, orationem diuina ſequuta eſt benedictio, quæ illum celebrem reddidit. DEVS enim

(a) *Martyr. 5. Sept. Sur.* (b) *Nouemb. 6. Surius. Molan. de SS. Belg. Aur.*

enim feſſi ſenis volens parcere labori, molam ſuâ ſponte fecit circumagi, conſulens famuli ſui, & defeſſæ ætati & neceſſitati. Quamuis non tam ſponte ſuâ, quàm per Angelos circumacta fuerit mola, DEO imperante, qui oſtendere voluit, quàm honoratus fuerit labor ſui Militis, quem ſocietate & adiutorio Spirituum cæleſtium voluerit facere honoratiorem. Hic mihi in mentem venit Pittacus Rex Mitylenæorum, qui exercitij cauſſa, tametsi erat ocij inimicus, molere erat ſolitus. Sed quod profano huic laboris fuit præmium? deſidiam declinaſſe. Quod Chriſtiano Militi WINOCO? Id Vitæ Scriptor ſignificat, dicens: Winocum virtutibus armatum, laboribus iſtis ſacris Principem huius Mundi ſubegiſſe, & glorioſis trophæis inclytum aulam cæleſtem quæ eſt meta omnis Exercitij noſtri Militaris, intraſſe.

ANTIQVIORES aliquot ſeculis, CRISPINVS & CRISPINIANVS (a) Nobiles Romani, in Galliam profecti, vt in omnibus vitam Apoſtolico præſcripto ducerent conformem, manuum labore, victum ſibi parare voluerunt: *Artem Sutoriam*, quod quieta, & cæleſtium contemplationi minus aduerſa videretur, didicerunt. In eâ autem DEI beneficio ita excelluêre, vt multis admirationi, plurimis cari eſſent: maximè, quod nullum laboris ſui à quopiam exigerent pretium. Itaque morum ſuauitate, & artis elegantiâ nonnullos ad ſuam allexerunt familiaritatem, non tam artificij neceſsitate, vel operâ, quàm Verbi DEI audiendi ſtudio inuitatos. Quos illi, tanquam felices operum ſuorum primitias, CHRISTO pepererunt. Eorum veſtigijs alij deinde non pauci inſiſtentes, ſimili ratione, à Dæmonum cultu, ad veri DEI cognitionem perducti ſunt, Chriſtianæ Militiæ adſcripti. Omitto alios, & ad primum prouoco Parentem: quis illo nobilior, qui nobilium omnium ſcaturigo? is tamen terram vomere exercuit, poſitus in Paradiſo vt laboraret. ADAMVM ſequuti ſunt longiſsima ſerie poſteri; nobiles omnes, quia nondum vlli ignobiles, niſi impietate. Inter Patriarchas nobiliſsimus ABRAHAM, cum vxor eius Sara ad exercitium culinarium pro peregrinis ſe accingeret, ille ad armenta currebat, vt vitulum inde ferret, operi aſſuetus: & tamen trecenti illi erant & octodecim vernaculi Milites, præter alios quam plurimos quibus vtebatur pro libitu.

SED quid hæc commemoro? nonne ſupremus Militiæ noſtræ Imperator eò ſe dimiſit At tradeditur fabrili? Eſtq; conſentiens Scripturæ-Sacræ Interpretum opinio, illum fabrilem actitaſſe cum Ioſepho fabro: &, vel ſecuri, aſciâ, ſerrâ, dolabrâ circa lignum egiſſe, ſi quidem fuit faber lignarius, vt quidam putant cum D. Chryſoſtomo, & pictores ferè in tabulis exhibent; vel malleo incudem fatigaſſe, forcipe è ferrum ignitum extraxiſſe, feras, claues, clauoſque, vomeres & enſes confeciſſe, ſi Ioſeph fuit faber ferrarius, vt exiſtimant, Hilarius, (b) Ambroſius, (c) Beda: (d) vel vaſa aurea & argentea concinnaſſe, ſi fuit Aurifex, vt aliqui opinantur; vel, ſi Murarius

Ee 2

(a) *Ann.303.Baron.tom.2.Annal.Menobrot.tom.1.Sur.25.oct.* (b) *Matth.*XIII. (c) *Lib.3.in Luc.* (d) *Marci 3.*

rius fuit, vt non nemo arbitratur, parieteſerexiſſe, & domos extruxiſſe (*a*) Sed hæc incerta ſunt: iſtud certiſſimum, Christvm eſſe dictum, (*b*) *Filium Fabri*: fuiſſe opificio vix dubitatur.

Iam verò, Virginem Mariam cælorum Reginam, quotidie opus aliquod puellæ, aut mulieri conueniens manibus confeciſſe & vacaſſe plerumque lanificio, ex veterum traditione graues auctores affirmant, vt non minus operoſa Martha laborantem, quàm quieta in oratione Maria, contemplantem expreſſerit. De illâ, ſub typo Mulieris fortis dixit Salomon Prouerbiorum xxxi. *Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Panem ocioſa non comedit.* Itaque Imperatricem hanc Vniuerſi fuiſſe, & lanificam, & linificam in confeſſo eſt. Suauiſſimè Gerſon in ſua Ioſephina.

——— Fæmina fortis
Quæſiuit lanam & linum vicinia tradit,
Vt pares, inq; filos ſubtiles protrahat, inde
Textrino mandet operi doctiſſimus artis
Virgineus digitus: domus Ocia nulla recepit.

Et Mantuanus Poëta Parthenicus:

Nunc lanam ſingebat acu, nunc penſa trahebat
Serica, & immiſſis per licia pendula filis
Vela Sacerdotum ſacros texebat in vſus.

D. Epiphanius in Vita Virginis ſic de eâ ſcribit: Erat docilis & amans doctrinam: &, non ſolùm in Sacris Litteris, ſed etiam *in lana & lino, ſerico & byſſo laborabat*; conficiebatque ea, quorum vſus in templo erat Sacerdotibus. Denique, S. Anſelmus, in Vita Dominæ, *Opus manuum eius*, inquit, *erat lanæ, lini, ſerici.* Quidam etiam *Tunicam Chriſti* ex omni parte clauſam, ac minimè conſutam, ſiue laneam ſiue lineam contexuiſſe Virginem Matrem ſuo Filio exiſtimant. Quod antiqua totius Eccleſiæ traditione firmari ſcribit Euthymius Commentario Matth xxvii.

(a) *Vide Iuſtinia. 1. ad Corin. 12. 14.* (b) *Matth.* xiii. 55.

Membrvm III.

OPVS MANVVM

Quo fine, & Quomodo ad praxim ſit reuocandum.

Pædagogvs noſter Christvs, apud Clementem Alexandrinum libro Pædagogiæ tertio, iuuenes quidem ſuæ diſciplinæ ad gymnaſium, fæminas ad lanam, & piſtrinum, & ad penum mittit: omnes ad laborem, vt nemo ſit ocioſus: vniuerſi in Exercitio Militari occupati. Alter Clemens Romanus, lib. 2. conſt. cap. 64. Apoſtolico exemplo manuum artificium præcipit. Idem facit S. Ignatius Antiochenus Apoſtolorum diſcipulus, illud ſingulis inculcans

culcans Epiſtola ad Tarſenſes: *Nemo ſit inter vos ocioſus.* Iuſtinus quoque antiquiſſimus Eccleſiæ Magiſter & Martyr, lib. de Verit. fidei Chriſt. eos reprehendit, qui torquentur & ſe miſeros putant, ſi ſuis ipſi manibus aliquid perficere debeant, cum hoc ſit, hominis, qui Chriſtianæ Militiæ nomen dederit: in quam ſententiam multa ſcribunt, Epiphanius, (*a*) Auguſtinus, (*b*) Caſſianus. (*c*). Quæ quidem ego non in eum finem adduco, vt Adoleſcentes, aut Viros ingenuos & nobiles, tanquam Militiæ Chriſtianæ vel candidatos vel tyrones, vel iam diu in caſtris eiuſdem Militiæ exercitatos, ad aratrum, raſtrum, ſarculum, incudem, aſciam, ſecurim, malleum amandem. Aut, vt Auditores meos horter, vt ad ſutoriam, ſartoriam, ſcenofactoriam, aliámue artis mechanicæ officinam ſe conferant, & in ijs operam ſuam locent. Aut, vt recreationis tempore, tanquam cerdones, ac veteramentarij circa detritos calceos, lacerasque veſtes verſentur. multo minus, vt relicto honeſtiſſimo & maximè negocioſo litterarum ocio, abiectis libris, vel combuſtis, fiant agricultores, aurigæ, baiuli, piſtores. Quod ſtultiſſimè ſuperiori ſeculo factum a Melancthone & Carolſtadio ad initium inſanientis Lutheraniſmi.

SED vt oſtendam, tum primos Chriſtianæ Militiæ Duces, poſt eius Imperatorem, ſuos hoc quoque manuum labore exercuiſſe, ac ſe dediſſe in exemplum; tum, non eſſe ledecoroſum nobilitati Chriſtianæ, ad iſtiuſmodi opera ſe demittere, vel paratos ſe promptoſque exhibere; ſiue in Religioſorum caſtris, imitandi Domini ſui gratiâ; ſiue in quocumque ſtatu, neceſsitatis tempore, vt alimonia honeſtè comparetur; ſiue ex officio caritatis, pauperum iuuandorum cauſsâ; ſiue ad ocium vitandum; ſiue ad tentationes carnis ſuperandas; ſiue ad demiſsionem Chriſtianam exercendam. Denique, vt demonſtrem, pudori eſſe non debere vlli, quamuis nobiliſsimo, ob aliquam ex dictis cauſsis, manibus laborare, quam diu in caſtris huius mortalitatis, tanquam Miles, agit. Certè, aqud Romanos ipſi Milites artium mechanicarum erant periti, ijdemq́; erant fabri, tignarij, nauicularij, frumentatoresq́ue. Nec minus aptè ſecures, dolabras, & falces, quàm gladios, & haſtas tractare conſuerant. An etiam acum, palam, ſubulam? Teſtes ſunt huius rei milites Cæſariani, qui vt ipſe ſcribit Cæſar, materiam cædebant, vnde pōtes, naues, machinasq́ue vrbibus oppugnandis ædificarent: frumentumq́ue ipſi ſibi ex agris metebant, ac in caſtra deportabant. Itaque non alij erant fabri, meſſores, excuſſores in caſtris, quàm milites. Nec ſutorum, ſartorumq́ue aliorum fit mentio. Spartianus in Piſcennio, negat clarè, voluiſſe Imperatorem, vt piſtores expeditionem ſequerentur: immò, dicit, mandato prohibuiſſe.

(a) *Epiph.hær.80.* (b) *Auguſt. de Oper Mon.* (c) *Caſſian. de Inſtit.*

MEMBRVM IV.
OPVS MANVVM
Tropologicum. Spirituale. Myſticum.

SIT ex hactenus demonſtratis cōſtitutum, *Primum Exercitium* Militis Chriſtiani eſſe *Opus manuum*, quo fructuoſè Ocium euitatur. Sed quoniam Militia noſtra eſt *Moralis, Spiritualis, Myſtica*, contra Peccata, & hoſtes inuiſibiles, ſi abhorreant quidam à manuali illâ Exercitatione craſsâ & corporali, accipiantur *Manus*, quibus opus exercetur, Moraliter, Spiritualiter, ac Myſticè. Sic autem *Dextra* eſt Intellectus; *Siniſtra*, Voluntas: quæ duæ potentiæ verius, quàm Manus corporeæ, ſunt organa organorum. Harum autem labore opus manuum externum ſuppleant. Vtraque verò exercetur grauiter, & multo acrius quàm in opificio mechanico corporeæ, dum mens contemplationi ac meditationi rerum diuinarum vacat. Omnis enim illa mentis exercitatio, vtriuſque potentiæ operationem exigit. Atque hæc ars, hoc opus mechanicis omnibus præſtat, & Militi Chriſtiano eſt conuenientiſsimum. Sic verius meliusque, quàm, ſenſu Stoicorum, Sapiens aut Sapientiæ cæleſtis Amator, qualis eſt. qui Militiæ ſacræ nomen dedit, OMNIA ERIT, & rectè faciet OMNIA. Stoicum dogma eſt, inquit neſcio quis, apud Athenæum libr. IV. ſubſannans, quod omnia rectè faciet Sapiens, etiam Lenticulam condiet. Omninò, aiebant Stoici, ſic ſe res habet: hanc condiet, ſi iubebit, & Sartor, ſutorque erit. Audi Lyricum:

——— *non noſti quod pater ille*
Chryſippus dicat? Sapiens crepidas ſibi nunquam
Nec ſoleas fecit: Sutor tamen eſt Sapiens. quo?
Vt quamuis tacet Hermogenes, Cantor tamen,
Optimus eſt modulator.——— *atque*
Immò, *Sapiens ſic optimus omnis*
Eſt Opifex.———

An ſolùm poteſtate? an verò etiá facto? Hoc quoque, quando eſt neceſſarium, vel ad commodum proprium, vel aliorum. Ita Hippias nihil eorum, quæ ſecum habebat emerat, ſed ſuis ſibi manibus confecerat: veſtes, calceos, annulum, gemmam, ampullam, ſtigilem. vt Athenæus ſcribit. Addebat Poſidonius, & communiter Stoici: Omnes artes quibus in quotidiano vſu vita fruitur à Philoſophiá eſſe inuentas, fabrilem, metallariam, textoriam, piſtoriam. *Quæ omnia*, inquiebat, apud Senecam Epiſt. XC. *Sapiens quidem inuenit, ſed minora, quàm vt ipſe tractaret ſordidioribus miniſtris dedit.* nimirum, ordinariè pertractanda. Ipſe tamen, vt audiſtis, manum etiam admouet, cùm iſtud vel officij ratio, vel neceſſitas, apud Chriſtianos etiam, cùm demiſſio, caritas, ocij fuga, & vt hoſtes tartarei ſuperentur, exigit,

Qui

Qui ſunt fines Manibus operantis Militis Chriſtiani.

EIA igitur, ACADEMICI, ſi deſideratis eſſe eius denominationis Bellatores, quod omnibus reor eſſe in optatis, ſi ad victoriam aſpiratis contra Cacodæmonem, Peccata, Cupiditates prauas; ſi velitis eſſe ſalui aliquando, nomen veſtrum volentes lubentes pugnantibus ſub vexillo Pietatis adiungite, & nullius exceptione temporis, ſemper fortiter agite. viriliter pugnate, audacter vbique inimico reſiſtite, vſque ad finem conſtanter; nulla cum hoſte tregua inita, nullis inducijs illi conceſſis, nulla deditione factâ. Sic quicumque perſeuerauerit vſque in finem ſaluus erit.

NOTÆ

In quibus Auctores & Appendiculæ.

§. I. CLASSES.] *Quàm variè conſtitui poſſint Claſſes* DEO *ſeruire volentium, & ſeruientium, nunc tres, nunc quattuor, nunc quinque, vſque ad nouem, declarat* Sandæus *in Onomaſtico Theolog. Myſtica*, Verb. Claſſis.

§. II. AVCTORITAS *pro Exercitio militari.*] *Multa collegit* Busbequius *in Conſilio de re militari contra Turcam: plura Lipſius lib. v. de Militia Rom. dial. 14. Primas obtinet* Vegetius, *qui in Epitome Inſtitutorum rei militaris ad Valentinianum Auguſtum varijs locis: iſta habet ad rem noſtram valdè accommodata.*

In omni prælio, non tam multitudo, & virtus indocta, quàm ARS & EXERCITIVM valent præſtare victoriam. Nulla alia re videmus Popul. Romanum ſibi orbem terrarum, niſi armorum *Exercitio*, diſciplinâ caſtrorum vſuque Militiæ, ſubiugaſſe. Quid enim aduerſus Gallorum multitudinem, paucitas Romanorum valuiſſet? quid aduerſus Germanorum proceritatem breuitas potuiſſet audere? Hiſpanos quidem non tantùm numero, ſed etiam viribus corporum noſtris præſtitiſſe manifeſtum. Afrorum dolis atque diuitijs ſemper impares fuimus. Græcorum artibus prudentiaque nos vinci nemo vnquam dubitauit. Sed aduerſus omnia profuit, Tyronem ſolerter eligere: Ius, vt ita dixerim, armorum, docere diſciplinam: quotidiano EXERCITIO roborare: quæcumque euenire in acie, atque in prælijs ſolent, omnia in campeſtri meditatione pernoſcere, ſeuerè in deſides vindicare.

Scientia rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam. Nemo facere metuit, quod ſe benè didiciſſe confidit.

In certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior eſt: rudis & indocta multitudo expoſita ſemper ad cædē.

Quemadmodum benè EXERCITATVS MILES prælium cupit, ita formidat indoctus. Sciendum, in pugna vſum amplius prodeſſe quàm vires. Nam ſi doctrina ceſſet armorum, nihil paganus diſtat à milite. *Hæc aliaq; multa Vegetius. Vide plura Comment. de Exercitio armorum, & in eius Notis.*

§. III. OPVS Manuum.] *De hoc fusè egit Sandæus in libro, qui inſcribitur,* ARTIFEX EVANGELICVS, *ſignatè, titulo* FABER. *Vbi diſputatur, An ſit probroſum, & libero homine indignum exercere artem mechanicam? Item, An nobilitatis titulus, & inde orta priuilegia idcirco perdantur?*

§. IV.

§. IV. CHRISTI Ars fabrilis.] *De hoc loco indicato, Diſquiſitione 6.7.8.9.10.*

§. V. DEIPARA netrix] *De hac eod. lib. tit.* Netrix bona mater familias. *Item.* Netrix Miles. *cuius colus ſit gladius.*

§. VI. STVLTITIA *hæreticorum in ordinem me hab i. ram ſe conijcientium*] *Legendus* Surius *in hiſtoria,* Remundus, Gualterius, Vlenbergius.

§. VII SAPIENS omnium *Artifex*] *De hoc Stoicorum dogmate eruditè differit* Iuſtus Lipſius *lib. 3. Manuduct. ad Philoſoph. Stoicam.*

COMMENTATIO IV.
EXECITIVM ONERIS
MILES CHRISTIANVS.
Quo iugiter eſt occupandus
Dominicâ Quinquageſimæ.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Lucæ XVIII.

MEMBRVM I.
CHRISTVS IMPERATOR
Apoſtolos, ceu Milites, ad Exercitium Militare hortatur.

VIDEOR videre potiſſimum Dominum IESVM CHRISTVM, quod hodiernum Euangelium ſuggerit, tanquam ſupremum nouæ Militiæ Imperatorem inter ſuos Milites, pauculos illos quidem, quippe tantùm bis ſenos, ſed ad Militiam ſuam maximè idoneos: vtpote, quos proximè habito militari Delectu, tanquam ad votum ſuum laborioſos, reiectâ otioſorum turbâ innumerabili, ſibi adiunxerat, ad Sacramenta auctoratos albo ſuo inſcripſerat. Nec videre ſolùm videor ſed audire etiam clarâ voce dicentem: Eia laborum meorum Socij, veſter Ego non commilito tantùm; ſed & Præfectus, Ductor, Imperator, modum militandi, & exercendi Vos militariter, exemplo magis, quàm verbo præſcribam, tradamque ſequimini inſtitutionem meam. Ego vobis ero norma *in laboribus à iuuentute meâ.* Ecce, *aſcendimus Ieroſolymam:* laborioſum eſt iter. Ego præcedam. Quod me videritis facere, hoc facite. *Ecce, aſcendimus Ieroſolymam*, ad bellandum Cacodæ-

Cacodæmonem, ſuperandum Mundũ, ſubigendam Carnem, magnos hoſtes & potentes. Nolite terreri. Ego vici Mundum. Victores eritis, ſi Militiæ meæ *Onera* non refugiatis. Exerceri vos velim, eo Exercitiorum genere, quo me bello præludere videbitis. Ducem veſtrum intuemini. *Tradetur Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur : & poſtquam flagellauerint, occident eum.* Sed tertia die reſurget.

HÆC ſumma eſt laborum & Exercitiorum Militiæ Chriſtianæ, in quâ infinita, tanquam ſub genere ſummo, quod PASSIO nominatur, continentur, vt ſuo tempore intelligetis. Fecit autem CHRISTVS hac compendioſa ad ſuos Milites alloquutione, quod poſt Delectum militarem magni Duces ſolent, breuiter, ſed & efficaciter hortari recèns adſcriptos & Tyrones, vt ocio amandato, ad laborem ſe parent : cogitent, ſe non ad vacandum, ſed ad laborandum ſtrenuè nomen Militiæ dediſſe : deinde proponere, quænam potiſſimùm nomine militarium Operum, laborumque contineantur. Quod, vt & ego faciam ordine, incipiam hodiernâ die explicare, ad modum veteris diſciplinæ, quæ apud Romanos erat optima, cùm floreret Romana Reſpublica, Exercitia conſcriptorum Militum quæ propriè erant militaria, eaque ad Militiam ſacram transferam, & Sapientiæ Pietatique conſecrabo, non minus, vt ſpero fructuoſa, quàm iucunda Chriſtianæ Militiæ Tyronibus diſſertatione.

MEMBRVM II.

EXERCITIA MILITARIA

Oneris. Operis. Armorum.

Quale fuerit ONERIS in Militia Romana.

CONSIDERATA diligenter Romanorum diſciplinâ militari, animaduerto apud illos viguiſſe triplicis generis Exercitia : nempe, *Oneris Operis, Armorum.* His omne abigebatur à caſtris ocium. Quod ad primum ſpectat, incredile eſt, quantum *Oneris* Militi imponeretur, eo fine, vt aſſueſcerent Laboribus non ſuccumbere, vt indureſcerent, & corpus haberent cuicumque labori ferendo. Quod ſanè conſequebantur laborioſiſſimi apud Romanos Milites. Quos refert Plutarchus in Mario, ſic fuiſſe laboribus ſuetos factosque (ἀκαμάτους) vno verbo, vt nec ſudantem, nec ſuſpirantem quemquam eſſet cernere. Quod in diuturnâ maximè pugna cum Cimbris, magno in æſtu & acri concurſu Q. Catulus notauit, & ad Senatum perſcripſit. Horam exigeret & amplius vel ſola commemoratio eorum quibus Miles onerabatur. Epitomen quandam habet illorum Cicero in ſecunda Tuſculanarum, hortans ad laboris tolerantiam & patientiam doloris. *Noſtri*, inquit, *Exercitus primùm*

vnde nomen habeant, *vides. Deinde, quis labor, & quantus agminis*, id eſt, vt exponit Iuſtus Lipſius, *Oneris. Ferre plus dimidiati menſis cibaria: ferre ſi quid ad vſum velint: ferre vallum. Nam ſcutum, gladium, galeam noſtri milites in Onere non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. Arma enim membra eſſe Militis dicunt, quæ quidem ita geruntur aptè, vt ſi vſus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, vt mëbris pugnare poſſint.*

QVATTVOR Oneris genera Militi imponit. *Primùm*, Cibaria plus quàm dimidiati menſis: immò, aliquando totius menſis ex Liuio libro XLIV. *Secundò*, Vtenſilia; inter quæ, ex Ioſepho, erant, *ſerra, corbis, rutrum, ſecuris, lorum, falx, catena.* Quorum pleraque ad lignandum, pabulandum, muniendum pertinent; catena ad captiuos vinciendos. Præter iſta portabant ollam, veru, & ſimilia ad victum neceſſaria. *Tertiò*, Vallum, immò, vallos, plurimùm, ternos, aut quaternos, aliquando etiam ſeptenos: immò, nonnunquam duodenos. Ferebantur autem valli, vt ſtatim liceret vallare ſe, ac munire, ſi caſtra ſubitò locanda, aut alia eſſet neceſſitas. Cogita numerum militum, qui erant in Conſulari exercitu, ſupra ſedecim millia, ter aut quater tot vallos, potuit profectò ſtatim ſtrui denſa firmaque munitio contra equitem peditemque. Sic quoque nec in agmine facile fuit eos opprimere aut diſſipare. *Quartum*, Onus erat Arma, Immò, non *Onus*, ait Cicero, cum milites arma habeant, velut ſua membra. Iam verò, ſupradictis, ita onerabantur, vt Ioſephus ſcribat, parum abeſſe à mulis ſarcinarijs peditem Romanum: quem idcirco ſub iniuſto faſce premi canit Virgilius. lib. 3. Georg.

> *Non ſecus ac patrijs acer Romanus in armis*
> *Iniuſto ſub faſce viam dum carpit, & ante*
> *Hoſti expectatum poſitis ſtat, in ordine caſtris.*

Simili modo Fabius Quintilianus, libr. XIII. cap. 3. *Aſſueta*, ait, *gymnaſijs & oleo corpora, quamlibet ſint in ſuis certaminibus ſpecioſa atque robuſta, ſi militare iter, faſceſq; & vigilias imperes, deficiant, & quærant vnctores ſuos.* Nominant hi, alijque *faſces*; quoniam ſic alligatas ferebant, velut in faſcem ſarcinas: vt videre eſt Romæ in Columna Traiana, quæ milites onaratos exhibet. Sic autem onuſti, horis quinque æſtiuis viginti quinque millia paſſuum militari gradu conficiebant, vt Vegetius definitè tradit: aliquando plura, vbi celeritate ad hoſtem intercipiendum erat opus. Tale fuit apud Romanos Exercitium *Oneris.* Nec longè diuerſum apud Macedones, de quibus Polyænus. Philippus exercebat ſuos, vnà cum armis trecenta ſæpe ſtadia, id eſt, triginta ſeptem milliaria ambulare faciens, ferentes peltas, galeas, ocreas, ſariſſas; & prætereà, commeatum, ac quæcumque vaſa vſus quotidiani. Plura addit Frontinus lib. IV. cap. 1. Idem in vſu fuiſſe Cattis auctor eſt Tacitus. Quin & Turcas hoc quoque æuo, ollam æneam, ſcutellam, ſecurim, ignarium, ſacculum cum annona, & talia quædam ferre teſtantur, qui ſpectarunt.

***

MEM-

MEMBRVM III.
EXERCITIVM ONERIS
Cibariorum. Vtenſilium. Vallorum. Armorum.
MILITIÆ CHRISTIANÆ.

EST in Militiâ Chriſtianâ. ſicut fuit in Romana *Exercitium Oneris.* Exercet enim DEVS ſuos. vt CHRISTVS olim Apoſtolos, ſicut Dux ſuos Milites, ferendis oneribus ac ſarcinis, vt indureſcant, ſintq; ad laborem omnem ſubſequentem paratiores. Vt autem quattuor Oneris genera habuit Militia Romana, ita non pauciora agnoſcit Chriſtiana.

PRIMVM hic quoque eſt CIBVS, qui conſiſtebat olim in frumento, aut pane buccellato. Inter *Cibaria* Militiæ noſtræ imprimis eſt *Verbum DEI. Non in ſolo* Pane *viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore DEI*, Matthæi IV. Hunc ferre debet Miles Chriſtianus, vt fortior fiat, vt conforretur contra hoſtes Nam hic *Panis* confirmat, & confortat cor hominis. Hoc oſtendit Chriſtus Archidux noſter, qui præliaturus contra aduerſarium, huius *Panis* magnũ ad caſtra cumulum attulit. Quo cùm aleretur, à *Pane materiali* in piſtrino parari ſolito abſtinere potuit, ac ieiunare quadraginta diebus & noctibus. Hinc tam feliciter pugnam inijt, ac fortiſſimè reſtitit Aduerſario, eumque ſuperauit hoc *Pane* roboratus. Eodem *Pane* eſt vſus, tanquam letali bolo, aut offa lethali, quâ infernalis Cerberi fauces obſtruxit. Suggerenti: *Dic, vt lapides iſti panes fiant*: Reſpondet, *ſcriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo.* Inuitanti *Mitte te deorſum*, ocurrit; *Rurſum, ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum DEVM tuum.* Iterum tentanti: *Hæc omnia dabo tibi, ſi cadens adoraueris me*, bolum obijcit, quo rumpatur: *Scriptum eſt, Dominum* DEVM *tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Hunc *Panem* & nos imponi nobis ſinamus, hunc in ſacciperio memoriæ, in manticâ reminiſcentiæ, in mentis ſacculo, tanquam neceſſariam annonam feramus; hoc onuſti incedamus, & nunquam fame, quamuis in ſummâ aliorum alimentorum penuriâ contabeſcemus.

ISTIVSMODI Oneris exercitio probantur, an idonei ſint ad Militiam Chriſtianam, qui libenter Verbum DEI audiunt, illud retinent in animo, domum reuerſi recolunt, ac ruminant. Qui libentius quietis aliquam partem ſibi præſcindunt, quàm, vt patiantur commoditatem Verbi Diuini audiendi ſibi eripi. Qui nulla aëris iniuriâ, non imbre, niue grandine, non ventis, procellâ, tempeſtate, tonitru, fulmine detinentur domi à DEI Verbi auditione, quod auidiſſimè ſemper hauriunt. Qui eundem *Panem* ſibi comparant lectione libri ſpiritualis, colloquijs pijs cum viris religioſis, & conſodalibus, exercitatione

memoriæ, cui illud commendant, vt ad vſum ſemper habeant in promptu. Contra verò, eiuſdem *Oneris Exercitio* iudicantur inepti ad Militiam ſacram, qui ferre ſuum illam annonam recuſant. Qui Verbo Diuino nullam reuerentiam exhibent, nullam illi vim & energiam tribuunt; qui illud ſuo tempore audire recuſant, qui nonniſi coacti ad conciones ſacras veniunt: qui nunquam, aut rariſſimè libellum aliquem pium in manus ſumunt: qui Verbo DEI ad facetias, nugas, & quod deteſtandum maximè, ad ſcurrilitates & impuritatem abutuntur. VERBVM DEI, tanquam *Annona militaris*, ſemper in promptu eſt habenda. Hoc in cathedris ſuademus, monemus, præſcribimus. Mentiuntur hæretici, dum nobis adfingunt, vt fallant vulgus indoctum: Papiſtas, vt loquuntur, Verbo DEI non multum tribuere, illius rationem exiguam habere illud ſeponere. Credite mihi, loquar expertus: nulli pluris faciunt Verbum DEI, quàm Papiſtæ veri, & ex iis Eccleſiaſtæ Religioſi. Illud ipſi habent, vt cibum quotidianum, vt *Panem ſubſtantialem*, crocatum, candidum, ſitu & ſordibus purgatiſſimum, viuificum. Illo vtuntur, & farre, obſonio, dapibus. Eo quotidie aluntur, ſaginantur, pingueſcunt, roborantur. Illud, vt annonam ad omnes expeditiones ſuas ſecum ferunt. Iſtorum eſt acroama. VERBVM DOMINI *manet in æternum*.

AD genus *Oneris*, quod Cibaria continet, ſpectat PANIS EVCHARISTICVS, *Panis vitæ. Manna cæleſte.* Verè *Panis militaris*, buccellatus, caſtrenſis. Cùm Peſcennius Imperator prohibuiſſet piſtores exercitum ſequi, iuſſit milites omnes buccellato in locis pacatis accepto, eſſe contentos, vt refert Spartianus. Et Ammianus diſertè ſcribit, viginti dierum frumentum, ad vſus diuturnitatem excoctum, buccellatum, vt vulgo appellant, humeris impoſitum fuiſſe libentium militum. Olim idem panis nauticus appellabatur: nunc biſcoctus: qualis eſt, qui in buccellas, & quaſi teſſellata fruſta eſt diſſectus. Nonne talem ſpeciem habet *Panis Euchariſticus*? panis biſcoctus ſemel in flammeo Patris æterni ſinu, iterum in ardenti Virginalis vteri furno, vt pluribus explicatum eſt, cùm de Commeatu Militari egimus. Hunc *Panem* ſecum portet Miles Chriſtianus, id eſt, eiuſdem deſiderium ſemper habeat: reipsâ etiam eo fruatur, ne fame intereat, quandocumque, ad id non neceſſitas tantùm coget, ſed deuotio etiam & appetitus pietate ac diſcretione directus incitabit.

QVEMADMODVM hodiernâ die, quam peculiariter ſibi deſtinarunt SODALES Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, quo plenaria eſt peccatorum, cum pænarum remiſſione, condonatio, confeſſis, communicantibus, & orantibus DEVM pro Eccleſiæ neceſſitatibus: quod hoc maximè tempore, patriâ quoque noſtrâ à milite hoſtili deuaſtatâ, facere conuenit. Vt autem precum ſuarum effectum facilius conſequantur, petiuerunt ſibi ſacram diſtribui Synaxim, id eſt, *Annonam militarem*, ante Aram, inſcriptam Virgini DEIPARÆ, tanquam BELLONÆ Chriſtianorum, ante illam, in quâ eminet Sodalitatis Marianæ Statua, quam vocari voluerunt Parthenij, MARIAM DE

BONA

Bona Fortuna. O fœminarum fortunatiſſima Maria vota tuorum, & expeditiones bellicas, pro Eccleſiâ, fide, Deo, aris, focisque noſtris fortuna!

Membrum IV.

Onus Utensilium

Iugum Domini: Eiusq; Leges.

Alterum genus *Oneris*, quod militi Romano imponebatur, erant *Utenſilia*, hoc eſt, inſtrumenta ad vſum variorum munerum accommodata. Quibus multa reſpondent in Militia Chriſtiana. Sed vno vocabulo persè exprimuntur omnia: nempe Iugo, ſiue Domini, ſiue peculiariter Christi. Hoc Onere, ſi tamen *Onus* dicendum, maximè, exercendus eſt Tyro; & in nullâ ætate, nullo periculo, nulla occaſione illud eſt abijciendum. ***Bonum eſt viro, cùm portauerit*** Iugum ***hoc ab Adoleſcentia ſuâ***, inquit Propheta Ierem. Threnorum III. id eſt, bonum, honeſtum. vtile, iucundum, immò, neceſſarium eſt ad perfectionem Militis Chriſtiani, fuiſſe ad adoleſcentia, quæ infantiam & pueritiam quoque complectitur, Legis diuinæ cultorem: obedientem DEO, obſequentem parentibus, morigerum morum magiſtris, pium, caſtum, temperantem, ſobrium, modeſtum, humilem, manſuetum: vitij omnis oſorem, omnis virtutis amatorem. Monet Imperator noſter, & inſtigat ad huius oneris Exercitium: ***Tollite*** Iugum ***meum ſuper vos: & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*** Matthæi XI. In qua cohortatione, per Iugum, intelligitur doctrina Chriſti, præcepta Euangelica, eius monitiones ſeueræ, minæ, labores, caſtigationes. At grauiſsimum, inquis, eſt hoc *Onus*, ac intolerabile. Negat id Chriſtus, qui imitationi ſuæ ſubrectit: ***Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.*** Nota voculam, ***ſuaue***; Syrus interpres habet ***amabile:*** id etiam ſignificat χρηςός, Græcum: quia ſaluti tantùm neceſſaria, & rationi æternæ conſentanea habet; immò, naturalia. præter pauca Sacramenta, quæ ipſa gratiam conferunt. Et Lex Chriſti eſt amoris. Quamuis autem grauia nonnulla carni & ſanguini præcipiat, facit tamen gratiam ſuppeditando, omnia leuia. Sic computreſcere dicitur iugum à facie olei, Iſaiæ x.

De Iugo legis antiquæ inquiebat Petrus Apoſtolus, cùm reprehenderet Hebraizantes quoſdam, qui contendebant, conuerſos à Gentiliſmo ad Chriſtum debere circumcidi, aliasque Legis Iudaicæ obſeruare ceremonias; ***Quid tentatis DEUM, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus***, Actuum XV. Ac ſi diceret: putatis ne Deum velle, vt imponatur, ſiue vt imponat eis DEUS iugum Legis penè importabile? Quod S. Auguſtinus Serm. IX. de verbis D. vocat, Sarcinam innumerabilium obſeruationum,

tuorum, qua duça Iudæorum ceruix premenda erat, ne ad idola & idololatras reſpicerent. Certè, Rabbi Moſes accuratus calculator minutiarum illius Legis, lib. 3. Doctoris dubiorum, numerat præcepta eius adfirmatiua CCXVIII tot quot ſunt membra in homine; negatiua verò CCCLV. tot ſcilicet, quot ſunt dies in anno. Porrò, Chriſtus D. non aboleuit quidem Decalogum, ſeu præcepta Moralia ac Naturalia Legis, ſed tantùm Ceremonialia in Iudicialia, quia pro connectis laciniolæ Legis ceremonijs dedit *Verbum abbreuiatum*, hoc eſt, breuiſsimum fidei ac dilectionis præceptum, vt S. Hieronymus in cap. x. Iſaiæ explicat. Non eſt tamen exiſtimandum, portari ſimpliciter non potuiſſe, quamuis oneroſiſsimam illam Legem: ſiquidè DEVM nihil ſimpliciter impoſsibile imponere, vt fiat, tam certum eſt, quam illum non eſſe tyrannum, ſed æquiſsimum Dominum, & ſuorum amantiſsimum Patrem: ſed ægrè admodum ac difficulter portari poterat. Quod quidem dici ſolet. *Impoſſibile moraliter*, non phyſicè. Multi profectò illius etiam Legis iugum portarunt, nec oppreſsi fuerunt. De Elizabetha & Zacharia ſcribit Lucas, (*a*) quod fuerint iuſti ante DEVM, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela. Similia proferuntur de Dauide, (*b*) Ioſue, (*c*) Ioſia (*d*) & alijs nonnullis.

AT, de *Oneris* noſtri conditione ageus Ioannes Chriſto dilectus, Miles exercitatiſsimus, profitetur ſolemniter, quod Mandata Imperatoris noſtri *grauia non ſint*, multo minus impoſsibilia, vt cum magno pro[illegible]otum ſcandalo, ac iniuria DEI blaſphemant hæretici. Vultis cauſſas compendio, quas fusè pertractant controuerſiarum arbitri? PRIMA eſt, quia CHRISTVS Milites ſuos liberauit ob Onere graui & multiplici tot mandatorum ceremonialium, ac iudicialium, quibus premebantur antiqui: tantum autem decem quædam præcepta Legis naturæ, quæ Decalogo continentur ijs impoſuit, paucis additis, ad fidem & Sacramenta ſpectantibus. SECVNDA, qui CHRISTVS dando gratiam, ſubleuat, & humeros quodammodo ſupponit: Aut, quod non minus rem ob oculos ponit, alas donat, quibus per viam mandatorum diuinorum non curramus tantum, ſed volemus. *Viam mandatorum tuorum cucurri*, inquiebat Rex Dauid, *cùm dilataſti cor meum*, Pſalm. CXVIII. Vnde S. Auguſtinus profitetur, lib. de perfect. Iuſtit. Non eſſe graue quod diligendo fit, non timendo. Nam *perfecta caritas foras mittit timorem: & facit præceptiſarcinam leuem, non ſolùm non prementem onere ponderum, verùm etiam ſubleuantem vice pennarum. Anima ergo. quæ illa grauia ſentit, oret gemitu voluntatis, & impetret donum facilitatis.* Hinc ſumitur. TERTIA Ratio, quia Caritati, & conſequenter, amanti caritate DEVM nihil eſt graue.

O Adoleſcens! ſi amares ſincerè ac delicatè DEVM, CHRISTVM, MARIAM, quàm eſſet tibi leue, facile, ſuaue, pietatis officijs te totum tradere, orare, meditari, Sacrum quamuis longiſsimum deuotè audire, nunquam à concione abeſſe, templa frequentare! Quam non eſſet tibi difficile, ſpurcitijs carnis abſtinere, ſocietates noxias deſerere, nunquam

quam tabernas inire, non inebriari, non ſcurriliter agere, non ocioſè tempus tranſigere? Quàm eſſet tibi iucundum voluptati improbæ nuncium remittere, caſtitatem colere, ſobriè, iuſtè, piè vitam omnem agere! Rectè Auguſtinus lib de natura & grat. cap. LXIX. *Quomodo eſt graue*, quod tibi mandatur à Chriſto, *cùm ſit dilectionis mandatum*? aut enim non diligis, & graue eſt; aut diligis, & graue eſſe non poteſt. Sapientiæ tibi ſemper aſsiſtentis & comitantis vox eſt: *Viam Sapientiæ monſtrabo tibi, & ducam te per ſemitas æquitatis, quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum*, Prouerbiorum IV. Ergo, inquis, mandata DEI & leuia ſunt & grauia. Ita ſanè, ſed diſtinctione S. Bonauenturæ: vt grauia ſint naturæ lapſæ, & corruptæ, leuia ac facilia naturæ ſanæ & integræ: gratia autem naturam ad ſanitatem & integritatem perducit: quemadmodum peccatum ea idem quodammodo vulnerat, mutilatque. Quocirca facit, vt mandatum ſit illi quaſi *talentum plumbi*, Zachariæ V. aut ſicut *onus graue grauatum*, vt eſt Pſalmo, XXXVII. Dauidis, ſenſu Didymi & Oecumenij.

Illvd denique eſt adiungendum, quamuis Mandata quædam Christi, in ſe grauia quoque ſint, quod non videtur, negandum: nam premere, ſeu, vt loquuntur Aſcetæ, mortificare cupiditates omnes, obire martyrium, pati omnia aduerſa æquo animo, grauitatem haud dubiè habent, tamen leuia fiunt, ſi conſiderentur exempla Chriſti & Sanctorum, eiusque promiſsio de cæleſti gloriâ, iuxta illud Pauli Apoſtoli: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, Romanorum VIII. Et, *Quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur*, ſecundo ad Corinth. IV. cap. Audiamus S. Auguſtinum, Ser. XVIII. de SS. *Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam paruo tempore tolerare, vt Chriſtum videre digni eſſemus in gloriâ venientem, & Sanctorum eius numero ſociari, nonne erat dignum pati omne quod triſte eſt, vt tanti boni, tantæq; gloriæ participes haberemur?*

* * *

MEMBRVM V.

MILES CHRISTIANVS

Sub faſciculo leui

MILES MVNDANVS

Sub faſce graui.

IAM ad Romanam Militiæ diſciplinam regredior, ſecundum quam tam grauiter premebatur Miles Onere vtenſilium, vt illum *iniuſto ſub faſce* viam carpere dixerit Poëta. At Militis Chriſtiani non faſcem, ſed faſciculum nominat oneris illius experta Sponſa: *Faſciculus*, inquit, *myrrha Dilectus meus mihi*, Canticorum 1. Quod exponens ſuauiſſimè S. Bernardus, Ser. XXXIV. *Myrrha*, inquit, *amara res, dura & aſpera tribulationem ſignificat. Eam ſibi Dilecti cauſſâ imminere proſpiciens, gratulabunda id loquitur, confidens ſe omnia viriliter ſubituram.* Sic *ibant gaudentes diſcipuli à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. Propterea,* non FASCEM, *ſed* FASCICVLVM Dilectum *dicit, quod leue præ amore pſius ducat, quicquid laboris immineat & doloris. Benè* Faſciculus, *quia Paruulus natus eſt nobis,* quem portamus cum ad bellum contra hoſtes tartareos procedimus *Benè* Faſciculus, *quia non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.* Erit quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modò eſt FASCICVLVS *myrrha. An non* Faſciculus, *cuius iugum ſuaue eſt & onus leue? Non quia leue in ſe (nec enim leuis, paſſionis auſteritas, mortis amaritudo) ſed leuis tamen amanti. Et ideò, non ait tantum,* Faſciculus myrrhæ Dilectus meus; *ſed mihi*, inquit, *qua diligo*, Faſciculus *eſt. Vnde & Dilectum nominat, monſtrans, dilectionis vim omnium amaritudinum ſuperare moleſtiam: & quia fortis eſt, vt mors dilectio eius.* nimirum,

> *Eſt amor æternus nulliſq; domabilis vndis.*

LVBET hîc conferre *Onus* hoc Militis Chriſtiani, cum onere Militis Mundani, aut Diabolici, quo onere premitur verè importabili, quale eſt, vt omittatur iugũ ſeruitutis intolerabilis, Luciferi infernalis, & alia quàm plurima, vel vnius peccati lethiferi, cuius ea eſt grauitas, & cùm eo premeretur rebellis DEO Angelus, quamuis naturâ ille eſſet tenuiſſimus, ſubtiliſſimus, leuiſſimus, cælum, quamuis æneum, aut quolibet ære firmius, diſſilierit, vt transmiſſo ad ima Cacodæmone, eo exoneraretur. Eandem grauitatem ſenſit aër, qui ſuſtinere non potuit Icarum Simoniacum. Cui non eſt auditus Magi Simonis caſus, qui cum veneficijs alis in altum euolaſſet, præ pondere iniquitatum decidens, infelicior Icaro Dædalide, crura ac compages membrorum omnium confregit. Aquæ non potuerunt ferre fugitiuum Ionam. Neque ſatis fuit, nauem exonerari mercibus

cibus quia vnicus in eâ peccator adeò eam depreſſerat, vt in manifeſto ſubmerſionis diſcrimine fluctuaret, & ſubſediſſet præ pondere, niſi fuiſſet eiectus Ionas. Cùm Ægypti peccatores peſſimi in mare præcipitati ſubmerſi eſſent, cantauit Moſes & populus Iſraël, hanc grauitatẽ perpendens : *Deſcenderunt in profundum quaſi lapis.* *Submerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus,* Exodi xv. Terra, licet ſit corpus inter elementa ſolidiſſimum, tamen quia tanta erat grauitas peccati murmurationis, contra Moſen DEI ſeruum, vt ſuſtinere illam non valeret, ingenti diſrupta chaſmate, Dathanem, Abironem, & ſceleratam murmurantium turbam abſorbuit. Eiuſdem oneris pondus preſſit Christum, magnum illum & ad quælibet onera ferenda potentem gigantem. An non enim iniquitates omnium noſtrum portauit ipſe, ſed vt oſtenderet grauitatem, inclinato capite tradidit ſpiritum, figurâ baiuli onus abijcientis in ima, quò dum rueret, gemuit ſub pondere tellus, & terra tremuit. Quantum eſt, DEVS bone! diſcrimen in onus Chriſti leue, & onus Diaboli graue, ac importabile!

Membrvm VI.

Onvs Vallorvm

in Militia Chriſtiana denotat Crucem, Iudicia DEI. Conſilia Euangelica, Calamitates huius vitæ.

Tertivm genus *Exercitij Oneris*, erant Valli, id eſt, pali firmiores, pedum aliquot altitudine, ex quibus propugnaculum & munitio caſtrorum conſtituitur, quod dicitur Vallum, quia è vallis excitatur. Quid autem in Militiâ Chriſtianâ ſimilius vallo, quàm Crvx Christi, quæ multorum eſt inſtar vallorum, alta, profunda, longa, lata, quâ ſi corpus & anima, velut caſtra, in quibus milites continentur, muniantur, fiunt hoſti inexpugnabilia. Crvcem autem, tanquam Vallum, præter ſuperiores ſarcinas ferri debere à ſuo Milite, præſcripſit Dominus, & niſi fiat, non eſſe idoneum ad Militiam ſuam edixit. *Dicebat*, inquit Euangeliſta Lucas, cap. ix. 23. *ad omnes* : *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat* Crvcem *ſuam, & ſequatur me.* Iterumque, cum excluſione recuſantium, cap. 27. xiv. *Qui non* Baivlat Crvcem *ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Vbi vox illa, *baiulat*, eſt militaris, & ſpectat ad *Exercitium Oneris.* Ea vtitur Vegetius, lib. 1. cap. 19. de re militari, monens, vt Tyrones aſſueſiant *pondus baiulare, vſque ad ſexaginta libras, annonam pariter & arma portando.* In veteri onere vt notauit Lipſius, plus erat ponderis.

Non imperat autem Chriſtus, vt omnes lignum trabale in Crvcem conformatum, humeris imponant, & per terram

terram trahant. Quod tamen multos nobilitate ac dignitate præſtantes facere quot annis in hebdomade pœnoſa, ad imitationem Imperatoris ſui ingentem trabem portantis, legimus ac vidimus. Nec mandat omnibus, vt CRVCEM, ex argento, auro, gemmâ affabrè factam, & è torque dependentem ad pectus geſtent: quod quidam vel pietatis cauſsâ, vel ex ordinis ſuſcepti inſtituto laudabiliter faciunt. Non iubet etiam, vt CRVCEM ex lino aut ſerico, albam, rubam, ceruleam, nigram, variegatam, vel thoraci, vel pallio, vel togæ, vel paludamento aſſuant Milites omnes Chriſtiani, vt Militarium Ordinum Equites, ac Religioſi quidam in Hiſpaniâ, Italia, alijsque regionibus Nec præſcribit vt Miles quilibet Chriſtianus *Crucem* materialem metallicam in pileo circumferat, quod à nonnullis optimo fine vſurpatur. Aut vt *Cruce* ſignetur ſolemniter, vt olim fiebat cùm ad Terram ſanctam recuperandam, aut contra infideles conſcriberetur exercitus. Multo minus, vt calceos vel crepidas Cruce aurea vel purpurea exornent omnes. Quod Pontifici Romano eſt ſolenne; vt qui ad oſcula pedum prouoluuntur, habeant ſacrum ſignum cui oſculum imprimant.

SED hoc commendat Militiæ noſtræ Princeps, & tanquam neceſſarium Oneris quotidiani exercitium indicit, vt ærumnæ, aduerſitates, perſequutiones: &, quibus hæc deſunt, calumniæ, irriſiones, probra: tum corpori ac ſenſibus dura & acerba, æſtus, frigus, labores, ob pietatis negocium æquo & hilari animo perferantur: vt glorietur quilibet in tribulationibus, gaudeat, quod dignus habeatur pro nomine IESV contumeliam pati Inſuper affligat ipſe ſponte carnem ſuam voluntaria aliqua pœnâ adſumptâ: ſenſus contineat à ſuperfluis, ac voluptatem ſpectantibus, cupiditates noxias conſtringat: caſtiget cum Paulo Apoſtolo, corpus ſuum, ac in ſeruitutem redigat. Sic baiulaſſe CRVCEM Lucam Euangeliſtam deprædicat Eccleſia, cuius illa eſt Oratio: *Interueniat pro nobis, quaſumus Domine, ſanctus tuus Lucas Euangeliſta, qui* CRVCIS MORTIFICATIONEM *iugiter in ſuo corpore, pro tui nominis honore, portauit* O præclarum Militem, qui in perpetuo fuit Oneris Exercitio! Quod multo magis ſibi adſumunt, qui CHRISTI ſequentes Conſilia, renunciant omnibus quæ poſſident. Hi enim tres alios vallos humero imponunt, *Paupertatem voluntariam*, *Caſtitatem perpetuam*, *Obedientiam integram*. Quid enim hæc Conſilia Euangelica ſunt aliud, quàm pali quidam, altiſſimè animo, per vota, velut malleorum ictibus, infigendi, quibus integer religioſorum exercitus ita ſepitur, ac vallatur, vt ad ipſum hoſti non pateat acceſſus. Ad *Exercitium Oneris* etiam reuocari poſſunt, quæ in Diuinis Litteris, Oneris nomine ſignificari ſolent: vt *Iudicium DEI*, *Minæ*, *Calamitates impendentes*, *Vindicta* Numinis ſummi. Sic multarum Propheticarum titulus eſt משא, *maſſa*, id eſt, *Onus*, aut pondus, nempe, pœnarum, aut calamitatum. Sic Zachariæ IX. dicitur: *Onus Verbi Domini ſuper Iſraël.* Nahum. I. *Onus Niniue*, *liber viſionis Nahum.* Habac. I. *Onus quod vidit Habacuc Propheta.* Hoc Onus qui fert patienter, exercetur velut in campus ad Militiam ſpiritualem.

MEMBRVM VII.
ONVS ARMORVM
in Militia Chriſtiana reſpicit virtutes.

QVARTVM atque vltimum *Oneris* exercitium apud Romanos erat deportatio armorum, quæ tamen tam facilis erat ipſorum militi, vt arma haberet, quaſi ſua membra. De Annibalis quoque veterano milite canit Siluius, lib. XI.

Ac ne nocte quidem clypeiq́ enſesq́ repoſti,
Non pharetra, aut iacula, & pro membris arma fuêre.

Apud Hegeſippum gloriantur Romani milites: *Alijs arma oneri ſunt, nobis integumento, quæ vſu leuantur.*

ARMA *Militiæ noſtræ*, inquit egregius Dux Paulus, II ad Corinth. x. *non carnalia ſunt*: id eſt, quæ ſeruiunt Militiæ, aut vitæ carnali &, corporali, ſcuta, galeæ, haſtæ, ſecures, gladij, tela, ſagittæ, ſariſſæ, pugiones: multo minus, honores, voluptates, dignitates, ſimilia: *ſed potentia DEO*, hoc eſt, valida & efficacia per DEVM, Fides, Spes, Caritas, Zelus, Humilitas, Caſtitas, aliæque Virtutes. Quæ Militi Chriſtiano tam debent eſſe familiaria, tam accommodata, vt illi ſint pro membris, nec magis onerent, quàm caput, manus, pedes. immò, quàm pennæ volucrum, quibus fiunt leniores. Hic iterum contemplemur diſparitatem Onerum in hoc genere, quibus exercentur Milites Chriſtiani & Cacodæmonis: arma illorum ſunt plumæ, iſtorum maſſa plumbea, talentum plumbi, vocat Zacharias. cap. v. cuius grauitatem cùm ſentiret Dauid peccator, exclamabat: *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*, Pſalm. XXXVII. Hinc dicent impij, Sap. v. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus.* Contrà, de via Sapientiæ teſtatur Salomon, Prouerb. v. *Viam Sapientiæ monſtrabo tibi, & ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum.*

INGENIOSE Cantor Cæleſtis Dauid, poſtquam ſenſiſſet grauitatem oneris Diabolici, expreſſit iugi Dominici leuitatem hac phraſi: *Qui fingis laborem in præcepto*, Pſalm. XCIII. in mandatis DEI exequendis eſt labor aliquis, ſed quo ad apparentiam tantùm, quo ad ſpeciem externam: labor videtur aliquis, & ita vocatur, ſed haud ſecus ac ignis pictus: eſt & labor verè fictitius potiùs, quàm realis. Quare idem optimus æſtimator onerum militarium, licèt onere cibariorum, vtenſilium, valli, & armorum Militis ſacri preſſus, dicebat tamen alacer & gloriabundus: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Pſal, CXVIII.

***

MEMBRVM VIII.

LAPIS ONERIS

in Militia Chriſtiana eſt quælibet virtus heroica, probans induſtriam, opprimens ignauiam.

NON eſt omittendus in huius Exercitij explicatione LAPIS ONERIS, de quo illuſtris eſt Prophetia Zachariæ XII. *Ponam Ieruſalem* LAPIDEM ONERIS *cunctis populis.* Obſcuritatem vaticinij elucidat S. Hieronymus hac narratione. Mos eſt in vrbibus Palæſtinæ, & vſque hodie per omnem Iudæam vetus conſuetudo ſeruatur, vt in viculis, oppidis, caſtellis, rotundi ſponantur lapides grauiſſimi ponderis, ad quos iuuenes exercere ſe ſoleant, & eos pro varietate virium ſubleuare: alij ad genua, alij ad humeros & caput, nonnulli ſuper verticem, rectis iunctiſque manibus magnitudinẽ virium demonſtrantes, pondus extollunt. In arce Athenienſium iuxta ſimulachrum Mineruæ vidi ſphæram æneam grauiſſimi ponderis, quam ego præ imbecillitate corpuſculi mouere vix potui. Cùm quærerem, quid nam ſibi vellet? reſponſum eſt ab vrbis eius cultoribus, athletarum in illâ maſsâ fortitudinem comprobari: nec prius ad agonem quemquam deſcendere, quàm ex leuatione ponderis ſciatur, quis cui debeat comparari. Senſus ergo Prophetæ eſt iſte: Ponam Ieruſalem cunctis gentibus, quaſi grauiſſimum lapidem ſubleuandum. Leuabunt quidem eam, & pro virium varietate vaſtabunt, ſed neceſſe eſt, vt dum leuatur, in ipſo nixu & eleuatione ponderis, grauiſſimus Lapis ſciſſuram aliquam, vel raſuram in leuantiũ corporibus derelinquat. Quando, & quomodo fuerit Ieruſalem *Lapis oneris* diſputant Interpretes: probabilius illi ſentiunt, qui hoc referunt non ad Titum ac Romanos; quibus potius fuit pila prædæ ac gaudij, quàm *Lapis oneris*; ſed ad Antiochum & Græcos, qui ſuis copijs ex omnibus collectis gentibus oppugnaturi Ieruſalem, vt eam quaſi Lapidem oneris, ex Iudæâ deportarent in Græciam, ab eâ quaſi Lapide oneris, per Machabæos fuerunt oppreſsi ac contriti. Quod factum eſt per temporum interualla: nã obſeſſa nonnunquam Ieruſalem ſæpe liberata fuit diuinitus, non ſine conciſione inimicorum, quos ſuo pondere oppreſsit.]

HAVD ſecus, Eccleſia Chriſtiana dici poteſt *Lapis oneris*, quem leuare, tollere, abijcere voluerunt Gentiles & Iudæi perſequutores, ſed õnes ab eo cõciſi fuerunt & oppreſsi: vt ſenſerũt, Nero, Decius, Valerianus, Iulianus, & alij tyranni. Sed maximè Diocletianus, & Maximianꝰ, qui iurarũt extirpaturos ſe Eccleſiã & Chriſtianiſmũ, vel depoſituros ſe Imperiũ: poſterius factũ eſt, prius efficere nõ potuerũt. Verùm cum deinde à Conſtantino Imperatore ad reſtim necemq; adacti ſunt, oſtenderunt reipsâ, Eccleſiam Lapidem

Oneris

Oneris ijs fuiſſe & conculcationis. Erit etiam Eccleſia, quorundam contemplatione, cum ſuo Capite CHRISTO *Lapis oneris* in die Iudicij, quo opprimentur impij, & deprimentur in tartara. Quod deſumitur ex illo Matthæi XXI. *Qui ceciderit ſuper Lapidem iſtum confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.* Nimirum, qui Chriſto Eccleſiæ Capiti & Lapidi angulari, qui & Petra ſcandali, inſidias ſtruxerit, offendet, concidet, conteretur, corpore & animâ conculcabitur, erit miſerrimus. In eundem cadet idem tanquam *Lapis oneris*, vindicans, conculcans, diminuens, in puluerem redigens, vt ingens ſaxum in vas teſtaceum impetum faciens, vt S. Auguſtinus ſuggerit, lib. 1. qq. Euang. q. XXX.

IAM verò in Militia Chriſtiana LAPIS ONERIS, quo probatur virtus pugnare volentium eſt imprimis, omnis aduerſitas, infortunium, tribulatio, morbus, paupertas, ſimilia ſexcenta, quæ in miſeriarum cumulo continentur. Qui hunc Lapidem eleuare poteſt, qui capiti ſuperponere, qui humero geſtare, id eſt, patienter ferre, hilariter ſuſtinere, perſeueranter portare, dignus cenſetur, vt ſub vexillo CHRISTI militet, & inter primarios numeretur. Deinde, *Lapis oneris* eſt ſcientia, diſciplina militaris. Ita accipio illud Eccleſiaſtici capite VI. *Quaſi Lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur proijcere illam.* Senſus eſt. Sapientia, ſiue ſeuera morum & exercitationum variarum diſciplina in caſtris Sapientiæ eſt *Lapis oneris*, quem quiſque leuando, addiſcendo, & exercendo ſe probat vires ſuas ac robur. Quod ſi poſt paullulum manus ſubducat, ita vt cadat lapis, ſi humeros ſubtrahat, & onus proijciat, oſtendit ſe Militem imbellem, ac ſtultum. Nam ſtulti ac improbi, poſtquam Sacramento ſe Sapientiæ Incarnatæ & Increatæ obſtrinxerint, & aliquouſque onus illud leuarint, ſentientes deinde pondus, illud proijciunt, Sapientiæ renunciant, pietatem abiurant. Item, ſtulti tentant quandoque addiſcere Sapientiam, eamque quodammodo eleuare ac capiti imprimere, ſed mox ſentientes difficultatem grauitatemque, ex ignauia eam deſerunt, & ſtultitiæ ſe tradunt. Denique, *Lapis Oneris* eſt Virtus ſolida, perfecta, heroica, cuius actus non ſunt vulgares ſolùm illi, qui paſſim à pedeſtri quolibet milite proficiſcuntur, ſed peculiares quidam, eximij, excellentes, heroum in Militiâ noſtra proprij: quales fuerunt Apoſtolorum, Martyrum, & Confeſſorum, ac Virginum, qui albo Sanctorum inſcripti ad imitationem, colendi in Eccleſiâ proponuntur. Sicut igitur *Lapis oneris* probat vires corporis; ſic virtus heroica, eximia fides, ſpes, caritas, humilitas, patientia, fortitudo, probat vires animi. Qui enim magno cum diuina gratiâ conatu; illius officia exequitur, qui omne eius onus generoſe portare non detrectat, qui nunquam illud abijcit, demonſtrat ſe ad Militiæ Chriſtianæ, quælibet munera obeunda eſſe perquam idoneum.

FERE excidiſſet, inter *Vtenſilia* Militum nominari CATENAM ad vinciendum hoſtem. Quæ non deeſt in Militia Chriſtiana. Nam ligari poſſe Dæmonem docuit B. Margareta conſtringens Dæmonem. Et Raphaël Angelus Tobiæ VIII. apprehendit Dæmonium, & religa

religauit illud in diſerto ſuperioris Ægypti. Petrus quoque Apoſtolus tradit eſſe rudentes, quibus trahantur hoſtes infernales in tartarum: Epiſtola ſecunda Petri Apoſtoli, capite ſecundo: de quibus ſuo loco agendum fuſius.

Membrvm IX.

DVRATIO EXERCITII ONERIS.

Et, quot paſſuum millia ſub Onere ſint conficienda.

CERNE iam exercitatos in Militiâ profanâ, tam diu exercentur & onera ferunt, donec abſoluta militia, & emeritis ſtipendijs honeſtè miſſionem accipiant. Idem propoſitum ſit Militi Chriſtiano, cui non dies præſcriptus exonerandi ſe, & miſsionis honeſtæ alius, quàm vitæ poſtremus. Itaque non vno die, menſe vel anno ſed iugiter per omnem vitam ſe exerceat: corpus vigilijs, ieiunijs, laboribus: animum pijs orationibus, meditationibus, ſtudijs, lectionibus; deportando alacriter, *Cibaria* Verbi DEI & Panis Euchariſtici, *Vtenſilia* Mandatorum diuinorum, *Vallos* Crucis, & Conſiliorum Euangelicorum, *Arma* denique virtutum ſpiritualia, vt membra propria. Ita fiet ad quidlibet aggrediendum fortis, contra quoslibet aduerſarios inuictus; ita aduerſarios quoslibet ſuperabit facillimè; ita aduerſa omnia ſibi ſubdet celerrimè, ita quæcumque infra DEVM, ſibi ſeruire coget perfectiſsimè. Hunc in modum exercebant ſeſe olim Anachoretæ, qui inde ASCETÆ, id eſt, EXERCITATORES ſunt appellati: idem nunc profitentur Cænobitæ ac Religioſi in ſuis domicilijs tanquam virtutum Chriſtianorum gymnaſijs.

PORRO, tam variè oneratus Miles Chriſtianus, incedere debet, quod in Romano commendabatur, gradu militari, vt loquitur Vegetius, lib. 1. cap. 19. id eſt, grandiori: magnis paſsibus per viam mandatorum Domini progrediatur, magnis itineribus ad propoſitam ſibi metam contendat: non viginti millia paſſuum tantùm paucis horis, ſed vna ſola ſtadium, immò aliquot myriadas orbis meritorij percurrat, donec ſuperatis ac deletis aduerſariarum partium legionibus, quibus præſident Mundus, Caro, Cacodæmon, in Capitolij cæleſtis aulam ſideream, curru triumphali à quattuor niueis virtutum caballis tracto inuehatur, æternùm viſurus DEVM Deorum in Sion, cuius benedictio ſit ſuper Vos, & maneat ſemper vobiſcum. AMEN.

* * *

NOTÆ

NOTÆ

In quibus Auctores & Nominum ratio.

§. I. PANIS buccellatus.] *quaſi ſectus in bucceas. A bucca dictum videtur: fruſtulum panis quantum commodè bucca capere poteſt. Auguſtus apud* Tranquillum, *poſt primam noctis horam duas buccas manducauit.* Marr. *lib.* 1. *Codicis de erog. milit. lib.* 12. *Milites expeditionis tempore buccellatum primis diebus, mox lardum, & carnem veruecinam accipiebant.* De *quibus plura libro*, 1. *de Commeatu Militari.*

§ II. VALLVS.] Cæſar *lib* 3. *belli ciuilis*, Vallus contra hoſtem. *Virg.* 1. *Georg. Lib.* 2.

Exacuunt alij vallos, furcasque bicornes.
Quadrifidasque ſudes, & acuto robore vallos.

§. III. LAPIS Oneris.] *Syrus legit, lapis conculcationis*, *Chaldæus*, offenſionis. *Arabicus*, ſubiectionis. *Legendi Interpretes Zachar.* XII. Blaſius Viegas *Apocal.* 1. *Com.* 1. *Sect.* 2. *Huius Lapidis ac plumbi athletici meminit.* Hier. Mercurialis *lib.* 2. *Gymnaſt. cap.* XI.

COMMENTATIO V.

EXERCITIVM OPERIS.

Quo gnauiter eſt excolendus MILES CHRISTIANVS.

Dominica I. Quadrageſimæ.

Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis. II. Corint. VI. 2.

MEMBRVM I.

TEMPVS VITÆ MORTALIS eſt Tempus acceptabile pro ſalute præliandi.

NOMINATVR in ſacro diuinarum Scripturarũ Codice quoddam tempus, quo ſolent periti in Militiâ Duces ad bellum proficiſci. Libro Regum cap. XI. *Factum eſt, vertente anno, eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere, miſit Dauid Ioab, & ſeruos ſuos cum eo, & vniuerſum Iſrael, & vaſtauerunt filios Ammon, & obſederunt* Rabba.

Rabba. Tempus illud erat apud Hebræos, ſub anni in eorum Republicâ conſueti finem, ſeu, incunte Vere: tunc enim bellum illud inceptum ſcribit Ioſephus hiſtoricus. A Martio autem menſe, qui ipſis dicebatur *Niſan*, annum ordiebantur Iſraëlitæ. Et quoniam etiam apud Romanos eo tempore exhybernis educi ſolebant milites, Marti bellorum Præſidi dicatus fuit, dictus ea-propter Martius. Hoc tempus bellandi in Militia Chriſtiana ſpirituali, vel eſt tota vita hominis, quia *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, Iob. VII. ideoque quam diu viuimus mortales, dicimur eſſe in Eccleſiâ Militante: cuius tempus omne eſt Martium. Vel peculiariter ſignari poteſt aliquod, quando aut maior eſt hoſtibus reſiſtendi neceſſitas, aut hoſtem inuadendi opportunitas. Hoc autem determinati poteſt, vel ſecundum ætatem hominis, vel ſecundum menſes anni.

MEMBRVM II.

PRIMVM TEMPVS BELLANDI

in Vitâ humana eſt, quando homo vti primùm ratione incipit.

SI ætatem ſpectes, tempus bellandi primum deſignant Theologi quoddam, cuius vtinam notitiam haberent à puero Adoleſcentes, & ijs, ſiue à pædagogis ſiue à magiſtris morum, aut litteratum, imprimeretur: multum ſanè prodeſſet ad glorioſiſſimam de hoſte infernali in ætate tenera victoriam reportandam. Docent illi, quam primum puer ad eum ætatis flexum peruenit, in quo rationis lumen illi adfulget, vt eo vti incipiat, tunc procedere ad bellum Cacodæmonem, & ducere ſecum numeroſum exercitum. In hoc exercitu ſunt omnium ſenſuum voluptates, creata pulchritudo, ſonus ſuauiſſimus, dulciſſimus ſapor, mollities tactus, fragrantia odorum, titillatio carnis, cinædica coma, meretricia forma, veſtium luxus, ac ſimilia ſexcenta, quibus Cupiditas irritari poteſt, & ad peccandum allici, atque ita à DEO ſummo bono auerti. Hiſce copijs in aciem diſpoſitis, aut vna aliquâ ex ijs cohorte impreſſionem facit aduerſariorum Ductor in adoleſcentulum, aut adhuc puerum. Cenſeo enim hoc tempus in aliquibus eſſe circa annum octauum, in alijs circa nonum, in ſtupidis quibuſdam, quales non pauci reperiuntur, ad bonum & litteras trunci & caudices, circa decimum: ſicut in alijs, in quibus malitia ſupplet ætatem, circa ſeptimum; in pauciſſimis paulò antè.

VOCATVR autem iſtud tempus à Doctoribus Scholaſticis, *Primum inſtans vſus rationis*. Quod non intellige mathematicè, ſed moraliter: nimirum, non pro illo momento temporis, quo homo incipit eſſe diſpoſitus verè ad vtendum ratione, neque in quo incipit primùm deliberare. Sed pro tempore illo, in quo perficit primò ſuam actionem perfectè liberam, quoad ſpecificationem & exercitium.

[illegible] ... Natum; quid [illegible] ... [illegible]

[illegible]

res [illegible] non exeat. Ideoque Satanæ [illegible] DEO [illegible] rtat, & [illegible] ... [illegible] ... tunc [illegible] ... id est, [illegible] ... Atque [illegible] ... DEO [illegible] ... [illegible]

HOC [illegible] quod [illegible] Thomas A-quinas, [illegible] ... [illegible]

[illegible]

tur ſe conuertere ad DEVM: [illegible] obligatur ex peculiari præcepto efficere, vt primus ille actus, quem habet tempore primæ deliberationis, ſit conuerſio ad DEVM. Nam quod in eo temporis [illegible] ratione, quæ penè eſt momentanea, occurrit primò, eſt deliberatio [illegible], & de vltimo fine, quem [illegible] amplecti. Hoc ſi facit, iuſtificabitur; ſi non [illegible], mortaliter peccabit. Quod exponens Capreolus [illegible] Magiſtro Angelico diſcipulus, exiſtimat, conuerſionem illam primam neceſſariam eſſe debere [illegible] DEI verum ſuper omnia. Quod etiam ſentit Dominicus Sotus, & Nauarrus, videturq; conſentaneum menti S. Thomæ, qui vult, illam conuerſionem eſſe debere ſufficientem diſpoſitionem ad ſanctificationem.

AT, quamdiam eſt illud præceptum ſam grauiter obligans? Putatur eſſe [illegible] quod quoniam ex [illegible] non obligat *pro ſemper*. Theologorum plerique, nunquam obligandi munus meram aſſignari poſſe videntur, quàm pro illo momento, in quo primùm opus deliberatum exercetur. Siquidem, illo tranſacto, non eſt [illegible] de vno tempore, quàm de alio, [illegible] ad extremum [illegible]. Videtur autem & illud [illegible] ſi [illegible] tantùm præcepti obligatio in vltimum vitæ [illegible]. Et hoc, ordo congruus ac naturæ conformis poſtulare cenſetur, vt cum inchoat homo vitam rationalem, [illegible] à cognitione finis vltimi: nam ex ea pendet ſubſequentis omnis ætatis bona [illegible]. Sunt tamen DD. Scho-

[illegible] multi, qui [illegible] hoc [illegible] arbitrantur, & [illegible] credibile [illegible], DEVM obligaſſe hominem in [illegible] illuſtratione rationis ad [illegible] ac difficile admodum præceptum [illegible]. Maximè, cum DEI [illegible] valdè difficilis, [illegible] ſolùm [illegible] ad [illegible] non exigui temporis [illegible], quæ educatur inter homines [illegible] DEI fide [illegible] ſecundum primam voluntatem [illegible] debere eſſe conuerſionem quamdam ad bonum honeſtum in communi [illegible] propoſitum ſequendi in omnibus quod eſt honeſtum. Quam appellat [illegible] ſionem in [illegible] DEVM. Sic [illegible] ut Caietanus, (a) & Franciſcus de Victoria, (b) [illegible] (c) Neque hîc impoſſibilitas [illegible] occurrit. Siquidem cognitio de bono honeſto in communi eſt facilis, & conuerſio in illud obiectum eſt neceſſaria, vt [illegible] bonum [illegible] tandem homo [illegible] illo [illegible] honeſti propoſito [illegible] periculum [illegible]. [illegible] tunc accipiare illam [illegible] quæ adeo propoſitum in omnibus illi parere. Et in illo principio vitæ [illegible] omnium ſcientia obligatur ad [illegible] [illegible] naturali cognitione [illegible] quæ eſt, honeſto [illegible] Verùm, quibuslibet [illegible] [illegible] in ſua perfectione [illegible] vt [illegible], ad [illegible] quod [illegible]

(a) 1. 2. q. 4 [illegible] (b) [illegible] (c) [illegible]
1. [illegible]

[illegible] cũ [illegible] dum, quæ vo- [illegible] Devm conuer- [illegible] tenetur homo, cum [illegible], non peccare, & con- [illegible] ſeq[illegible].

[illegible] quoniam præceptum il- [illegible], quod [illegible] S. Thomas conuer- [illegible] ad Devm [illegible] [illegible] [illegible], quem Caietan[illegible]. An [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] tenetur in principio ſuæ [illegible] ad conuerſio- nem DEVM. Reſpondet autem, te- neri: [illegible] præceptum illud funda- tur ſuper pr[illegible] [illegible] a animam [illegible] naturæ. I- taque tenetur [illegible] delibera- re de ſe ipſo in [illegible] [illegible] Non [illegible] [illegible] ob [illegible], [illegible] pro- [illegible] præceptum, & propter [illegible] [illegible] [illegible] Caie- tanus, [illegible] eſt dignum [illegible] Amor DEI [illegible] [illegible] bonus [illegible] in [illegible] in prima operatione naturali ac [illegible]. Quemadmodum de Angelis [illegible] ſentiunt com- muniter Scholaſtici. Statim enim occur- rens honeſto, vt deliberabili, infuſa fides [illegible] ſollicitudinem [illegible] promouet ad [illegible] honeſtum præſentandum, pro- [illegible] & [illegible] ad hoc ipſum [illegible] caritas in- [illegible] ad [illegible] pro- [illegible] ſibi verum [illegible] diſputat. Et [illegible] non eſt dubium [illegible] ſemper, [illegible] o. ſic

accidere aliquando, concedero. Quod non ſemper, [illegible] cuiuſcumque: & in quo[illegible] temperamentum cor- poris, ſeu complexio minus idonea: ac- cedit [illegible] quibus [illegible] ante [illegible]. Quo fit, vt pars ſen- [illegible] moueat ad delectabilia ma- [illegible], quàm in eo [illegible] honeſtum. Quapro- pter, [illegible] Caietanus, haud parui eſt [illegible] ad [illegible] ſen- dum [illegible] honeſta. Siquidem habitus [illegible] ex ijs, quæ auditu [illegible] caritas [illegible] facili [illegible] ſequuntur.

AT, ſi peccatum mortale committi- tur [illegible] aliquis, à pueto, [illegible] [illegible] [illegible] illo conflictu, tenebitur il- [illegible] confeſſionem Sacramentalem ad- ducere? Quis autem [illegible] hoc fecit, [illegible] quis quod non fecerit [illegible] religioni ſibi dabit? Et quod eſt [illegible] cui hoc in mentem venit? Ego certè neminem eſſe exiſtimo è toto ho- [illegible] Auditorum, qui [illegible] [illegible] confeſſione id aperuerit, [illegible] in [illegible] peccatorum [illegible] id [illegible]. De hoc [illegible] [illegible], & in [illegible] è ſcrupu- loſis Caietanus [illegible] vnumquemque [illegible] peccato [illegible] infantiæ [illegible] [illegible] de [illegible] incer- [illegible] Niſi quod [illegible] [illegible] S[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] intentione, quæ ad omnia [illegible]. Quia [illegible] iſta communis eſt [illegible] propter quod [illegible], [illegible] dignus ſit [illegible] [illegible], vt [illegible]

[illegible]piente adſtimatur. In his ſimilibuſque accuratè [illegible]endi eſſent parvuli, dum ad Confeſſ[illegible] mittuntur: quod eſt officium probi ac dili[illegible] pædagogi & magiſtri, qui monere deberet, vt poſt enumeratio[illegible] ſingulorum peccatorum [illegible] [illegible] Denique, [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] & quæ [illegible] [illegible] Atque [illegible] dictæ [illegible] de tempore [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

MEMBRVM III.

TEMPVS BELLANDI PECVLIARE

Militi Christiano eſſe [illegible]

QVADRAGESIMAM.

QVOD ſi attendatur cuius animus, rectè dixeris, Tempus [illegible] [illegible] [illegible] eſſe Quadrageſimam. Hoc tempus [illegible] eſt [illegible], & commodè [illegible] Eccleſia deſignatur menſe Martis. Tunc indicitur [illegible] bellum à Milite Christiano, [illegible] [illegible], [illegible] [illegible], oppugnanda [illegible] [illegible] explenda, [illegible] [illegible] [illegible] gula. Ita Martis nomine Imperator tanto magis quàm verbo docuit, ieiunando quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſt profectionem in deſertum tanquam ad prœliandi campum, [illegible] magnam noctis partem [illegible] ac lacrymis [illegible] [illegible] aut ſubdio [illegible] aut in antro [illegible] aliquod [illegible], caput [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible], & nunc [illegible] inter [illegible] [illegible], [illegible] inter [illegible] [illegible] gregem [illegible] ſtantem [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ac [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] dulcem Chriſti [illegible], [illegible], quippe [illegible] ante [illegible]. Tandem [illegible] [illegible] eſt ad locum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] bellare [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Martis [illegible] [illegible] aut [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible], forte [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Quemadmodum in [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

HOC [illegible] eſt [illegible] Quadrageſimæ [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] eſt belli. Tempus

[illegible] *tempus pacis*, inquit Eccleſiaſtes. [illegible] & bellum, vt interes [illegible] in humanæ vitæ viciſſitudine.

Sæpe [illegible] animo exercemus [illegible]

Tempus, quo [illegible] deponimus, [illegible]

Quando [illegible] pax [illegible]

[illegible]

[illegible] DEVS [illegible] DEVS [illegible] & pacis [illegible] [illegible]

educit, *gladium de vagina ſua*, Ezechiel. xxi. exacuit, polit, læuigat, vt ſit in manu interficientis, adeoque interdum ſæuit, nimirum, ſæuientibus hoſtibus, & bello exardeſcente, vt clamet magna voce Propheta: *O mucro Domini vſque quo non quieſces? ingredere vaginam tuam, refrigerare & ſile.* Verùm reſpon[illegible] Prophetæ conquerenti vindex DEI [illegible] Prouidentia, [illegible] *Quomodo quieſcet, [illegible] ibique condenabit [illegible]*

H[illegible] germanâ litteralis [illegible] de bello externo [illegible] intelliguntur, [illegible] per accommodationem ſpiritualem etiam optimè [illegible]. Nam non eodem [illegible] tempore [illegible] ab hoſtibus [illegible] non eodem [illegible] est commoditas in aduerſarios mouendi, illos oppugnandi, cum [illegible] Ad hæc [illegible] autem [illegible] eſt Quadragesima, in qua [illegible] maxime *Militare Exercitium*, & [illegible] *[illegible] ſumpſit*, inquit S. Leo Papa Serm. IV. de Quadrag. [illegible] Chryſoſtomus [illegible]

Quadragesima [illegible] *[illegible]*

(a) [illegible]

gnum dedu[illegible], MILES arma [illegible] & equum ad bellum parat, agricola fal-cem [illegible], [illegible] [illegible]credi-tur [illegible] & ad [illegible] expo[illegible] & nuda[illegible] [illegible], tan-quam veri [illegible] & arma, tanquam Milites, ab[illegible] [illegible] a[illegible]amus, tanquam A[illegible] & [illegible] Nautæ contra [illegible] a[illegible] cupiditatu cogit[illegible], tanquam Viatores [illegible] [illegible]damus, & tanquam P[illegible] ad certami-na [illegible]. Exue [illegible] & [illegible] leta [illegible] est. Indue arma [illegible] & [illegible] MILES, [illegible] & ex-cole animam tuam, [illegible] re[illegible] [illegible] [illegible], [illegible] plant[illegible], & [illegible] pas[illegible]. [illegible] quam per [illegible] [illegible] [illegible] per [illegible] [illegible]. [illegible] magnum impedimentum est [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] & fallaces [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] omnis temp[illegible], est [illegible] ad bellum contra hostes omnes spirituales proce-dendi.

MEMBRVM IV.

EXERCITIVM OPERIS

In Quadragesima præcipuum est

IEIVNIVM.

EXERCITIVM militare [illegible] distinctu à nobis proxime, in ONERIS, OPERIS, A[illegible] & de primo quidem [illegible] copiose tunc di[illegible]mus. [illegible] proprium est OPERIS, ad quod [illegible]mus [illegible] in oratione [illegible] quâ ita precatur Sacerdos ad altare [illegible]ficans: *DEUS, qui Ecclesiam tuam annua quadragesimali obseruatione purificas, præsta familiæ tuæ, vt, quod a Te obtinere abstinendo nititur, hoc bo-*nis OPERIBVS *exequatur.* In Exerci-tio Operis, si Militum [illegible] spe-ctes, excelluerunt Romani, ideoque tam fuerunt victoriosi, qui nunquam ab opere otiosi. [illegible] uius, lib. ix. *In* OPERE [illegible] *mi*[illegible] *qui* [illegible] *lior.* Ita Romanus [illegible] cum [illegible] Macedonibus compa[illegible] [illegible] parte [illegible] [illegible] [illegible] hoc [illegible] & [illegible] dem, [illegible] [illegible] ac [illegible] [illegible] [illegible] Sed haud dubie [illegible] [illegible] hoc de [illegible] [illegible] [illegible] comparandi. [illegible]

(a) *Lib.* v. *de* [illegible] 14.

[illegible] *ſtar,* [illegible] *magna* [illegible] *ſtilla* [illegible] *& Perſi*[illegible]*s* [illegible] *verum* [illegible] *veres* [illegible] *Romani* [illegible] *quicquid ſidem ſupe*[illegible] *manu* [illegible] *poſſe vi*[illegible] Quod [illegible] doctor [illegible]s, ſed [illegible]

[illegible] Mi[illegible] qui [illegible] ab Opere [illegible] proprio epiſtio [illegible] laboris [illegible] O[illegible]PERA, [illegible] illum [illegible] oportet? [illegible] Magnus ſpe[illegible] [illegible] Cat[illegible]um. Inter quæ [illegible] *Chriſtiano* [illegible] *pertam* [illegible]? Reſpondet [illegible] *hominem* [illegible] *bonum* [illegible] *Quid* [illegible] *ad Chriſtiani*[illegible] [illegible] *offendit* [illegible] *DEI* [illegible]

tium militare noſtrum verſari oportet, [illegible] quidem vitæ tempore, ſed hoc potiſſimum, quod QVAD[illegible]AGESIMA dicitur, tempus Martium ac militare. Hoc eſt, quod docent Mi[illegible]æ noſtræ Duces, ac Magiſtri, tempus Quadrageſimæ eſſe [illegible] quidem Ieiunio, quatenus [illegible] temperantiæ ſeuerioris, ac abſtinentiæ dedicatum, ſed cum illo reli[illegible] exercitium eſſe coniungendum, quod etiam nomine [illegible] ſignificatur.

I[illegible]VNIV[illegible] enim, ſecundum diſtinctionem Theologorum, [illegible] eſt, vel *[illegible]um*, ſeu *[illegible]*, vel *proprium*. Hoc, vel eſt *Naturale*, ſeu *Phy[illegible]um*, vel *Ethicum* ſeu *Morale*. IEIVNIVM *naturale* eſt abſtinentia ab omni [illegible] cibo & potu. Hoc [illegible] à [illegible] nocte [illegible] communionem Euchariſticam. Nam non licet quicquam [illegible] aquam quidem. Quod diligenter eſt obſeruandum [illegible] & os ſuum liberalius [illegible] [illegible] licentiâ, [illegible] [illegible] motem, [illegible] Sacram communionem [illegible] I[illegible]IVNIVM [illegible]

[illegible]

certum ac præſcriptum Eccleſiæ [illegible], con[illegible]utis diebus à carnium eſu [illegible]nentius, & vnica duntaxat refectione plena, [illegible], ſiue cæna [illegible] lu[illegible].

AD quod [illegible] hominem ſincerè Chriſtianum, non inopia vel [illegible], quæ cogit aliquando pauperes ad ieiunium, non cupiditas augendæ rei familiaris, quæ auaris eſt ſtimulus; non [illegible]tatis oſtent[illegible], quod vexat hypocritas, [illegible], vel ſtudium obſequendi legibus Eccleſiaſticis, vel [illegible] [illegible] retinendi [illegible] ac [illegible] [illegible] vel propoſitum [illegible] [illegible], vel amor [illegible] DEVM, aut ab illo [illegible] [illegible] [illegible] impetrandi. [illegible] S. Baſilius in Regulis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], *Abſtinentiam*, in[illegible], ſiue *Ieiunium*, [illegible] *quis à cibo* [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] *mur. Quarum* [illegible] *ijs, qui ex* [illegible] [illegible] *ſiunt*, [illegible] [illegible] [illegible] *dum*. Ieiunium autem [illegible] [illegible] in *Quadrageſimæ*, *Quatuor temporum*, [illegible], *Feriæ* VI. & *Sabbati*. Appellant Eccleſiaſtici, eſt Ieiunium [illegible], [illegible] *Monaſticum*, quod ſacræ Religionum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Regulari, idque vel *Temporarium* eſt, vel *Perpetuum*. Sed [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & maximè [illegible] [illegible] Christiano, eſt

IEIVNIVM *Metaphoricum*, quod eſt abſtinentia à vitijs, [illegible], [illegible] iuxta illud Iſaiæ LVIII. [illegible] *magis* IEIVNIVM, *quod* [illegible] [illegible] *colligationes* [illegible], [illegible] *deprimentes*. Hoc Ieiunium [illegible] Auguſtinus *Magnum* & *Generale* Ieiunium [illegible], [illegible] XV[illegible] [illegible] & generale eſt, *ab*[illegible] [illegible] *bus*, [illegible] *temptationibus* [illegible], [illegible] *eſt* Perfectum Ieiunium [illegible] *immolatam* & *ſeculares* [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] lib. 2. qq. Euang. [illegible] [illegible] [illegible] Generale Ieiunium, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] *omni lætitia temporalium delectationum*. Monet [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Præloquiis de Spir. & anima. *Si* [illegible] [illegible]

Q[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

anima nequiter pruriens à fabulis & rumoribus, & quæcumque ocioſa ſunt, ad ſalutem minimè pertinentia. Ieiunet lingua à detractione & murmuratione, ab inutilibus, vanis atque ſcurrilibus verbis. Interdum quoque ob grauitatem ſilentij, & ab ipſis quæ videri poterant neceſſaria. Ieiunet manus ab operibus omnibus quæcumque non ſunt imperata. Sed & multo magis anima ieiunet à vitijs & propria voluntate ſua. Etenim ſine ieiunio hoc, cetera à DEO reprobantur; ſicut ſcriptum eſt per Prophetam. Dignum intendit in Iſaiam, qui cap. LVIII hunc inducit dialogiſmum ieiunantium, & DEI reprobantis quoddam ieiunium: *Quare ieiunamus, & non aſpexiſti? humiliauimus animas noſtras, & neſciſti:* ſcilicet, non approbando *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis & percutitis pugno impie. Nolite ieiunare, ſicut vſque ad hanc diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter. Nunquid tale eſt ieiunium, quod elegi? Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti ſunt liberos & omne onus diſrumpe. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam: cùm videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi?* Præclarè, ſimulque acerbè D. Baſilius, Serm. de Ieiunio: *Carnem non comedis, ſed comedis fratrem: abſtines vino, ſed ab iniurijs tibi non temperas. veſperam expectas adſumendum cibum, ſed conſumis diem cauſis forenſibus* (litigijs, nugis, ſcurrilitatibus.) *Quid iuuat ieiunare corpore, anima vero innumeris malis repleri?* Similia multa habent alij Patres, quibus docent, Ieiunio corporis coniungendum eſſe, in Militia Christiana, Exercitium Operis, quod eſt Virtutum.

MEMBRVM V.

MILITES CHRISTIANI

Sint Operarij, Veri, Boni, Inconfuſibiles.

VVLT Chriſtus Imperator Milites omnes ſuos eſſe eſſe OPERARIOS. Idcircò, ſtatim initio orbis conditi cùm erigeret Militiæ ſuæ vexillum, exijt *primo mane conducere Operarios*, Matth. xx. idem fecit tempore Noachi, quæ fuit horâ tertiâ, tum horâ ſextâ, ætate Moſis. Horâ etiam nonâ, ætate Dauidis, denique, horâ vndecimâ in ſtatu Euangelij. In fine autē mundi dicet procuratori ſuo: voca *Operarios*, & redde illis mercedem. Quoniam autem tempore Chriſti Domini pauci erant, qui *Exercitio Operis* delectabantur, monebat Diſcipulos *Operarij ſunt pauci: rogate Dominum, vt mittat Operarios*, Matt. IX. Tales fuerunt Apoſtoli, quibus tanquā ſummi Imperatoris præſidiarijs, nulli humanus fuerunt pares, nunquam ocioſi, nunquā deſides, in perpetuo opere diſtracti.

Qui de ſe ſinguli dicere potuerũt aliorũ Eccleſiæ cooperantium reſpectu, quod Paulus, abſque vllâ arrogãti. vſurpabat: *In laboribus plurimis in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum in mortibus frequenter*, II. 2. Cor XI. Is verò deſiderans delectum ſuum Timotheum, cui inculcauerat: *Milita bonam militiam*, ſibi eſſe perquam ſimilẽ in *Exercitio Operis*, monet: *Solicitè cura teipſum probabilẽ exhibere* DEO OPERARIVM INCONFVSIBILEM, *rectè tractantem verbum veritatis* II. ad Tim. 2. At quid eſt eſſe *Incõfuſibilem*, ἀνεπαίσχυντον? eſt eſſe fronte perquam robuſtâ, qui non pudefiat nec erubeſcat: nimirũ, qui ita ſe exercet in õni opere Chriſtianæ Militiæ, vt cùm ad manus ventum fuerit, certandumq; erit nõ confundatur, neque verecundetur ob inexperientiam. Vel, qui in die iudicij coram toto mundo examinatus de operum bonorum vſu, non habeat quare erubeſcat. Vel, qui non confundatur opus quodlibet Militiæ Chriſtianæ, quamuis vile, & abiectum, exercere coram hominibus. Paullò magis ſignatè, ſenſu Chryſoſtomi, qui nullo reſpectu humano, nullius irriſione, ſannis, contumelijs moueatur, quo minus ſtatis temporibus oret, ieiunet, communicet, templa obeat. Quẽ non pudeat vllibi Crucis Chriſti Qui ſi officium id exigat, liberè ac intrepidè, tametſi obſtrepentibus aduerſarijs, CHRISTVM CRVCIFIXVM prædicet. Denique, ex ſententiâ Anſelmi, qui ita ſit exercitatus, vt illum non confundat, aut pudore afficiat ignorantia tractãdi arma ſpiritualia imperitia pugnandi, ocioſitas malorum omnium origo, ideoque in nullo reprehendi, aut pudefieri poſſit.

HOC modo, vt ſunt *Operarij inconfuſibiles*, ita reperiuntur *Operarij mali*, de quibus Apoſtolus ad Philippenſes tertio: *Videte canes, videte malos operarios* Videte, hoc eſt, obſeruate, cauete habet Syrus, impudentes ac improbos, qui, cùm ipſi non velint exerceri in opere Chriſtianæ Militiæ, laborioſos allatrant, ac mordent veluti canes. Quales ſunt hæretici, hominum genus cynicum, qui Catholicorum in Quadrageſimâ, ieiunia, afflictationes corporis, officia pænitentiæ rident & exſibilant. Iidem vocantur *Operarij mali*; vel quia in operibus malis ſe exercent, vel quia malè circa bona opera verſantur. Hos quoque nominat Paulus *Operarios Subdolos* ſecundæ ad Corinth. XI. id eſt, vafros, fraudulentos, deceptores, hypocritas: fingunt ſe ieiunare, vt alios; orare, vt alios; confiteri, vt alios; nihil minus faciunt. Tales quia multi ſunt in turbâ fidelium, dici poſſunt *Confuſanei*. Cauendum iſtud maximè in *Operis Exercitio* monuit Chriſtus Matthæi VI. D. *Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, vt videantur ab hominibus ieiunantes. Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam. Decet eos,* inquit D. Cyrillus, (*a*) *qui ieiunant, exẽpta mente id facere, & non tanquam hiſtriones in fabula, tetricam, deformemue luti perſonam ſibi induentes, ipſo habitu exclamare, quod inediæ labores ferant.* Militis Chriſtiani eſt in Exercitio Operis omnem deuitare vanitatem, multo magis fallaciam, dolum, hypocriſin; exercere ſe ſtrenuè ac continuò, Ducis ſui exemplo, cuius iſta eſt gnome: *Pater meus vſque modo operatur, & ego*

(a) *Cyrillus apud Antonium Meliſſa Serm.* LXVI.

operor. Sit memor, quod Quæſtor ærarij cæleſtis reddet vnicuique ſtipendium ac mercedem ſecundum OPERA, Matt. XVI. in Græco eſt, *κατὰ τὴν πρᾶξιν, ſecundum praxin:* nempe, ſecũdum Exercitationis, ac laborandi modum.

COMMENTATIO VI.

EXERCITIVM OPERIS.

Quæ-nam in Militiâ Romanâ olim:
Quæ in Chriſtianâ nunc complectatur.
Dominica* I. Quadrageſimæ.

MEMBRVM I.
EXERCITIVM OPERIS
Spectabat in Militiâ Romana potiſſimùm tria:
Foſſam, Vallum, Aggerem, vel Murum.

QVAMVIS *Exercitium Operis* militare multa olim cõplecteretur, tamen potiſſimùm ſpectabat, *Foſſam, Vallum, Aggerem*, vel *Murum*. In his enim Operibus Milites exercebantur, tum vt caſtra ſua munirent, tum vt hoſtem cingerent, tum vt vrbes obſiderent, & ad deditionem cogerent. In hoc genere quædam facta reperio à Romanis, quæ hodiernæ Militiæ Duces vix credant.

IVLIVS Cæſar in Galliâ, præter alia, Atuaticorum oppidum obſidens, *Vallo pedum XII. in circuitu, quindecim milliapaſſuum crebriſq; caſtellis communiuit*, vt ipſe ſcribit lib. 1. rerum Gall. Concipe ſpacium quindecim milliarium, & valli continui altitudinem pedum XII. cui non defuit ſua latitudo proportionata; adiunge turres ligneas in ambitu extructas, quis non miretur tantum opus ſola militari manu breui tempore extructum? Idem Cæſar cum vnâ legione, quam ſecum habebat apud Heluetios, militibusque qui ex prouinciâ conuenerant, à Lacu Lemano ad montem Iuram *millia paſſuum nouendecim, murum in altitudinem pedum XVI. foſſamq; perduxit.* Eo opere perfecto, præſidia diſpoſuit, caſtella communiuit, quo facilius, ſi ſe inuito, tranſire conarentur, prohibere poſſet. Opus hoc *nouendecim milliarium* paucis diebus perfecit: obſtupuêre Helueti, & conſilium ipſis defuit poſt tantam molem ſibi obiectam. Eiuſdem Imperatoris, aut potius, eius militum, opus fuit ad Aleſiam huiuſmodi.

Munitionem extruxit, quæ in circuitu vndecim millia paſſuum tenebat: foſſa erat pedum xx. directis lateribus ducta. Iterum ab ea foſſa pedes quadringentos recedens reliquas munitiones poſuit. *Ea erant duæ foſſæ, quindecim pedes latæ, eadem altitudine: quarum interiorem aqua ex flumine deriuata impleuit. Poſt iſtas, aggerem & vallum pedum* XII. *extruxit; ſine Loricam pinnasq́; adiecit, grandibus ceruis eminentibus. qui aſcenſum hoſtium tardarent. Et turres toto opere circumdedit, quæ pedes octuaginta inter ſe diſtabãt.* His perfectis, pro loci naturâ quattuordecim millia paſſuum complexus, pares eiuſdem generis munitiones, diuerſas ab his contra exteriorem hoſtem fecit. Ita incluſus vtrimque Cæſar oppidum clauſit, ac vim ſuſtinuit ducentorum quadraginta millium peditum, equitum octo qui ſubſidio veniebant: & erant in ipſo oppido hominum millia ad octoginta.

ADDATVR munitio Cæſaris illa ad Dyrrhachium, *(a)* qua Pompeium clauſit quæ omnia omnium opera ſuperaſſe exiſtimatur. De eo ſic Appianus lib. 1. *Cæſar aggreſſus eſt difficile & inopinatum* OPVS. *vt vno muro omnes Pompei copias circumplexus, à mari ad mare eum duceret.* etiamſi cæptis excideret magnum apud poſteros ſuper hac audacia gloriã laturus. Erant enim ſtadia ducenta & mille. Itaque ambitus operis fuit ad *centum quinquaginta circiter milliarium.* Vt meritò Ammianus dicat facinus & opus arduum ac ſupra fidem. In hoc magno receſſu, vt canit Lucanus, ſaltus, teſqua, ſiluas incluſit. Pompei autem exercitum ſic clauſum, caſtra mutaſſe, & pabuli copiam habuiſſe: in eodem ſpatio flumina orta ac deſiiſſe: Cæſarem vno die extrema ac ſummo Operis ſui videre non potuiſſe, ſed interponi debuiſſe manſionem nocturnam. Comparat idem ſpacium iſtud cum terris quas Orõtes aut Tygris ambit. Immò, tota regna, inquit, in Oriente vix ſunt maiora. Opus inter militaria incomparabile: præ quo de æſtimatione multum perdunt aliorum maxima.

INTER quæ recenſetur illud *Lucinij Craſſi*, de quo Plutarchus: Cùm fugitiui peninſulam Brutiorum inſediſſent, quæ circa Regium, accurrit Craſſus, aſſedit, & breui tempore foſſam à mari ad mare duxit per ceruicem peninſulæ, ſtadiorum trecentorum (id eſt, milliarium triginta ſeptem cum dimidio) latitudine & altitudine quindecim pedũ. Super foſſam verò vallum ſtruxit altitudine & firmitate mirandum. Sub Octauiano *Auguſto*, bello in Cantabros, Florus ſcribit, Medullam montem perpetua quindecim milliarium foſſa obſidione cinctum. Sub eodem, vt auctor eſt Appianus Peruſia circumuallata fuit quinquaginta ſex ſtadiorum ſpacio: brachia inde ducta ad Tiberim, quæ vſum fluminum eriperent: poſteà alias foſſas vallumque ſtructum, additis mille quingentis turribus, quæ ſexaginta pedes inter ſe diſtarent. *Hadrianus* Imperator ac *Seuerus*, vallo & foſſis Britannos per multa milliaria à Barbaris ſeiunxerunt. Hos imitati antiquiſſimo æuo Germani, Belgæque, aliquid ſubinde tentarunt, at mox deſierunt. *Cæſar* de Neruijs: *Vallo pedum* XI. *& foſſa pedum* XV. *hi-*

(a) *Lib.* 3. *Ciuil. Florus, Appian. Lucan. Oroſ.*

xv. hiberna cingunt. Hæc ſuperiorum annorum conſuetudine à noſtris didicerunt. Noſtro æuo aliquid ſimile factum audiuimus, in obſidionibus, Bredana, Syluæducenſi, Traiectenſi, & nonnullis alijs.

MEMBRVM II.

EXERCITIVM OPERIS

In Militia Chriſtiana precipuè tria deſignat

Ieiunium. Orationem. Eleemoſynam: Foſſam. Vallum. Murum.

IAM verò, vt ad noſtram redeamus materiam, Exercitium Operis Militiæ Chriſtianæ, quamuis ad omnes virtutes ſe extendat, tamen circa tria præcipuè verſatur. Sunt enim triplicia bonorum operum genera, ad quæ reliqua omnia facilè reuocantur. Nempe, *Ieiunium, Eleemoſyna*, ſeu *Miſericordia*, & *Oratio*: de quibus ita legimus: *Bona eſt Oratio cum Ieiunio & Eleemoſyna*, Tobiæ xii. Oratio deſignat virtutes omnes, quæ circa DEVM, Eleemoſyna illas, quæ circa proximum, Ieiunium alias, quæ circa ipſum operantem occupantur. Dominus noſter, inquit S. Auguſtinus, lib. de perfect. Iuſt. c. cùm dixiſſet: *Nolite facere iuſtitiam veſtram coram hominibus, vt videamini ab eis*, ne iſtum curſum noſtrum ſine humanæ gloriæ metiremur, *non eſt in expoſitione iuſtitiæ ſua exequutus, niſi tria iſta*: Ieiunium, Eleemoſynam, & Orationem. *Ieiunio vniuerſam corporis caſtigationem ſignificans: Eleemoſyna omnem beneuolentiam & beneficentiam, vel dandi, vel ignoſcendi: Oratione inſinuans omnes regulas ſancti deſiderij.* Eleganter D. Petrus Chryſologus: *Tria ſunt, per quæ ſtat fides, conſtat deuotio, manet virtus: Oratio, Ieiunium, Miſericordia. Quod* Oratio pulſat, *impetrat* Ieiunium, Miſericordia *accipit. Hæc tria vnum ſunt: dant hæc ſibi inuicem vitam. Eſt Orationis anima ieiunium: ieiunij vita miſericordia.* De iiſdem eſt illa comparatio S. Chryſoſtomi in cap. vi. Matt ſpectans Militiam ſpiritualem: *Sicut nec Miles ſine armis eſt, nec arma ſine milite: ſic nec Oratio ſine ieiunio, nec ieiunium ſine oratione*: adde, nec vtrumque ſine eleemoſyna.

ITAQVE in his exercendus eſt Miles Chriſtianus, vtilius ſanè, quàm circa foſſiones, aut vallorum extructiones. Quamuis in his ipſis operibus cernatur cum foſſis, vallis, aggeribus, muris, caſtrorumque munitionibus ſimilitudo aliqua. Nàm *Ieiunium*, eſt tanquam *foſſa* quædam longa & lata; *Oratio*, veluti *Murus*, tam altus, vt cælum attingat; *Eleemoſyna* habet ſe, vt *Vallum*, vel agger denſus & benè compactus. D. Hieronymus in cap. xxvi. Iſaiæ exponens illud: *Murus & antemurale ponetur in*

ea, Murus, inquit, *eſt bonorum operum,* tanquam lapidum Caritatis calce vnito totum defenſorium : *Antemurale eſt fidei. Non ſufficit habere fidem, niſi fides bonis operibus confirmetur.* Murus & Antemurale cingitur, tanquam foſsa, Ieiunio. Quid hoc aliud dicas, ad plebeiorum ſenſum, ſed haud talium, quàm foſſam & inanitatem in ventre ? Quam tam latam continuo exercisio fecerat *Franciſcus Borgia,* (a) adhuc Prorex Catalauniæ, poſtea Societatis IESV Preſbyter, vt cum anteà obeſo corpore aqualiculum extuberantem geſtaret, poſteà, velut foſſam ventralem circumferret, in vtramque partem, pelle, quam in modum togæ plicabat, vt margine, coërcitam.

HAC foſsâ quæ ſimul eſt Vallum, muruſque : nam hæc omnia vnius Ieiunij poſſunt eſſe ſymbola, melius tamen omnia bonorum operum genera deſignant: ſi cingamur, non patebit ad nos aduerſariorum acceſſus ; ſi ijſdem exercitum hoſtium , qui conſtat Cacodæmone, Carne, Mundo, Peccatis, Vitijs, ac Cupiditatibus, aut eorum ciuitatem , quæ eſt corpus noſtrum, circumdederimus, facilè illum ad deditionem cogemus, aut eijciemus, & in noſtram redigemus poteſtatem. Certè, de quodam pertinaciſſimo Dæmoniorum genere teſtis eſt Chriſtus Dominus, quod non eijciatur niſi per *Orationem* & *Ieiunium* Matthæi XVII. Ideoque Apoſtoli futuri aliquando primi Duces in noſtrâ Militiâ , quia nondum erant aſſueti ad has munitiones extruendas, non potuerunt illud ſibi ſubijcere : *Vide,* ait Auguſtinus Serm. LXV. de temp. *quanta ſit ieiuniorum virtus, vt id facere ieiunia valeant , quod Apoſtoli nequiuerunt.* Metuit autem iſtiuſmodi munitionem hoſtis, & ad eius conſpectum terga vertit. *Cerne,* inquit Athanaſius, lib. de Virginit. *quid Ieiunium,* nempe coniunctum cum Oratione, ac operibus miſericordiæ : *morbos ſanat diſtillationes exſiccat , Dæmones fugat prauas cogitationes expellit, cor mundum efficit.* Vnde eiuſdem eſt conſilium : *Quiquis ab immundo ſpiritu vexatur, certum habere debet, ieiunio ſtatim Spiritus malos afflictos abſcedere vim metuentes.* Et S. Hieronymus lib. II. in Iouin. *Quam pulchra res , quæ placet DEVM, leones mitigat, Dæmones terret?* Reſpicit Danielem in lacu inter leones ieiunantem, ac Saram à Dæmonio liberatam. CHRISTVS ipſe contra Cacodæmonem longo ſe ieiunio vallauit, ac veluti foſsâ circumdedit, vel, vt loquitur S. Ambroſius Epiſt. LXXXII. *armauit.* Quamdiu Ieiunio , tanquam aggere ac foſsâ cinctus fuit Paradiſus, non potuit illum intercipere Dæmon : eo perfracto diu deſideratum caſtrum facillimè occupauit.

ITA Ieiunium concipiebat D. Athanaſius, qui illud vocat *Munimentum,* lib. de Virg. *Magnum,* inquit, *Munimentum eſt Ieiunium. Vt enim ob eſcam & inobedientiam proturbatus eſt Adam ex Paradiſo, ita rurſum per Ieiunium & obedientiam in Paradiſum qui volet redibit.* Et D. Baſilius, Homil. I. de Ieiun. *Quoniam non ieiunauimus, exulamus à Paradiſo. Ieiunemus ergo, vt ad illum poſt liminio reuertamur.* An non vides, quo- modo

(a) *Lib. I. Vitæ.*

modo Lazarus per Ieiunium ingreſſus eſt paradiſum? Simili modo S. Cyprianus, Ieiunium concepiſſet, vt Vallum, intra quod Cupiditates continentur, cum Cippum vocet: *Ieiunium*, ait, Ser. de Ieiun. & tenta. *extraordinarios motus in cippoclaudit & artat, & appetitus vagos diſtringit, & ligat.* Cippus inſtrumẽtum erat ligneum, quo ſeruorum ac captiuorum pedes colligabantur: ſed magis Valli ſimilitudo ad noſtrum facit inſtitutum.

PORRO, huius Operis Exercitium in Militiâ Chriſtianâ omni quidem tempore eſt Vtile, at hoc, quod dicitur Quadrageſimæ, etiam ex præcepto neceſſarium. Et quidem S. Ambroſius, Sermone XXXIV. XXXVI. XXXVIII. Ieiunium quadrageſimale ab ipſo Saluatore mandatũ, ac idcircò neceſſariò ſeruandum aſſerit. Ac D. Auguſtinus in Pſ. cx. *Præcipitur*, inquit, *nobis, & Lege & Prophetis, & ex ipſo Euangelio quod teſtimonium habet ex Lege & Prophetis.* Itaque cenſent Lege diuinâ eſſe præceptum, quod alij traditione Apoſtolicâ in Eccleſia introductum exiſtimant. Grauiter S. Leo Sermone de Ieiunio decimi menſis: *Tria ſunt, quæ maximè ad religioſas pertinent actiones*, Oratio, *ſcilicet*, Ieiunium, & Eleemoſyna. *Quibus* EXERCENDIS *omne quidem tempus acceptum, ſed illud eſt ſtudioſius obſeruandum, quod Apoſtolicis accepimus traditionibus conſecratum:* Oratione *enim propitiatio DEI quaritur:* Ieiunio *concupiſcentia carnis extinguitur:* Eleemoſynis *peccata redimuntur: ſimulq; per omnia, DEI in nobis imago renouatur. Hæc triplex obſeruantia omnium virtutum comprehendit effectus.* Rogat etiam Eccleſia à DEO gratiam dari ad vtilem horum operum Exercitationem initio ſtatim Quadrageſimæ hac precandi formulâ: *Inchoata ieiunia quæſumus Domine, benigno fauore proſequere, vt obſeruantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam ſinceris* EXERCERE *valeamus.* Denique, S. Ambroſius paucis multa complectens Serm. de Quadrageſ. *Ille Quadrageſimam facit, qui ieiunando ac vigilando aſcendit ad Paſcha. Nam ſicut reliquo anno ieiunare premium eſt, ita in Quadrageſima non ieiunare peccatum eſt. Illa enim voluntaria ſunt ieiunia, iſta neceſſaria. Illa de arbitrio veniunt: iſta de lege. Ad illa inuitamur, ad iſta compellimur.*

MEMBRVM III.

EXERCITIVM OPERIS IEIVNII

fuit quorundam eximiè fortium in Militia Chriſtiana penè ſupra fidem incredibile.

QVEMADMODVM ad laudem Militiæ Romanæ ſuperius referebã, talia quorundam in eâ fuiſſe opera, vt fidem penè ſuperent: ita hîc adfirmare poſſum; in Militiâ Chriſtianâ eam olim fuiſſe circa opus hoc *Ieiunij* exer-

exercitationem, vt poſteritas vix credat, & omnem admirationem ſuperet. Scribit S. Auguſtinus epiſtola ad Caſulanum LXXXVI. Quadraginta dierum ieiunium aliquos feciſſe cognouimus. Ad ipſum quadragenarium quendam à fratribus perueniſſe à fide digniſſimis nobis aſſeueratum eſt. Idem libro de Moribus Eccleſiæ: *Ieiunia prorſus incredibilia multos exercere didici, non quotidie ſemel ſub noctem reficiendo corpus, quod eſt vſquequaque vſitatiſſimum, ſed continuum triduum, vel amplius ſæpiſſimè ſine cibo ac potu ducere. Neque hos in viris tantùm, ſed etiam in fœminis. Quibus item multis viduis & virginibus ſimul habitantibus, ac lana & tela victum quæritantibus, præſunt ſingulæ grauiſſimæ probatiſſ. maq; non tantùm in inſtituendis componendiſq; moribus, ſed etiam inſtruendis mentibus.* Theodoretus in Philotheo deſcribens vitam Marianæ ac Cyræ, refert, illas in peregrinatione locorum ſanctorum perueniſſe ad Heliam, ibique ſumpſiſſe cibum: tum ieiunas domum fuiſſe profectas: eſt autem non minus, quàm viginti dierum iter, nempe in Berrœam. Narrat Albertus M. lib. VII. de animal. ſe hic Coloniæ vidiſſe mulierem, quæ diebus XXX. omni cibo potuque abſtinuerit: Virum verò, qui diebus quinquaginta, niſi quod alterni; diebus paullulum aquæ aut vini ſumeret. Quod etiã habet Fulgoſus lib. I.

ANNO M.CC.LXXXVIII. vt ſcribit Naucleτus Gener. 43 vixit in Villa *Eykel* agri Leodienſis puella, quæ abſque omni cibo annos XXX. tranſegit, Euchariſtiæ Sacramento paſci ſolita. Mirum iſtud: cùm aliquando Sacerdos hoſtiam non conſecratam obtuliſſet, ipſaq; incauta ſumpſiſſet, intra fauces hæſit adeò, vt deglutire non potuerit: oblata deinde hoſtia conſecrata illam deglutiuit. Alia puella annorum XII. in villa Commerciaco territorij Tullenſis poſt Euchariſtiam in Paſchate ſumptam, per triennium omni cibo ac potu caruit: vt Belluacenſis refert, lib. XXIV. ſpec. hiſtor. cap. 27. Anno DCCCXX. Eremita quidam valdè pius ſola Euchariſtia apud Heluetios propè Vndenvalden ſingulis menſibus ſumpta, annos quindecim, nullo alio deguſtato cibo vixit, vt habet Wernerus in Faſciculo, Anno M.CD.LXV. Fuit is *Nicolaus Suitenſis*, qui, pietatis cauſſa, annuente vxore, ſeceſſit: facie præferebat inediam ingentem, homo macilentiſſimus. Quæ res, cùm delata eſſet ad Epiſcopum Conſtantienſem, neque is fidem adhiberet, iuſſit tres obolos panis vt ſumeret: paruit quidem ille, ſed ægrè deglutire potuit. Tandem obijt opinione ſanctitatis per prouinciam ſparſa. A. M.CD.LXXVIII. Naucleτus Generat. L. Eadem inedia diu vixit, ſumpta Euchariſtia, B. *Catharina Senenſis*, vt habet Bulla Canonizationis à Pio II. factæ. *Ludouici Pij* imperatoris fuit cibus cùm ægrotaret, per dies quadraginta, Dominicum corpus, præterea nihil, inquit Aymonius lib. V. cap. 20.

***

MEMBRVM IV.

OPERA MILITIÆ VETERIS

Superant longo interuallo, quæcumque noſtris temporibus tentata ſunt. Idem cernitur in Opere Ieiunij veterum & recentium.

QVI admiranda veteris Militiæ Opera cogitatione peruoluit, ridet, quæ noſtris temporibus celebrantur. Aliquid tentarunt annis ſuperioribus Batavi & Galli in vrbium obſidionibus, aliquid etiam factum ab Hiſpanis in Belgio, ſed quid ad illa ſuperius ex Cæſare, Appiano, Plutarcho enarrata? Pro mirando & magno refert Guicciardin⁹ in hiſtoria ſuperioris ſeculi, Proſperum Columnā in obſidione arcis Mediolanenſis foſſas duas duxiſſe ad intercludendum hoſtem ſpacio milliaris vnius. At Romana caſtra, quotidie latius ac operioſius muniebantur. Idem accidit ſi conferatur noſtra in Ieiunij opere exercitatio cum antiquorum operoſiſſima molitione. Vultis vt inſtituamus comparationem, qua pateat delicatulis noſtris, quantum de ſeueritate Ieiunij Eccleſiaſtici ſit detractum? Maiores noſtri qualibet hebdomade, feriâ quartâ, ſextâ, & in Occidente etiam Sabbato, non ſolùm carnibus abſtinebant, ſed ieiunabant quoque. Nos ſublatâ feriâ quartâ, cuius veſtigia ſuperſunt alicubi in monaſterijs, & in Poloniâ, delectū ciborum ſolummodò feria VI. & Sabbato retinuimus. De noſtra conſuetudine conſtat: de antiquo more ita ſcribit S. Ignatius, Epiſt. ad Philip. *Quarta & ſexta feria ieiunate, reliquias pauperibus porrigentes.* Et Origenes in Leuiticum, Homil. x. *Habemus quartam & ſextam Septimanæ diem, quibus ſolenniter ieiunamus.* Epiphanius quoque in Panario, Hæreſi LXXV. *A quo,* inquit, *non eſt aſſenſum in omnibus orbis terrarum regionibus. quòd quarta & pro Sabbato ieiunium eſt in Eccleſia decretum?* Eſt etiam Canon Apoſtolicus apud Clementem Romanum hoc modo conceptus, lib. V. Conſtitut. cap. vlt. *Poſt hebdomadam ieiunij in omni quarta feria & paraſceue, præcipimus vobis, vt ieiunetis.* Olim *Ieiunio* frequentiſſimè coniungebantur *Vigiliæ*, id eſt, nocturni ad precandum DEVM agebantur conuentus. Quod primis Chriſtianis apud Euſebium tribuit Philo Iudæus: & commendat Orientis ac Occidentis Patres. (a) Hoc tempore vna & altera Vigilia, Natiuitatis & Paſchæ eſt in vſu, nec integrè tamē vtraque. Antiqui ad horam diei nonam, quæ nobis eſt tertia pomeridiana ieiunia relaxabant: per ſacram verò hebdomadam Paſchæ, totamq; Quadrageſimam, vſque in veſperam ieiunia extrahebant: ita cænabant tantùm non prandebant. Nunc relaxatur ieiunium hora vndecima aut duodecima, & reipſa prandetur, verbaliter cænatur. Nam menſæ benedicens Sacerdos vtitur formula veſpertina: *Ad cænam vitæ æternæ perducat nos Rex æterna*

(a) *S. Chryſoſt. hom. 26. in Act. Apoſt. S. Leo Serm. 4. in Ieiun. 4. temp.*

æternæ gloriæ: Cùm tamen *Cæna* apud Dialecticos ſit nomen, ſecundum rem connotatiuum, veſperum denotans.

CHRISTIANI veteres, vnam tantùm refectionem, eamque pertenuem ieiunantibus indulgebant. Succeſſu temporis, pleno quod apponitur prandio, veſpertina acceſſit refectiuncula, vel *Collatio*, vt vocatur. Quam cùm nec Theologi, nec Iuriſconſulti (*a*) reprehendant, damnare non poſſum. Hoc moneo, cùm inducta illa ſit, ne noceat potus, debere eſſe tenuiſſimam; ne ſi in cænam degeneret, omnis tandem ieiunij ſeueritas relicto ſolo ciborum delectu, è medio tollatur. Sanè apud veteres nulla prorſus eſt binæ refectionis in diebus eſurialibus mentio. Quod ad delectum ciborum ſpectat, priſcis illis temporibus, non abſtinebant Chriſtiani ſolùm ieiuniorum diebus à carnibus, ouis, caſeo; ſed etiam à piſcibus, aromatibus, fructibus quibuſdam terræ; (*b*) tum à vino, mulſo, omnique potu, qui inebriare ſolet; contenti oleribus, leguminibus, pane, ſale & aqua. (*c*) Nunc verò ijs diebus, ſolis propemodum carnibus abſtinemus. In quadrageſima verò, licet non vbique, etiam ouis, caſeo, & lacticinijs. Nec fame ſolùm, ſed ſiti quoque ſe torquebant ieiunantes: vnde ab aquæ potu interdiu abſtinebãt. Quare S. Ambroſius (*d*) arguit eos, qui conquerebantur, quod tempore ieiũnij ſitim ferre non poſſent, eò quod dies æſtiui eſſent longiores, & ſol torrentior.

IAM verò, Monachi, quos S. Auguſtinus vocat Chriſtianos perfectos, lib. 1 de mor. Eccl. cap. XXXI. per omnem vitam ieiunium communiter obſeruabant. Quidam ex ijs in duos, tres, quattuor dies ieiunia protrahebant ſolo pane & aqua victitantes. S. Athanaſius ſcribit S. Antonium Eremitam aliquando biduo, interdum triduo manſiſſe ieiunum, & quarto tandem die refectum. S. Hieronymus de nominatiſſimo monaſtices cultore Hilarione, eum ne quidem feſtis diebus, licet grauiſſimè decumbentem ſoluiſſe ieiunium.

DENIQVE, primis illis ſeculis, aut nullos, aut perpaucos eximebat auſteritas Eccleſiaſtica à Lege ieiunandi, maximè in Quadrageſimâ. Siquidem S. Baſilius homil. ſecunda de Ieiunio: *Omnes pariter*, inquit, *audiunt edictum ieiunij quadrageſimalis Ne quis igitur ſemet excludat à numero ieiunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ cenſentur.* S autem Ambroſius Sermone XL. inde probat omnibus ieiunandum, quia & pecudes apud Niniuitas pro hominum ſalute ieiunabant. Et ſermone XXXIV. *Pudet*, ait, *dicere: ſenes & anicula Quadrageſimam faciunt, iuuenes & iuuencula non faciãt?* Nunc à Theologis & Iureconſultis multi aut imbecillitatis aut neceſſitatis titulo ab operis huius exercitio liberantur. Imbecillitatis quidem, *Primò*, pueri & adoleſcentuli, vſque ad annum ætatis XXI. eo quod auctore S. Hieronymo, Epiſt. V. ad Lætam. ante annos robuſtæ ætatis periculoſa ſit grauis abſtinentia; *Secundò*,

(a) *Caiet. 22. q. 147. art. 6. Nauar. manual. c. 21. n. 14. Panor. & Innoc. Rubr. de Obſeruat. Ieiun.* (b) *S. Chryſoſt. homil. 3. ad popul.* (c) *S. Baſil. homil. 1. de Ieiun.* (d) *S. Ambroſ. Sermon. XXXIX.*

Secundò, Senes, omnium ſententiâ, octogenarij & ſeptuagenarij: multorum verò etiam, & nunc ferè communi doctiſſimorum virorum, qui ſunt annorum LX. quos ieiunium in Quadrageſima ſeruantes laudare ſoleo, non ieiunantes, legis Eccleſiaſticæ violatæ damnare non audeo. Certè, Concilium Toletanum, cap. IX. ſingulari conſtitutione exemit Sexagenarios. Et apud S. Auguſtinum Auctor Sermonum ad fratres in eremo Sexagenarios quoſdam reprehendit, quod nimia corpus inediâ diuexarent. *Tertiò*, Ægri ac Valetudinarij, de quibus extat Canon Apoſtolicus LXVIII. Sic olim Militia Romana habebat quoſdam Milites Cauſſarios, *(a)* quibus morbus ſat magna cauſſa vacandi erat. *Quartò*, Pauperes ac mendici, quibus tantum non ſuppetit, vt plenam vnam refectionē de die habere poſſint. *Quintò*, ad ieiunandum impotentes, quos Conſtitutio Apoſtolorum apud Clementem *(b)* excipit. Neceſſitatis verò caput multos complectitur: nimirum, laboribus grauioribus corpus exercentes, fabros ferrarios, murarios, lignarios, aurigas, agricolas, viatores, iter pedibus conficientes. Denique qui fatigantur Operibus miſericordiæ exequendis, vel corporalibus vel ſpiritualibus, ſi quidem hæc pietatis officia præſtari commodè à ieiunantibus non poſſint.

VERVM aliud eſt, ad quid lege præcipiente compellaris, aliud ad quid pius affectus impellat: aliud ad quid tenearis, aliud quid poſſis, & deuotio in ætate quamuis ſenili ſuadeat. Franciſcum Borgiam Societatis IESV Præpoſitum Generalem, qui ſemel de die, tuncque modicè veſcebatur, à piſcium eſu abſtinere Medici iubebant quadragenarij ieiunij tempore, niſi ſi in diſcrimen caput vitamque adducere vellet. Ijs non parere durum videbatur, atque incommodum: euicit tamen precatione, animique celſitudine. Audito enim Pium V. Pontificem Max. ætate maiorem annua ieiunia religioſè ſeruare, nulla ætatis feſſæ, atque decrepitæ habitâ ratione, idem ſibi, vel capitis diſcrimine tentandum putauit. Quod cùm benè feliciterque eueniſſet, abſque valetudinis detrimento, diuturna illa verni temporis ieiunia, & quattuor anni partium, atque Aduentus ſeruare perrexit: mirantibus, qui corpuſculi imbecillitatem noſſent; ſed à DEO vires, quod referat, celſo animo ſuppeditari exiſtimabant. *(c)* Idem tu tenta, ac DEO fide. Si nequeas, aut aliud cum ratione videatur, audi Chryſoſtomum: *(d)* ***Si ob corporis imbecillitatem non potes ieiunus diem producere, nullus qui ſapit, propterea te arguere poteſt, Dominum enim habemus manſuetum, & miſericordem, & nihil ſupra vires noſtras à nobis exigentem.*** Eandem conſolationem ingerit S. Leo, Ser. 3. de Ieiun. menſis VII. *Nihil*, inquiens, ***à quoquam arduum, nihil aſperum quæritur: nec nobis aliquid quod vires noſtras excedit, indicitur, ſiue in abſtinentiæ caſtigatione, ſiue in eleemoſynæ largitione.***

* * *

(a) 1. *Lipſ. lib. 1. de Mil. dial. 4.* (b) *Lib. 5.* (c) *Andr. Schott. in vita lib. IV. cap. 5.*
(d) *Homil. X. in Geneſim.*

MEMBRVM V.

EXERCITIVM OPERIS

Complectitur in Militiâ, pontes, baſilicas, theatra, aquaductus, & ſimiles fabricas.

EXERCITIO operis à Milite Romano non tantùm foſſæ, muri, valla, ſed alia quoque ſtructuræ firmioris, ac perennaturæ conficiebãtur. Iſtiuſmodi ſunt, pontes, baſilicæ, theatra, aquæ ductus : immò, oppida ipſa tota. Dio Caſſius Lugdunum, nobilem hoc quoque æuo vrbem à militibus ſtructam in ocio teſtatur. Idem putat factum Lipſius, (*a*) in pleriſque Colonijs, ad quas ducti fuerunt milites. Non eſſet autem difficile demonſtrare in Militiâ ſpirituali fieri exercitio virtutum diuerſarum, pontes quibus non flumen aliquod, ſed Oceano vaſtius mare Seculi ſternatur, vt facilis ſit, & ſecurus ad litius felicitatis æternæ tranſitus: baſilicas etiam iudicijs exercendis, cauſſiſque apud DEVM perorandis idoneas: theatra quoque, in quibus ſpectaculo nos ipſi ſimus DEO Angelis & hominibus: adhæc, aquæ ductus quibus ad nos diuinæ gratiæ latices deriuentur: prætereà, arces, quibus contra vim hoſtilem includamur; item palatia, in quibus non hîc in valle miſeriç, ſed in montibus felicitatis, laxè ac regiè habitemus: immò, quæ in hac quoque vita manſioni Diuinitatis ſint per quam idonea: iuxta illud Chriſti D. effatum? (*b*) *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Denique Ciuitatem ipſam cæleſtem à Chriſtianis militibus exædificatam; & etiamnum perfici quotidie, non eſt ambigendum.

Vrbs Ieruſalem beata
Dicta pacis viſio,
Hac conſtruitur in Cælis
Viuis ex lapidibus.

(a) *Lib. 5. de Milit. Dial.* 13. (b) *Ioann.* XIV. 23.

MEMBRVM VI.

TEMPVS EXERCITII OPERIS

in Militia Chriſtiana eſt Pacis & Belli.

DVPLEX erat tempus apud Romanos exercendi ſe operibus faciendis. Vnum, cùm id neceſſitas exigebat, quod erat belli; alterum pacis, ſeu liberæ occupationis, aut ocij, at contra ocium : tunc autem maximè militari manu manſura multa ſtruebantur. Laudat Liuius libr. XXXVIII. Flaminium Conſulem, qui *ne in ocio militem haberet, viam à Bononiâ duxit Aretium.* Apud Frontinum lib. IV. cap 1. *P Naſica in hibernis, quamuis claſſis vſus neceſſarius*

ceſſarius non eſſet, ne tamen deſidia miles corrumperetur, naues ædificare inſtituit. Domitius Corbulo apud Tacitum libr. XIII. Annal. ne ſegnem militem attineret, inchoatum à Druſo aggerem, Rheno coercendo abſoluit. Vopiſcus de Probo Imperatore cum laude: *Milites ocioſos eſſe nunquam eſt paſſus. Extant apud Ægyptum eius opera, quæ per milites ſtruxit in multis ciuitatibus. Pontes, templa, porticus, baſilicas, labore militum ſtruxit: ora fluminum multa patefecit: paludes multas ſiccauit, atque in his ſegetes agrosq; conſtituit* Quanropere Devs bonè! Hic erratur à multis in Militia Chriſtiana, in qua videntur nunquam exerceri velle, niſi tempore belli, ſeu neceſſitas, ſiue paupertatis, ſiue præcepti cogat: non orant, niſi calamitate aliqua, quam amoueri cuperent, adacti: eleemoſynam non diſtribuunt, niſi cùm extrema eſt egeni neceſſitas, quando ſub peccato mortali tenentur. Cùm nullum eſt bellum tentationis, afflictionis, ærumnarum, cum omnia ſecundum vota ſuccedunt, denique in ocio tranquillitatis, nihil contra ocium faciunt, ideoq; belli tempore ſunt imparati, ac ſocordes, quo fit vt facillimè vincantur.

Illvd etiam hic admiratione dignũ & inculcandum eſt, quod in Exercitio Operis apud Romanos, Milites ſuis ipſi manibus tam vaſta ac admiranda ſtruerent. Nam olim in legionibus non alij erant fabri, quàm milites longo vſu docti, & aliqui etiam fortaſſe ex profeſſo tales, quibus præerat Præfectus fabrûm. Quod poſtea videtur mutatum: Siquidem tempore Vegetij, vt conſtat ex lib. 2. cap. 11. legio quælibet habebat fabros lignarios, ſtructores, carpentarios, ferrarios, reliquosque artifices ad hos vſus. Nunc in Militia profana huius temporis, nec milites ipſi manum admouent, nec operum magiſtros in exercitu habent: hinc nihil præclari, niſi aliunde accitis ad id magiſtris efficitur. At in Militia ſpirituali vellent quidem exerceri plerique in opere militari, ſed aliena opera & manibus. Ieiunarent tota quadrageſima, ſed exinanitione ventris non ſui, at alterius: orarent diligenter, &, ſi Eccleſiaſtici ſunt, horarium pẽſum quotidiè perſoluerent, modò, quemadmodum cantant per vicarios in templo, ita per eoſdem, in hypocauſto ipſi manentes, aut lecto affixi, recitare officium diuinum poſſent: darent largè eleemoſynas, ſed ex alieno marſupio, ligulas ſcindentes longas latasq; ex alieno corio: flagellarent ſe ſtrenuè diſciplinantes vſque ad ſanguinem, verùm in dorſo proximi: geſtarent cilicium, at in Sodalis ſui pectore. Præclari Milites, quales ſi multos haberet in ſuo exercitu Cæſar, habet autem plurimos Cacodæmon, breui equidem Imperium permanſuras æternùm operum moles militari manu erectas cerneret, quibus ſcilicet cælum ipſum expugnari poſſet, aut Orcus potius.

Tales ne Vos ſitis, Academici Chriſtiani, hoc tempore Exerciti o Operis deſtinato, eia, tanquam ſtrenui Christi Milites, tanquam Cæleſtes Liturgi, tanquam Operarij inconfuſibiles, operi manuum alacriter admoueamus. Imprimis circa foſſionem ſpiritualem occupati, ducamus *foſſam Ieiunij* longam quadraginta dierum paſſibus,

per Conſtantiam; latam duodecim horarum quotidiano interuallo, per Temperantiam; profundam vſque ad imum demiſſionis, per Fortitudinem; altam intentionis rectæ decempedâ per Iuſtitiam. Eodem tempore, extruamus poſt *Antemurale* feruentis fidei, *Murum Orationis*, altitudine per mentis eleuationem cælum penetrantem, Craſſitie per deſideriorum multiplicationem impenetrabilem, coagmentatione per caritatis calcem hoſtilibus machinis indiſſolubilem. Adiungamus *Vallum* duplicis *Miſericordiæ*, Corporalis ac Spiritualis, velut gemino palorum ordine diſpoſitum, iniectaque humilitatis Chriſtianæ terra, aggeris in modum, congeſtum ac densè conſtipatum. Hac munitione, omnium, quas vidit vnquam Oriens aut Occidens, ſecuriſſima, cingamus vtramque ciuitatem noſtræ fidei concreditam nobiſque defendendam, Corpus & Animam; circumdemus caſtra nobis commiſſa, membrorum ac potentiarum: circumuallemus Exercitum ex Virtutibus Chriſtianæ Iuſtitiæ conſtantem, & ſecuri ſimus: erimus inexpugnabiles. Quod ſi deſidia contabeſcentes nulla operis boni exercitatione tempus rerum omnium precioſiſſimum prodigè dilapidauerimus, aut, quod peius eſſet, prauorum operum exercitio intenti, Mundo, Carni, Cacodæmoni manus laboreſque noſtros dedicauerimus, metuamus. Quia certò certius, finita breui hac Militia cum malitia ſua, ſupremus operum arbiter reddet vnicuique κατὰ τὴν πρᾶξιν, ſecundum EXERCITATIONEM & OPERA ſua, aut miſeriæ in inferno propè intolerabilis, aut felicitatis in cælo verè interminabilis æternitatem. Ad quam Vos perducat, precor enixè, DEVS PATER & FILIVS & SPIRITVS SANCTVS. Amen.

NOTÆ

In quibus Auctores & Parerga.

§. I. PRIMVM inſtans vſus rationis.] *Diſputatur à Scholaſticis*, An peccatum veniale poſſit eſſe in aliquo cum ſolo Originali? *Negat* S. Thomas 1. 2. *q.* 89. *art.* 6. *&* *q.* 21. *de Verit. art.* 3. *ad* 4. *& de Malo art:* 2. *& in* 2. *diſt.* 42. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 7. *De quo dogmate, eiusque intellectu, eſt magna diſſenſio inter ipſos Thomæos. Legendi,* Valentia, Vaſquez, Tannerus 1. 2. Suarez *tract.* 5. *de peccatis diſp.* 2. *Sect.* 8. *An mortale debeat neceſſariò præcedere veniale?* Tria autem *ipſe ſtatuit, & probat. I. Poſſe hominem in primo inſtanti vſus rationis, tam venialiter, quàm mortaliter peccare. II. Frequentius contingere, vt prius peccet venialiter, quàm mortaliter. III. Peccatum veniale poſſe eſſe ſimul cum ſolo originali.*

§. II EXERCITIVM Operis.] *De hoc in Militia Romana.* Iuſt. Lipſ. *lib.* 5. *dialogo* 13. IEIVNIVM.] *Scriptores Caſuum conſcientiæ.* Bellarminus *lib. de bonis operib.* Azor *tom.* 1. *Inſtit. mor.* Toletus, Layman, Bulæus *in Viridario. Quorundam ieiunia admiranda habet* Maiolus *in Canicularibus Colloq.* Marulus *in Exempl.* Baptiſta Fulgoſus, *& ex ijs* Theatrum *vitæ humanæ.*

§. III. IEIVNIVM Senum.] *Certum eſt, à ieiunio excuſari ſenes. Cuius ratio, quia ob virium imbecillitatem, humoriſq; ac caloris defectum frequentiore cibo indigent. Contingit autem ſenectus plerumque anno ætatis ſexageſimo: ſecundum* Caietanum 2.2.*q.* 147. *art.* 4. Nauarr. *in Manuali cap.* 21. *n.*16. Emman. Sà, *Ver. Ieiunium n.* 9. Sanchez *lib.* 7. *de matr. diſp.* 32. *num.* 17. Toler. *lib.*6.*cap.* 4. Angles *de ieiun. q.* 6. *diffic.* 6. *Nam* dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni, *Pſalm.* LXXXIX. *Ergo qui ſexaginta annos habet, ſeneſcit, cùm propè interitum ſit. Alij ſeptuageſimum ætatis annum ſenibus adſignant, in qua à ieiunij obligatione ordinariè eximi debeant: quemadmodum etiam à perſonalibus oneribus, iuxta L. vlt. C. Qui ætate &c. lib.* 10. *Ita* Silueſt. *verbo* Ieiunium *q.* 6. *dicto* 2. Gabr. 4. *d.* 15. *q.* 3. *art.* 1. Azor *tomo* 1. *l.* 7. *cap.*17. *q.* 4.

AT, vlterius diſputatur, An ætatis annus LX. *aut etiam* LXX. *ita determinatus ſit ad excuſationem Ieiunij, vt tametſi aliquis adhuc firmo corpore exiſtens, ieiunij difficultatem facile perferre poſſit, eximatur à lege, & excuſetur? Excuſari docet* Sanchez *lib.* 7. *de matr. diſp.* 22. *num.* 17. Clamas *p.*3. *methodi cap.* 5. §. 20. Angles I. C. *Ratio eſt, quoniam, quemadmodum iuuenibus certa ætas definita eſt, ante quam ieiunij Lege non obligantur; ita ſenibus definienda fuit, ſupra quam non amplius obligentur: quia expedit legis obligationem ita definitam eſſe, vt ſciatur, qui-nam ea comprehendantur, vel non, ne ex vna parte facilis humanæ legis negligentia, ex altera nimia ſolicitudo & anxietas oriatur. Excuſari negant,* Caietanus, Nauarrus, Toletus, Silueſt. Azor. *ll. cc.* S. Antonin. *p* 2. *tit.* 6. *cap.* 2. §. 6. Barthol. Medina *in Inſt. l.* 1. *c.* 14. §. 10. Ioann. Med. 4. 9. *de Ieiun.* Leſſius *l.* 4. *cap.* 2. *dub.* 6. Valen. *diſp.* 9. *p.* 5. Layman *lib.* 4, *tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 2, *qui hanc ſententiam dicit eſſe communem. Reor tamen ego, hoc tempore, ſpectata auctoritate* D. D. *de Cathedra docentium ac Scriptorum, nec non Confeſſariorum, & in Religione Virorum, ac Superiorum, piorum æquè ac prudentum, priorem ſententiam haud minus, ſi non magis, eſſe communem, ideoq; in praxi tutam, & ſecundum Eccleſiæ benignitatem ſequendam.*

Inſpice Theatrum Vitæ. Ver. Quadrageſima. §. *Quadrageſimæ Definitio, Etymologia, Antiquitas, Inſtitutio. Origo.* §. *Quid circa hæc hæretici ſentiant? Quid Catholici? Quæ in ea obſeruanda varietas? Quis totius Eccleſiæ? Quis particularium quarundam regionum vſus?* Item, Ver. *Ieiunium.* Denique, *Ver.* Senectus, Senium, Senes. *Perpendendum illud:*

Multa ſenem circumueniunt incommoda.

SENECTVS IPSA MORBVS EST.

COMMENTATIO VII.

EXERCITIVM ARMORVM

Quod apprimè neceſſarium eſt

MILITI CHRISTIANO

Exerce teipſum ad pietatem. 1. ad Timoth. IV. 7.

Dominica II. Quadrageſimæ.

MEMBRVM I.

SVPERSTITIOSI & ACEDIOSI.

Illi bellum Corporale; Hi Spirituale deteſtantur.

REPERTI fuerunt olim aliqui, hec deſunt hodieq́, nonnulli, qui omnem belli vſum, omnemq́ue hominis interfectionem ſeuerè prohibitam, tum alijs gladium portantibus, tum Chriſtianis nominatim aſſeruerunt. Sed pro bello egregiè pugnauit generoſiſſimus Miles Chriſtianus contra Manichæos illius delirij auctores Auguſtinus. (*a*) Qui ſimul expugnauit eiuſdem opinationis aſſeclas, pacificos, vt vocari volebant, Wicleſiſtas, (*b*) & Iulianum Apoſtatam, (*c*) & Anabaptiſtas, (*d*) & Cornelium Agrippam, (*e*) & Ioannem Oecolampadium. (*f*) Quibus fauet Eraſmus, (*g*) & Ioannes Ferus. (*h*) Martinus Lutherus (*i*) autem belli in Germania ciuilis ac ruſticani ſuſcitator negauit Chriſtianis contra Turcam eſſe bellandum. Sed abſurditatem ac impietatem ſententiæ ſuæ Lutherus poſtea vidit ac correxit: (*k*) non item Theodorus Bibliander. (*l*) At Manichæi vlterius progreſſi, omnis ſubſtantiæ viuentis extinctionem interdictam voluerunt, vt meminit Auguſtinus. (*m*) Lactantius (*n*) inſinuat non eſſe licitam hominis occiſionem. Ioãnes Scotus (*o*) non probat furis capitale per ſuſpendium

(a) *l. 22. con. Fauſt. à cap. 74.* (b) *apud Walden. Tom. 3. de Sacrament. tit. 24. cap. 169. 11. 3.* (c) *Iulia. Apoſt. Nazian. Or. 1.* (d) *Melanct. in Loc. cap. de Magiſtr.* (e) *Lib de vanit. Scien. cap. 79.* (f) *Prateal. in Elencho.* (g) *In cap. 3. & 22. Luc.* (h) *Cap. 26. Matth.* (i) *In Bull. Leon. P. M. art. 34.* (k) *Lib. de viſit. Saxonica.* (l) *In Chron. tab. 13.* (m) *Lib. 6. contra Fauſt.* (n) *L. 6. Inſtit. cap. 20.* (o) *in 4. diſt. 15. q. 3.*

pendium ſupplicium, præſertim diutni, quem veriſimile ſit velle duntaxat furari: nec adulteram occidendam contendit. De Waldenſibus ſcribit Guido Carmelita, eos ſenſiſſe, nefas eſſe hominem interficere, iudicis etiam præcepto. Atque idem aſſeruit Nicolaus Galecus vnus de Legatis à Bohemia ad Concilium Baſilienſe miſſis, vt Alphonſus à Caſtro, verbo, *Occidere* memorat.

Horum & plerumque nominatorum manifeſtus eſt error, condemnatus Patrum, Conciliorumque decretis: de quo in Scholaſticis Commentationibus eſt actum, nec illum refutare huius eſt cathedræ. Occultus autem ille quorundam videtur error de *Bello Spirituali*, ſed æquè in re ad ſalutem ſpectante, pernitioſus, qui ita vitam inſtituunt, itaque loquuntur, ac ſi illis bellum cum Cacodæmone, Carne, Mundo, cum vitijs & concupiſcentijs interdictum eſſet. Vel ac ſi fas non eſſet interimere furem honoris diuini Superbiam, iugulare abſtinentiæ gladiolo Gulam, transverberare ventris Ingluuiem enſe ieiunij, ducere in vitiorum exercitum Virtutis cohortes, pugnare ſtrenuè pro victoria contra perturbationum ac cupiditatum acies. Vellent cum Petro ſemper commorari in monte Thabor, in monte pingui, monte coagulato, monte ocij & tranquillitatis. Dicunt, *Domine, bonum eſt nos hic eſſe: faciamus hic tria tabernacula:* non deſcendamus ex hoc Monte: agamus vitam quietam: cur velimus morari ſub dio, cùm in tentorio poſſimus? cur nos exponamus periculo? cur hoſtem aſtutiſſimum & fortiſsimum irritemus? *Pars ſecunda.*

Vtrumque hunc errorem damnat Sapientiſsimus Eccleſiaſtes, dum cap. 3. paci belloque ſuum tempus adſignat: *Tempus*, inquit, *belli & tempus pacis.* Quod de bello ſpirituali exponit præ ceteris eleganter Gregorius Nyſſenus, monetque pugnandum contra hoſtes animæ inuiſibiles dum in hac vitâ ſumus; quæ nonniſi Militia eſt, *(a)* vt ijs debellatis pax ſequatur exuperans omnem ſenſum, quam Paulus Philippenſibus commendat. *(b)* Gladium miſit Chriſtus in mundum Matthæi x. gladium ſpiritus, gladium zeli, gladium virtutis, ſtringendum in ſalutis noſtræ aduerſarios. Rgnū cælorum pugnantibus ac violentis idem Dominus expoſuit, Matthæi xi. Non aſcendit Christus hodie ad montem Transfigurationis & gloriæ, niſi poſt ſex dies Exercitationis ac conflictus: poſt hunc ſequitur ſeptimus, Sabbatum vacationis ac quietis. Quàm diu viuimus, tempus eſt belli: futurum eſt poſt hanc vitam, ſi ſtrenuè partes noſtras egerimus, pacis. Itaque ſemper ſit paratus ad prælium, tanquam belli tempore Miles Chriſtianus. Quod fieri nequit, niſi diu multumque extra prælium ſeſe militariter exercuerit. Cùm autem triplex ſit exercitium Militis, nempe, *Oneris*, *Operis*, *Armorum*, quomodo in primo ac ſecundo exerceri debeat, ſatis ſuperque in præcedentibus Commentationibus eſt demonſtratum. Nunc de tertio agendum, in quo penè ſumma rerum conſiſtit. Nam proprium eſt Militis, arma peritè tractare, & habere ad defendendum, aut offendendum.

(a) *Iob.7.1.* (b) *Philipp.vlt.7.* (c) *Matth.34.* (d) *Matth.xi.12.*

MEMBRVM II.

EXERCITIVM IN ARMIS

Romanorum continuum, quantum Imperio profuerit. Quid illi, Quid Fortunæ tribuendum, in Militiâ profanâ & ſacra.

IN eo armorum Exercitio quantoperè excelluerint Romani narrat ex fide Ioſephus hiſtoricus lib. III. de excidio Ieroſolymitano, & hæc omnia commendat, quæ numeris diſtinguo, memoriæ ſtabiliendæ gratiâ. I. Quod initium armorum ipſis non ſit bellum; ſed multo ante aſſueſcant. II. Quod non ſolùm quando vſus aut neceſſitas eſt, manus moueant, in pace feriati: ſed hoc maximè tempore exerceantur in armis. III. Quod tanquam congeniti armis, nunquam pauſam exercitij faciant: nec occaſiones expectent. IV. Quod meditationes illis, ſiue exercitia nihil à vero vſu fortitudinis, & audaciæ abeant. V. quod quiſque quotidie miles, omni alacritate, tanquam à bello exerceatur. VI. quod exercitia eorum ſint pugnæ ſine ſanguine: pugnæ ſint exercitia cum ſanguine. *Quo fit,* inquit, *vt facillimè, & penè ſine laboris ſenſu, pugnas tolerent. Neque enim vel confuſio eos à conſueto ordine amouet, & diſſipat, vel metus reddit attonitos, vel labor fatigatos. Sequitur verò victoria ſemper eos, cùm in hos pugnent, qui non pariter confirmati.*

VTINAM imitarentur Milites, quorum armis Imperium Romano-Germanicum defendi deberet; citius ſanè bellorum ciuilium finis eſſet. Sed nunc plerumque in exercitati adoleſcentes noui, immò, penè pueri militiæ adſcribuntur, & armis onerantur, quæ tractare nequeunt, neque vllâ deinde Exercitatione ad bellum ſe parant: quid mirum, quod multi foſſis tantùm implendis, per cadauerum aggeſtionem ſint vſui. Sed hæc alijs narranda, vel lugenda relinquimus, & Milites ſpirituales, quod noſtri eſt officij, formemus. Hi facerent in ſuo genere, quod à Romanis illis orbem terrarum ſubigentibus factũ commendat Ioſephus, certiſſimam illis de hoſte, quamuis numeroſiſsimo ſpondetem victoriam. Cenſet ille, Romanos orbem terræ habuiſſe non FORTVNÆ beneficium, ſed virtutis meritum; virtutem autem bellicam Exercitijs deberi, quibus robur ac peritiam compararint, & horum interuentu, victoriam. Multum valet in Militiâ profanâ Sors & *Fortuna*. Hinc illud prudentis hiſtorici: *Magna eſt, vt omnes norunt, in rebus humanis omnibus* Fortunæ *poteſtas, maior in bellicis rebus, ſed incredibilis, immenſa, infinita in ipſo Martis conflictu. Vbi ſi quid temerè factum, ſi qua vox vel à gregario milite inaniter miſſa, ea victoriam ad eos transfert, qui iam victi videbantur Vbi repentè caſus innumerabiles accidunt, quos nec proſpicere nec gubernare conſilio Duces vllo modo poſſunt.* (a) Longior eſt, ſed prudentiæ militaris noua

(a) *Franc. Guiciar. ... lib. 2. hiſt.*

notis refertiſsima de hac re oratio Simoneti Ducis veterani apud Iouinianum Pontanum hunc in modum differentis. (a)

,, Qvi dominari in bello Fortvnam dicunt, nō temerè illi mihi quidem, & ſentire videntur & dicere. Non quod belli adminiſtrationem, victoriæque euentum in manu *Fortunæ* collocatum exiſtimem, ſed quod in conferendis præcipuè manibus, propter ea, quæ repentè accidunt, nunquam ſatis proſpici ab Imperatoribus, aut confuſendo queat, aut vbi conſilium captum eſt, ſtrenuè rem gnauiterque gerendo. Quo enim conſilio, aut qua proſpicientiâ, equorum confuſiones, militum trāſfugia, falſi rumores, malè accepta imperia, cæli tempeſtates, locorum iniquitates in itinere faciundo; Equitū, Centurionum, Tribunorum, aut Imperatoris ipſius caſus in conſerendo prælio, aliaque huiuſcemodi propè innumerabilia, aut prouideri ne accidant, aut poſtquam acciderint, ne damno ſint, ſatis vbique proſpicere poterit? Cùm nullum perſæpe ad proſpiciendum ſpacium propter temporis exiguitatem, nulla opportunitas, ob rerum difficultatem Imperatori relinquatur: nec idem ipſe & hic & illic vno in tempore adeſſe, nec plura ſimul aut imperare alijs, aut adminiſtrare ipſe valeat. Equidem ego ita ſe habere rem non magis magiſtro ab aliquo in Scholis, quàm ipſo ab vſu, qui humanarum actionum optimus ac Sapientiſsimus magiſter eſt, doctus, adfirmare audeo. Quippe qui iam ſexagenarius, quam militiam adoleſcens ſequi cæpi, eam adhuc ſequor. Quo interum tempore animaduerſum à me eſt non ſemel, etiam leuiſsimum caſum ex victo victorem, ex victore victum exercitum reddidiſſe. Tot igitur annorum vſus, & hæc ætas abundè, me mouere debent, nè quid temerè incipiendùm, ne quid inconſultò audendum conſulā. Velle autem tentare *Fortunam*, eius eſſe arbitror, cuius res cùm anguſtæ ſint, ſpes etiam anguſtior in dies futura videatur. Veriſsimè dictum eſt à Cæſare: Multum quidem in rebus omnibus, tum in re militari Fortunam poſſe. Itaque huius ſæpe beneficium eſt victoria. ,,

Qvod quidem in Militia noſtrâ ſpirituali locum non habet, in quâ ſemper victoria comitatur rationem, robur, ac peritiam. Nemo niſi per ſocordiam in illâ ſuccumbit: nemo victoriam niſi ex prudentiæ præſcripto millitans reportat: nemo caſu opprimitur. Cùm enim nemo hîc ſuperetur, niſi vincatur à Peccato, hoc autem committenti ſemper ſit euitabile, quia liberum (nam nullus ad peccandum neceſsitate adigitur) conſequens eſt, victoriam penes illum fore, qui ſecundum artis iſtius præſcriptum peritè ac fortiter hoſti reſiſtet. Quod ab exercitato facillimè, ab inexercitato fit difficillimè. Bellica autem virtus in Militia Chriſtiana vt diuina Gratia, quæ docet manus noſtras ad prælium, & digitos noſtros ad bellum, acquiritur, & habetur cum noſtra coope-

(a) *Pont. lib. 1. hiſt. Neapol.*

cooperatione, ita labore & exercitatione militari alitur & augetur. Quid autem, altiori ſenſu, in ea poſſit, & præſtet FORTVNA Cæleſtis, in loco ſæpius hoc in Volumine de rebus bellicis, & alibi demonſtrauimus.

MEMBRVM III.

EXERCITIVM ARMORVM

In Militia ſacra debet eſſe continuum continuitate ad temporum diſcrimina ſpectante.

SI excellere in ſacra noſtra Militia cupimus, imitemur fortiſſimos, quia laborioſiſſimos orbis domitores. His imprimis, ***non initium armorum bellum erat***. Non ſanè, ſed ante bellum, bellum cogitabant, & exercebantur ad bellum, & parabantur. In pace illi, vmbratili armorum vſu ac certamine ad belli labores, veraque pericula ſe durabant. Hoc præceptum eſt Militiæ Chriſtianæ, quod iam olim Romanus Sapiens Epiſtola XVIII. non à Stoâ, ſed ex adytis Sophiæ altioris, vt arbitror, hauſit: *In ipſa ſecuritate animus ad difficilia ſe preparet, & contra iniurias* Fortunæ *inter beneficia firmetur. Miles in mediâ pace ſine vllo hoſte decurrit, vallum iacit, & ſuperuacuo labore laſſatur, vt ſufficere neceſſario poſſit. Quem in ipſa re trepidare nolueris, ante rem exerceas.* Hoc eſſe neceſſarium norunt *Oratores*, qui nunquam declamaturi publicè, cathedram conſcendunt, niſi priuatim aliquoties coram paucis, aut ſolitariè perorarint. Nunquam in theatro peritè agunt *Poëta*, aut ſe iactitant hiſtriones, niſi aliquoties ante cum Roſcio domi ad omnes ſe flexus aptarint. Nunquam Philoſophus ſubtiliter argumentatur in propatulo, niſi prius in ſeceſſu, aduocatis in capitis comitium cogitationibus, ſecum ipſe aliquoties diſputarit. Nunquam *Medicus* feliciter cum febri, colicâ, pleuritide, peſte confligit: nunquam vel vnum *Recipe* in graui morbo, me auctore, conſcribat foris, niſi prius domi, conſiderando, legendo, Hippocratem, aut Galenum conſulendo, notitiam neceſſariam adquiſiuerit. Nunquam *Iuriſconſultus*, vel in foro cum plauſu cauſſam aget, vel coram Iudice in dicaſterio reum defendet, ac aduerſarium opprimet, vel ipſe in tribunali ſententiam iuſtè feret, niſi multo ante ad exercitium forenſe exercitatione domeſticâ præparatus. Nunquam *Theologus*, aut in Scholis Doctor acutè de abditis fidei myſterijs diſſeret, aut in templo Eccleſiaſtes fructuoſè auditores ſuos in morum diſciplinâ erudiet, aut in circulis, vel confeſſionis tribunali dextrè nodos conſcientiæ implicatiſſimos diſſoluet, niſi ante, tum in muſeolo ſolus, tum in exedrâ Sapientiæ cum alijs promptitudinem arma Scholaſtica tractandi compararit.

IDEM vſu venit in *Militia Chriſtiana*. Non pugnatur animosè cum *Superbia*, niſi prius, antequam oppugneris, humi-

liatis

litaris arma verſaueris. Non agitur fortiter contra *Gulam*, niſi antequam menſæ accumbas in temperantiæ campo te exercueris. Non confligitur feliciter cum *Laſcuia*, niſi ante congreſſum in caſtitatis palæſtrâ frequenter ad hoſtis aſtutiſſimi inſultus eludendos ſe quis diſpoſuerit. Non euades victor contra *Iracundiam, Inuidiam, Odium, Rancorem, Acediam*, infernalem Cacodæmonis exercitum, niſi ante prælium arma manſuetudinis, beneuolentiæ, caritatis, deuotionis: breuins, honeſtatis, aut virtutis vſurpare aſſueueris. Itaque antequam Diabolus te oppugnet, antequam tenteris à Concupiſcentiâ, antequam criminum variorum te exercitus inuadat, Exercitio armorum ſpiritualium te præpara. *Diſcat miles in ocio, quod perficere poſſit in bello*, aiebat apud Caſsiodorum Theodoricus Rex: addebatque: *Animos ſubitò ad arma non erigunt, niſi, qui ſe ad ipſa idoneos, præmiſſa* Exercitation. *confidunt*. Obſerua diligenter, *In ocio*: nempe, dum hoſtis quietem permittit: cùm pax eſt à tentatore. Id diligenter obſeruatum à Romanis, qui in ſtatiuis, aut hibernis maximè exercebantur, cùm quies ſcilicet ab hoſte. Hinc illud Plinij ad Traianum; *Cùm dies ſtatiuorum proximum campum alacritate, diſcurſu, puluere attolleres.*

Ergo nunquam ab Exercitio militari ceſſandum? Semper-ne actionibus virtutum ſine intermiſsione, incumbendum? nunquam-ne quieti indulgendũ? Ad Milites Romanos prouoco, de quibus Ioſephus: *Nunquam pauſam Exercitij faciunt*. Quod imprimis ad ætatem referri poteſt: nam omni ætate exercebantur. Et nobis Exercitium eſt neceſſarium in infantiâ, pueritiâ, adoleſcentiâ, iuuentute, ætate virili, ſenio. Nulli licet eſſe in Militiâ noſtra ocioſo. Si vſque ad ſepulchrum eſt pugnandum cum hoſte, non niſi in ſepulchro eſt pauſandum. Ad eius ingreſſum conuerſi ad amicos taciti cantabimus:

Valete. Parca vellicat,
Eſt danda pauſa vitæ
Vt vitæ, ſic laborum,
Valete mundi lumina.

Poteſt idem deſignare anni totius decurſum, vt nulla ſit temporis in illo excepto, ſed die quolibet Exercitium vigeat. Nullæ ſunt in Militia Chriſtiana feriæ. Habent dies vacationum, vt vocant, litterarum ſtudioſi, ad quos tantoperà anhelant ſocordes. Habent ferias paſchales tribunalia Iudicum Chriſtianorum: ſunt feriæ æſtiuales, caniculares, autumnales dicaſteriorum, nullas nouit ferias virtutis Exercitatio: omnes in Militia noſtra dies ſunt operoſi. An etiam quælibet pars diei? Ita cenſeo. Quare qualibet horâ, & in eâ omni quadrante, immò, minuto quolibet ac punctulo operandum eſt bonum ac benè. Id qui non facit, ocioſus haberi debet, & ea propter contra leges ſpiritualis Militiæ deliquiſſe. Nam vel ſe exercet, faciendo aliquid, vel nihil operatur, ſiue exterius, ſiue interius. Si nihil, eo ipſo pœnam meretur. Si aliquid, illud neceſſariò aut eſt bonum, aut malum: nulla ſiquidem hominis ratione vtentis actio in indiuiduo eſt indifferens. Huc ſpectat Chriſti Domini exhortatio: *Oportet* Semper *orare & non deficere* Luc. xviii. Quod eundem habet ſenſum cum illo

Chriſtiani Campiductoris Pauli, *Sine intermiſſione orate.* 1. ad Theſſalon. v. Orate autem ille quodam ſenſu pio dicitur, qui benè operatur.

VTRVM ne igitur tam continua debet eſſe Exercitatio, vt ne quidem in ſomno intermittenda ſit? Felices nos, ſi hoc humana permitteret imbecillitas: ſic enim ſemper in procinctu vigilantiſſimo hoſti prompti occurrere poſſemus, qui proſtratis etiam inter plumas, ac ſomno ſepultis arma oſtentat, nec infeſtare, poſt diurnum conflictum, fatigatos deſinit. Miſera conditio. Iacemus, & gladijs ad internecionem impetimur. Hoſtem non ſentimus, & eius ſicâ confodimur. Non timemus, & occumbimus. Velitationem ſuſtinemus, quâ, dum euigilamus, delectatione ſubſequâ vincimur, in ipſo prælio antecedente haud ſuperati. Sortis felicioris fuit in hoc genere fortunatiſſima Bellatrix MARIA, cui non tantùm in vigilia ſed etiam in ſomno procedebat militare hoc exercium. Quid igitur mirum vnicam illam fuiſſe hoſti terribilem, vt *Caſtrorum Aciem ordinatam?* Illa noſtra Imperatrix in ventre matris Annæ, tanquam in campo ad id deſtinato, exerceri cæpit, neque vnquam, niſi cum vitâ mortali deſijt. Egreſſæ ex vtero, dormire non prius cupiditas, quàm neceſſitas fuit. (a) Cùm quieſceret corpus, vigilabat animus, qui frequenter in ſomnis, aut lecta repetebat, aut ſomno interrupta continuabat, aut diſpoſita gerebat, aut gerenda pronunciabat: orationi intenta ac contemplationi, in quâ magis excedebat dormiendo, quàm, quilibet alius vigilando. (b) Vt verè dicere potuerit: *Ego dormio & cor meum vigilat*; ſcilicet in contemplatione *perfecta à nulla actione debilitata*, vt S. Bernardinus interpretatur.

NOS quidem ad illam Exercitij continuationem aſpirare non poſſumus: illud tamen conandum nobis eſt, vt intermiſſionem per ſomnum faciamus quàm breuiſſimam. In quo laudatur præ multis S. IGNATIVS LOIOLA, de quo ſcribit Nicolaus Orlandinus in hiſtoria Societatis libro XVI. quod interdiu pariter ac noctu, præter breues quietis inducias, ſingulis horis, horologij ſonitu admonitus, examinando conſcientiam, hanc ſecum accuratè quæſtionem exerceret, cogitata, dicta, facta in iudicium vocans. An huc fortaſſe reſpiciebat, qui conſcripſit ediditque Horologium Angeli Tutelaris? nam horis ſingulis, non noctis minus, quàm diei Exercitationes animæ deuotæ perſcribit, vt ſint omninò XXIV. perficiendæ quotidie. Si nimium videatur: nam quis qualibet noctis horâ excitetur ad mentis in DEVM eleuationem? aliquid ſaltem in hoc genere faciamus, & ſequamur ſanctiſſimorum Patrum exemplum, qui partem noctis ad orandum decerpebant, neque vnquam ſolidam noctem ſomno dabát. *Non dormiamus*, inquit D. Ambroſius in Pſalm. CXVIII. oct. 7. *totis noctibus, ſed maximam partem*, dicamus nos, partem aliquam, *lectioni & orationibus deputemus*. Quod faciebat THEODOSIVS Imperator, qui cùm totius Imperij negotijs diſtractus diem penè totum laborioſiſsimè curis publicis impendiſſet, nocturnæ quietis partem legendis veterum monu-

(a) *S. Ambr. lib. 2. de Virg.* (b) *S. Bernard. tom. 1. ſer. 1. art. 3. cap. 9.*

monumentis tribuebat: an non etiam orationi, ſiue vocali ſiue mentali? qua lectio commodiſſimè interrumpitur. In eum finem lucernam *αὐτόματον* fieri curauerat ad continuam lucem tuendam, vt ſcribit Nicephorus in hiſtoria. Vtinam imitemur! aut ſaltem de die dum vigilamus, armorum ſpiritualium exercitium, ſomno, deſidiâ, ocio non interrumpamus.

MEMBRVM IV.

TYRONES & VETERANI

Exercendi diuerſimodè. Haud ſecus, Iuniores & Senes. His pluſculum indulgendum.

PORRO, quamuis omnes in Militiâ Romanâ in dies exercerentur, erat tamen diſcrimen aliquod inter iuuenes & ſenes. Nam, vt loquitur Vegetius: *Iuniores & noui milites, mane, & poſt meridiem ad omne genus exercebantur armorum: veteres autem & eruditi ſemel in die exercebantur.* Itaque non erat tam crebra Veteranorum, quàm Tyronum exercitatio. Quod pro adoleſcentibus obſeruandum, qui facillimè ad ſeniorum exemptiones, priuilegia, immunitates reſpiciunt, eaque ſibi arrogant, labores autem præteritos, & exercitationem in iuuentute antecedentem non conſiderant. Iuſtitia & æquitas requirit, vt aliqua multo tempore defatigatis, qui portarunt pondus diei & æſtus, concedatur remiſsio, quam iuniores ſumere præproperè non debent. In omni benè conſtitutâ Republicâ honor ſenibus additur, labor detrahitur. In Academijs profeſſores emeriti alicubi poſt vigeſimum quintum, alibi poſt trigeſimum annum, cum ſtipendio extraordinario, nouis titulis decorantur, & à quotidianis prælectionibus eximuntur. Inter gladiatores olim, qui aut ætate emeriti, aut multis iam relatis palmis vacatione digni erant iudicum cenſurâ, rude donabantur à Prætore. Hinc illud Ciceronis per ſarcaſma: *Tam bonus gladiator tam citò rudem accepiſti?* Lyricus exemptionem prætendens ſciſcitabatur cum acrimoniâ à Mecænate ſuo, Ep. I.

Spectatatum ſatis, & donatum iam rude, quæris
Mecænas iterum me antiqua includere ludo?

vbi Donatus Grammaticus, *Rude*, inquit, per tranſlationem dicitur, pro eo quod eſt ætate emeritum: gladiatores enim accepta rude ab omni depugnandi neceſsitate eximebantur. Quo fit, vt *Rudem*, pro libertate & optato cuiuſuis rei ſine accipiamus.

Ergo ſibi dabit ipſe rudem?

quærebat quidam.

IN omnibus Congregationibus, & Capitulis, vt vocant, Eccleſiaſticorum liberantur ab officijs laborioſis, & continuâ chori frequentatione, alijsque oneribus Seniores, qui *Iubilarij*, aut *Iubilei* nominantur. Quod obſeruatum

quoque

quoque olim inter Veſtales. Denique, Eccleſiæ totius iudicio ac conſenſu ſummi Præſulis, ab Exercitio Ieiunij ſunt immunes ætate ſenes: quoto anno nuper expreſſimus. Itaque non eſt quod Adoleſcentes, quippe Tyrones in Militiâ Chriſtianâ, à ſenibus, quia veteranis, exemplum intermiſſionis petant. Sunt illi omni iure & conſuetedine excepti, non tu iuuenis. Vides tu ſenem exſanguem, ex ſuccum, cui nil niſi pellis & oſſa, non ieiunantem. Ergo tu idem præſumas, integris viribus, ſucculentus, lacertoſus, adipatus? Cernis ſenem in templo vertice tecto, quoniam caput quolibet ventulo læditur. Ergo & tu cui calore fumat occiput ſinciputque, pileo extempotaneo vteris? Conſpicis ſenem tempore Sacrificij non ponentem in nudâ humo poplites, ventrem inclinatorio, aut puluillo ſub genibus nodoſis & exſuccis. Ergo & tu, cui genua nondum callum obduxerunt, ſed carne ſunt tumida, ac pilæ inſtar rotunda idem tentabis? Memor ſis tuæ & conditionis & ætatis. Veterani ſemel, Tyrones bis exercebantur ex lege militari.

MEMBRVM V.

EXERCITII ARMORVM

Secundum temporis diuerſitatem varietas; in Militiâ tam ſacra, quàm profana.

QVONIAM tempora nonnulla, præ alijs, propter aëris perturbationes, minus ſunt commoda ad Exercitium armorum, in campo, attende, & admirare Romanorum induſtriã, qui vt nullum eſſet exercitio vacuum arte vtebantur. Notat Vegetius lib. II. cap. 23. illos quaſdam porticus & baſilicas, leuiter canna & ſtramine tectas extruxiſſe, in quibus equites pediteſque pluuijs & hiemantibus diebus exercebantur. Sunt etiam in *Militia Chriſtiana* tempora quædam ad exercitationem pietatis magis idonea, dum videlicet ſudum ac ſerenum eſt animæ cælum, nulla tentationis grauioris nube obductum: dum non præcipitat prauarum cupiditatum imber: dum nulla excitatur, à ſuperbia, gula, laſciuia, tempeſtas: dum non eſt pigra hiems ab acedia inducta. Tunc promptè horas aliquot oratione continuata tranſmittimus, ieiunium ad debitum tempus extrahimus, libenter confitemur, templa frequentamus: nullum oritur in vllo opere deuotionis faſtidiũ: volamus, non currimus: freno egemus, non calcaribus. At mutetur, non aëris ſed mentis conſtitutio: obnubiletur, vt contingit frequenter perturbationum denſiſſimò velo animus, ruat inde moleſtarum cogitationum pluuia, inſtent venti imbecitiores tentationum, ſit frigus deſidiæ. Quod tempus deſolationis, & ariditatis vocant Magiſtri ſpirituales. Ceſſatur illicò ab Exercitio militari, piget orare, violatur ieiunium, negligitur Confeſ-

Confeſſio, omittitur pia lectio, deſeruntur bona propoſita virtutis. Tunc autem eſt Militis laborioſi, contra torrentem niti, & in anima baſilicam ſibi conſtruere, id eſt, partem ſuperiorem, quæ æternis intendit, à terrenorum tempeſtate liberam efficere, contemplatione diuinorum ac cæleſtium, velut tecto impoſito, & in ea pietatis exercitio vacare: & tametſi non omnia, ſaltem aliqua tempori pluuio, ac hiemanti accommodata perficere.

VTILIA multa hanc ad rem ſpectantia præſcribit egregius Militis Chriſtiani exercitator Thomas Kempenſis lib. I. de Imitatione Chriſti, capite XIX. quod eſt *de Exercitijs boni Religioſi*. Vbi imprimis docet, quod varijs modis contingat deſertio propoſiti boni: tum, quod vel leuis omiſſio Exercitiorum vix ſine aliquo diſpendio tranſeat. *Si pietatis cauſſa*, inquit, *aut fraternæ vtilitatis gratia quandoque conſuetum omittatur* Exercitium *facile poſtea poteris* recuperari. *Si autem tædio animi, aut negligentia faciliter relinquatur, culpabile eſt, & nociuum.* Addit vtile documentum pro ſingulis. *Si non continuò te vales colligere, ſaltem interdum, & ad minus ſemel in die; mane videlicet aut veſpere. Mane propone, veſpere diſcute mores tuos qualis hodie fuiſti in verbo, opere, & cogitatione: quia in his ſæpius forſitan offendiſti DEVM & proximum. Accingere, ſicut vir, contra diabolicas nequitias: frena gulam, & omnem carnis inclinationem faciliùs frenabis. Nunquam ſis ex toto otioſus, ſed aut legens aut ſcribens, aut orans, aut meditans, aut aliquid vtilitatis pro communi laborans. Non poſſunt omnes habere vnum Exercitium; ſed aliud iſti aliud illi magis deſeruit. Etiam pro temporis conguentia diuerſa placent Exercitia. Alijs indigemus tempore tentationis, & alijs tempore pacis & quietis. Alia cùm triſtamur, libet cogitare, & alia cùm læti in Domino fuerimus.*

MEMBRVM VI.

LOCI OPPORTVNITAS

Ad vſum Exercitij armorum.

ET hactenus quidem *Tempus, Perſonasq́;* Exercentium conſiderauimus, nunc ad LOCVM properamus, qui Militibus olim non fuit tam vniuerſalis, quàm iſta. CAMPVS enim deſignabatur cùm ſerenum eſſet. Hinc *Campeſtres exercitationes* in Suetonio; *meditationes campeſtres* in Plinio. *Campiductor*, ipſe ὁπλοδιδακτὴς, vt Gloſſæ reddunt, ſiue *Doctor armorum*, vt Vegetius. In Militia Chriſtiana quilibet Locus, Campus eſt ad Exercitium militare idoneus, ac determinatus. Nullus eſt locus in vniuerſo, in quo Virtutis Exercitium vigere non poſsit. Vbique honeſti officio vacare valet homo, quamdiu mortalis viuit. Vnus eſt *Infernus*, locus à mortalibus remotiſsimus vbi

iſthæc non permittitur à teterrimis Spiritibus exercitatio. Itaque nemo ſe excuſet, quod Locum exercendi non habeat, aut neſciat. Quemadmodum nemo in hoc mundo extra locum eſt, ita neque extra militaris Exercitij Campum. Vt omnis locus ad agēdum eſt idoneus, ita & ad ſe exercendum: cùm Exercitium ſit noſtræ Militiæ, actio omnis, ſiue externa, ſiue interna ex virtutis præſcripto inchoata ac perfecta. Ad hanc quilibet locus patet: non minus priuatus, quàm publicus; anguſtus, quàm amplus; obſcurus, quàm clarus. Non excipitur ab hac deſignatione, carcer, lacus, deſertum, vallis, mons, cubile, lectus, fimetum, cloacâ: non ignis, aër, aqua: non in aquâ venter. balenæ. Exercebat ſe in carcere Ioſeph Patriarcha, in lacu inter leones Daniel Propheta, in deſerto Ioānes Baptiſta, in valle Iſaac, in cubili Tobias, in lecto Dauid, ſtratum pænitentiæ lacrymis rigans, in ſterquilinio Iobus, in igne Sidrach, Miſac, Abdenago, in aëre Abacukus, in aquâ Paulus, in ventre ceti Ionas: denique, vox eſt illa ſanctiſſimi doctiſſimiq; Patris Baſilij, digna exercitatiſſimo Milite: *Dum ventrem purgo DEVM lando.*

VNIVERSALIS eſt illa propoſitio Archiſtrategi Pauli: *Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione*, 1. ad Timotheum ſecundo cap. Si orare: Ergo multo magis quidpiam aliud benè agere loco ac perſonæ conueniens: quod nobis eſt, *Militariter exerceri*. Quod fieri debere dicit non in Eccleſiâ tantùm, ſed etiam in agris, ſiluis, officina, itinere, naui, menſa, lecto, quouis loco. Poſſe fieri ſine magna violentia docuit B. Franciſcus Borgia, de quo ita ſcribit Andreas Scottus libro IV. capite 4. Orandi aſſiduitate „ hoc commodi acceperat, vt DEVM „ vbique præſentem circumferret. Quò „ fiebat, vt vel frequens Locus, atque ne- „ gotium, templi ſolitudiniſque vicem „ illi præberet, materiemque adeò ſup- „ peditaret ac ſegetem precandi. Idem „ facere poſſe omnes, etiam in ſeculari vitâ conſtitutos docet S. Chryſoſtomus, cuius eſt hæc doctrina omnibus ſeruiens vtiliſſima. Homilia VII. ad populum. *Non dicat mihi quiſpiam, quod nequit homo ſecularis continuò per diem orare, & ad Eccleſiam concurrere. Poteſt illud & quàm facillimè. Si mentem namque mundam habeas ab immundis motibus, licet in foro ſis, ſiue in viâ, ſiue in mari, ſiue in diuerſorio, ſiue alibi, vbicumque tandem, DEO poteris inuocato, petitionem obtinere.* Simili modo S. Baſilius, Exhort. ad Baptiſ. *Non locus ſed propoſiti initium requiritur. Ieremias in luto erat, & DEVM attraxit: Daniel in leonum lacu DEVM placauit: tres pueri in camino DEVM promeruerunt: Latro non eſt Cruce prohibitus quin Paradiſum aſſequutus fuerit: Iob in ſtercore DEVM ad miſericordiam prouocauit. Igitur vbicumque fueris, ora*, vel benè operare.

***

MEM-

MEMBRVM VII.
EXERCITIVM ARMORVM
à Milite Chriſtiano peragendum ſeriò, & alacriter.

IAM verò, & hoc in Exercitio militari armorum laudatur à Romanorum admirationibus, quod *Seriò* ſe exercerent: id autem ſpectat ad Qualitatem, vnde penè laus eſt omnis actionum. *Meditationes illis*, *ſiue* Exercitia *nihil à vero vſu fortitudinis & audaciæ abibant. ſed quiſque quotidie miles, tanquam à bello exercebantur.* Sic nobis in officijs virtutum verſandum eſt, vt verbo ac geſtu oſtendamus, nobis eſſe ſerium quod agimus. Seriò exercenda eſt humilitas, temperantia, caſtitas: ſeriò orandum, ieiunandum, operibus miſericordiæ vacandum: ſeriò iracundiæ motus componendi, inuidiæ ægritudo curanda, laſciuiæ occaſiones euitandæ: ſeriò confitendum, ſeriò vita emendanda, ſeriò pietatis officia omnia exequenda. Contrarium à plurimis fieri videtur, qui verſantur in negocio ſalutis iculariter, mimicè, pueriliter. Non orant cùm attentione, deuotione, ſeriò; ſed haud ſecus, ac ſi ioco cum DEO agerent: labia mouent, ac neſcio quid immurmurant, quod ne ipſi quidem fortaſſe percipiunt: interim, per interualla circumſpiciunt, fabulantur, rident, nugantur, nictu, nutu, geſticulationibus, mimis immodeſtiores. Vadunt ad templum, audiunt concionem, comitantur in ſupplicatione alios, dicis cauſſa, quomodo fieri aſſeritur id, quod nulla alia cauſſa ſit, quàm vt factum eſſe dicatur. Confitentur ex conſuetudine, quoniam ita præſcribitur, non cum ſerio dolore, cùm deteſtatione criminum, cum firmo emendationis propoſito. Denique, in quolibet opere pietatis ſunt ſimiæ potius, quàm homines. Quid mirum, quod hanc iocularem exercitationem non ſequatur, dum pugnandum eſt, de hoſtibus exercitatiſſimis victoria?

ADDIT Ioſephus. Milites Romanos exercuiſſe ſe omni *Alacritate*. Quod ad impetum quendam, & incitationem animi refero, qua in exercitatione virtutis eſt agendum. In operibus bonis non tam ſpectatur quid fiat, quàm quomodo fiat. Dici ſolet: Non coronantur *Nomina* & *Verba*, ſed ſola *Aduerbia*. Non quia oras, ieiunas, eleëmoſynas diſtribuis, idcircò coronam mereris, ſed quia benè hæc & ſimilia facis, cum debitis circumſtantijs. Non multum in virtute proficit, qui illius offici a tepidè, languidè, remiſsè exequitur. Qui conatum non adhibet, haud velle eminere videtur. Ex actibus remiſſis, quamuis frequentatis, non ſit ad habitum generoſum acceſſio. Incrementa virtutum, alacritatem, intenſionem, vigoremque in operando poſtulant. Plus obtinet vnum aliquod officium caritatis, miſericordiæ, pietatis, aut alterius virtutis, cùm ſingulari mentis acrimonia ſuſceptum, ac ad finē

perductum, quam ſexcenta generis eiuſdem flaccidè exequutioni mandata. Vnus actus heroicus generat habitum, quem decem millia non pararent. Quàm ſunt alacres quidam, quando exercentur in ſchola pugillatoria, gladiatoria, ſaltatoria! quando eundem ad nuptias, ſympoſia, cauponam! quando luditur folle, trocho, chartis, alea! quando potitandum, lurcandum, graſſandum! quando clamandum, cantillandum, citharizandum! quando recreationis cauſa, nauigandum, equitandum, currendum, nugandum! Ideò tam ſunt periti pugillatores, ſaltatores, potatores, aleatores, graſſatores citharœdi, nugatores, pantamimi, & hiſtriones, in negocio ac palæſtra Pietatis fungi, blenni, caudices, ac ſtipite quolibet ſtupidiores, & magis inepti. Nimirum, tantum facit refertque ſi quodlibet opus exerceatur cum omni *Alacritate*. Quod in Exercitio armorum Militiæ Chriſtianæ exigitur.

MEMBRVM VIII.

MILES EXERCITIO PRÆPARANDVS in anteceſſum ad omnia, quæ euenire poſſunt.

ILLVD quoque ex Militiâ profanâ huc traducendum eſt: quod nihil in bello accidere poſſe voluerint Romani, ad quod ſeſe multo ante per Exercitationẽ Milites non præparaſſent. Quapropter neceſſe erat, vt in varias perſonas ſe transformarent: & nunc defenſoris, nunc oppugnatoris partes idem ſuſciperet: nunc hoſtis, nunc auxiliatoris perſonam ſuſtineret: nunc terreſtris, nunc maritimi militis opera exequeretur, vt ſic ad omnia promptum ſe paratumque quilibet efficeret. Quo in genere illud quondam accidiſſe Romanis narrat Polybius, quod eſt ſanè lepidum; ſed ex quo quanta vis ſit *Exercitij Militaris* perſpicitur. Cùm enim Romani pugnare mari decreuiſſent, cum Carthaginenſibus, neque tamen aut claſſis ædificandæ, aut remigandi rationem noſſent; accidit, vt quinquiremis vna, vi tempeſtatis à ceterâ hoſtium claſſe diſiecta ad littus frangeretur. Hanc nacti Romani, eius exemplo, ſuas naues fabricarunt. Intereà dum quinquiremes ædificabantur, Romani ad remigium ſe exercebant hoc modo. Subſellijs in arenâ ordine collocatis remiges inſidentes ad numerum ſimul omnes brachia protendere & adducere, remosque per arenam mouere pariter docebantur, cùm ad nauarchi vocem omnes ſimul inciperent, ac deſinerent. Itaque hac exercitatione Romani confirmati hoſtes ſuos Carthaginenſes primùm maris, deinde etiam terræ imperio exuerunt.

SED, vt ad noſtras, id eſt, ſpiritualis Militiæ exercitationes reuertar, neceſſe eſt, vt dum nos præparamus ad confligendum cum hoſte diuerſas perſonas induamus, vt dum ad manum fuerit ventum, nulla non aptè repræſentetur. Nam

alius

alius dimicandi modus requiritur cum Satanâ transfigurante ſe in Angelum lucis: ſiquidem cum eo punctim agendum eſt, gladio Verbi diuini, quo tam artificiosè eum pupugit Dux noſter in deſerto cum illo congreſſus, vt alio non fuerit opus certaminis genere. Contra eundem ad deſperationem ſolicitatem pro grediendum eſt cum bipenni confidentiæ. Eidem ad infidelitatem proritanti obijciendum eſt Scutum fidei: *Cui reſiſtite fortes in fide*, monet Petrus Apoſtolus. Aſmodæus Luxuriæ capitaneus ſuperandus eſt fuga: *Fugite fornicationem* mandat Paulus. Eſt etiam ſulcandum hoc mare vitæ humanæ remigio bonorum operum, & præliandum nauali congreſſu cum piratis gratiæ prædatoribus: quare & ad hoc requiritur prodroma exercitatio. Nimirum, vt ad omnem pugnandi modum ſimus parati quolibet tempore.

MEMBRVM IX.

POENÆ MILITARES

Non exercentium: &, non proficentium.

PORRO, vt hanc continuam ac operoſam Exercitationem à ſuis impetrarent Romani, præter *Imperium* militare, & ſeueriſſimam *Legem*, puniebant non deſides tantùm ac ocioſos, verùm etiam illos, qui parum profeciſſent. Hi enim cum ceteris commeatum conſuetum non accipiebant: immò, hordeum, Vegetio teſte lib. 1. cap. 13. illis dabatur, loco frumenti. Nec ante eis in tritico reddebatur annona, quàm ſub præſentia Præfecti, Tribunorum, vel Principum, experimentis datis oſtendiſſent, ſe omnia, quæ erant in Arte militari compleſſe. Vtinam vigeret in Militiâ, & in Republ. Lex Pauli Apoſtoli: *Si quis non vult operari, non manducet*, 2. ad Theſſalon. 3. 10. pauciores inuenirentur ab vtili exercitio vacantes. Lata eſt à DEO in omnes ſententia Geneſ. 2. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Cui cùm perfectè ſe conformare vellet Ægidius S. Franciſci Socius, non niſi de labore manuum comedebat. Et ſanè qui detrectat laborare pro pane, par eſt, vt non veſcatur pane, ac conſequenter dignus eſt, vt poſt hordei annonam, moriatur fame. Qui non exercet corpus, vel animam vtili aliquo labore, aut opere, inutile habet eſſe, ac proinde non tam habet eſſe, quàm non eſſe, aut certè meretur non eſſe. *Otium* enim, vt ait Seneca, *eſt viui hominis ſepultura*. Qui ergo viuens ſponte ſe vigoremque ſuum, & quicquid eſt in ſe virium, per ocium ſepelir, an non ille dignus eſt, qui reipsâ moriatur, & ſepulchro tradatur? Sapienter S. Ephrem Sermone in illud, *Attende tibi*, Non moleſtus, inquit, ſit tibi labor: *Diſce operans, ne diſcas mendicans.* Et tractatu de conſumatione Seculi: *Ne fugias laborem, vt non perdas coronam. Piger egebit, qui autem operatur terrâ ſaturabitur panibus*, ait. Sap. Pr. XII.

NEQVE punitio tantùm eſſe deberet ocioſi, ſed illius etiam qui non proficeret Exercitio. Vtinam non minus annuũ inſtitueretur examen inter adoleſcentes de profectu in virtutibus, quàm de eo, qui fit in litteris, & priuarentur conſueta alimonia, donec ſub oculis morum & pietatis Magiſtri, experimentis datis, de ſobrietate, modeſtia, humilitate, caſtitate, manſuetudine, pietate, oſtendiſſent, ſe omnia, quæ ad Militiam Chriſtianam ſpectant, & in ea ad Palæſtram Virtutis, impleuiſſe.

MEMBRVM X.
EXERCITII ARMORVM
Fructus multiplex.

QVIS autem eſt fructus tam ſedulæ & continuatæ Exercitationis? Is ex hactenus diſputatis facilè colligitur: lubet tamen vberioris doctrinæ gratiâ in capita aliquot digitum intendere. Imprimis vtilitas illa maxima eſt & communis, quod multos exercitus licentiâ aut luxuriâ corruptos, vnâ Exercitatione ad generoſiſſimam Militiæ diſciplinam Imperatores induſtrij reuocarint. De Africano minore ita „ lego. SCIPIO Africanus corruptum „ licentiâ luxuriaque exercitum ad ge- „ neroſiſſimam Militiæ diſciplinam re- „ uocauit. Omnia enim delitiarum in- „ ſtrumenta recidit: duo millia ſcorto- „ rum à caſtris reiecit: militem omni „ die in labore habuit: & triginta die- „ rum frumentum, ac ſeptenos vallos „ ferre cogebat. Epitome LVII. De Metello autem hunc in modum ſcribit Salluſtius in Iugurthinâ. METELLVS edicto primùm adiumenta ignauiæ ſuſtulit: ne quiſquam in caſtris panem, aut quem alium coctum cibum venderet: ne lixæ exercitum ſequerentur: ne miles gregarius in caſtris, neue in agmine ſeruum aut iumentum haberet: prætereà, tranſuerſis itineribus quotidie caſtra mouere: iuxtà, ac ſi hoſtes adeſſent vallo atque foſsâ munire: vigilias crebras ponere, & eas ipſas cum legatis circumire: item, in agmine in primis modò, modò in poſtremis adeſſe, ne quiſquam ordine egrederetur, vt cum ſignis frequenter incederent, miles cibum & arma portaret. Ita prohibendo à delictis magis, quàm vindicando, exercitum confirmauit.

IDEM eſt emolumentum ab *Exercitio* in Militiâ Chriſtianâ. Quem putatis fore modum conuenientiſſimum & expeditiſſimum reuocandi in Republicâ improbos ciues, homicidas, adulteros, temulentos ad Legis Chriſtianæ obſeruantiam? in Eccleſiâ diſſolutos Clericos ad ſeueram Canonum diſciplinam? in Religioſorum familijs tepidos & diſcolos quoſdam tonſuratos, ad Inſtituti & regularum ſuarum exactam culturam? Vel vnicus eſt, vel nullus, *Exercitium* armorum ſpiritualium. Amoueatur Ocium: quilibet laboret corpore vel animo:

nimo: exerceantur cuncti pro virili,|in fide, ſpe, caritate. recidantur omnia deliciarum inſtrumenta, omnia adiumenta ignauiæ: portetur à quolibet onus legis humanæ ac diuinæ, non erit opus alia reformatione in vrbibus, Capitulis, Monaſterijs.

Alterum *Exercitij* commodum ad ſingulos promanat, quod exercitati facillimè, ac penè ſine laboris doloriſque ſenſu pugnas tolerent, inquit Ioſephus. Hunc finem fructumq; ſpectabant Græci, dum laborioſis exercitationibus iuuentutem ſuam erudirent, venando, currendo, eſuriendo, ſitiendo, algendo, æſtuando. Spartæ autem pueri ad aram ſic verberibus excipiebantur, vt multus è corpore ſanguis exiliret; nonnunquam mors ſequeretur. Nemo tamen exclamabat quidem: nimirum, conſuetudo laborum perpeſſionem dolorum efficit etiam faciliorem: &, ferre laborem, contemnere vulnus, ſpernere mortem, nil æſtimare durum & importabile conſuetudo facit. *Quin etiam videmus*, inquit Tullius II. Tuſc. *ex acie efferri ſæpe ſaucios, & quidem rudem illum & inexercitatum, quamuis leui ictu turpiſſimos ploratus edere. At verò ille exercitatus & vetus, ob eamq; rem fortior, Medicum modò requirit a quo obligetur.* Exercitatos neque confuſio à conſueto ordine amouet, & diſſipat: neque metus reddit attonitos: neque labor fatigatos, vt de Romanis dixit Ioſephus. Audi gloriantes de multiplici fructu exercitationis Latinos. IX. Æneidos:

Durum à ſtirpe genus natos ad flumina primum
Deferimus ſæuoq; gelu duramus & vndis.
Venatu inuigilant pueri, ſiluaſq; fatigant.
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.
At patiens operum paruoq; aſſueta iuuentus,
Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur verſaq; iuuencûm
Terga fatigamus haſta, nec tarda ſenectus.
Debilitat vires animi, mutatq; vigorem.
Canitiem galeâ premimus, ſemperq; recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

Hinc inuictum robur corporis & animi. Vis & tu ſine laboris ſenſu pugnam inire ac ſuſtinere cum gaſtrimargia, vel confligere cum gulâ, manum conſerere cum ſuperbia, decertare cum iracundia? præpara te *Exercitio armorum* temperantiæ, abſtinentiæ, humilitatis, beneuolentiæ, manſuetudinis: nihil penè laboris in ſerio cum hoſtibus illis certamine ſenties, &, ſi ſentias, non dolebis. Conſuetudo exercitatione inducta laboris perpeſſionem faciliorem efficiet, dolorem penitus tollet.

Denique, fructus *Exercitij armorum*, tum in ſacra, quàm in profanâ Militia eſt Victoria. Sequitur exercitatos Victoria in corporali Militiâ plerumque, in Spirituali, ſemper, cum diuina gratia, ſi cooperetur bonus Miles. Quare quicumque

cumque ſubigere appetis capitaliſſimum animæ tuæ hoſtem, qui Carnem priuatum aduerſarium pedibus ſubijcere, qui Mundum, inimicum publicum debellare. qui Cacodæmonem, vniuerſalem prædatorem, poteſtate exuere. qui eius copias, Peccata, & Cupiditates fundere, ijsq; compedes inijcere, ac in triumphum victorioſus ducere, nunquam te dies vlla, & in qualibet nulla hora, ſed nec momentum quidem ab Exercitio virtutum, tanquam ſpiritualium armorum vacantem & ocioſum videat. Contrarium ſi feceris, ad pugnam ſemper imparatus tot hoſtibus iugulum præbebis quot à vitijs oppugnaberis, à quorum ſingulis turpiter vinceris. Exerce igitur teipſum ad pietatem; militia, tanquam bonus Miles Chriſti, & manebit te Victoria, quæ non eſt alia quàm ſemel bonis Militibus Chriſti ordienda, nunquam finienda, quippe æterna, Gloria, in conſortio felici PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI. *AMEN.*

NOTÆ

In quibus Auctores & Appendiculæ.

§. I. TEMPVS belli.] *Etymologiam vocis Latinæ,* BELLVM, *tradunt aliqui per antiphraſin, quia minime bellum, id eſt, pulchrum. Alij, quaſi dicas* Duellum, *ſicut olim dicebatur* Duonum, *pro bonum. Nonnulli à Belo, qui primus enſem procudit. Higinius fab. 274. Quidam à beluis. Vide* Caſsiodor. *lib. 1. variarum epiſt. 30. Legendus* Adamus Conzen *lib. X. Politicor. qui cap. 2. habet definitionem & deteſtationem belli. Cap. 3. probat Bellum eſſe licitum: Deum approbare bellum licitum: Sanctos geſſiſſe : Chriſtum probaſſe : ius naturæ contra hoſtes defenſionem permittere : Rempublicam inermem prædæ exponi : ratione, non ira bellandum: manſuetudinem Chriſtianam bello non repugnare: hoſtium quoque vtilitati ſeruiendum in bello.*

§. II. FORTVNA quid poſsit in bello.] *Lege Opuſculum* Sandæi, *titulo,* MARIA BONA FORTVNA, *Homil.* VIII. *in qua diſſeritur de Fortuna Militari.*

§. III. EXERCITIVM ante opus] *Hunc locum tractat doctè & eleganter Iulius Nigronius Oratione* VIII. *quæ eſt de Exercitio dicendi.*

Plato *in Phædro, &* Ariſtoteles *apud* Laertium *libro 5. & hoc ſequuti, Plutarchus lib. de educatione, & Philo lib. de Ioſeph ac libro de pœna & præmio, ad eruditionem tria opus eſſe dicunt* Naturam, Inſtitutionem, Exercitationem.

S. Ambroſius lib. 2. de offic. cap. 10. arguens negantem exercitationis neceſsitatem: Quomodo, *inquit,* ſine Exercitio doctrina, aut ſine vſu profectus ? Omnis enim res proprijs ac domeſticis exercitijs augetur.

Quis vnquā fictor, quamuis Chorebo Athenienſi vaſorum inuentore fictilium ingenioſior, trullas, vrnas, fidelias ad formam ex argilla finxit, qui non diu multomq; à puero circumducenda, tenuandaq; humo in figulina fuerit exercitatus? Quoties ab in exercitati manibus cum amphora inſtitui cœpta eſſet, ex creta, currente rota, vel exijt vrceus vt Horatius canit in Arte, vel non obediente luto, vas aliud excidit, aluo tumida, fractis manubrijs, obtortoq; collo?

Quid

Quid in picturâ? Non Apelles, Parrhaſius, (a) *Protogenes, non Xenis, Timanthes, Niſias,* (b) *non alij pictores primæ claſſis ad tantam aſcendiſſent & ſcientiam & gloriam, vt mutante Natura,* (c) *vel equos, canes, & aues pictura deciperent, vel affectus animorum coloribus exprimerent, vel lineas ſubtilitate fugientes aciem oculorum ſecarent, vel imperfectas tabulas in maiore, quàm perfectas admiratione relinquerent; vel denique, vt eorum opera, non nummis, ſed talentis æſtimata certatim emerentur, niſi fuiſſent adoleſcentes eam artem ante pigmentis terendis, coloribus temperandis, adumbrandis figuris, ducendoq; penicillo meditati?*

QVID *in arte nobiliſſima militari? Digniſſima recordatione crebra* Fl. *Vegetij de reſtitutione bellicæ diſciplinæ ſententia eſt, lib.* III. *cap.* II. *Omnes artes omniaq; opera quotidiano vſu & iugi exercitatione proficere. Quam ob cauſſam ficto certamine ligneis gladijs ad veras pugnas exercitatos milites in ocio fuiſſe legimus à Scipione in Liuio lib.* XXVI. *Quo noſtra ætate gymnaſia digladiandi ſpectant, vbi futuri aliquando milites diſcunt retuſis armis dimicare? Quo ludicra, compoſitis vtrimque peditum turmis certamina? Quò caſtellorum è ligno ſimulatorum oppugnationes, & defenſiones? Quo curſus & agitationes equorum? Quo præliorum equeſtrium ſimulacra luſorijs haſtis inſtituta? Quo nauales in lacubus atque ſtagnis, ad verarum ſimilitudinem pugnæ? Quo denique venatio ferarum immanium, telorum, iaculorumq; manu, ſagittarum arcu, plumbearum glandium ſcloppo ad ſignum deſtinatum iactus & exploſio? Militaris diſciplinæ periti Magiſtri, copiarumq; Duces ſcientiſſimi, rerum bellicarum exiſtimant ad vera prælia meditationem, ſiue exercitationem armorum, & dimicationis eſſe neceſſariam. Quid? Ad ferinum gladiatorum ludum, quorum miſerrima conditio, tempore Romanorum* (d) *vſque eoproceſſerat, vt non fortiter & animosè ferrum recipere, non iugulo errantem victoris aduerſarij gladium attemperare,* (e) *non ad voluntatem voluptatemq; populi ſpectantis projicere animas; vt contrahere collum, ſubducere ceruicem, opponere manum, populum obſecrare, vt viuere liceret, dedecori ſibi ducerent: præmittebatur quoque in palæſtris meditatio, vt mori diſcerent in theatro.*

Nam ſub laniſta magiſtro tirones, Samnites, Thraces, Andabatæ, Retiarij, (f) *Myrmillones & alij,* (g) *barbari magis moribus, quàm nomine docebantur, accipiebant dictata, quotidie commentabantur, atque, vt loquitur Suetonius,* (h) *rudibus batuebant in vmbrâ, vt paratiores aptioresq; in arena puluere, atque ſolo ferreis ornamentis, crudeliter decertarent, ſeq; mutuis ictibus vulneribusq; conciderent.*

VOLVCRES *ipſæ, feræ beſtiæ, rationis expertes natura inſtinctu eruditæ non negligunt exercitationem eorum munerum, quibus ſunt in tota vita functuræ. Nam & aues pullos ſuos, tum è nido volare, tum canere; & leones catulos ſuos venari minores debilioresq; feras; & cerui partus editos ad prærupta ductos,* (i) *ſaltuq; demonſtrato fugam meditari docent, & exercent curſu.* (k) Cornificius, *qui tam accuratè quattuor libris præcepta Rhetoricæ omnia complexus eſt, vt eius opus, multis ſeculis Ciceronis ſit habitum, principio monet: Artem ſine aſſiduitate dicendi non multum iuuare: tum rationem præceptionis accommodari debere ad exercitationem.* Quinctilianus *qui Rhetoricam viginti totos annos primùm adoleſcentibus enucleauit, deinde libris duodecim minutatim perſecuit, vt naturam eius penitus introſpiceremus, paucis ingentem vim exercitationis*

(a) *Plin. lib.* 35. *cap.* 10. 11. (b) *Ælian. lib.* 2. *Var. cap.* 3. (c) *Valer. Max. lib.* 8. *c.* 11. (d) *Cic.* 2. *Tuſc. Pro Sext. Pro Milone.* (e) *Sen. epiſt.* 30. *lib. de tranquill. cap.* 11. (f) *Cic. l.* 3. *de Orat.* (g) *Macrob.* 1. *Sat.* 15. *Lipſ. in Satur.* (h) *Suet. in Calig. cap.* 54. (i) *Quintil. lib.* 2. *cap.* 6. (k) *Plin. lib.* 8. *cap.* 30.

expreſſit, cum ait libro 11. *cap.* 17. Potentiſſimum dicendi genus exercitationem eſſe dicendi. Ciceronis *eſt illud pronunciatum l.1.de Orat.ad Q. Fr.* Vſus frequens omnium magiſtrorum præcepta ſuperat. *Et ad Marc. filium.* Nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quáuis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum ſine vſu & exercitatione conſequi poſſunt. *Plutarchus quoq; in rebus omnibus exercitationem exigit*

ALIQVIBVS *Exercitatio militaris fuit in ipſo bello continuâ cum hoſte progreſſus congreſſuq;. Quàm facilè, quàm benè, quàm citò Militarem artem, ſcientiamq; bellandi milites in bello atq; acie didicerunt, qui neceſſitate quadam tuendæ vitæ, ſeruandiqué honoris inter mucrones, haſtas, & bombardas in agmine, prælioqúe conſtituti pugnare ſunt coacti? Laudatur à Cicerone in Ora. pro L. Manil. Cn. Pompeij celeritas & felicitas in addiſcenda bellica diſciplinâ, quod eius adoleſcentia non alienis præceptis, ſed ſuis imperijs & victorijs, id eſt, dimicationibus & pugnis eſſet ad ſcientiam rei militaris inſtitutus.*

Quàm celeriter nauigandi ſcientiam adipiſcuntur, qui non in piſcinis, ſtagnis, tutis, tranquilliſq; portubus; ſed in alto latentes inter ſcopulos, ac ſyrtes in ipſis periculis, cùm antennæ gemunt, rudentes ſibilant, malus concutitur, iactatur nauis ventis ac fluctibus, & nautarum tum rigent manus, tum vultus exalbeſcunt, non tam dictata præceptaq; accipiunt à magiſtro nauis, quàm procellarum, tempeſtatum ac periculorum erudiuntur magiſterio?

Vt fabricando fabri efficiuntur, quod vulgari prouerbio verè dicitur, ita concionando concionatores loquendo diſerti, perorando enadimus Oratores, quemadmodũ Demoſtheni legimus eueniſſe. Eadem eſt in Artibus alijs, & maximè in militari ratio. Μελέτη τὸ πᾶν. Meditatio eſt totum. *Siue, vt ab alijs effertur:* μελέτη παντα δύναται Meditatio poteſt omnia. *Hoc effatum tribui ſolet* Diogeni, *qui illud vſurpaſſe dicitur à Laertio lib.* VI. *Sed Antonius ab antiquiſſimo Periandro Corinthio excogitatum tradit in ludo* VII. *Sapientum hoc verſu* Μελέτη τὸ πᾶν Periandri eſt Corinthij Meditationem eſſe totum, qui putat, *vt naturam ad ſumma languentem & dormitantem exercitatione ſuſcitaret, doceretq; in arte quaqúe, ac diſciplina per aſſiduã meditationem perfectionem parari.*

Vetuſtiſſimi fabularum Græcarum artifices Meleten *inter quattuor Muſas altera Iouenatas retulerunt, vt neceſſitatem meditationis, quæ nomine eodem nuncupatur adumbrarent. Eſt autem* Meditatio *idem, quod commentatio vel exercitatio Cic. 2.de Diuin.* Multi naturæ vitium meditatione atque exercitatione ſuſtulerunt.

§. IV. QVOTIDIANVM Exercitium in Militia ſpirituali.] *Lucæ* IX. 23. *dicebat Chriſtus ad omnes:* Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat CRVCEM ſuam QVOTIDIE & ſequatur me. *Exercitium armorum in Militia Chriſtiana conſiſtit in abnegatione ſui, & portatione Crucis, quam quotidie debere fieri præſcribit armorum Magiſter.* Tollat igitur *Miles Chriſtianus, inquit* D. *Chryſoſtomus, hom.* LVI. CRVCEM ſuam, non ſemel, nec bis, ſed cõtinuò per totam vitam. Hanc tecum mortem circumferas; & aſſiduè ad necem paratiſſimus ſis. Ad effuſionem vſque ſanguinis volo certatores meos luctari, & ad vſque necem continuare pugnam.

Sic Paulus ſtrenuus Militiæ noſtræ Anteſignanus: Et nos, *inquit*, periclitamur omni hora. *1. Corint.* XV. 30. Quotidie morior: &, Semper mortificationem IESV Chriſti in corpore noſtro circumferentes 2. *ad Cor.* 4. 10. Semper enim nos qui viuimus in mortẽ tradimur propter IESVM 2. *Cor.* 4. 11. *Et rurſum, Rom.* VIII *illud Pſ.* XLIII. 22. *in eundẽ ſenſum allegans:* Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus, ſicut oues occiſionis, *id eſt, laniena ac macello deſtinati. Tales ſunt, qui Crucem quotidie baiulant.*

COM-

COMMENTATIO VIII.
EXERCITIVM MILITARE AMBVLATIO.

Cùm immundus Spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, Lucæ XI, 24.

Dominica III. Quadrageſimæ.

Miles Chriſti *debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare*. 1. Ioan. 1. 6.

EST in Diſciplina Morum (ACADEMICI CHRISTIANI) vt in qualibet alia actuoſa, certiſſimum, quod plus vtilitatis capiatur ex tractatione rerum in particulari, quàm ſi de ijs vniuerſim diſſeratur: Sunt enim actiones ſingularium, tam ſi ſubiectum, ſiue agens ſpectes, quàm ſi obiectum ſiue materiam. Quare cum de Exercitio militari, & vniuerſim, & ſecundum aliquot genera diſputauerimus, vt fructus ſit vberior, ſupereſt, vt partitè adiungantur ſpecies, & ad ſingularia deueniatur.

MEMBRVM I.
AMBVLATIO MILITARIS.

APVD rei militaris Scriptores, & nominatim Fl. Vegetium, hæc veterum numerantur Exercitia præter illa ſuperioris generis, à nobis explicata: *Ambulatio, Curſus*, aut *Decurſio, Saltus, Natatio, Palaria, Armatura, Salitio*. Non ſunt autem pauciora, nec multum ab his diuerſa in Militia Chriſtiana, in qua celebratur imprimis *Ambulatio*. Quam incidiſſe mihi, tanquam materiam pertractandam hodierna die, puto factum diuinitus, cùm in Euangelio huius Dominicæ agatur de *Exercitio* eiuſdem denominationis, qua hoſtilis exercitus Imperator Cacodæmon, immundus Spiritus, ſe ac ſuos continenter exagitat, ambulando per loca inaquoſa: id eſt, quæ ſunt abſque aqua: ideoque ſicca, arida, ſqualida, horrida, dumoſa, ſenticoſa, deſerta; ob quam

cauſſam etiam ſunt inuia: nempe, ſine via ac ſemita, per quæ Diabolus ſuos ambulatum ducit. Deſignantur autem per illa loca, Mundus, eiusque viæ amfractuoſæ, quæ tot ſunt, quot peccata mortifera, quot cupiditates noxiæ, quot appetitus indomiti. Vt autem intelligatur, quas conditiones requirat *Ambulatio militaris* in Sacra noſtra Militia, *Obſeruo*: Ambulare idem eſſe more Scripturarum diuinarum, quod verſari in aliquo negotio, aut viuere vitam mortalem. Quomodo dixit Dauid pſalmo CXVIII.1. *Beati immaculati qui ambulant in viâ Domini.* Ratio metaphoræ eſt, iſta: qui ambulat, greſſus ſuos iterat, vt eodem paſſu aut tenore in cœpta via progrediatur, ac pergat, quod eſt ambulare pedibus. Hinc Ambulare Hebræis ſignificat viuendi & agendi conſuetudinem, vitæ tenorem, actionum mores. Non itaque tam preſsè accipitur Ambulatio in Militia noſtra ſpirituali, quàm in Militia profana, corporea, exteriore. Sed cum analogia ad hanc, illius quoque conditiones optimè explicantur.

IMPRIMIS autem, AMBVLATIO vt ſit MILITARIS, exercitio indiget. De ea ſic Vegetius, lib. 1. cap. 2. *Nihil magis in itinere vel in acie cuſtodiendum eſt, quàm vt omnes Milites incedendi ordinem ſeruent. Quod aliter non poteſt, niſi vt aſſiduo Exercitio* AMBVLARE *celeriter, & æqualiter diſcant.* Ex quibus colligas, *Ambulationem militarem*, quæ faciat ad ordinem & gradum ſub ſignis duo poſtulare, quæ exercitio adquiruntur; quorum alterum, eſt *Celeritas* in ordinaro inceſſu ſub ſignis, & ſub armis; alterum, *Æqualitas*, vt ſuis iuſtisque interuallis incedant. Habuerunt vtriusque magnam curam boni Imperatores. Audi iterum Vegetium, lib. 1. cap. 27. *Vetus conſuetudo permanſit, & Diui Auguſti, atque Hadriani Conſtitutionibus præcauetur, vt ter in menſe, tam equites, quàm pedites educantur* AMBVLATVM. *Hoc enim verbo hoc Exercitij genus nominant.*

MEMBRVM II.

AMBVLATIO IMPROBATA

A Militia Chriſtiana. I. Quæ ſit ſecundum hominem. II. Quæ non eſt recta. III. Quæ eſt inordinata. IV. Quæ eſt ſecundum deſideria.

IN Militia ſpirituali ſummi momenti eſt AMBVLATIO. de qua præſcribuntur varia à Militiæ iſtius Ducibus. Qui primò damnant Ambulationem quandam, quæ fit *ſecundum hominem*: de qua Paulus Apoſtolus reprehendens Corinthios, 1. Corinth. 3. 3. *Cùm ſit*, inquit, *inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, &* ſecundum hominem *ambulatis?* Rurſus, 1. Cor. 3. 4. *Cùm quis dicat: Ego quidem ſum Pauli: alius autem, Ego Apollo; nonne homines eſtis?* Quid eſt autẽ, *ambulare* κατὰ ἄνθρωπον, *ſecundum hominem*? eſt, humano ſenſu duci,

duci, ſalutaribus Chriſtianæ doctrinæ præceptis neglectis: eſt, eſſe deſtitutum DEI Spiritu: item, ſequi motus concupiſcentiæ, ſiue naturæ corruptæ, denique, incedere eo greſſu, quo carnales & animales ſolent. Nam vt benè animaduertit S. Thomas, idem eſt, *Carnalis*, *Animalis*, *Ambulans ſecundum hominē*. Apoſtolus autem tum illo loco ad Corinthios ſcribens, tum ad Galatas v. opera carnis, ſiue naturæ deprauatæ non tantùm vocat gulam & libidinem (quæ propriè ſunt in carne) ſed etiam zelum peruerſum, æmulationem, contentionem, quamuis ſint vitia mentis. Cùm igitur Corinthij eſſent contentioſi, ac, velut pueri, de Magiſtrorum ſuorum præſtantiâ altercarentur, atque hic ſuum Paulum, alter ſuum Apollo præferret, ac venditaret, dicit eos ſecundum hominem ambulare. Itaque, *Ambulant ſecundum hominem*, qui laſciuiæ, immunditiæ, impudicitiæ, luxuriæ, veneficijs, inimicitijs, contentionibus, æmulationibus, rixis, diſſenſionibus, ſectis, inuidijs, homicidijs, ebrietatibus, comeſſationibus ſunt dediti: hæc enim ſunt opera carnis, quæ qui agunt, regnum DEI non conſequentur, ex certiſſimo Pauli Apoſtoli enunciato. Denique *ſecundum hominem ambulant*, qui non ſapiunt ea, quæ DEI ſunt ſed hominum, vt aiebat Dominus ipſe apud Matthæum cap. XVI. *qui diligunt vanitatem*, & amant mendacium; quos *filios hominum graui corde* appellat Dauid Pſal. IV. ijdem, quod hominum eſt maleuolorum, liuore ac inuidiâ ducuntur, non beneuolentiâ ac caritate. Præter hos.

SVNT alij, qui non rectè ambulant. Quod notauit Apoſtolus ad Galatas ſecundo: *Cùm vidiſſem*, ait, *quod non rectè ambularent ad veritatem Euangelij*: Græcè ſignificantius, ὀρθοποδοῦσι, quod reſpondet Hebræo אשר *iſſcher*, & ישר *iaſchar*, hoc eſt, non recto pede incedunt, vel, vt interpretatur S. Ambroſius: *non rectâ viâ*, nec ſtabilem greſſum figunt, vt veritati Euangelicæ eſt conueniens. Tales ſunt, qui vacillant in negocio fidei ac religionis, vel etiam morum: qui ſunt inconſtantes, ſimulatores, hypocritæ. Agit enim ibi Paulus contra quoſdam, qui, per improbam ſimulationem, aliter viuebant, & aliter docebant, neque externas operationes traditæ à ſe doctrinæ conformabant: vel etiam qui ob conſcientiam erroneâ refugiebat conſortium Gentilium, ſicq; à rectâ viâ deflectebant. Tales quoque ſunt homines, qui agitantur conſcientiæ ſcrupulis, ideoque vacillant in virtutum itinere, ac ſæpe recti orbitam deſerunt.

ADHÆC reperiuntur aliqui, qui *ambulant inordinatè*, ἀτάκτως. ſecundæ ad Theſſalonicenſes tertio, *Subtrahite vos ab omni fratre ambulante inordinatè*. Quales ſunt, qui extra ordinem militarem, aut extra aciem in campo vagantur: nempe, qui perturbant ordinem viuendi, & Eccleſiaſticam diſciplinam, etiamſi alioqui diuites, nobiles, aut, quod maius eſt, Sancti videantur. De quibus actū eſt in ſuperioribus, ſuo loco. Vt & de ijs, qui *Ambulant inquietè*. Quibus gemini ſunt, quos Iudas Apoſtolus dicit eſſe *Ambulantes ſecundum deſideria* Græcè, ἐπιθυμιῶν, hoc eſt, ſecundum concupiſcentias. Arabicus Codex habet, *Currentes*: nempe, inſinuat, deſignari homines deſide-

deſiderijs carnalibus agitatos, ideoque currere, velut equos effrenes, ac æſtro percitos. Vnde cùm idem repetatur inferius, adiungitur: *Ambulantes ſecundum deſideria ſua in impietatibus*, Græcè, ἀσιβειῶν, id eſt, *impietatum*: ac ſi dicat, deſideria eorum ſunt deſideria impietatum. Syrus textus habet: *Qui ſecundum concupiſcentias ſuas ambulant poſt impietatem*: ac ſi Impietas ſit Dux exercitus ita ambulantium. Alium ducem nominat Arabicus, qui eoſdem dicit eſſe *Currentes in deſiderijs impudicitiæ*. Hi ſunt, vt ſubiungit Iudas qui ſegregant ſemetipſos, vel ab Eccleſiâ ac cætu fidelium, & conſequenter à DEO, CHRISTO, ac cælo; vel à bonorum conſortio, tanquam à benè ambulantium ordine. His itaque *Ambulationibus* à Militiâ ſacrâ amandatis, alia deſignatur ab eius Inſtructore Paulo Apoſtolo, de cuius conditionibus modò eſt agendum.

MEMBRVM III.

AMBVLATIO MILITIS CHRISTIANI

I. Eſt in nouitate vitæ. II. Secundum Spiritum. III. Honeſta. IV. In dilectione. V. In luce.

PRIMVM quod præſcripſit Paulus, eſt, vt, ſi Milites Chriſti nominari & eſſe velimus, *In nouitate vitæ ambulemus*, ad Romanos VI. id eſt, vt abiuratâ viâ veteri, quæ eſt peccati ac cupiditatum, nouam, quæ eſt gratiæ ac virtutum adſciſcamus. Nouitas autem vitæ poſita eſt, tum in gratiâ ſanctificante, quæ animam iuſtam ſanctamque reddit, tum in caritate, & alijs ſupernaturalibus habitibus, qui rectè ſuſcipientibus Sacramentum regenerationis infunduntur, tum deniq; in virtutũ cultu. Ille ergo tanquã exercitatus *Miles Chriſti* ambulat in nouitate vitæ, qui vitam agit legibus diuinis, & monitis Euangelicis conſentaneam, dignamq; DEI Filio, idq; conſtanter de die in diem proficiẽdo, quod ambulandi verbum denotat.

II. Huic coniunctum eſt, vt *vt non ſecundum carnem ambulemus, ſed ſecundum Spiritum*: id poſtulante à Romanis capite octauo Epiſtolæ, & in ijs à nobis omnibus Paulo Apoſtolo. Nimirum, vt carnis impetus prauaſque cupiditates non ſequamur. Scribit quidem idem Apoſtolus Corinthijs ſuis, in altera Epiſtola cap. 10. quod ſub ſignis Chriſti Imperatoris, *In carne ambulantes, non ſecundum carnem militamus*, quaſi malum videri non debeat, ſecundum carnem ambulare. Sed reuera hoc malum eſt. Siquidem, *in carne ambulare*, eſt mortalem vitam ducere: *ſecundum carnem ambulare*, eſt militare ſecundum carnem: nempe, genio ac voluptatibus indulgere, ac prauis cupiditatibus morem gerere. Præſcribit ergo Apoſtolus, vt in Militiâ Chriſtianâ, *Ambulatio* ſecundum Spiritus impetum, ſecundum afflatum cæleſtem, ſecundum inſtinctum diuinum, vt renunciantes

ſeculari-

ſecularibus deſiderijs, ſobriè, iuſtè, ac piè viuamus. Vnde monet tam ſerio Galatas, cap. v. *Dico autem*, id eſt, hæc ſit ſumma, compendium, radix ac fundamentum epiſtolæ ad vos ſcriptæ, & omnium mearum exhortationum. *Spiritu ambulate* i ſcilicet- vitam, actiones, & mores inſtituendo ſecundum dictamen impulſumq; diuini Spiritus, ac gratiæ vobis communicatæ ab eodem Spiritu. qui ſuadet, monet, & extimulat vos vt ſpiritualiter viuatis, ſeu ſpiritualia virtutum opera per vitam veſtram omnem edatis.

III. POSTVLAT prætereà Apoſtolus ad Ambulationem noſtram militarem, vt fiat honeſtè. *Sicut in die*, inquit, *honeſtè ambulemus*, Romanis ſcribens, cap. XIII. Nimirum, ſoliciti ſunt homines honeſti, vt quando dies eſt, decorè induti incedant, non ita noctu, quando in aliorum oculos non incurrunt, Hoc ergo præcipit, vt quoniam dies eſt gratiæ ac lucis Euangelicæ, honeſtè, quod Græcè eſt, *ἐυσχημόνως*, compoſitè, ac decorè conuerſemur *:* ſcilicet, vt omnis noſter inceſſus, motus, geſtus, ſermo & actio talis ſit, qualem decet eſſe in die ac luce Euangelijs, in quâ ſpectaculum facti ſumus Mundo, Angelis, & Hominibus. Ad idem ſpectat monitum datum Epheſijs *: Eratis aliquando tenebra*, nempe, propter errores multiplices, ob ignorantiam rerum ſalutarium, & peccata multiplicia, quæ ſunt opera tenebrarum: *nunc autem Lux in Domino : vt filij lucis ambulate :* quaſi dicat, conuerſi ad meliora: eia igitur, nouam hanc vitæ rationem, moribus, & virtutum officijs oſtendite: luceat lux veſtra coram hominibus, & videant opera veſtra bona.

IV. ALIA Ambulationis militaris conditio eſt, vt fiat cum caritate & dilectione. Ad Epheſios v. *Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos.* Nimirum, vt ſemper aſſciſcamus comitem Caritatem, vt nunquam ſine illa vllum vitæ officium peragamus, vt proficiamus in caritate, donec ambulando perueniamus ad metam nobis præſcriptam, reſpicientes Ducem noſtrum, cuius tam accenſa fuit Caritas, vt per ſuorum ſalute vitam deſpexerit, & non dubitauerit, ſatius eſſe temporaneam mortem ſponte ſubire, quàm genus humanum æternæ morti expoſitum relinquere, tradens, *ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam DEO in odorem ſuauitatis.*

V. ADHÆC, Militiæ noſtræ Ambulatio debet eſſe *in luce*. Quam proprietatem ponit Ioannes Euangeliſta, negans, illum poſſe eſſe Chriſti Militem, qui ſic non ambulet. *Si dixerimus*, inquit, *quoniam*, ſeu quod *Societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur.* 2. ad Corinth. 6. *Quæ enim ſocietas lucis ad tenebras ?* Quid eſt autem *ambulare in tenebris ?* Vt clariſſimè dicam, eſt viuere in peccatis, in iiſque progredi, vt ambulantes in via ſua ſolent, ſicque peccatis peccata cumulare. Sunt enim peccata tenebræ ſpirituales, quia priuatio gratiæ, vt tenebræ lucis: quia mentem obtenebrant, & oculos interiores excæcant, cæcitate illâ, quam ſolus remouet, vt loquitur Auguſtinus, lib. v. contra Iulian. illuminator DEVS: quia cauſſant *terram miſeriæ & tenebra-*

tenebrarum, vbi vmbra mortis; & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, Iob. xx. Quare qui ambulant in his tenebris, non vident hoſtium molitiones, quomodo ergo ab ijs ſibi caueant? non cernunt viarum difficultates, non progrediēdi obſtacula, quomodo igitur ea deuitare poſſint? impingunt frequenter in quæuis obuia, quomodo itaque iter ſuum perficiant?

CVM igitur Miles Chriſtianus ambulare non debeat in tenebris, conſequitur, eum ambulare debere in luce. Lux eſt ratio, fides, Euangelium, gratia, virtus: in quâ ambulamus, ſi proficimus eundo de virtute, in virtutem. In luce eſt ambulandum Militi, qui ſigna DEI ſequitur, ſicut & ipſe DEVS eſt in Luce; immò, ipſa Lux ſubſtantialis ac diuina; ideoque omnia ſua facit in luce ſapientiæ, prudentiæ, ſanctitatis. Ab hac conditione laudat Iuſtos, quales eſſe decet omnes Militiæ Sacræ adſcriptos, Sapiens, Prou. IV. *Iuſtorum ſemita* inquit, *quaſi lux ſplendens procedit, ac creſcit vſque ad perfectum diem. Via impiorum tenebroſa, neſciunt, vbi corruant.* Quod Doctor Caietanus ſic exponit: Lumen auroræ non ſufficit ad illuminandum, ſic vt omnia dirigi poſſint: lumen autem diei omnibus operibus directionē præſtat. Dicit itaque Sapiens, Ambulationem & progreſſum hominis pij in ſtudio virtutis eſſe talem, vt ab initio, quaſi ab aurorâ exorſus, in diem intendatur, quouſque tandem ad eam lucis menſuram perueniat, quæ ſatis ſit ad dirigenda cuncta opera. Hoc eſt, Ambulationem Militis Chriſtiani debere fieri in luce, ſeu per viam lucidam.

QVO ſpectat partitio quædam viarum, quam habet Nicobulus apud S. Gregorium Nazianzenum in epiſtolâ ad filium. Facit ille viam omninò triplicem. *Primam* quidem caliginoſam, ac tenebris obſitam, nocti ſimilem horridæ, in quâ ambulant impij, qui ſunt Milites Cacodæmonis. *Secundam* verò mediam, in quâ ambulant candidati Chriſtianæ Militiæ, aut etiam Tyrones, qui incipiunt viuere ad normam diſciplinæ militaris & aliquantulum proficiunt. De eâ ſic ille ſcribit: *Media via eſt, proindeq́; in mercedis ratione medium quendam locum tenet*: vt quæ nec admodum ærumnoſa ſit, nec rurſus admodum ſplendida & glorioſa. Quemadmodum ſi noctis obſcuritas matutina luce diluatur. Quod quidem mixtū genus ἀμφιλύκην, id eſt, ſubluſtrem noctem, qualis antelucano tempore eſſe ſolet, eruditi appellant. *Tertia* eſt fortiſſimorum Chriſti Militum in luce ambulantium: nam eſt lucidiſſima, nullis inuoluta tenebris, eoque hominem virtute præſtantem ſubuehens, vt ante ambulandi & aſcendendi finem non faciat, quàm ad ſummum illud præſtantiſſimumque lumen peruenerit. *Hac præclara via ij omnes incedunt, quibus iam vita minimò in terrâ eſt.* Ter certò quaterque beati homines, in terrâ ſublimiorem terrâ vitam agentes, cælibes, mundi contemptores, cælipetæ, pauperes, triſtes, humi cubantes. Horum altitudinem deprædicans Nicobulus, ſubiungit: *Hos ego deorſum vergens pertimeſco, ac veluti* DEVM *ipſum, cùm ad homines accedit perhorreſco, vt qui longè ſupra mortales omnes aſſurrexerint.*

ITA

ITA in luce ambulat in Chriſtiana Militia virtutis perfectæ ſtudioſus, cuius ſemita, hoc eſt, honeſta viuendi ratio, *Quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem:* nimirum, ſimilis eſt luci Auroræ, quæ temporis decurſu ſuccedentibus aucta incrementis, peruenit vſque ad merum diem. Siquidem ambulando, cognitionis illuſtrationibus ac virtutum progreſſibus in ſingulas horas accreſcens, ad ſummam tandem lucem, quæ meridiana apud nos eſt clarior, nimirum, beatitudinem æternam, peruenit. Sic ferè exponit eam ſententiam Papa Gregorius homil. v. in Ezechielem, cuius iſta ſunt verba. *Iuſtorum ſemita quaſi lux. In eorum enim animis bonum deſiderium atque intellectus lucis intimæ iam pars diei eſt: ſed cùm vſque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad cæleſtia regna perducti, in eâ luce, quam deſiderant, iam minus aliquid non habebunt.*

MEMBRVM IV.
CELERITAS
Ambulationis Militaris.

AD Ambulationem militarē, duo potiſſimùm requirebant Romani, *Celeritatem* & *Æqualitatem*, quibus addit Militiæ Chriſtianæ diſciplina *Rectitudinem*, & *Continuitatem*. CELERITAS fuit apud illos digna admiratione. Nam, vt ſcribit Vegetius, lib. 1. cap. 27. *Decem millia paſſuum armati, inſtructiq́, omnibus telis pedites, militari gradu ire ac redire in caſtra iubebantur; ita, vt aliquam itineris partem curſu alacriore conficerent.* Quod ita exponit Iuſtus Lipſius, (a) vt iuerint decem millia, eademq; redierint. Cui conſonant verba Vegetij illo ipſo capite *de Ambulatione*, vbi ſcribit: *Militari gradu viginti millia paſſuum horis quinque dumtaxat æſtiuis conficienda ſunt. Pleno autem gradu, qui citatior eſt, totidem horis viginti quattuor.* Atque ita intelligendum apud Cæſarem, aliosque auctores, dum ſcribunt: *Eo die iuſtum iter confectum:* quod eſt, quantum militari gradu vulgo ſolet, aut certè circa, ſic tamen vt ſemper horæ aliquot ſumantur ad quietem.

HAVD ſecus, *Ambulatio* Militis Chriſtiani, quæ fit in viâ mandatorum & cōſiliorum DEI; progreſſus in virtute ac meritis, acceſſus ad beatitudinis metam debet eſſe *Velox*. Celeriter nobis eſt ambulandum: quotidie Militi Chriſtiano ſub armis conficienda ſunt amplius, quàm viginti millia paſſuum: iuſtum iter Militis ſacri eſt, quantum à terrâ cælum diſſidet: nam eò cogitatione & conuerſatione quot horis tendendum eſt & ad negocia in terris perficienda redeundum. Non eſt cunctandum cùm de officio

(a) *Libro v. de Milit. dialog. 24.*

ficio virtutis exercendæ agitur. Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Celeriter de peccatis eſt dolendum, celeriter vitæ melioris propoſitum concipiendum, celeriter partus ſalutis producendus. Mi Adoleſcens, poſtquam incidiſti in peccatum aliquod graue, ex fragilitate carnis, ex tentatione inimici, ex irritatione ſociorum, ſi tibi conſultum velis, accipe conſilium amici, ac Patris tuæ ſalutis amantiſſimi, celeriter doleas: ſtatim poſt actum nefarium, tunde pectus, crimen agnoſce, veniam precare. Si hoc omiſiſti, Cacodæmonis aſtu deceptus, non differas vltra veſperum, tunc antequam quieti te tradas, ad DEVM confuge, DEO miſericordiarum ſupplica, actus contritionis elice, non differas in diem alterum. hoc ſecuriſſimum eſt. Si feceris; etiamſi illa nocte hinc omigrares, vt multis per mortem ſubitaneam contingit, ſecurus es, quantum permittit vitæ mortalis ſtatus. ſaluus eris. Nam qui cum verâ contritione decedit, non damnatur. Si huius etiam te cæpit obliuio, aut neglexiſti, deſes, vel improbus, ſaltem confeſſionem non transferas de hebdomade in hebdomadem. Reconcilia te DEO proximo die ſabbati, vel dominica: gratiam illius ſic aucupa, qui te momentò poteſt facere in omnem æternitatem, vel beatum, vel miſerum. Non eſt conſilium cuilibet hominum generi, ſed adoleſcentibus maximè ſalutarius.

CELERITER vitæ emendatio eſt inſtituenda. Non differenda de anno in annum: non traijcienda de adoleſcentia in iuuentutem, de hac in virilem ætatem, & hinc in decrepitam. Decipieris, ſi feceris, ac peſſimè tibi erit in nouiſſimo: dolebis de affectatâ tarditate, & lugebis inconſolabiliter, vtinam non æternùm. CELERITER vota DEO reddenda ſunt. *Prima voti gratia, eſt, celeritas ſolutionis*, inquit verè Ambroſius lib. 1. de Cain & Abel cap. 8. Si vouiſti indeterminatè, ſine loci aut temporis circumſtantiâ, te peregrinaturum, ingreſſurum Religionem, ieiunaturum, oraturum, tam diu, toties, hoc aut illo modo, portaturum Crucem, flagellationem pænitentialem ſubiturum, obligatus es, vt quamprimum commodè poſſis, id perficias. Celeriter ambulandum eſt. Non eſt quidem celeriter vouendum quidpiam momenti grauioris, maximè, ſi ad longum tempus, & multo maximè, ſi ad vitæ terminum extendatur. De quo monendi ſunt Adoleſcentes, & ſeriò, ne inconſideratè, ne repentè, ne impetu ſubitaneo, vel doloris poſt peccatum aliquod graue commiſſum, vel teneritudinis interioris, poſt confeſſionem aut communionem, voueant perpetuam caſtitatem, aut ingreſſum in ſtatum religioſum. Quod ego ijs, quorum conſcientias dirigo in viam ſalutis inculcare ſoleo, ob multa incommoda, quæ ſequuntur ex contrario. Sanè vota eiuſcemodi non ſunt emittenda niſi poſt maturam deliberationem, poſt longam ac ſedulam probationem, poſt conſtantem propoſiti firmitatem, & tunc cum Confeſſarij conſilio. Oppoſitum ſi fiat, frequenter pœnitet vouiſſe. Hinc periuria, ſacrilegia, voti violatio: hinc tortura interior, mentis carnificina, vermis perpetuò rodens. Inde ſolicitatio pro diſpenſatione, abſolutione, commutatione,

tione, irritatione; quæ omnia ſi illegitimè obtineantur, ac ſine cauſſa iuſta, quamuis illa prætendatur, ac ſpecioſè proponatur, in infernum præcipitant. Melius eſt non vouere, quàm vota Deo facta non reddere. Non eſt igitur celeriter quidpiam vouendum, ſed quod vouiſti, celeriter eſt adimplendum.

Celeriter quoque pæna tibi in Confeſſionis tribunali impoſita, eſt ſubeunda. Confiteris de peccatis. Confeſſarius leniſſimè, quâ eſt manſuetudine, quáque diſcretione, ob tuam imperfectionem, aut imbecillitatem, imponit tibi pænitentiam leuiſſimam, nulla penè ſeruatâ, ſi iuſtitiæ rigor attendatur, proportione: nam ita miſericordiæ ac miſerationis affectus ſuadet, & metus, ne ſi imponat grauiorem, illam non perficias, & fiãt poſteriora tua peiora prioribus. Scias quàm primum tibi illam pænitentiam eſſe peragendam, maximè, ſi hebdomas, aut dies ſit adiuncta. Tum, vt ſatisfacias præcepto obligatorio, cuius eſt ius in Confeſſario. Tum, ne pænitentiam tuam agas, poſtquam iterum in peccatum mortale incidiſti: ſicque illam reddas vel dubiam, vel inualidam: certè, minus efficacem. Tum, ne obliuiſcaris. Tunc obliuiſceris pænitentiæ tibi impoſitæ? Caue dilectæ. Si vel aſſis vnus, vel teruncius deberetur, nunquam obliuiſceteris, ne quidem poſt annum: & decem millia talenta, quæ debes creditori tuo Deo, tam facile, tamque breui tempore obliuiſceris?

Sacrificivm etiam *Celeritate* commendatur & gratia, inquit paullò ante laudatus Antiſtes Mediolanenſis. Sacrificiũ Deo eſt Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum: Sacrificium ſpirituale eſt quodlibet officium fidei, ſpei, caritatis, religionis, pænitentiæ: Sacrificij quoddam genus eſt oratio, ieiunium, eleemoſyna. In his etiam *Celeriter*, promptè alacriter verſandum. Ergo Sacrificium Miſſæ Sacerdoti ſic peragendum eſſet, inquit ille, qui fortaſſe murmurat, ringitur, ac diris deuouet ſacrificantem, qui lentior paullulum eſt ad aram, illudque loco orationis Dominicæ occinit identidem

O Pater Omnipotens quàm facit ille diu!

Quod abſit, vt ego ſuſpicerde vllo ex præclaris illis adoleſcentibus, qui me hîc audiunt: & dolent fortaſſe aliqui non eſſe longiora Sacra, præſertim in Quadrageſima; qualia in Eccleſia Græca celebrari memini me audire ab Orientalibus. Apud quos tres ſunt Liturgiæ celebres, ſeu Missæ, nempe. S. Iacobi Apoſtoli, S. Baſilij, & S. Chryſoſtomi: quarum eſt vna minimùm horæ integræ, altera horarum trium, tertia, niſi me fallat memoria, horarum omninò quinque. Et ſanè, Græci, quamuis ſchiſmatici, hiſce diebus vltra ſex horas in Eccleſiâ commorantur, neque Eccleſiaſtici ſolùm, ſed ſeculares, & cuiuſcumque generis opifices etiam, vt ipſimet dum ad nos veniunt, referunt.

Sed tamen, quoniam de *Celeritate* operum Religionis agitur, & huc nos ſermonis continuatio perduxit, ſentio, & in Sacrificio Miſſæ *Celeritatis* rationem habendam, modò tempus conſtitutum accuratè ſeruetur. Non exiſtimãt Viri graues ac pij probandum in aliquibus, immò reprehendendum cenſent,

qui dum celebrant ad aram, attendentes ſolummodò ſibi ſuæque deuotioni, ac ſolatio proprio, rationem nullam habent præſentium, quos non neſciunt nimiâ tarditate, aut prolixitate prouocari ad nauſeam, aut à grauis momenti negocijs publicis retardari. Quos non veretur dicere Gulielmus Pariſienſis, (*a*) conſumere cereos, ac tædium ingenerare adſtantibus: cùmque pabulum debeerent præbere deuotionis, apponere cibum tam amarum, vt adfirmare poſſint quidam ex circumſtantibus. *dederunt in eſcam meam fel.* Vnde Durantus (*b*) in Rationali Diuinorum officiorum illud quod præcipitur circa Paſchalis Agni figuratiuam manducationem, *Comedetis feſtinanter*, interpretatur etiam de reali ac vera, in Miſſis, vt loquuntur, priuatis. Adiungit idem ille, nimiam tarditatem ſimilem eſſe muſcis, quæ moriuntur in liquoribus odoratis, eoſque corrumpunt: *Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti*, inquit Eccléſiaſt. c. x. Hoc pro ijs ſit dictum, qui aliquando ex vobis ſunt futuri Sacerdotes, ne tempore illo breuiſſimo, quo fit memoria viuentium aut defunctorum, ideoque dicitur *Memento*, ad extrahendum Miſſæ ſacrificium, recitent ſeptem pſalmos pœnitentiales; quod feciſſe quidam dicitur, quem idcirco, cùm interfuiſſet Dominus Papa ſuſpenderit à celebratione menſibus aliquot. Iſtud eſt pro alijs rem diuinam audientibus: eos graui ſe exponere periculo, eſſe leues, irreligioſos, acedioſos, ne dicam impios, certè reprehenſione acri digniſſimos, & pœnâ grauiori, qui, dum Sacrum aliquãtulum vltra tempus protrahitur, id egrè ferunt, conqueruntur, Sacrificanti maledicunt, & ſe longiora Sacra faſtidire oſtendunt, quos grauiſſimè obiurgat S. Auguſtinus ſermone CCLI. de Temp. Ijs ſi à Cacodæmone in templo ſemel infligeretur ſonans alapa, quàm benè merentur; quod cuidam accidiſſe perhibent, diſcerent ipſi, & circumſtantes, maiori cum reuerentiâ ac deuotione Sacroſanctis myſterijs aſſiſtere. Ego ſanè nollem vllum è vobis à Maligno hoc tempore ita ſalutari. Sed cauete: vigilat diuinus oculus. Si alicui ex murmuratoribus illis quid ſimile contingat, ſit memor ſe monitum.

NOBIS etiam *Celeriter* in Concionibus eſt ambulandum: idcirco ita properamus, ne tempus nobis præſcriptum enormiter excedamus. Tu ſi voluntatem habeas benè faciendi proximo, dã di eleemoſynam pauperi, iuuandi afflictum, viſitandi decumbentem, conſolandi mæſtum, celeriter ambula. *Bis dat, qui cito dat*, communi iactatur prouerbio. Et vt ſcribit S. Nazianzenus Oratione de amore pauperum, *Beneficij gratia promptitudine & celeritate congeminatur.* Idem doctiſſimus Pater Serm. 1. de Paſchi feſtinatam Agni manducationem Iudæis præſcriptam expendens, omnia ſalutis detrimenta refert in cunctationem & tarditatem Ambulationis: *Feſtinanter*, inquit, *agendum, ne in eam culpam incidamus, à quâ diuino interdicto Loth auocabatur: ne propter noſtram in deterius conuerſionem, quæ ex cunctatione naſci ſolet in Salis ſtatuam concreſcamus.* Quare in omni bonorum operum

(*a*) *Lib. de Rhetor. diuina cap.* 44. (b) *Lib.* III. *cap.* 35. *num.* 9.

operum genere, in qualibet virtutis viâ commendatur *Ambulatio Velox* in Milite Chriſtiano. *Singula, quæ ad virtutis gloriam ſpectant, non ſegniter, nec remiſſè, ſed cum omni inſtantia, ac Celeritate conquiramus*, monet Origenes homil. v. in Ioſue. *Semita*, ſiue Ambulatio, *iuſti, quaſi lux ſplendens procedit*, inquit Sapiens Prouerbiorum IV. 18. lucis autem in progrediendo ea eſt celeritas, vt momento à cælo in ima terræ veniat.

MEMBRVM V.

ÆQVALITAS

Ambulationis militaris.

CELERITATI coniuncta ſit in Ambulatione Militis Chriſtiani ÆQVALITAS. Sit idem in eundo & agendo tenor: æquali ſemper gradu progrediatur: vti cæpit, ita porrò pergat. Non procurrat hodie, cras ſubſiſtat: vno die diligens, altero ignauus: modò ſolicitus, mox remiſſus, ac diſſolutus. *Æqualitas*, in Ambulatione militari, requirit, vt iuſtis interuallis abſint à ſe inuicem biniones, quaterniones, decuriæ, centuriæ, vnus quoque ab altero. Contra quod delinquit, qui nimiũ vel eſt remotus vel coniunctus. In Militiâ ſpirituali, qui nimium ſe coniungit antecedentibus, aut ſubſequentibus non æqualiter ambulat. Hoc autem fit familiaritate nimis arctâ, & reprehenſibili, quæ in iuuenibus frequenter eſt noxia. Quid ſi ſit cum altero ſexu, cum filiabus patris familiâs, aut hoſpitis apud quem habitas? cum ancilla domeſticâ? quid ſi cum vicini focaria? cum Canidiâ, Florâ, Glycerio, Helenâ? Hinc adoleſcentiæ corruptela, & malorum nunquam finiendorum origo. Animaduertitur enim longo vſu primos adoleſcentis, eatenus boni, lapſus graues, ac mortales oriri ex hac inæqualitate, id eſt, nimiâ cum malis vicinitate, & à bonis remotione. Vnde ebrietates in popinis, turpiloquia, ſcurrilitates, nocturnæ coitiones, & quæ Bacchus Venusque in tenebris ſuadere ſolent, nec dictu proferenda, nec in cogitationem admittenda. Nimirum, nequam ille ac impudicus docet contubernalem ſuum nimis vicinũ, quod laſciuus ipſe penè puer didicit: is deinde innocentem alium peruertit. Caue tibi ſcelerate, ſi quis talis. Sulphur Sodomæum, Gomorrhæumque te manet, & iam capiti imminet, ſi iterum tentaueris.

VTILIA ad hanc rem dedit monita Thomas Kempenſis in Opuſculo gemmeo de Imitatione Chriſti libro I. cap. VIII. quod eſt de cauenda nimia familiaritate: *Non omni homini reueles cor tuum, ſed cum ſapiente, & timente DEVM age cauſſam tuam. Cum iuuenibus, & extraneis rarus eſto. Cum diuitibus noli blandiri: & coram magnatibus non libenter appareas. Cum humilibus & ſimplicibus, cum deuotis & morigeris ſo-*

 ciare,

ciare, & quæ ædificationis ſunt pertracta. Non ſis familiaris alicui mulieri, ſed in communi, omnes bonas mulieres DEO commenda. Soli DEO & Angelis eius opta familiaris eſſe, & hominum notitiam deuita. Caritas habenda eſt ad omnes, ſed familiaritas non expedit. Quandoque accidit, vt perſona ignota ex bona fama luceſcat: cuius tamen præſentia oculos intuentium offuſcat. Putamus aliquando alijs placere ex CONIVNCTIONE *noſtra, & incipimus magis diſplicere ex morum improbitate in nobis conſiderata.*

SED neque ille ambulat *Æqualiter* qui inminim recedit à collaterali, qui ordinē relinquit, qui à conſortio bonorum eſt procul, qui cum Thoma Didymo extra Collegium Diſcipulorum Chriſti reperitur frequenter: qui à conuentibus Sodalium, ſi ſint Albo Mariano inſcripti, qui à pietatis communis exercitamentis, ſi ſint alicuius tribus, vel inſtituti: denique, qui à ſupplicationibus, aut concionibus & confeſſionibus ſe ſeparant. Reprehendit iſtiuſmodi inæqualiter ambulantes S. Bernardus, Sermone, in quo Proceſſionis, ſiue *Ambulationis* ordinem modumque deſcribit: *Meritò bini & bini procedimus. Sic enim ob commendationem fraternæ caritatis, & ſocialis vitæ miſſos à Saluatore diſcipulos Euangelia ſacra teſtantur. Turbat proceſſionem, ſi quis ſolitarius incedere curat, nec ſibi ſoli nocet, ſed etiam ceteris eſt moleſtus. Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, Spiritum non habentes, nec ſolliciti ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Hi peccant contra Æqualitatem Ambulationis noſtræ Militiæ.

MEMBRVM VI.

RECTITVDO

Ambulationis militaris.

VTINAM pauciores delinquerent in RECTITVDINEM. Siquidem non minus debet eſſe *Recta* Militis Chriſtiani *Ambulatio*, quàm *Æqualis.* Rectitudo enim debet reſpondere viæ, per quam proceditur: quod ſi non fiat, exorbitatur, & in errorem Miles dicitur. *Via* autem Domini in quâ deambulando exercetur Chriſtianus Miles eſt *Recta.* Iuſtus es in omnibus, cantabat Azarias in medio flammæ fornacis Babylonicæ, *in omnibus, quæ feciſti nobis,* Domine, *& vniuerſa opera tua vera &* VIÆ TVÆ RECTÆ Danielis tertio. *(a) Rectæ viæ Domini, & iuſti ambulabunt in eis*, inquit Oſeas Propheta. *(b)* Hinc improperatur impijs de peruerſo iudicio ac ſententia circa vias Domini Ezechielis XXXIII. *(c) Dicitis: non eſt recta via Domini.* Quod eſt luculentum mendacium eorum qui, vt eſt, Eccleſiaſtici ſecundo, *(d) dereliquerunt vias rectas.* Nam reuerà, *Semita iuſti recta eſt*, Iſaiæ *(e)* XXVI. &

Rectus

(a) *Daniel.* III. 27. (b) *Oſeæ* 14 10. (c) *Ezech.* XXXIII. 20. (d) *Eccl.* II. 16. (e) *Iſ.* XXVI. 7.

Rectus callis iuſti ad ambulandum. Et, *iuſtum deduxit Dominus per vias rectas,* Sapientiæ decimo. (*a*)

MILITI Chriſtiano ambulandum eſt rectè, quia per vias Domini rectas, quæ rectà ducunt in altum à DEVM rectiſſimum & altiſſimum. Is autem rectè ambulat, qui nullam in partem flectitur: cuius antitheton eſt, *obliquè* incedere. In moralibus verò *rectum* eſt idem quod *bonum*, laudabile, æquum, cui opponitur, prauum & iniquum. Non ambulat rectè, qui declinat in dextram vel ſiniſtram, in exceſſum, aut in defectum. Hinc monet ſeriò DEVS: *Facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te, iuxta legem eius, ſequerisq́ue ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram,* Deuteronomij XVII. Iterum, *Non eleuetur cor eius* (Ducis,) *in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram.* Sapiens quoque vniuersè Prouerbior. IV. *Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram*: hoc eſt, à rectâ viâ legis in nullam partem deflectas. Contrarium eſt palantium, qui à ſemitâ & quaſi lineâ aberrare conſueuerunt. Nimirum,

——— *Veluti ſiluis, vbi paſſim*
Palantes error, certo de tramite pellit:
Ille ſiniſtrorſum, hic dextrorum abit.

Tam dextera, quàm ſiniſtra, quando vt extremà ponuntur in vitium adducunt; quia virtuti mediæ, vel legi oppoſita. Verùm, latent non pauca in declinatione illâ ad alterutrum, quæ Ambulationem rectam Militiæ noſtræ illuſtrare poſſunt.

IMPRIMIS autem per *Dexteram*, intelliguntur *Proſpera*; per *Siniſtram*, *Aduerſa.* vt interpretantur Prouerbiorum explanatores, Hugo, Rudolphus, Lyranus, Ianſenius. Declinare igitur ad dexteram, eſt, proſperis efferri: & ſiniſtram, aduerſis deprimi. Sic etiam paſſim Sancti Patres, Auguſtinus, Bernardus & alij, in dexterâ proſperitatem, in læuâ aduerſitatem conſtituunt. Itaque tam rectè ambulandum eſt Militi Chriſtiano, vt nulla illum proſperitas, nulla hilaritas, nulla arridentis Fortunæ benignitas, à recto virtutis, ad cælumque itinere, vel latum vnguem deflectere faciat: idemque robur oſtendat in aduerſitate. A quâ rectitudine quantoperè deflectunt ij, qui quàm primum Sol lucet paullo clarius, quàm primum eſt ſudum cælum, quando in vno aliquo conuiuio exhilarantur, temperantiæ obliti, potitant ſine termino, inebriantur, clamitant, vociferantur, vomitant, ſe ſuosq́ue; fœditatibus commaculant. Contrà, quàm primum eſt pluuium cælum, & bonorum quidpiam perdunt, in DEVM ipſum inſurgunt, murmurant, iurant, blaſphemant.

PRÆTEREA, per *Dexteram* amicos accipe, per *Siniſtram*, inimicos. Quo facit illa Chriſti D. ſententia: *Si dextera manus tua ſcandalizat te, abſcide.* In qua ſententia, nomine, dexteræ, communi interpretum ſenſu, quiuis amicitia coniunctiſſimus homo deſignatur. Quocirca, *Declinare ad dexteram*, eſt, in amicorum gratiam, etiam inhoneſta patrare: *Declinare ad ſiniſtram*, inimici odio contabeſcere. *Declinare ad dexteram*, eſt,

(a) *Sapien.* x. 10.

eſt, in gratiam ſocij à concione, Sodalitate, laudibus ac officijs diuinis emanere, cauponam adire, alea ludere: eſt, vt amico inuitanti non diſpliceas, de æquales hauſtus te offerre, ſudare, ac ſpiritum penè exhaurire, vel elidere: eſt, vt obſequatis contubernali, officium boni adoleſcentis, ciuis, clerici, Canonici, vicarij omittere. *Declinare ad ſiniſtram* eſt, ſi offenderit te aliquis, non ignoſcere, iram fouere, offendẽtem prouocare, illius conſortium fugere, ſalutatione nõ dignari, contumelijs appetere, rancorem vultu, verbo, manu oſtendere.

ADHÆC, V. Beda, per *Dextram* & *Siniſtram*, bona in vniuerſum, ac mala opera denotari exiſtimat: vt declinent ad ſiniſtram impij, qui praua perpetrãt: ad dexteram illi, qui, cùm iuſti eſſent, ac bona operarentur, ſibi illa arrogantes, iuſtitiæ Chriſtianæ ſemitam, quæ cum humilitate coniuncta eſt, deſeruerunt. Sic quoque S. Auguſtinus epiſtola XLVII. ſcribens, *Declinare ille eſt intelligendus ad dexteram, qui bona ipſa opera, quæ ad vias dexteras pertinent, ſibi vult adſignare, non DEO.* Et libro V. quæſtionum in Deuteronomium, quæſtione XLVIII. *Abſit, vt dexteras, quas nouit Dominus, negemus eſſe rectas: ſed, vt dixi, declinare in eas, non eſt illius gratia, ſed tibi tribuere, quod rectum eſt.* Idem doctiſſimus Pater lib. ſecundo de peccatorum meritis & remiſsione aliter exponit his verbis eãdem declinationem: *In dexteram declinare, eſt ſeipſum decipere, dicendo, eſſe ſe ſine peccato: in ſiniſtram verò per neſcio quam prauam ac peruerſam ſecuritatem, ſe tanquam impunè dare peccatis.* Rurſus, Beda Venerabilis, ſiniſtræ ſtultitiam adſcribit, dexteram ſapientiæ: vt declinare in ſiniſtram, ſit ſtultitiæ ſe dedere: declinare in dexteram, plus ſapere, quàm ſapere oporteat. Ingenioſè etiam D. Nazianzenus, Orat. de moder. diſput. Declinare ad ſiniſtram dicit eos, qui vitijs deſidioſè ſe dedunt: eos autem ad dextrã, qui virtutis ſtudioſi, metas ipſius virtutis, per exceſſum tranſiliunt; nam hoc fieri poſſe dixit Eccleſiaſtes obſcura illa ſententiola, *Noli eſſe iuſtus multum* quod quidam interpretantur, *nimis.*

S. NAZIANZENVS, *Quàm inutilis eſt iners, ac ſupina ſegnities, tam eſt inutilis ſtulta acrimonia: illa à bonis & honeſtis actionibus refugiens: hæc eaſdem prætereiens, ac dextero dexterius aliquid conſtituens Quod propè cognitum & exploratum habens Salomon*: Ne declines, *inquit*, ad dexteram, neque ad ſiniſtram; *ne per contrarium in æquale malum incidat.* Eadem eſt expoſitio S. Hieronymi in cap. x. Eccleſiaſtici *Dextera*, inquit, *declinatio accuſatur, ne plus ſapiamus, quàm ſapere nos neceſſe ſit; quia virtutes in medio ſunt: & nimietas omnis in vitio eſt.* Illos ergo cenſent auctores ij præclari, declinare ad ſiniſtram, qui E. C. à liberalitatis virtute aberrantes, præ nimia parcitate, ſequuntur ſordes; eos verò ad dexteram, qui ad profuſionem, per exceſſum donandi, vergunt. Denique, ſimpliciſsimè S. Chryſoſtomus (*a*) & alicubi D. Nazianzenus, (*b*) nihil aliud eo dicendi modo παροιμιακῶς ſignificare voluiſſe Salomonem dicunt, quàm viam rectam tenendam eſſe in

Ambu-

(a) *Homil. 9. in ad Theſſ.* (b) *Apolo. 1. de fuga.*

Ambulatione: ſeu, ne latum quidem vnguem à via recta diſcedendum. Quomodo, cùm exercitum Iſraëliticum ducere vellet per terram Edem Moſes, miſit ad Regem, qui diceret Numer. xx. *Obſecramus, vt nobis tranſire liceat per terram tuam: non ibimus per agros, nec per vineas; ſed gradiemur via publica, nec ad dextram, nec ad ſiniſtram declinantes.* Apud Iſaiam quoque lego, cap. xxx. *Hac eſt via, ambulate per eam, & non declinabitis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Itaque, Ne declines ad dexteram neque ad ſiniſtram, idem eſt, quod rectà perge, & *Ambula.* Subnectit Sapiens: *Auerte pedem tuum à malo*, vel, *à viâ mala:* hoc eſt, ab omni iniquitate auerſo pede, ad pietatem redi. Chaldæus legit: *Transfer pedem tuum à malo:* Caue tibi, ne vnquam à viâ virtutis ad vitiorum ſemitam exorbites, ne à rectitudine viæ diſcedas.

MEMBRVM VII.

AMBVLATIO CIRCVLARIS

Cacodæmonis, vt Ducis impiorum.

DISCEDIT autem enormiter, quiſquis in gyrum ambulat, motu circulari, qui à recto plurimum differt. Eo vtitur, & ſuis eum præſcribit improborum Ductor Diabolus, cuius illa fuit coram DEO gloriatio: *Circuiui terram, & perambulaui eam*, Iob. 1. 7. Et de eodem Petrus Apoſtolus enunciat, Epiſtola 1. cap. 5. *Tanquam Leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret.* Græcè eſt, περιπατεῖ, id eſt, vt Tigurina habet editio, *obambulat:* Pagninus vertit: *vndique ambulat*: alij reddunt: *Circumambulat*: S. Hieronymus in caput LV. Iſaiæ, *Circumiens quærit.* Hæc autem *Circumambulatio*, ſiue *Circuitus* multa indicat, quæ aliena eſſe debent à Chriſtiano militariter ambulante.

PRIMO, denotat vagum eum eſſe, ac inſtabilem, quemadmodum ſunt omnes eius aſſeclæ, qui eodem modo ambulant. Siquidem deſerendo DEVM per peccatum, ſtabilitatem ſpiritualem, quæ in ſolo DEO habetur, perdidit. *Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt*, inquit lamentans Ieremias, Threnorum VIII. Diabolus eſt vagus. Idcirco eiectus, vt habetur in hodierno Euangelio, ex habitatione ſuâ, ambulat per loca arida & inaquoſa, vt vagabundi ſolent in deſerto, vt requiem quærit, ſed non inuenit.

SECVNDO, inſinuat iram inexplebilem, ac nocendi cupiditatem perpetuã. Solus enim circularis motus poteſt eſſe perpetuus, eo quod circulus principio ac fine careat: ceteri non ita: vt docet Ariſtoteles lib. VIII. Phyſicor. vbi probat, motum circularem eſſe primum & menſuram ceterorum, eſſeque continuum, quia ſemper fertur circa medium, non ad extremum, vti fertur motus rectus: atque ideò cælos moueri motu circulari. Inchoauit hanc circulationem

Diabolus, à quo momento homini cæpit inſidiari, nec deſinet iram continuare & oſtendere, ſiue inſidiando, ſiue cruciando, quam diu eſſe non deſinet, id eſt, nunquam non, in perpetuum.

TERTIO, ſignificat Cacodæmonis *Verſutiam*, doloſitatem, & inuolucra fraudium. Quemadmodum enim ſerpens ſinnoſis flexibus obrepit, ſpiriſque multiplicatis ſe implicat, & inuoluit; ſic Cacodæmon gyrat ſe, regyratque, vt hominem ſuis ipſe technis, ſcrupulis, perplexitatibus intricet, circumueniat, ac irretitum detineat. Siquidem, vt dicitur Iobi XL. de Behemoth, id eſt, elephanto, qui typus eſt Diaboli, *nerui teſticulorum eius perplexi ſunt*. Hanc eius verſutiam, induſtriam, ac calliditatem deſcribent S. Leo Pontifex Serm. VII. de Natiuit. *Nouit*, inquit, *cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ, nouit. quem errore conturbet, quem gaudio fallat. quem metu opprimat, quem admiratione ſe ducat.*

QVARTO, *Perambulatio* illa *circularis*, neſcio, quam *Dominij* ſpeciem ingerit, quod ſibi arroganter tribuit Princeps huius mundi, ac tenebrarum, dum orbem gyrando circuit. Ita herus perambulat in agro ſuo, Rex in regno, Dux in regionibus bello ſubactis. Quare perambulare in Litteris diuinis dominium ſignificat. Et ſanè, *non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur* Diabolicæ: nam is *factus eſt, vt nullum timeret*, Iobi XLI. 24. ideoque gaudet circuire terram, vt fundum proprium.

QVINTO, Ambulat circumeundo Diabolus, ſicut *Venator* ſyluam, *Piſcator* flumen, *Auceps* nidum, *Exercitus* vrbem, denique, *Prædator* quilibet prædam; vt concludat, capiat, occidat. Et habet ſpem in hac ſuâ circulatione: immò, vt ſcribitur Iobi XL. *Ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam, quod influat Iordanus in os eius.* Præclarè Thomas Angelicus perpendens tritam illam Petri Apoſtoli ſententiam: *Peruerſitas Diaboli*, inquit, *ſignificatur per nomen* Aduerſarij *cùm* Rugiens *vocatur*; *ſollicitudo, cùm* Circumire quærendo *dicitur*. Hinc à nobis exigitur, contra primum, vt reſiſtamus: contra ſecundum, vt ſimus fortes: contra tertium, vt fidei manſuetudinem habeamus; contra quartum, vt vigilemus.

SEXTO, Circuitio obijcit menti *Sagacitatem* inimici, qua inueſtigat omnes opportunitatem, omnes aditus, omnem inuadendi ac lædendi modum: circuit, vt exploret, eius quem aggredi conſtituit, propenſiones, deſideria, habitus, vt penetret intimos animi ſinus, vt benè agnoſcat eius vitia, vt infirmitates eius omnes perſpectas habeat. Quemadmodum peritus belli Dux circumequitat caſtra inimicorum, aut vrbem, quam obſidet, vt infirmiora illius loca cernat ipſe, & inuadendi modum excogitet, ac præſcribat. Ita ferè commentatus S. Cyprianus, & Diaboli ſagacitatem induſtriamque egregiè ad cautelam noſtram ob oculos ponit hiſce verbis ſermone de zelo. CIRCVIT ille nos ſingulos, & tanquam hoſtis clauſos obſidens, muros, „ explorat, & tentat, an ſit pars aliqua „ membro-

„ membrorum minus ſtabilis, & minus
„ fida, cuius aditu ad interiora pene-
„ tretur. Offert oculis formas illices, ac
„ faciles voluptates, vt viſu deſtruat ca-
„ ſtitatem. Aures per canorum muſi-
„ cam tentat, vt ſoni dulcioris auditu
„ ſoluat, & molliat Chriſtianum vigo-
„ rem. Linguam conuicio prouocat.
„ Manum laceſſentibus iniuria, ad pe-
„ tulantiam cædis inſtigat. Vt frauda-
„ torem faciat, lucra opponit iniuſta.
„ Vt animam pecunia capiat, ingerit
„ pernicioſa compendia. Honores ter-
„ renos promittit, vt cæleſtes adimat.
„ Oſtentat falſa, vt vera ſurripiat. Cùm
„ latenter non poteſt fallere, exertè at-
„ que apertè minatur. Terrorem turbi-
„ dæ perſequutionis intentans, ad de-
„ bellandos DEI ſeruos inquietus, ſem-
„ per & ſemper infeſtus, in pace ſubdo-
„ lus, in perſequutione violentus. Qua-
„ mobrem, Fratres dilectiſſimi, con-
„ tra omnes Diaboli vel fallaces inſi-
„ dias, vel apertas minas, ſtare debet
„ inſtructus animus & armatus: tam
„ paratus ſemper ad repugnandum,
„ quam eſt ad impugnandum ſemper
„ paratus inimicus. Et quoniam frequē-
„ tiora ſunt tela eius, quæ latenter ob-
„ repunt, magiſque occulta & clande-
„ ſtina iaculatio, quo minus perſpici-
tur; hoc eſt grauius, & crebrius in vul- „
nera noſtra graſſatur. Ad hæc quoque „
intelligenda & depellenda vigile- „
mus, quibus eſt zeli & liuoris malum. „
Quantoperè ergo omnibus nobis eſt vi-
gilandum, quâ cuſtodiâ ſenſus omnes
noſtri muniendi, quomodo perturba-
tiones animi comprimendi, vitia eradi-
canda, DEI auxilium momentis omni-
bus, ſi fieri poteſt, inuocandum, vt ab
hoſtis peruigilis, & omnes circumqua-
que rimas diligentiſſimè explorantis ad
nos aditu ſimus liberi?

SEPTIMO, Circuit Cacodæmon, vt homines in *Circulum* agat, & vertiginem ijs inducat, vt ſic labantur in exitiū: prætereà, vt veluti *trochos* habeat, quos in orbem perturbationum variarum rapiat: adhæc, vt nullam ijs quietem relinquat. Sed ab vno in aliud peccatum præcipitet, deinde ad nouas gyrationes perducat.

MEMBRVM VIII.
AMBVLATIO CIRCVLARIS
Impiorum, vt Militum Cacodæmonis.

PORRO, ad Imperatoris ſui exemplum, *In circuitu impij ambulant*, vt dicitur Pſalmo XI. hoc eſt, circumquaque obertant, vagi ac circinatores, vt probis inſidientur ac noceant. Quæ eſt interpretatio Theodoreti, & SS. Anaſtaſij ac Chryſoſtomi. Vnde Chaldæus vertit: *In circuitu impij ambulant, tanquam ſanguiſuga, quæ ſugit ſanguinem filiorum hominum.* Sic inſidiatores Eccleſiæ DEI, Iudæi, hæretici, infideles alij dicuntur circuire ciuitatem Pſalmo LVII. nempe Ieroſolymitanam, ſiue Eccleſiam, quoniam vagi, quærunt vndique modos eam oppugnandi: nec tamen eam ingredi volunt. Pſ. LVIII. 15. Vnde ab vno errore & hæreſi labuntur in aliam. CIRCVLVS, inquit Euſebius, rectæ lineæ contrarius eſt. Rectà incedit virtus, gyrat vitium: rectà vadunt pij, ſecundum virtutis ductum, & rationis præſcriptum: obliquè impij: illi ad medium tendunt, in quo virtus: hi in orbem voluuntur, æquè ſemper à medio procul per vitiorum receſſum. *In circuitu impij ambulant*, vt commentatur D. Auguſtinus; id eſt, in temporalium rerum cupiditate, quæ dierum ſeptem repetito circuitu quaſi rota voluitur. Atque ideo non perueniunt ad octauum, id eſt, ad diem æternum, pro quo pſalmus vndecimus inſcribitur. Hinc & multiplicantur, qui recedunt ab vnitate DEI.

CIRCVLVS dicitur eſſe figura infinita, quoniam non reperitur in illa punctum quo deſinat, aut inchoetur, quemadmodum in linea. Ob quam cauſſam docent Philoſophi, in motu circulari, terminos, *à quo*, & *ad quem* identificari. Et quamuis Mathematicus adfirmet lineam quoque rectam, produci in infinitum, id tamen intelligi non debet de vera realique, ac categorica infinitate, cùm infinitas in rebus ſaltem corporeis dari nequeat, ſed ſolùm de imaginaria quadã extenſione, & ſyncategorematica, cui ſemper aliquid addi poſſit. Huic igitur figuræ circulari comparatur *Ambulatio*, ſiue progreſſus hominum criminoſorum, qui fit per deſideria eorũ, ac cupiditates. Siquidem eorum deſideria carent fine: nam nunquam ſatiantur. Vt in auaro cupiditas habendi, in laſciuo ardor libidinis, in quocumque alio ſcelerato ſingularis quædam concupiſcentia. Certè mihi illum Euclionem, cuius ſitis nunquam extinguitur, quicquid ingeratur inijciaturque, nunquam dicet, ſufficit, ſtabit, vt inter medios fluctus ſitibundus Tantalus.

Non Tarteſiacis illum ſatiabit arenis
Tempeſtas precioſa Tagi, non ſtagna rubentis
Aurea Pactoli: totumq; exhauſerit Hermum
Ardebit maiore ſiti. ———

Medici

Medici inter morbos, quorum nullus penè eſt numerus, nominant λυκάνθρωπία, Latini vocant *Inſaniam* ac *Voracitatem Lupinam*, quo qui laborant, ex humorum vitio, & atræ bilis exceſſu, præterquam quod lupinos alios affectus ad ſæuitiam ſpectantes contra greges & homines ſentiant, voracitate continua, & inſaturabili torquentur. Quibus ſi pro vno ientaculo, oues aliquot, bouem integrum benè aſſum, gallos Indicos binos, perdicum vicena capita, piſcium etiam ingentem copiam apponeres, inanitatem ventris nihilominus cauſſarentur, verſu illo Satyrici: *Heu quantum eſt in rebus inane!* His non abſimiles ſunt in deſiderijs ſuis, qui *circulariter ambulant*: nam nullo ſaturantur opum, honorum, dignitatum, voluptatum pabulo. Ingerat plena manu Mundus, Caro, Dæmon, ſemper audietur: *Heu quantum eſt in rebus inane!* Eorundem progreſſus quoque eſt infinitus, quoniam impij ex vno vitio feruntur ſine quiete in aliud: de ſuperbia in ambitionem, de ambitione in auaritiā, ab hac in crudelitatem, inde in impietatem, homicidia, blaſphemias, execrationes, infidelitatē, rectè dicuntur impij *Ambulare in circuitu*.

QVI circuit, quamuis ambulet continuò, & defatigetur, nullum tamen progreſſum facit, quoniam ad locum, vnde prius diſceſſerat, redit. Quis magis aſſiduò in gyrum agitur, ac ſi Rotæ affixus eſſet, & vertigine laboraret, quàm peccator, qui cùm perpetuò ambulet per viam iniquitatis, fatigatur quidem, ſed non progreditur. Omnium eſt confeſſio: *Laſſati ſumus in via iniquitatis: ambulauimus vias difficiles*, Sapientiæ v. Ambularunt, ſed non profecerunt. Cerne *Rotam* in molendino, quamuis circumagatur, & millies voluatur ac reuoluatur, eodem in loco veſperi, quem mane deſeruerat, ſubſiſtit. Ita illi, quorum vita rotari incipit dum inchoatur à culpa: pergit rotari quam diu durat, ſed nunquam extra culpatum gyrum, deſinit in culpam dum finitur. Principium vitæ in impijs diffluit, medium criminibus redundat, vltimum flagitiorum gurgite abſorbetur: atque ita tempore mortis occidunt, vbi ſub momentum natiuitatis oriebantur: immò in ſtatu magis deteſtando, quia criminibus magis cumulato.

DIVINE Iſaias Propheta, vt ſignificaret *Ambulationem* hominis probi, qualis eſt Miles quilibet Chriſtianus non debere eſſe circularem, *Rectus*, inquit, *callis iuſti ad ambulandum*, Iſaiæ XXVI. Et benè notat S. Bernardus Sermone I. de Reſurrectione, non dici de Chriſto reſuſcitato, quod ſit reuerſus, aut quod circumiuerit: ſic enim indicatus fuiſſet motus circularis; ſed quod tranſiuerit, ſeu tranſmigrarit: *Præcedit vos in Galilæam*, dicitur Marci XIV. quod indicat tranſitionem, non reuerſionem. Idem denotat nomen *Paſcha*, hoc eſt, tranſitus. Tranſiuit Chriſtus quia non redijt ad vitam, vt antea, paſſibilem ac mortalem, ſed perrexit ad nouam, immortalem, & impaſſibilem. Idem faciendum eſt Militi Chriſtiano, qui rectum debet ingredi iter, & ambulare progrediendo vlterius ſemper, non regrediendo, vti facit improbus, qui quandoque ſcelera perpetrata deplorat, & mox ad eadem

iterando recurrit: modò Sacramentis ad expiationem criminum vtitur, paullò poſt per eadem iurat, peieratque. Vno die inuiſit Eccleſiam, decem alijs è templo emanet, rem diuinam audire ad concionem accedere, officio Eccleſiaſtico ſatisfacere negligit aut contemnit. Hoc eſt, quod ſuos docet Cacodæmon, qui circuit ſemper, ambulare in circuitu.

QVI circuit, ſemper à medio, vel centro æqualiter diſtat. Aſpice Circulatorem improbum, hominem auarum, libidinoſum, gulæ ac cupiditatibus deditum, quoniam ſe, voluptatemque ſuam ſtatuit centrum omnium ſuarum operationum, ſtudiorum, laborum, non inquirit aliud, quàm ſeipſum, & commoditates proprias, ac voluptatis aucupiū. In vnum hoc centrum cogitationes, dicta, opera tanquam lineæ terminantur. Philoſophi dum cauſſam rotunditatis terræ indagant, inter alias, hanc adferunt, tanquam præcipuam, quod ſingulæ illius partes æqualiter ad centrum vergant, illudque æquè occupare, contendant: vnde neceſſariò ſequitur, figuram effici rotundam. Contemplor ego ſæpe peccatorem velut in circulo, quia in circuitu ambulat, circumſtare autem Cacodæmonem, Carnem, Mundum quorum quilibet vi pari illum ad ſe trahit, ilseque æqualiter, eò fertur quò trahitur, quid mirum quod inſtar globi rotetur? D. Gregorius conſiderans ambulationem quorundam circularem, illam maximè propriam exiſtiĉat hominum ſimulatoriè agentium, qui nullam operationem exequuntur ſincerè, ſed tantùm apparenter bonum exercent, & externis contenti formis, per quas circumeunt vagando interiorem cultum negligunt: cùm contrarium fieri oporteret, & relictâ rerum terrenarum peripheriâ, ad cordis penetrale ſe conferre, ibique illum quærere, qui humanarum operum ac cogitationum deberet eſſe vnicum centrum: ad quod anhelando dicatur: *Quid mihi eſt in cælo, & à Te quid volui ſuper terram? DEVS cordis mei, & pars mea* DEVS *in æternū*!

MEMBRVM IX.
CONTINVATIO
Ambulationis militaris.

MODIS hactenus enarratis, conſeruatur à Milite Chriſtiano Ambulationis militaris *Rectitudo*, quæ eſt vna ex præcipuis eius proprietatibus. Inter quas numeratur etiam CONTINVITAS. Siquidem via mandatorum ac conſiliorum DEI, ita ineunda eſt, vt *Ambulatio* non interrumpatur. *Primò*, peccato aliquo lethifero, quod planè ambulationem bonam inuertit. *Secundò*, nec peccato vllo veniali, deliberatè ſaltem commiſſo; nec alio quolibet, quantum humana imbecillitas permittit. *Tertiò*, nullis corporis ſuperfluis commoditatibus, comeſtionis, ſomni, confabulationis, ac ſimiliū.

Quod

Quod conantur, qui perfectionem diſciplinæ Chriſtianæ ſibi proponunt. *Quartò*, admittendum eſt Militi Chriſtiano pro virili, vt non ſiſtatur vnquam progreſſio, deſidiâ, ocio, & quod peſſimum eſſet, conuerſione viæ in oppoſitum: ab humilitate in ſuperbiam, à ſobrietate in ingluuiem, à caſtitate in laſciuiam greſſum intendendo.

MONET ex his nonnulla S. Auguſtinus, agens de Ambulatione noſtrorum Militum, & hunc in modum diſſerit, Serm XV de Ver. Apoſt. *Videtis, quia* VIATORES *ſumus. Quid eſt* AMBVLARE *? breuiter dico, proficere: ne fortè non intelligatis & pigrius ambuletis Semper tibi diſpliceat, quod es, ſi vis peruenire ad id quod nondum es. Nam vbi tibi placuiſti, ibi remanſiſti. Si autem dixeris, ſufficit, & periſti. Semper adde,* SEMPER AMBVLA *: ſemper profice: noli in via remanere: noli retrò redire: noli deuiare. Remanet, qui non proficit: retrò redit, qui ad ea quæ reliquit reuoluitur: deuiat, qui apoſtatat. Melius it claudus in via, quàm curſor præter viam.* Gemina his ſunt iſta S. Leonis Papæ Ser. 2. de Quad. *Hæc eſt perfectorum via & iuſtorum, vt nunquam præſumant ſe eſſe perfectos, ne ab itineris nondum finiti actione ceſſantes, ibi incidant in deficiendi periculum, vbi proficiendi depoſuerint appetitum.*

IVSTORVM *ſemita quaſi lux ſplendens procedit*, inquit Sapiens Prouerb. IV. 18. *& creſcit vſque ad perfectum diem.* Itaque quamdiu in hac vitâ eſt, ambulat, & proficit, quoniam hic ad perfectum diem, & ſummum quod ſic, vt loquuntur Philoſophi non peruenit. Præclarè iterum Auguſtinus, in Pſalm. LXIX. *Quantumcumque hic vixerimus, quantumcumque hic profecerimus, nemo dicat:* Sufficit mihi, iuſtus ſum. *Qui dixerit, remanſit in via: non nouit peruenire: vbi dixerit,* Sufficit, *ibi hæſit.* Vulgatiſſimum eſt in hoc genere illud ſtrenuiſſimi Ambulatoris Bernardi Epiſtol. CCLIV. *Non vis proficere? vis ergo deficere? Non,* inquis, *ſed ſic viuere volo: & manere, in quo perueni: nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod eſſe non potes.* Adiungit deinde effatum, ab omnibus vitæ ſpiritualis Magiſtris vſurpari ſolitum; quamuis non ab omnibus æquè intellectum: *Nolle proficere, non niſi deficere eſt.*

AMBVLANDVM igitur eſt nobis ſine intermiſsione, continuò. Qui ſic ambulat, cenſetur ambulare *dignè* DEO, vt loquitur Paulus Apoſt. I. ad Theſſalon. ſecundo, vbi, *Teſtificati* inquit, *ſumus*, id eſt, vt interpretatur Theophylactus, obteſtati, *vt ambuletis* DIGNE DEO, *qui vocauit vos in ſuum regnum & gloriam.* Si ad regnum nos ſuum vocauit DEVS, & quidem ad regnum cæleſte, illudque æternum, ac diuinum, quis non, niſi ſortis ſuæ oblitus, aut contemptor, celeriter, æqualiter, rectà, ac cōtinuò ambulat per viam mandatorum DEI greſſu militari, vt quàm primum ad illud perueniat?

EODEM ſpectat vehemens illa adhortatio Pauli Apoſtoli ad Epheſ. IV. *Obſecro Vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis:* hoc eſt, vt viuatis dignè ad ſpem futuri ſeculi, dignè ad Chriſtianam profeſſionem, dignè ad Eccleſiam, dignè ad gloriam cæleſtē: ad omnia enim hæc vocati ſumus. Extimulabat ſe frequenter Bernardus

iſtis

iſtis interrogatiũculis, Bernarde, ad quid veniſti? quo tendis? quomodo ambulas? Interroget crebro ſemetipſe Miles Chriſtianus. Ad quid Petre in caſtra Chriſti veniſti? cur nomen dediſti ſacræ Militiæ? quomodo progrederis? quantum profeciſti? ad quid vocatus es? Ambula dignè vocatione tua, ambula dignè nomine tuo. Vocatus es ad humilitatem, ſobrietatem, caſtitatem, ſanctimoniam: noli ſuperbire, inebriari, fornicari, immunditijs te conſpurcare. Vocatus es ad *Exercitium militare*: noli te ſubducere, noli vacare ocio: vocatus es ad *Ambulandũ* ſub armis, noli deſidere domi, aut iacere nudus in plumis. Vocatus es ad bona opera. Illis ſtude, mala fugito. A Chriſto Chriſtianus appellaris, vt Chriſtum Ducem tuum imiteris: viue, vt Chriſtus vixit: patere vt paſſus es: *Ambula*, vt *Ambulauit.*

EIA igitur, Commilitones optimi, nam vos ego omnes, vt Militiæ Chriſtianæ adſcriptos, auctoratosque aſpicio, & mecum habeo, hoc nos Exercitij genere, quod maximè neceſſarium eſt ac vtile, alacriter ad prælium capitale aptemus. Ambulemus in viâ mandatorum DEI, tũ *Celeriter*, vt militari greſſu, quotidie decem præceptorum ſtudium conficiamus, magniſq; itineribus ad metam properemus: tum *Æqualiter*, vt antecedentium piorum Sanctorumque veſtigijs, iuſto imitationis interuallo inſiſtamus: tum *Rectè*, vt nunquam, vel ad dexteram exceſſus in vlla virtute, vel ad ſiniſtram defectus declinemus, & circulum omnem vitioſitatis, petitionemque principij criminoſi euitemus: tum *Continuò*, vt nunquam ſubſiſtamus, titubemus, poſt tergum cancrino more moueamur. Sed pernici, continuataque gradatione ad optatiſſimum felicis Æternitatis, terminum perueniamus. gratiâ SS. TRINITATIS, PATRIS & FILII, & SPIRITVS-SANCTI. *AMEN.*

NOTÆ

In quibus Auctores & Corollaria.

§. I. AMBVLAT[illegible] MILITARIS.] *De hac legendi, Vegetius lib. 1. c. 2. & 27. Iuſtus Lipſius l. 5. de Militia Romana, dial. 14. Ioan. Valt. de Mil.*

§ II. AMBVLARE nõ ſecundum carnem.] μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. *Legendi interpretes, nominatim*, Benedictus Iuſtinianus, & Cornelius *de Lapide.*

§. III. NON declinandum ad dexteram vel ſiniſtrã.] *Adagialis loquutio, de qua eruditè* Delrius, *tom. 1. Adag. in* XXXI. & Salazar. *Pr.* IV. 27.

§. IV. AMBVLATIO Circularis Diaboli.] *optimè explicatur à* Pineda *Commem in Iob. 1. & interpretibus Epiſt. S. Petri*, Ioanne Lorino, & Cornelio *Lap.* Ambulatio impij in Circuitu *declaratur, & multis exornatur, tum ab iiſdem, tũ à* Iulio Mazarino *in pſalm. Miſerere ſer.* LXIV. *tum ab interpretibus Pſalmorum in* XI.

§. V. *LVPINA* Voracitas. *Quam Græci* λυκάωνα, *ſeu* λυκανθρωπίαν, *Arabes* Chatrab, *Latini, melancholiam, aut inſaniam lupinam appellant. Legendi*, Paulus Aegyneta, *l. 3 c.* 16. Aetius *l6. c.* 10. Codronchus *l. 3. de morbis venef. c.* 7. Auicenna *l. 3. fen. 1. 14. c. 26.* S. Auguſtinus *l.* 18. *de Ciu. c.* 8. Cantiprat. *in lib. Apum*, Maiolus *in Canicul.* Delrius *l. 2 Diſq. Mag. quaſtion.* 18.

§. VI. NOLLE proficere, nonniſi deficere eſt.] *De hoc copiosè diſſerunt Magiſtri vitæ Spiritualis. Legendi*, Bernardinus Roſignolius, *l. 2. de Diſcipl. Chriſt. c.* 2. Iacobus Aluarez Paz *de Perfect. relig.*

LIBER

LIBER IV.
PASSIO CHRISTI
Militariter conſiderata.

COMMENTATIO I.
PASSIO CHRISTI
CAMPVS
Ambulationis Militaris.
DOMINICA LÆTARE.

Membrvm I.

Deſignatio, & Deſcriptio Campi, ad Exercitium Ambulationis Militaris idonei.

Academici Chriſtiani,

IN Diſciplinâ Militiæ Chriſtianæ, ac ſacræ, quam ex hac cathedrâ tradere aggreſſi ſumus, per analogiam perpetuam ad Militiam Romanorum profanam, quippe notiorem, deuenimus ad *Exercitium Armorum*: Et proximè quidem primam eius ſpeciē quæ Ambvlatio dicitur, explicauimus; additis præceptis ad *Ambulationem Militarem* ritè inſtituendam ac perficiendam opportunis. Sed quoniam Ambvlatio, ſicut & Cvrsvs, Saltvs, Natatio, Salitio, quæ ſunt aliæ huius Exercitij partes ſubiectæ, ex eo ſunt rerum genere, quarum peritia, non tam longo verborum ambitu, & monito-

monitorum multiplicatione comparantur, quàm exercitatione ipsâ: Sic enim fabros fabricando fieri vulgati parœmiâ dicimus: & potentiarum ac inſtrumentorum, quibus fieri ſolet, motu; idcirco, ne quid deſideretur ad hanc quoque Militaris facultatis praxim; & ne theoriam tantùm tradamus ijs, quos æquè practicos eſſe Milites optamus, inueni poſt longam moroſamque diſquiſitionem, & conſultationem, quam in veſtri gratiam, eâ de re habui, modum, quo in ambulando, currendo, ac ſaliendo, ſaltando, immò natando vos militariter exerceã. Itaque, quoniam cælum paullatim niteſcere, auraque nobis arridere ac fauere incipit: ob contrarium enim hieme deſidere domi, & theoriâ contentos eſſe fuit neceſſe, educam vos ſingulis hebdomadibus, die deſtinato, ad Exercitium militare. Ad hunc finem, conueni cum ditiſſimo quodam ac nobiliſſimo Domino, & contractum inij locationis, quo, magnis, licet impenſis, conduxi *Campum* ampliſſimum, haud procul hinc diſſitum, vt eo vobis eſſet commodior.

CAMPVS iſte, eſt ad omnia Militiæ Chriſtianæ Exercitia, potiſſimùm tamen ad *Ambulationem* accommodatiſſimus: quippe longus & latus multis paſſuum millibus, vt ego & ſocius meus indiuiduus VRANIVS dimenſi ſumus. Habet in vnâ parte ad dexteram ingredienti ingentem Planitiem, Quam, vt pluribus ad ambulandum vſui eſſet, diſtinxi ad diuerſas vias conſtituendas palis acuminatis. quos bellè pictos, & emblematis exornatos ita collocaui, vt & latitudinem deſignent, & longitudinem. Quare poſt quoſlibet mille paſſus, erectos videbitis binos iſtiuſmodi palos, vbi ſubſiſtitur paullulum, quo facilius deinde fiat vlterior procurſio. Ad ſiniſtram occurrunt in eodem Campo, Colliculi, Monticuli, Rupeſque altiores: & inter illas Valles ac Foueæ. Hæc enim neceſſaria ſunt ad Exercitium Ambulationis militaris: quæ non ſemper fit in loco plano multo minus Saltus, Curſus, Salitio. Nec deſunt in hoc noſtro Campo aquarum receptacula, Lacus, Torrentes, & longo per mæandros tractu labens Fluuius, vt diſcatis, quod ad militarem peritiam ſpectat, vado flumen traijcere, vel nando, ſi nullibi vadum occurrat. Nam obtinui facultatem à Gymnaſiarcha huius Athenæi, vt omnes, qui me audiunt, dum calidiores erunt dies, impunè in hoc Campo natare poſſint: quod vt in Rheno fiat, dicitur ſub graui multâ, omnibus huius Gymnaſij Scholaribus eſſe prohibitum. Animaduertite, quæſo, Dilecti, quantoperè ego recreationes promouere ſtudeam. Sed nollem hoc temerè, apud iuniores maximè, vulgari: nam nimis multi confluerent, vobiſque fortaſſe prærogatiuam loci præriperent, quem ego vobis, non alijs, conduxi, liberalitate Patrisfamilias optimi, veſtrique amantiſſimi, & ad omnia ſtudioſorum cõmoda paratiſſimi, vt multis experimentis didici, qui nummos, locationis pretium rogatus, promptè ſuppeditauit: cui idcirco debetur laus, honor, gratiarum actio. nam redhibitionem pecuniariam, aut alterius doni non poſtulat, noſtrarum haud indigus opum, proprijs opulentiſſimus. Nomẽ illius ex epigrapha, & inſignibus genti-

gentilitijs, quæ ad ingreſſum Campi, in faſtigio altiſſimæ pyramidis, ſcutum deauratum ſuſtinentis collocaui proximè, cum Campum iteratò inſpexi, innoteſcet.

EO vos ego, quot ſeptimanis, vt promiſi, ducam: quilibet ſibi de calceis ad ambulandum idoneis prouideat. Si cui fortaſſe tantum non eſt in ære, vt nouos curare poſſit, me maturè adeat. Nam eiuſdem liberaliſſimi Domini munificentiâ, aliquot calceorum centuriæ ex optimo corio, vt aptarentur, mandaui, quos egentibus perquam libenter diſtribuam. Iam pruriunt quibuſdam haud dubiè pedes ad tam vtilem amænamque Ambulationem. Quid vetat, bone Pater, inquitis animo fortaſſe, hodie excurrere? Sit, quæſo te, hic primus Exercitij huius militaris dies. Eamus, Commilitones, ſumus animati, inſtructi, calceati, modò *Campus* deſignetur. Eo nos quàm primum conferemus, ac te Exercitij illius Magiſtrum præſtolabimur. Placet mihi equidem tanta in Auditoribus meis alacritas, quæ ne ſufflaminetur mora, eia agire, ſi parati eſtis omnes, ſit hodiernus Ambulandi primus dies. Iam hiems tranſijt, imber abijt, & receſſit. Flores apparuerunt in terra noſtrâ: tempus ambulationis aduenit. Eſt, & vocatur præſens Dominica Lætare: lætemur & exhilaremur in Domino. Satis ſeſſioni, ſatis tetricis cogitationibus, ſatis mæſtitiæ, per totam Quadrageſimam eſt datum. Sudum hodie cælum eſt, excurramus. Sed ne aberretis, indicandum prius, vbinam *Campus* ille ſitus ſit. Si dicam eſſe ad Orientem, non eſt ſatis; cùm multi in eâ plagâ occurrant. Si aſſeram eſſe transflumen, haud liquebit locus, quia plures inibi ſpectantur. Si adfirmem diſtare ab vrbe tribus leucis, dubietatem non tollam. Quare miſsis ambagibus, parergis, circuitionibus, dicam clariſsimè. excipite patulis auribus, & attentiſsimis mentibus.

Membrvm II.

Campus Ambulandi Militariter fit Christiano Militi

PASSIO CHRISTI.

Cuius dimenſiones expenduntur.

CAmpvs ad *Ambulationem* Militiæ Chriſtianæ maximè idoneus, quem parabolicè depinxi hactenus, eſt Passio Domini Nostri Iesv Christi. In eâ reperiuntur omnia quæcumq; obſcurè, ac velut per ænigma, in ſuperioribus poſui. De amplitudine, longitudine, & latitudine illius non licet ambigere, cùm non ſolùm contineat paſſuum aliquot millia, ſed ſine exaggeratione ſit *Infinitus* & *Immenſus*. Siue *Perſonam* ſpectes, ſeu compoſitum illud, aut *Hominem*, qui patitur, Christvm Iesvm, Dei Filium, Deo conſub-

ſtantialem: ſiue *Perpeſſiones*, quæ infinitatem quandam participabant: Siue *Satisfactionem* & *Merita*, quæ infinita fuiſſe pronunciant Theologi; quippe ſufficientia, tum pro infinitis hominibus redimendis, quod extenſionem ſpectat, ſeu longitudinem; tum pro criminibus in infinitum grauibus, ac enormibus ſatisfaciendis, quod ad latitudinem pertinet: ſiue denique *Virtutes* illas, quæ in Paſsione enituerunt, & in tali fuerunt perfectionis gradu, vt menſuram omnē imbecillitatis humanæ ſuperauerint. quod infinitatem ſonat.

VNICA illius CAMPI VIA, quam CRVX efficit, eius eſt longitudinis & latitudinis, eius quoque, quoniam in vallem excurrit profunditatis, eius denique, quia per montem producitur, altitudinis, vt ſit incomprehenſibilis ab intellectu creato. quod immenſitatem arguit, vel ſaltem totius Mundi magnitudinem continet, aut peruadit. I. Vt Sedulius exponit: *Summum* Crucis *ſiue Altitudo, eſt* Oriens; *Profundum ſiue imum, eſt* Occidens; *Cornu dextrum eſt* Septentrio; *Siniſtrum eſt Meridies.* Quo inſinuatur, ad quattuor Mundi plagas, totumque terrarum orbem Viā Crucis extendi, & ad eam pertinere ac vocari, & D. Baſilius monet: ideoque Gregorius Nyſſenus I. de Reſurr. CRVCEM vniuerſitatis vinculum appellat II. S. Hieronymus, *Sublimitas*, inquit, *eſt Cælum, profundum eſt Infernus: media longitudo & latitudo eſt acceſſus ad vnum vel alterum.* Item quàm eſt amplus ille ambulandi Campus! III. In quo etiam longitudo Viæ Crucis, eſt æterna eius *Prædeſtinatio*: Latitudo, eius *Vis* ac *Virtus*, quæ ad omnes omnium temporum homines ſe extendit: *Profundum*, Vis eadem ad infernum penetrans, cùm è limbo ac purgatorio animas Iuſtorum liberarit: *Sublimitas*, illa ipſa virtus, quatenus tum eaſdem, tum plurimas alias in cælū ſubuexit. IV. Aut, ſi magis placet, dic, in CRVCE, ſeu CRVCIFIXO, ſpectari *Longitudinem* DEI, nempe Decretum DEI æternum: *Latitudinem*, eiuſdem *Caritatem*, ac *Potentiam*: *Altitudinem*, Diuinitatis CRVCIFIXI *Maieſtatem*: *Profundum*, eiuſdem *Sapientiam*.

V. ADHÆC in CRVCE tanquam in viâ longiſsima, latiſsima, profundiſsima, altiſsima, conſidero Longitudinem, ſcilicet *Æternitatem*: eſt enim virtus Crucis æterna; &, vt multorum ſententia eſt, Lignum ipſum CRVCIS, in quo fixus fuit Saluator, velut Trophæum, in cælis æternùm perdurabit, ſicque DEVS, vt præclarè dixit quidam, *Æternabit ſuam* CRVCEM. Contemplor deinde Latitudinem, nempe *Potentiam*, quoniam per infirmitatem Crucis ac Mortis ſuæ Crucifixus potentiſsimos hoſtes vicit, ac contriuit. Admiror Sublimitatem, quæ *Maieſtatis* eſt index: nam CRVX ab omnibus adoratur. Perpendo denique Profundum, videlicet *Æquitatem*: non enim tam potentiâ, quàm ſummâ æquitate, & incomprehenſibili Sapientiæ artificio, CRVCEM ac MORTEM ſubijciens in Carne adſumptâ Chriſtus ſatisfecit DEO pro infinitis generis humani offenſis, Serpentis Tartarei fraude ac ſuggeſtionibus patratis, à ligno initio ſumpto, vt ſic qui in ligno vicerat, in ligno quoque vinceretur.

VI. VVL-

VI. VVLTIS aliàs huius viæ dimenſiones? Conſiderate CRVCIS CHRISTI *Profundum:* nimirum, *Intenſionem* dolorum, ac ignominiarum Chriſti Crucifixi. Menſurate *Longitudinem*, qua per triginta quattuor annos, quibus ferè vixit inter mortales, hanc CRVCEM, hos dolores, hæc tormenta immania, vel in corpore, vel in anima, vel in ſpiritu eos ſibi imminere prævidens, paſſus eſt. Percurrite *Latitudinem*, quâ ſcilicet omnibus membris, & animæ potentijs; ab omni hominũ genere, immò à DEO Patre, à quo fuit derelictus & omnia pœnarum genera paſſus eſt Chriſtus, omnibusque bonis, & fortunæ, & famæ, & honoris, & vitæ eſt ſpoliatus. Mente pertractate *Sublimitatem*, quâ Chriſtus Crucifixus per ſublimiſſimam conſiderationem, ac perfectiſſimam æſtimationem tum DEI offenſæ, tum Crucis & pœnarum ſibi illatarum ac inferendarũ, tum plurimorum hominum damnatorum, quibus omnes iſti cruciatus inutiles futuri erant, hæſit meditabundus: proindeque non tantùm in Cruce, ſed tota vita fuit diſcruciatus vehementer. VII. Denique. *Longitudo* Crucis eſt *Perſeuerantia*: *Latitudo. Caritas*: *Sublimitas, Religio*, Spes, Amor, ſumma cum DEO coniunctio: *Profundum, Prædeſtinationis* arcanum, & beneficiorum per Crucem diſtributio. Vnde meritò oriatur in homine per CRVCEM redempto timor, ac profunda humilitas. Monet autem præclarè D. Anſelmus libello de menſuratione Crucis, vt & nos in nobis CRVCIS viam complanemus, eamque faciamus longam, latam, profundam, ſublimem. CRVX, inquit, *eſt Cruciatus cordis quod DEO non meliùs ſeruiamus. Debemus ergo habere cruciatum, quod non tantum humiliamur, ô Domine, quantum debemus*: *& hoc eſt* Profundum Crucis. *Quod non tantum amamus* & laudamus Te, quantum bonitas tua exigit: & hæc eſt Sublimitas. *Quod non ſumus tam fideles. vt alios ad tuam laudem trahamus: & hæc eſt* Latitudo. *Quod non ſemper continuamus laudem: & hoc eſt* Longitudo.

MEMBRVM III.

CAMPVS PASSIONIS DOMINICÆ in diuerſas vias diſtribuitur.

TOTA Chriſti Domini PASSIO, tanquam extenſa quædam planities, diuiditur in diuerſas vias, quas conficiunt conſiderationes variæ, ſuo quilibet exordio, & inſcriptione, velut palis ſeiungendæ & ſignandæ. Cõſiderationum illarum materia, vel ſunt res geſtæ diuerſo tempore & loco. Quo pacto *Vnam* eamq; *Primam* viam conficit, *Loquutio, Ambulatio, Actio*, poſt Hymnum in cænaculo dictum, vſque ad Hortum. *Secundam*, quæ in Horto contigerunt. *Tertiam*, quæ à Captiuitate, vſque ad Annæ & Caiphæ conuentum

uentum occurrunt. *Quartam*, hiſtoria in prætorio peracta, & tranſmiſſio ad Herodem. *Quintam*, Condemnatio, Flagellatio, Illuſio. *Sextam*, Crucis baiulatio. *Septimam*, Crucifixio. *Octauam*, quæ in CRVCE ſunt dicta & facta.

II. VEL Conſiderationum variarum argumentum eſt Perſona, & eorum, quæ ſuſtinuit, multiplicitas, indeque effectus varij. Qua ratione, *Primam* viam facit Perſonæ Patientis circumſtantia. *Secundam*, Pœnæ, quas in anima ſuſtinuit. *Tertiam*, Dolores corporei. *Quartam*, ignominia, contumeliæ, iniuriæ, aliaque contra honorem. *Quintam*, Cauſſæ, efficientes & finales Paſſionis. *Sextã*, Effectus eiuſdem. *Septimam*, Fructus ex Paſſione ac Morte Domini colligi ab eius amatoribus conſueti. III. Vel conſiderationum de Paſſione obiectum, ſunt Virtutes. Quo quidem modo tot Viæ hoc in campo numerantur, quot virtutes in Paſſione Domini elucent.

HABET autem idem *Campus* Veros Montes, *Sion*, *Oliueti*, *Caluariæ*; veros *Colliculos* vrbis Ieroſolymitanæ; *Valles* ad montium radices, & *Ioſaphati*; Torrentem *Cedri*; *Villam Gethſemani*; *Hortum* illi vicinum; *Lacum* ſanguineum, in quo poſt flagellationem natauit Chriſtus; *Fluuium* eiuſdem humoris, colorisque à Latere profluentem, natationi generis humani deſtinatum. At conſideratione myſticâ & allegoricâ, in Campo Paſſionis *Montes* ſunt, Magnificentia, Liberalitas, altiſſima Contemplatio. *Vallis*, Humilitas. *Torrentes*, Calamitates, innumeræ, *Lacus*, tribulationum collectio. *Fluuius*, dolorum redundantia, & fluxus continuus.

CAMPVS is emptus eſt, & cultus impenſis locupletiſſimi Vrbis ac Orbis Domini: cuius etiam liberalitate ſuppeditatis meritorum nummis, locatur, ad exercendum ſub CRVCIS vexillo militantibus. Idem quoque egentibus, & in pietatis exercitatione minus verſatis ad ambulandum, meditandum, imitandum, calceos ex optimo, firmiſſimoq; corio Agni immaculati confectos, & eiuſdem adipe perunctos, ſanguine quoque ſuo purpuratas ocreas, id eſt, gratiam, promptitudinem, omniaque ad Exercitium militare neceſſaria inſtrumenta ſuppeditat, donatque gratis.

Quis ille ſit, Inſcriptio & titulus
Campi in Scuto amoris
Sculptus indicat. Eſt
autem iſte:

PASSIO

PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

IN hunc ingreſſi, quot ſeptimanis ſæpius, vſque ad Paſcha, horis deſtinatis, Exercitio ambulandi, currendi, ſaltandi, ſaliendi, natandi vacabimus. Sed ſine petito Magiſtro nemo facile artem militarem addiſcit. In Militiâ autem Chriſtiana tota perfectio diſciplinæ cõſiſtit in imitatione Magiſtri. Qui in hoc Campo eſt ipſe belli Imperator. Cuius vnicum eſt præceptum, ſed omnium inſtar: Ambula, vt me ambulantem, curre, vt me currentem, pugna, vt me pugnantem vidiſti. Quapropter Gregorius Nyſſenus epiſtola ad Harmonium, CHRISTIANISMVM definit Imitationem Magiſtri diuini. Et ad Olympum: *Quid*, ait, *oportet eum facere, qui magno Chriſti cognomine dignus effectus eſt? Vt omnia ſua tum cogitata, tum dicta, tum facta diligenter exploret, & vtrum eorum ſingula ad Chriſtum tendant, an ab illo ſint aliena diiudicet.* Nimirum, Chriſtus Dominus tribus de cauſſis venit in mundum. *Primò*, vt ſua nos morte redimeret. *Secundò*, vt ſuâ prædicatione doceret. *Tertiò*, vt ſuâ vitâ, ſanctæ vitæ daret exemplum, eſſetque ipſe omnis virtutis exemplar perfectiſſimum. Hoc videlicet eſt, Principis, & Ductoris, vitam ſuam ſubditis proponere, quaſi bellè pictam virtutis imaginem, quam imitando ſequantur, atque exprimant; quod feciſſe Ioſephum monet Philo Hebræus libro de Ioſeph: ſed multo perfectius CHRISTVS Dominus, cuius *Omnis actio, noſtra eſt inſtructio*. Ideoque S. Baſilius, Conſt. monaſt. cap. 2. & 5. vocat Chriſtum Chriſtianorum Exemplar, typum, archetypum, programma, quod quo magis intuentur, ac moribus exprimunt, eo Chriſto ſimiliores DEOque gratiores euadunt. *Inſpecie & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*, dicitur Exodi XXV. in monte videlicet Caluariæ à CHRISTO. Non habuêre in Militiâ profanâ ſtimulum magis acutum & efficacem, quo impellerentur ad omnia belli munia Tyrones ac Veterani, quàm exemplum Ductoris. Quare vt incitarent ſuos aliquando Imperatores, ipſi in campo exercebantur ad exemplum. Talis fuit *Scipio*, qui deinde dictus fuit *Africanus*, aliique non pauci ſuo loco laudati. Sed nullus eſt, eritque par CHRISTO, qui nihil planè exigit à ſuis, quod ipſe exemplo non docuit.

***

COM-

COMMENTATIO II.

PRAXIS

Ambulandi Militariter in Campo exercitatorio Paſsionis Dominicæ.

MEMBRVM I.

Quomodo ſit ambulandum vniuersè in Campo Paſſionis Chriſti.

INGRESSI ſumus Campum Paſſionis, vt exerceamur in ambulando. Quomodo autem eſt nobis militariter ambulandum? Vniuersè quidem, ſicut Chriſtus in illo ambulauit. Audite bellicum Chriſti præconem, qui eidem erat à ſecretis: *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Quæ eſt Ioannis Apoſtoli proclamatio & clariſſimus eius eſt ſenſus, Epiſtola 1. cap. 2. Qui in Chriſti manet exercitu, qui ſub illius vexillo militat, qui ſe profitetur Militem Chriſtianum, debet in Exercitio ambulationis ipſius exemplum ſequi. Quid autem *eſt Ambulare, ſicut ille ambulauit*? quærit B. Proſper Aquitanicus, 2. de Vita Contemp. cap. 21. & reſpondet benè, *niſi contemnere omnia proſpera, quæ contempſit: non timere aduerſa, quæ pertulit: docere quæ docuit, ſperare quæ promiſit: præſtare beneficia etiam ingratis: non retribuere ſecundum merita maleuolis?* Ambulare ſicut ambulauit Chriſtus, *eſt, orare pro inimicis, miſereri peruerſis, inuitare aduerſos, æquanimiter pati ſubdolos atque ſuperbos: denique, iuxta verbum Apoſtoli,* Mortui ſimus carni, vt dumtaxat Chriſto viuamus. *Quemadmodum enim carne mortuus nulli detrahit, nullum aduerſatur aut deſpicit, nullius pudicitiam callidâ circumuentione corrumpit; non inuidet, non adulatur, non ambit; ſic qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs, nulla horum poſſunt agere vel pati.* Piè doctèque S. Auguſtinus lib. de vera religione cap. xv. demonſtrat, quod Verbum ſit factum Caro, hoc fine, vt viam virtutis doceret, non vi cogendo, ſed Exemplo præeundo. Dum enim tam per totam vitam, quàm in Paſſione potiſſimùm omnia mundi bona contempſit, eadem contemnenda docuit: dum omnia vitæ mala ſuſtinuit, ſuſtinenda monſtrauit, & ad eadem impulit.

DOCTRINA DEVS *apparebat, ætatibus homo.*

homo. Satellites voluptatum diuitias perniciosè populi appetebant; pauper eſſe voluit. Honoribus & imperijs inhiabant: Rex fieri noluit. Carnales ſuos filios magnum bonum putabant: tale coniugium, prolemq́ contempſit. Contumelias ſuperbiſſimè horrebant: omne genus contumeliarum ſuſtinuit. Iniurias intolerabiles arbitrabantur: quæ maior iniuria quàm iuſtum innocentemq́ damnari? Dolores corporis execrabantur: FLAGELLATVS *atque* CRVCIATVS *eſt. Mori metuebant: morte mulctatus eſt. Ignominioſiſſimum genus mortis* CRVCEM *putabant:* CRVCIFIXVS *eſt. Omnia quæ habere cupientes non rectè, non rectè viuebamus, carendo vilia fecit. Omnia quæ vitare cupientes à ſtudio deuiabamus veritatis, perpetiendo deiecit. Non enim vllum peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur ea, quæ ille contempſit, aut fugiuntur, quæ ille ſuſtinuit. Tota itaque* Vita eius *in terris, per hominem, quem ſuſcipere dignatus eſt, Diſciplina morum fuit.*

AD eundem modum generatim ambulandi, ſicut CHRISTVS ambulauit, hortatur Petrus Apoſtolus centuriæ noſtræ primipilus. 1. Epiſt. 2. 21. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exēplum, vt ſequamini veſtigia eius:* id eſt, pedes veſtros in ijſdem ponatis veſtigijs, ſeu ambuletis ſicut ille: nullus enim tam perfectè ambulat ad modum alterius, quàm, qui veſtigia illius obſeruat & premit. Eſt autem honorificum Militi Chriſtiano, quod inuitetur ad geminam cum Imperatore ſuo Ambulationem. *Magna dignitas eſt, DEVM imitari, Hoc eſt,* inquit D. Ambroſius, de Abrah. cap. 2. *quod pro magno inter ſeptem ſapientū dicta celebratur:* Sequere DEVM. *Sic Abraham facto præuenit dicta Sapiētum, & ſecutus DEVM, exiuit de terra & cognatione ſua.* Porrò, gratiſſimum DEO eſſe Exercitium ambulandī, ſicut CHRISTVS ambulauit, ita conficit S. Cyprianus. Tract. de zelo, ac liuore. *Si hominibus lætum eſt, & glorioſum, filios habere conſimiles, & tunc magis generaſſe delectat ſi ad patrem lineamentis paribus ſoboles ſubſiciua reſpondeat; quanto maior in DEO Patre lætitia eſt, cùm quis ſic ſpiritualiter naſcitur, vt in actibus eius & laudibus diuina generoſitas prædicetur?* Quare monet, verba ſumens Apoſtoli: *Qualis cæleſtis, tales cæleſtes: Quomodo portauimus imaginem eius qui de limo eſt, portemus & imaginem eius, qui de cælo eſt. Imaginem autem cæleſtis portare non poſſumus, niſi in eo, quod eſſe nunc cœpimus, Chriſti ſimilitudinem præbeamus. Hoc eſt enim mutaſſe quod fueras, & cœpiſſe eſſe quod non eras, vt de te diuina natiuitas luceat: vt ad Patrem DEVM Deifica diſciplina reſpondeat: vt honore & laude viuendi DEVS in homine clareſcat, ipſo exhortante, & eis qui ſe clarificant, vicem mutuam pollicente. Eos,* inquit ipſe, *qui clarificant me, clarificabo,* Ioannis XII. Itaque Academici Chriſtiani, quia Milites Chriſti, *Ambulate ſicut* CHRISTVS *ambulauit:* procedite de virtute in virtutem; ſicut Chriſtus creſcebat ætate & gratia apud DEVM & homines: nunquam ſubſiſtite, donec ad faſtigium Caluariæ perueneritis, in CRVCE ſtationem habituri. Præclarè S. Leo Sermone ſecundo de Qua-

de Quadrageſima: *Hæc eſt perfectorum vera iuſtitia, vt nunquam præſumant ſe eſſe perfectos, ne ab itineris nondum finiti actione ceſſantes, ibi incidant in deficiendi periculum, vbi proficiendi depoſuerint appetitum.*

MEMBRVM II.

Quomodo ſit ambulandum in Campo Paſſionis Chriſti per viam Caritatis.

IAM ſigillatim Vias, per quas Chriſtus in Paſſionis Campo ambulauit, ingrediamur. Neque enim per omnes alias, quas Dominus percurrendo emenſus eſt extra hunc Campum nobis eſt incedendum. Vt autem agnoſcatur, quæ-nam ſint illæ Viæ, præluxit nobis Doctor Angelicus, qui ſcripſit Opuſculum, quod eſt numero ſexageſimum ſecundum, de Diuinis moribus, in quo docet, quos Mores DEI, & quomodo imitari debeamus, quos verò non. Non eſt imitandus, ſed admirandus DEVS, *Primò*, quod ipſe ſolus occulta cordium ſcrutatur. *Secundò*, quod ſolus ſeipſum perfectè cognoſcit, omnibus alijs vt ineffabilis, ſic incomprehenſibilis. *Tertiò*, quod ipſe ſolus ſibi ſufficit, & non indiget vllo extrinſeco. *Quartò*, quod ab ipſo ſolo omne bonum procedit: omniũ beatitudo in ipſo ſolo conſiſtit. *Quintò*, quod ipſe ſolus habet immortalem, & inhabitat lucem inacceſſibilem. *Sextò*, quod ipſe ſolus de nihilo fecit aliquid: ipſe ſolus in eſſe conſeruat omnia. *Septimò*, quod ipſe ſolus peccata condonat. *Octauò* quod ipſe ſolus ſciat diem iudicij, ac numerum Electorum. *Nonò*, quod ipſi ſoli debeatur honor & gloria. At verò, oportet nos imitari, *Primò*, DEI Immutabilitatem, per conſtantiam in aduerſis & proſperis. *Secundò*, Præſcientiam, per prouidentiam nouiſſimorum. *Tertiò*, Æquanimitatem, vt nullo triſti caſu turbemur. *Quartò*, Veracitatem, Sinceritatem, Patentiam, Clementiam, Caritatem, ſimileſque virtutes. Nihil autem eſt dignius, quàm vt homo ſui Conditoris ſit Imitator, ac ſecundum modum conuenientem Creaturæ, exequutor. Monet idem S. Hieronymus, alijque Patres, qui DEVM ad imitandũ hominibus proponunt, dicuntque, hominem non poſſe DEVM imitari in potentia, magnificentia, ſcientia ac iſtiuſmodi alijs, ipſi proprijs attributis, poſſe tamen in Caritate, manſuetudine, longanimitate, ſimilibusq́, à longè ſequendo. Hinc Chriſtus, vt obſeruat S. Auguſtinus, Serm. x. de verbis Domini clamat, *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me*, non mundum fabricare, nõ cuncta viſibilia & inuiſibilia creare, non ipſo in mundo mirabilia facere, & mortuos ſuſcitare, ſed, *quoniam mitis ſum & humilis corde.* Iam verò,

PRIMA in Campo Dominicæ PASSIONIS eſt *Via Caritatis*, ſeu *Dilectionis* aut *Amoris*; nam idem hæc ſignificant dum differitur de Chriſto in genus humanum

humanum affectu beneuolo. *Via* autem iſta eſt *longa, lata, profunda.* & *alta,* ſeu *ſublimis.* Certè, Paulus Apoſtolus, ad Eph III. 19. nominat ſupereminentem Scientiæ Caritatem Chriſti, id eſt, Caritatem, quæ ſupereminet ac præſtat ſcientiæ: vt ſenſus ſit, Caritatem Chriſti, ſeu, quam Chriſtus nobis exhibuit; in PASSIONE potiſſimùm, eſſe maiorem, quàm vt comprehendi, ſciri aut intelligi plenè poſſit. Nimirum, Caritas Chriſti tanta fuit, vt ſuperet omnem cognitionem ac ſcientiam humanam. Quamobrem S. Ambroſius inueſtigans ſenſum Apoſtoli, ſic ſcribit: *Poſt DEI Patris infinitam & incomprehenſibilem cognitionem, & inenarrabilem clemētiam, Chriſti quoque vult nos agnoſcere caritatem, quæ ſupereminens eſt ſcientiæ. Quis enim poteſt colligere myſterij huius Caritatis rationem, vt & DEVS hominis cauſſa homo naſcatur, deinde moriatur pro hominibus: pro ſeruis Dominus pro creaturis Creator, pro impijs pius?* Porro *Longitudo* huius viæ, ſeu Caritatis CHRISTI PATIENTIS, eſt eius *Continuatio*, ac iugis conſtansque perſeuerantia: *Latitudo* eſt *Extēſio*, quâ ſe amor Domini ad omnes, tam Angelos, quàm homines, tam inimicos, quàm amicos, cunctas deniq; creaturas diffudit. *Profundũ* eſt eius *Intenſio* ac feruor. *Altitudo* eſt illius *Excellentia*, & actus heroici. Vel *Altitudo* eſt illius *Obiectum* ac eleuatio, quâ Caritas ad vnum DEVM altiſſimum eleuatur, & ſub eo flocci facit ac contemnit omnia.

HÆC autem Via in multas eiuſdem denominationis diſpeſcitur, cùm virtute ſit multiplex. Vel, ſi lubet, dic vnius Viæ multas eſſe *Semitas*, per quas fit Ambulatio: idemque in alijs contingit. Singulæ autem Viæ (quod diligenter obſeruandum) per totum PASSIONIS Campum extenduntur, tum quoad longitudinem, tum quoad latitudinem. Quare qui per vnam ambulat, cenſetur totam perambulare PASSIONEM, cùm in ſingulis tota contineatur: nec plus in vna ſit, quàm in altera, aut in omnibus, licet magis expreſsè vna aliquid habeat, quàm alia. Concipite igitur in PASSIONE Dominicâ, tanquam in Campo ampliſſimo, caput multarum *Semitarum*, cuius inſcriptio ſit in columnâ altiſſimâ, VIA CARITATIS in duodecim traduces excurrens, quas ſignent ſinguli pali rubricâ colorati, in quorum *Primo* hoc legitur, SEMITA CARITATIS ÆTERNÆ: in ſecundo, CARITATIS PRINCIPALIS: in tertio, VOLVNTARIÆ: in quarto, LIBERALIS: in quinto, VNITIVÆ: in ſexto, VTILIS: in ſeptimo, MAGNÆ: in octauo, SINGVLARIS: in nono, CONVENIENTIS: in decimo, EFFICACIS: in vndecimo, PERSEVERANTIS: in duodecimo, REFLEXÆ.

POST duodecim has *Semitas*, ſeu Vias particulares, quarum tres ſunt ad Orientem, tres ad Occidentem, tres ad Auſtrum, & tres ad Aquilonem, conſtituo in Campo PASSIONIS Viam Caritatis Regiam, longam & latam, quæ per modum CRVCIS ducatur per omnes illas ſemitas, ita, vt habeat quattuor partes ad totidem mundi plagas protenſas, & dicitur VIA CARITATIS INCOMPARABILIS. Per omnes has *Semitas* ambulauit cum CRVCE CHRISTVS PATIENS: adhibens circumſtantias omnes Ambulationis militaris, quas in ſuperioribus

explicauimus, vt Milites ſuos ad exercitium ambulandi per eaſdem exſtimularet. Et ambulauit tam *Celeriter*, vt ipſius in Viâ Caritatis exercitatio dici poſſit CVRSVS. Quod fortaſſe indicatur ab Euangeliſta Luca, qui colloquium Domini Saluatoris; quod in Monte Thabor cum Moſe & Helia habuit, referens, Chriſti Paſſionem, nomine EXCESSVS adumbrauit, vel expreſſit. *Erant*, inquit, *Moſes & Helias, viſi in maieſtate, & dicebant* Exceſſum, *quem completurus erat in Ieruſalem.* Tota PASSIO CHRISTI fuit EXCESSVS, Ambulatio, procurſio, progreſſio, ſed exceſſiua, vt loquitur Lyranus, propter exceſſiuam caritatem. Et ſanè, quamuis in Paſſione fuerit *Exceſſus* crudelitatis, pœnarum, dolorum, contumeliarum, multo tamen maior fuit amoris ſiue caritatis. Nam ſi *maiorem dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam quis ponat pro amicis*; Ioann. 15. Exceſſiuus erit Amor, ſi vita ponatur pro inimicis.

MEMBRVM III.

AMBVLATIO MILITARIS

per Semitam Caritatis Æternæ.

INTER vias peculiares, aut Semitas Viæ huius regiæ Caritatis, PRIMA ſignatur hac inſcriptione CARITATIS ÆTERNÆ. Profectò, PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI fuit *Ambulatio*, egreſſio, *Exceſſus* amoris æterni. Epigraphen hanc concepit Ieremias Propheta, aut potius illi dictauit is, qui ambulaturus erat per hanc viam. Audite conteſtantem: *Caritate perpetua dilexi te: ideò attraxi te miſerans*, Ierem. XXXI. Non eſt quidem ab æternitate paſſus Chriſtus DEI Filius, qui non niſi in tempore factus eſt homo paſſibilis; tamen Verbum æternum ab omni nos æternitate dilexit, ac homo fieri, pati, mori pro ſalute noſtra decreuit. Hæ ſunt cogitationes illæ antiquæ, quas Antiquus dierum habuit, de quibus Iſaias Propheta, cap. XXV. *Domine DEVS meus es Tu, & exaltabo Te, & confitebor nomini tuo; quoniam feciſti mirabilia, cogitationes antiquas, fideles, Amen.* Q. d. laudabo & gloriam dicam nomini tuo, quoniam fideliter exequutus es operibus admirandis cogitationes omnes ac determinationes, quas ab æterno de ſalute hominum habuiſti vt Euſebius interpretatur, lib. 2. demonſt. Euang. cap. 32. Abſconſæ prius & abditæ erant cogitationes illæ in DEO, ſed quando *apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri DEI humanati*, & ſe in ſublimi CRVCIS arbore intuendum præbuit, manifeſtatus fuit Amor tam diu abditus, & ad ſui amorem videntes contemplanteſq́; allexit, qui meritò in laudem tam beneuoli amatoris non linguam modò vnam, ſed membra corporis omnia, & quaſcumque habent animæ potentias reſoluunt.

HIC perpendendum eſt, Amorem hunc,

hunc, quo ab omni æternitate Verbum Patris ab æterno complexus eſt genus humanum, tam fuiſſe exceſſiuum, vt quo illi ſatisfaceret, voluerit iam inde à mundi exordio Myſteria PASSIONIS ſuæ tot figuris repræſentari, quot erant ſacrificia, ritus, ceremoniæ Legis antiquæ, vt ea intuendo, in ijs haud aliter quàm in re quæ ſibi maximè cordi ſit, quamque ſummopere deſideraret eſſe coram, ſeſe quodammodo oblectaret. Videtur hoc ſignificaſſe Magnus Papa Leo (Serm. 3. de Paſſione) dum agens de PASSIONE Domini aſſeruit: *Huic Sacramento vniuerſa præcedentium ſeculorum myſteria ſeruierunt; & quicquid hoſtiarum differentijs in propheticis ſignis, & legalibus inſtitutis ſacra diſpenſatione variatum eſt, hoc prænunciauit diſpoſitum, hoc promiſit implendum.*

SIC intelligetis, quomodo AGNVS dicatur *occiſus ob origine mundi*, Apocalypſis XIII. Nempe, iam olim, ab initio, ante omnia, ab omni æuo, clariſſimè, *ab æterno*. Tunc enim, vt occideretur, fuit decretum: tunc fuit præſcitus, & ad id prædeſtinatus à DEO: quoniam meritò Paſſionis eius omnes Electi prædeſtinati ac ſcripti ſunt in libro Vitæ, quem Agnus aperuit. Ita Paulus Apoſtolus ad ad Timotheum ſcribens. (*a*) ait, DEVM dediſſe, id eſt, dare decreuiſſe, & prædeſtinaſſe nobis ſua dona ante tempora ſecularia. (*b*) Sæpe enim in Diuinis paginis, idiotiſmo Hebraico, verba realia pro mentalibus ponuntur. Vel AGNVS *occiſus eſt ab origine mundi*, non in ſe, ſed in typis ac figuris: nimirum in Sanctis Patriarchis & Prophetis, qui fidei ac pietatis cauſsâ occiſi ſunt; ac Sacrificijs Mortem Chriſti præfigurãtibus. *Primò*, in Sacrificio Abelis Geneſ. IV. qui obtulit primogenita ouium, ſiue agnos, Domino: proinde DEO placens, ipſemet, quaſi Agnus innocens factus eſt victima DEO, cùm à parricida Cain trucidatus, primus extitit orbis Virgo ac Martyr. *Secundò*, in *Ariete*, ſeu Agno maſculo, quem Abraham pro Iſaaco filio ſubſtituit, ac immolauit. Conſideramus enim haud vanè, in Paſſione Domini pro DEITATE, ſubrogatam eſſe, paſſam, ac immolatam humanitatem. *Tertiò*. in Agno Paſchali. Siquidem.

Paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus.
AGNVS *redemit oues.*
CHRISTVS *innocens Patri reconciliauit peccatores.*

Quartò, in iugi Sacrificio. Quotidie enim Hebræi ex Lege in Exodo lata immolabant DEO, tam mane quàm veſperi Agnum Exodi XXIX 38. Atque hoc eſt Sacrificium matutinum & veſpertinum, cuius frequens eſt mentio in Pſalmis & Prophetarum vaticinijs. *Quintò*, in alijs ouibus & Agnis, qui ex lege DEI omnibus feſtis offerendi erant. Comparatur Chriſtus Agno, Iſaiæ LIII. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuũ. Sicut Ouis ad occiſionem ducetur. Et quaſi* AGNVS, *coram tondente ſe obmuteſcet: & non aperiet os ſuum.* Ieremiæ XI *Ego quaſi* AGNVS *manſuetus qui portatur ad victimam.* Et à Ioanne Baptiſta promulgatus fuit AGNVS *tollens peccata mundi*, Ioannis I.

(a) 1. *ad Timoth.* 1. 9. (b) *Hugr, Guagnin. Valentia* 3. *p. q.* 19. *diſput*, 1. *p.* 3. *Vaſquez* 3. *p. diſp.* 77. *num*, 66.

PIE ac elegãter multa punctim complectens S. Paulinus Epiſt. XXVII. ad Aprum. *Ab initio ſeculorum* CHRISTVS *in ſuis patitur & triumphat In Abel occiſus à fratre: in Noë irriſus à filio: in Abraham peregrinatus: in Iſaac oblatus: in Iacob famulatus: in Ioſeph venditus: in Moſe expoſitus, & fugatus: in Prophetis lapidatus & ſectus: in Apoſtolis terra mariq́ iactatus: in Martyribus toties & tam variè occiſus. Ipſe & in te patitur opprobria, & ipſum in te odit hic mundus. Sed gratias ipſi, quod vincit cùm iudicatur & triumphat in nobis.* Hæc *Semita Caritatis æterna* nobis eſt terenda planris deſiderij. Nam aliter non poſſumus, quia ab æterno non fuimus. Itaque ſic nobis progrediendum eſt: hic eliciendus actus, qui CHRISTO DEO-HOMINI eſt gratiſſimus. O CHRISTE pro me Crucifixe, ſi fuiſſem ab æterno, Te dilexiſſem, ab æterno nõ aliud, quàm Te amaſſem, ab æterno erga Te caritatem fouiſſem. Sed quoniam in tempore eſſe cæpi, non niſi temporariam caritatem habere potui. At vtinam! nullum fuiſſet eſſetque tempus in quo te non amarem. Tardè Te amare cæpi, ô Caritas antiqua! ô Amor æterne! Adfulge Sol, fons amoris. Quod defuit à parte anteriori, ſupplebit poſterior. Amabo Te in æternum, quia ero in æternum.

MEMBRVM IV.

AMBVLATIO MILITARIS

Per Semitam Caritatis Principalis.

SECVNDA Semita ſuperiori proxima præferebat nomen CARITATIS PRINCIPALIS. Siquidem PASSIO CHRISTI fuit *Exceſſus amoris* verò *Principalis*, id eſt, nobilis, generoſi, illuſtris, ac talis, quæ parem non habeat, ideoque incomparabilis. Certè, quod Vulgarus Intetpres vertit in Epiſtola ad Romanos, cap V. *In hoc commendat DEVS Caritatem ſuam in nobis, quoniam cùm peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, reddi poſſet Latinè iuxta emphaſin loquutionis Græcæ: In hoc noſcibilem, nobilem, illuſtrem facit caritatem ſuam. Quaſi amor Filij DEI, quo homo factus, pro nobis paſſus eſt, quamuis in ſe fuerit nobiliſſimus, per CRVCEM tamen in nobilitate ac æſtimatione magis magisque ſit auctus. Cùm enim potuiſſet modis alijs penè infinitis genus humanum redimere & ſaluare, idque ſummâ facilitate, voluit tamen, vt nobiliſſimum ſuum amorem demonſtraret omnem ſuum ſanguinem, ſpiritum & vitam in ligno maledictionis effundere, Et pro quibus? Pro ingratis, impijs, malefactoribus. Res mira, quæ in ſtuporem dedit Paulum Apoſtolum. *Vt quid enim*, inquit, *Chriſtus pro impijs mortuus eſt. Vix enim pro iuſto*, hoc eſt, ſancto *quis moritur. Nam pro bono*, hoc eſt, beneuolo, amico, benefactore, *forſitan quis*

audeat mori, ad Romanos v. c. 7. Sic *Codrus*, *Decij*, *Sampſon*, pro patria ſua ſibi bona, id eſt, beneficâ, mortem oppetiuerunt. Sic *Leonidas* Rex Lacedæmonum, cum trecentis in caſtra Xexis irrupturus ad certam mortem: Ego, inquiebat, nomine tenus vada pro Græcis pugnaturus, ſed reipſa pro patria moriturus. Tum ad ſuos conuerſus; prandete commilitones quaſi apud inferos cænanaturi. itaque in hoſtes irrumpens, ac fortiſſime dimicans occubuit. Sic *Curtius*, ſic alij apud Romanos pro beneuolis mortui ſunt. At quis pro capitalibus inimicis?

ILLE, qui in hoc nobilitauit caritatem ſuam. O Amorem verè generoſum, illuſtrem, tranſcendentem. Qui nobilis licet ad ignobilia, & quamuis principalis ad ſeruilia ſe demiſit, *formam ſerui accipiens*, ad Philip. II. vt ſeruos nobilitaret. Veniens idcirco, *non miniſtrari*, ſed *miniſtrare*, Luc. XXII. lauans pedes Diſcipulorum ſuorum in nouiſſima cænâ, à quibus humili obſequio honorandus fuiſſet. Quid? quod Apoſtolus eum ſignificat ad tantam deueniſſe abiectionem, vt mundo pro Scopis deſeruierit, emundando ſcilicet ignominioſiſſima morte ſua maculas ſordesque ſceleratorum hominum, *purgationem peccatorum faciens*, Hebr. c. 1. Quæ omnia ab amore Principis nobili proueniſſe nullum eſt dubium, & ſatis inſinuat Ioannis Principis intimus, quando priuſquam aſſereret, Chriſtum lauiſſe nos *à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*, extulit amorem eius eximium, quem cùm ſatis declarare non poſſet, verbulo contentus, dixit: *Dilexit nos*, Apocalypſis I. dilectione videlicet illa principali, qua ſe abiecit, nos erexit, & *fecit nos regnum & Sacerdotes DEO & Patri. Ipſi gloria & Imperium in ſecula ſeculorum. Amen.*

PER hanc *Semitam Caritatis Nobilis* ambulandum eſt Militi Chriſtiano imitationis pedibus, quibus ſubijciat, & calcet, velut Rex, amorem omnem vilem, plebeium, ruſticanum, beſtialem, carnis, ſordium, voluptatum, turpitudinum, laſciuiæ. Deinde, generoſo quodam animi impetu procurrendum illi eſt ad contemptum rerum temporalium, terrenarum, & humanarum omnium. Præterea, illuſtri quodam mentis altiſſimæ decreto extendendus eſt animus ad cæleſtia, æterna, diuina. Adhæc, eiuſdem Caritatis inſtinctu, ambienda eſt DEI ſeruitus, quæ regnis omnibus eſt nobilior. Huius appendices ſunt. optare CRVCIFIXI amore, contemni ab hominibus, pati ad illius exemplum, non contentum famuli nomine, adſciſcere etiam Mancipij: vilia opera libentiſſimè exequi: cum pauperibus perquam amanter agere: in noſocomijs frequentius, quàm in magnatum ædibus verſari: denique, CRVCEM CHRISTI cum contumelijs, opprobrijs, cruciatibus promptus amplecti, quàm Mundum cum honoribus, delicijs, dignitatibus. Hoc eſt, amare CHRISTVM PASSVM *Caritate Nobili*.

* * *

MEM-

MEMBRVM V.

AMBVLATIO MILITARIS per Semitam Caritatis Voluntaria.

TERTIA eſt hæc in Paſſionis Campo Caritatis *Semita*. Huius enim etiam Exceſſus fuit PASSIO, planè ſpontanea, non coacta Et enim Paſſus eſt quia voluit: voluit autem, quia amori ſuo ita placuit. *Oblatus eſt*, inquit Iſaias, cap. LIII. *quia ipſe voluit*: & Dominus de ſe: *Ego pono animam meam*, Ioann. x. *Nemo tollit eum à me, ſed ego pono eam à me ipſo*. Et per Oſeam aſſeuerantec dixerat, c. XIV. *Diligam eos ſpontaneè*. Voluntario amore homines creârat, voluntariè ex ijs quoſdam elegerat, ſanctificauerat, prædeſtinauerat, voluntariè pro omnibus mortem oppetere voluit.

DICENDVM nobis quoque, vt in hac *Semita* militariter ambulemus: *Voluntariè ſacrificabo tibi* Pſalm. LIII. 2. O Chriſte! Voluntariè peccatis in adoleſcentiâ, dum voluptatibus frui poſſem, renunciabo: voluntariè emendationem vitæ inſtituam: voluntariè ad templum ibo; non vt ſeruum pecus ducar, aut protrudar: voluntariè genu vtrumque in nuda humo ad defatigationem vſque & callum ponam: voluntariè quot ſeptimanis confitebor, voluntariè quot menſibus ſynaxim vſurpabo. Voluntariè inimicis illatam mihi iniuriam condonabo: voluntariè à cibis vetitis abſtinebo: voluntariè ieiunabo; voluntariè Te ſequar, CRVCEM amplectar, nudus nudum imitabor, paupertatem colam Voluntariè caſtitatem illibatam ſeruabo, obedientiæ iugo collum ſubmittam: voluntariè, ſi ita volueris, Domine, pro Te animam meam ponam: voluntariè ſacrificabo Tibi.

MEMBRVM VI.

AMBVLATIO MILITARIS per Semitam Caritatis liberalis.

QVARTA *Semita* eſt *Caritatis Liberalis*: eius enim, aut potius prodigæ, vt abſit tamen à prodigalitate illa omnis vitioſitas, eſt PASSIO *Domini*. Sigillatim expende corporis patientis membra, & quicquid in ijs; tum animæ potentias, & in ijs, quæ continentur qualitatis, actus, habitus, dedit omnia. Aſpice, poſt corporis & ſanguinis pabulum, quo Apoſtolus in vltimâ Cænâ opiparè ſaginauit, Hortum doloris ſui, vt expiaret in horto com-

miſſum

miſſum ſcelus, ſudore, lacrymis, ſanguine copioſiſſimè rigauit, Iudæ proditori maxillam ad fœdiſſimi oris oſculum ſpõte expoſuit, armato militi vltro vinciendum ſe obtulit, Malcho percuſſori aurem reſtituit, membrum corporis nullum, ſiue ad columnam alligatus à flagellis, ſiue in prætorio coronatus à ſpinis eximere voluit: baiulando Crvcem viam vniuerſam ſanguine inſtrauit: in Crvce, non veſtibus, non linguæ, non pedibus, non manibus, non poſt mortem lateri pepercit: deníque, omnia in ſalutem noſtram, vt ſic loquamur, prodegit. Quanta fuit illa liberalitas, vt cùm vnica lacrymulâ pro cunctis humani generis malis poſſet facillimè ſatisfacere, voluerit tamen, abundanter & ſuperabundanter redemptionis humanæ precium adnumerare? Profectò, *apud Dominum* Chriſtum *miſericordia, & copioſa apud eum fuit redemptio*, Pſal. cxxix. Quàm liberalis Caritas eſt iſta, vt cum vna Sanguinis guttula, ad hominum innumerabilium, ſi eſſent, redemptionem ſufficeret, voluerit profundere Sanguinis innocui fluuios, ſi non maria: certè mare fuit ſanguineum æſtimatione ac precio, quod è Latere Crucifixi exiliuit. Et *non gutta, ſed vnda ſanguinis fuit*, inquit Bernardus, Serm. xxii. in Cant. *quæ per quaſcumque corporis partes emanauit.*

Qvam pauci hic Chriſti inſiſtunt veſtigijs! Sunt penè omnes tenaces, auari, ſordidi, cum Deo aliquid dandum; nullam vitæ, nullam animæ, nullam corporis partem liberaliter Saluatori ſuo conſectant, nihil liberali manu offerunt, nihil quod indebitum eſt, præſtant, nihil ſine remuneratione donant, nihil ſine retributione, aut illius ſpe faciunt, nihil in Dei gratiam profundunt: viles Animæ fatuis ſimiles Virginibus. Alia ratione in Paſſionis Campo ambulauit cum Crvce Christvs; neque per has ſolùm Caritatis ſemitas, verùm alias quoquoque, ſignatas nominibus, *Vnitiua, Vtilis, Magna, Singularis, Conuenientis, Efficacis, Reflexa, Perſeuerantis*; nam hæc omnia ſunt epitheta Amoris in Paſſione nobis exhibiti, vt alibi fuſius explicamus.

Membrvm VI.

AMBVLATIO MILITARIS

Per viam Regiam Caritatis Incomparabilis.

Via regia & ampliſſima, quæ ſemitas omnes has vel complectitur, vel peruadit, eſt *Caritatis Incomparabilis.* Qualibet enim Caritas Chriſti Patientis, quomodocumque tandem cognominetur, comparationem omnẽ ſuperat. Hic conferendus eſſet Amor Chriſti triumphalis cum amore hominum ab omni æuo, tum apud ſacros, tum profanos, ſiue ab illo affectu, ſiue à verâ virtute celebrium; & poſt quamlibet collationem, acclamare Chriſto oporteret, O Amorem, Amatoremque Incomparabilem! Admiranda molitur,

 gentar,

tentat, patrat Amor. *Omnia vincit Amor*, canebat quidam, nemo negat: nihil Amori eſt inſuperabile, quia nihil ei videtur magnum, nihil longum, durum nihil. Iacob Geneſis XXIX. amore Rachaelis ſibi caræ, vt eius potiretur connubio, quattuordecim annos totos Labano ſeruiuit ſeruitutem duriſſimam, & tamen *videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine.* Sichem circumciſionem diram non abnuit, amore inſtigante, aſpirans ad Dinæ nuptias, Geneſis XXXIV. Quid non impuris quibuſdam operatus eſt *Amor*? Fuit, (*a*) qui amore amens è feneſtrâ amicæ ſe ſuſpendit. Alius ante amicæ fores laqueo pependit, alius ſe præcipitauit à tecto, alius ferrum adegit in viſcera. Vidit Phlangon meretrix Mileſia Colophonium iuuenem pronum ad pedes gladio in pectus minante niſi læſa ignoſceret. Honeſtior fuit moriendi ex amore cauſſa, quando Alceſtes mariti vitam morte ſua redemit. (*b*)

Memorant ſubeuntem fata mariti
Alceſtem. (*c*) ———

cùm pro Athenis *Codrus*, pro Roma *Curtius*, vterque pro patria vitam ſuam impetu in hiatum inſilijt vt vrbem amicam ab hiatu liberaret: cùm fratrem Pollux alternâ morte redemit: & vt ſacrorum quoque noſtrorum ſimus memores, cum Dauid adoleſcens morti ſe imminenti obiecit, impar Goliatho, pugnaturus cum gigante, vt à pugna periculoſa Iſraëlitas ſubduceret: cum Iuditha ad Holophernem cum extrêmo periculo ingreſſa eſt, vt patriam ab hoſte capitaliſſimo ſecuram redderet.

Hæc & iſtiuſmodi ſexcenta ſparſa per hiſtoriam veterem & recentem, magna quidem ſunt, ſed Caritate Chriſti Patientis inferiora. Nam quicumque Amor hic in comparationem adduci poteſt, vel fuit debitus amicis aut patriæ, vel erga benemeritos, aut beneuolentes, certè, non erga ingratos malefactores, inimicos At nos *cùm inimici eſſemus reconciliati ſumus DEO per mortem Filij eius*, Roman. V.10. Alij ſuos, non niſi moriendo, aut periculo ſe exponendo iuuare potuerunt: Chriſtus ſine morte aut vllius incommodi perpeſſione præſtare potuit, quod pro nobis per mortē & tot alia duriſſima perpetiendo, obtinuit. Hinc ſumendum, quomodo nobis ambulandum per Semitas Caritatis in Campo Paſſionis Dominicæ. *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare*, 1. Ioan. II.6. Amare debet omnes, etiam inimicos, benefacere omnibus, pati, ſi Amor ſuadeat, pro omnibus, vitam ponere, ſi neceſſitas exigat, pro omnibus. Ita ambularunt per hanc viam, ſicut Chriſtus ambulauit, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, quibus vnicum fuit votum, vicem aliquam rependere Chriſto, pati cum Chriſto, pati pro proximo, amplecti Crucem, & per omnia tormentorum genera vitam mortalem profundere pro Chriſto, vt in immortali perpetuò fruerentur Chriſto. Vnius fuit vox, Ignatij Antiocheni, omnium aſpiratio: Ignis, CRVX, beſtiarum coitiones, diſſectiones, oſſium diſperſiones, conciſiones membrorū, totius corporis laceratio, & tormenta Diaboli in me veniant omnia, tantùm in IESVM CHRISTVM adipiſcar.

SED

(a) *Sene. epiſt.* 4. (b) *Iuuen.* (c) *Euripid. in Alceſt. Cicero in Offic. Lactant. lib.* 2, *c.* 18.

Sed iam vlterius progrediendum eſſet, verùm animaduerto Viam Caritatis Chriſti potuiſſe nos ingredi hodie, egredi non poſſe, ideoque ceteras Paſſionis vias æquè longas latasq; nō attingemus, læti, quod in Caritatis ſemitâ maneamus, vtinam nūquam extra illam reperiamur, ſed tam feruidè amantem, quod maximoperè deſiderat ipſe, redamemus. Si Chriſtum ante amare pigebat, redamare tibi laſſum, cæſumque, non pigebit. *Nihil eſt profectò quod ita* Iesvm Saluatorem *amabilem reddit, quàm Calix ille, quem pro nobis bibit, hoc eſt, opus noſtræ redemptionis* (per Paſſionem.) *Hoc enim neceſſariò,* inquit mellifluus Bernardus, Ser. xx. in Cant. *amorem noſtrum totum vendicat ſibi: hoc deuotionem noſtram blādius allicit, iuſtius exigit, arctius ſtringit, & afficit vehementius. Si quis autem non amat Dominum Noſtrum IESVM CHRISTVM ſit anathema, Maran Atha.* (a) *Gratia Domini Noſtri IESV CHRISTI vobiſcum.*

(a) 1. *ad Corinth.* xvi. 24.

NOTÆ

In quibus Auctores & Miſcella.

§. I. Via & Semitæ Caritatis] *Legatur Domitius Platus de Paſſione Conſiderat.* vi. *c. 3. Simili modo conſtitui poſſet Via ac Semita.* 1. Humilitatis. 2. Patientiæ. 3. Conſtantiæ. 4. Obedientiæ. 5. Prudentiæ. 6. Iuſtitiæ.

Nam hæ virtutes maximè in Paſſione enituerunt, ſecundum varios gradus, & heroicam intenſionem, & tot epithetis exornari poſſunt, quot Caritati adſignauimus.

§. II. Passio Exceſſus] τὴν ἔξοδον, *inquit,* S. Lucas. Exceſſus *propriè ſignificat exitum, ſeu mortem Chriſti, qua exiuit è vita.* Cicero *de finibus, Exceſſum è vita nominat, & manſionem in vitâ. Et* 1. *Tuſculan.* Exceſſu *vita ſic deleri hominem.* 1. *de leg.* Exceſſus *abſolutè pro morte ponitur:* Poſt exceſſum ſuum Romulus dixit.

§. II. Ambulandum in via Caritatis, ſicut Chriſtus ambulauit] *Illuſtris eſt ad hoc locus Pauli Apoſtoli in Minutia ſacra exercitatiſſimi ad Epheſios* V. 1. Eſtote imitatores Dei, ſicut filij cariſsimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Christus dilexit nos. *Id eſt, ambulate in via Caritatis, vt Chriſtus in illa ambulauit. Nimirum, quemadmodum Chriſtus dilexit nos, vt ſe pro nobis victimam DEO gratiſſimam, ſuauiſſimam, & acceptiſſimam immolandum in CRVCE dederit, ita nos inuicem diligere debemus, & non tantum iniurias mutuas condonare, ſed & bona vitamq; pro ſaluti proximi exponere. Et ſicut illa victima CHRISTI fuit DEO gratiſſima & ſuauiſſima; ita & noſtra hæc, quâ nos & quæ noſtra ſunt, pro ſalute proximorum offerimus ac impendimus, erit DEO iucundiſſima omnemq; fœtorem peccatorum noſtrorum abſterget;* Caritas *enim* operit multitudinem peccatorum. 1. *Petri* IV. *& Sapiens Prouerb.* x. Vniuerſa delicta operit Caritas. *Legendi,* Delrius *in ſpeculo Mariano Serm. de Paſſione,* Scribanius *de Paſſio cap.* 28. Boſquier *Concione* 3. *de Paſſion. Tanti beneficij immeritis, immò hoſtibus præſtiti, neque tamen vllo modo debiti commemoratione Caritas Chriſti Paſſi in nos intelligitur, & noſtrâ viciſſim acuitur. Quiſquam-ne poſſit ſua*

precia libertatis intueri, & non amare Redemptorem? medicinam videre qua à morte reuocatus ac ſanatus eſt, & Medicum gratis eam propinantem non complecti?

S. Auguſtinus Serm. XXVI. *de verbis Apoſt.* Docuit nos Chriſtus exemplo PASSIONIS, cum quanta patientia in illo AMBVLEMVS, & firmauit nos exemplo ſuæ Reſurrectionis, quid ab illo patienter ſperare debeamus. Si enim quod non videmus, ſperamus, per patientiam exſpectamus. Quod non videmus quidem ſperamus, ſed corpus ſumus illius Capitis, in quo iam perfectum eſt, quod ſperamus.

COMMENTATIO III.

PASSIO CHRISTI CAMPVS

Ad Exercitia militaria, quæ ſunt,

CVRSVS. SALTVS. SALITIO.
NATATIO. PALARIA. ARMATVRA.

MEMBRVM I.

Compoſitio loci.

PASSIONEM Domini Noſtri IESV CHRISTI eſſe Campum ampliſſimum, ad Exercitia armorum Chriſtianæ Militiæ maximè idoneum, ſuperiori Dominica ſatis ſuperque demonſtrauimus. Diſpeſcuimus autẽ illum etiam in varias planities; quarum vnam Ambulationi militari deſtinatam in tot Vias partiti ſumus, quot ſunt virtutes CHRISTI PATIENTIS eximiæ, quæ ſunt, vt ego reor, innumeræ. Vnam ſolam attigimus Caritatis, in duodecim diſtinctam ſemitas, per quas CHRISTVS ſub armis, ac ſignis ambulauit, nobis ad exemplum, militari greſſu. Vtinam ſequamur veſtigia eius. Ceteras vias vix nominare licuit, temporis iniuriâ, immò, nec vnius viæ orbitas omnes rimari & ijs inſiſtere. Eâ ergo planitie omni, cogitationibus veſtris, meditationibusque priuatis, (ſat enim fuit, in vna viâ modum oſtendiſſe conſtituendi ceterás) ſepoſitâ; in reliquas oculos conijciemus hodie, aut intendemus digitum. Et reuerà, oculos tantùm vibrabimus

bimus: nam ſi percurrere ſingulas vellemus, non trihorio opus eſſet, ſed amplius quàm triduo. Itaque in eodem Campo *Secunda* planities adſignata eſt exercitio Curſus, *Tertia* Saltus, *Quarta* Salitionis, *Quinta* Natationis, *Sexta* Palorum, *Septima* Armaturæ. De ſingulis ordine breuiter.

MEMBRVM II.
CHRISTI CVRSVS MILITARIS
In Campo Paſſionis.

POST *Ambulationem* altera ſpecies Exercitij armorum in Diſciplinâ militari eſt *Curſus*, aut *Decurſio*, quæ non multum differt ab Ambulatione, & fiebat in armis, ac ſub ſignis. Finem & fructum illius indicat Vegetius his verbis, lib.I. cap.9. *Ad* Curſum *præcipuè aſſuefaciendi ſunt milites: vt maiore impetu in hoſtem procurrant: vt loca opportuna celeriter occupent: vt ad explorandum alacriter pergant: vt fugientium terga faciliùs comprehendant.* Nominat eandem Exercitationem Tertullianus ſcribens ad Martyres, c.III. eosq́; animans militum Romanorum exemplo, qui *in pace, labore & incommodis bellum pati iam ediſcunt: in armis* DEAMBVLANDO, *Campum* DECVRRENDO, *foſſam moliendo, teſtudinem deſudando*: aut *deſidendo*, vt quidam legendum putant: (*a*) nam is habitus eſt multorum in teſtudine inclinantium ſe, ac ſubſidentium, vt fiat imbricatum illud decliue tectum. Eiuſdem mentionem facit Seneca (*b*) in ea epiſtola, vbi docet Sapientem in publicâ laſciuiâ tempe rantet ſe gerere, & præexercitatione opus eſſe ad fortiter dimicandum. *In ipſa*, inquit, *ſecuritate animus ad difficilia ſe preparet, & contra iniurias fortunæ, inter beneficia firmetur. Miles in mediâ pace decurrit ſine vllo hoſte, vallum iacit, & ſupernacuo labore laſſatur, vt ſufficere neceſſario poſſit.* Liuius quoque libr. XXVI. inter militaria exercitia, lùdosq́; quos Scipio inſtituit, hoc refert: *Primo die legiones in armis quatuor millium ſpacio decurrerunt.* Quod grande ſpacium fuiſſe notant periti, cùm ambulaſſe tantùm videri poſſet ſat magnum. Plura iſtiuſmodi occurrunt in Hiſtoricis. Sed ad rem noſtram.

TOTA CHRISTI Vita fuit DECVRSIO quædam campeſtris ad exemplum, & inſtitutionem militarem eorum, qui ſub CRVCIS vexillo militant: ſed eius documentum præcipuè dedit in Paſſione: quam, vt CVRSVM, cumque velociſſimum concipit Contemplator PASSIONIS ingenioſiſſimus Bernardus, ſcribens epiſtola CCLIV. *Ipſe hominis Secuľiq́, auctor, quàm diu cum hominibus conuerſatus eſt, nunquid ſtetit? Et quidem, teſte Scripturâ*, pertranſijt benèfaciendo & ſanando omnes. *Pertranſijt ergo, ſicut non infructuosè, ita non remiſsè*,

(a) *I. Lipſ. lib.v. de Milit. dial.14.* (b) *Sen. Epiſt.* XVIII.

remiſsè, non pigro, non lento gradu ; ſed quemadmodum de eo ſcriptum eſt. Exultauit, vt Gigas, ad currendam viam. *Porrò, currentem non apprehendit, qui & ipſe pariter non currit. Et quid prodeſt CHRISTVM ſequi ſi non contingat conſequi?* Ideò Paulus aiebat: Sic currite, vt comprehendatis. *Ibi Chriſtiane, fige tui CVRSVS, profectuſq́ metã, vbi Chriſtus poſuit ſuam.* Factus eſt, *inquit*, obediens vſque ad mortem. *Quantumlibet ergo cucurreris, ſi vſque ad mortem non perueneris, brauium non apprehendes. Brauium Chriſtus eſt.* Mox docet, quod in Virtutis Campo, non currere, ſed ſiſtere, ſit deficere, & regredi. Benè autem adducit, & perpendit Bernardus Dauidicum emblema, *Exultauit, vt Gigas ad* CVRRENDAM *viam*, Pſalm XVIII.6. Idem facit S. Auguſtinus, lib. IV. Conf. c. 66. &, *non tardauit* ait, *ſed CVCVRRIT, clamans, dictis, factis, morte, vita, deſcenſu, aſcenſu.* At quam cucurrit viam? In Græcis codicibus emendatis, additur ἀυτοῦ, hoc eſt, SVAM. Sic quoque in Pſalterio Arabico & Æthiopico legitur: Exultauit, vt Gigas fortis, robuſtus, celer ad CVRRENDAM VIAM SVAM.

VIAM imprimis HVMILITATIS: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, Matthæi XI. 29. Hæc erat VIA SVA, tum in omni vitâ, tum in PASSIONE potiſſimùm. Decurre per ſingula Paſſionis capita, videbis Chriſtum, vt Gigantem, magnis paſſibus currere hanc Viam Suam. Siue in *Cœnaculo* grandi, ſtrato, cùm ſordidos Apoſtolorum pedes, & imprimis nequiſſimi Iſcariotis, lauit, terſit, & quod veroſimile, oſculo ſignauit. Siue in *Horto*, cum non poplitibus tantùm flexis, ſed toto corpore in terram ſe abiecit, Patri ſupplicauit, imbecillitatem Humanitatis aſſumptæ tædio, triſtitiâ, pauore oſtendit: cùm proditorem excepit, cùm placidiſſimè ſalutauit, cùm amici nomine, amicitiæ teſſera, amicorum amplexu humillimè placare voluit: cùm ad capitales inimicos modeſtè acceſſit, cùm eos primus ipſe interrogauit, cùm ferociter irruentes non repulit. Siue in *Pontificis domo*, cùm alapâ à viliſſimo ſeruo fuit cæſus, cùm ſputo à maſtigia fædatus, cùm ludibrio ab atrienſibus & ſatellibus exceptus. Siue in *Herodis* curiâ, cùm fatui veſte indutus, irriſus, pro deliro habitus. Siue in *Pilati prætorio*, cùm denudatione, flagris, ſpinis, regij nominis, & arundinei ſceptri oblatione dedecoratus. Siue in *foro* cùm Barrabbæ latroni poſtpoſitus. Siue in *Itinere* ad Caluariæ, cum trabali Cruce, inſtar furciferi oneratus. Siue in *Monte Caluaria*, cùm vt nequam ac ſceleratus in latronum conſortio fuit ſuſpenſus. En currentem VIAM SVAM: *Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem CRVCIS.* Sed *paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Vobis igitur per eandem viam eſt currendum. Sequimini Ducem veſtrum. Humiliamini ſub potenti manu DEI. Eſtote modeſti, demiſſi, Humiles; domi foriſque in templo, in curiâ, in foro, in platea: coram domeſticis & externis, coram amicis & inimicis ſpectaculum humilitate veſtrâ facti DEO, Angelis, hominibus. Sequimini præeuntem Magiſtrum, qui

EXVLTAVIT *vt Gigas ad* CVRRENDAM VIAM

VIAM SVAM, VIAM PATIENTIÆ, MANSVETVDINIS, CLEMENTIÆ, BENIGNITATIS. Nam omnes hæ virtutes connexæ ſunt, & viam conficiunt plurimis diſtinctam ſemitis. Omnes calcauit, dum per *Viam Suam* cucurrit in Paſſione CHRISTVS. Cerne CVRRENTEM, tum in *Horto*, vbi infenſiſſimo hoſti ſuo Macho aurem reſtituit, & quos verbulo ſtrauerat, incredibili clementia exſurgere, & coram ſe ſtare permiſit, proditoris oſculum recepit, immò oſculo, velut munere compenſauit; vinciri ſe ſuſtinuit. Tum in *Palatia Pontificis*, vbi ſeruili percuſſione læſus, humaniſſimè reſpondit, ad accuſationes ſiluit, ad opprobria nihil repoſuit. Tum in *Curiâ*, vbi Columnæ alligatus, inter tot millia verberum, *quaſi Agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum*. Tum in *Via* ad theatrum crudelitatis vltimæ, quando CRVCEM ipſe ſuam patientiſſimè portauit, lamentantium pro ſe lacrymas inhibuit, ſolatium nullum expertus. Tum denique in *Caluariæ iugo*, affixus patibulo, cùm fel, acetum, nudationem, clauos, malleum, blaſphemantium voces, irridentium ſcommata, tranſeuntium ſarcaſmata, Matris mærorem, Patris derelictionem pacatiſſimè excepit.

CVRRITE per hanc viam, Dilecti, ſi ſalui eſſe velitis. Patientia vobis neceſſaria eſt: ſine patientia regnum non obtinebitis. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Recogitate quanta cum patientiâ centies millies grauiora, quàm vobis immineant, paſſus ſit Dominus. Iam veſtram quoque patientiam ad calculos reuocate, & quæ illi adiuncta eſſe debet, facilitas, beneuolentia, æquitas in examen veniant. Cogitate, quò ſæpe in inimicos veſtros amico ſitis: eos ſi perdere non poteſtis, fulmen, tonitru, patibulum, ignem, Diabolum, gehennam imprecamini. Perpendite, quâ æquanimitate ſitis in quotidianis moleſtijs, ærumnis, damnis, periculis, in iactura honoris, commodorum, fortunarum. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum. Per patientiam curramus* poſt Chriſtum *ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes ſemper in auctorem fidei, & conſummatorem* IESVM, *qui propoſito gaudio ſuſtinuit* CRVCEM, *confuſione contempta, atque in dextera ſedis* DEI *ſedet*, ad Hebr. XII. ſed prius

EXVLTAVIT *vt Gigas ad currendam* VIAM SVAM. quam viam? CONSTANTIÆ. quando per illam cucurrit? quamdiu vixit, ſed in Paſſione præcipuè. Et in *Horto*, cùm poſt agoniam, ſudores, lacrymas, ſanguinem, repetitas preces, ſe ſuaque omnia Patris tradidit voluntati: *Non mea voluntas, ſed tua fiat*: cùm in tantâ rerum omnium perturbatione, poſt tumultuantem militem, & proſtratum, Diſcipulorum curam non deſeruit, imperans hoſtibus, *Sinite hos abire*. Et in *Palatio* Annæ, cum pugno percuſſus à mancipio, reſpondit, tanquam Magiſter diſcipulum inſtruens: *Si malè loquutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, ſi autem benè, quid me cædis*? Et apud *Pilatum*, ac *Herodem*, cùm nec huic nec illi reſponſum dedit, conſtans in propoſito patiendi, ne blandiri videretur, & dimitteretur, vt innoxius. Et apud *Flagellatores* ſuos, cùm poſt quinque millia plagarum, indeque conſequentium totidem vulnerum millia, ad fecalem conſumnam

lumnam accepta, fortis, imperterritus, magnanimus, nullum inconſtantiæ ſignum edidit. Et apud *Amicos*, cùm CRVCEM bauilans, notorum, cognatorumque lacrymis non fuit motus. Et in CRVCE, cùm neque, ad blaſphemantium acutos illos ſtimulos: *Si tu es Rex Iudaeorum, ſaluum te fac: ſalua temetipſum, deſcende de Cruce*; nec ad *Principum* machinas, & *Scribarum* pollicitationes: *Si Rex Iſraël eſt deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei*; nec ad *Matris* dilectiſſimæ mæſtitudinem; nec ad *Patris* amãtiſſimi deſtitutionem, ſummamque ſecundum hominem, deſolationem, CRVCEM diu expetitam, iamque ſibi adaptatam, & à ſe amplexatam deſeruit.

ITA & Vobis eſt currendum per viam *Conſtantiæ Chriſtianæ*, in periculis, damnis, calamitatibus, bonorum amiſſione, malorum perpeſſione, in contemptu, in deiectione, in perſequutione, in CRVCE corporis, & animæ. Vobis reliquit exemplum, qui pro vobis paſſus eſt & Crucifixus. Sequamini veſtigia eius. Currite, vt comprehendatis. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit: qui non perſeuerauerit à ſalute excidet, ſicut à conſtantiâ excidit. Vna eſt *Conſtantia* cui debetur corona, vna perſeuerantia, cui brauium: brauium eſt gloria cæleſtis; quæ non datur niſi currenti perſeueranter, Chriſti exemplo, qui *Exultauit, vt Gigas ad* CVRRENDAM VIAM SVAM quam Viam? VIRTVTIS vniuerſim, Viam *Liberalitatis*, Viam *Prudentiæ*, Viam *Fortitudinis*; & ceterarum, nullâ exceptâ. Videte, quàm longus latusque hic ſit *Campus* ad diſcurrendum, niſi in hoc ipſo diſcurſu ad finem currendum eſſet, & alia quoque armorum exercitia luſtranda.

MEMBRVM III.

CHRISTI SALTVS MILITARIS In Campo Paſſionis.

HABEMVS ex hactenus demonſtratis, Vitam Chriſti omnem, ſed PASSIONEM eius præſertim fuiſſe veluti *Decurſionem militarem*. Poſt hanc autem in Exercitio armorum ſequitur SALTVS: cuius vtilitatem in Militiâ deſcribit Vegetius his verbis, lib. I. cap. 9. *Ad* Saltum *exercendus eſt Miles, quo vel foſſæ tranſiliuntur: vel impediens aliqua altitudo ſuperatur: Vt cùm huiuſmodi difficultates venerint, poſſit ſine labore tranſire.* Hic etiam ſuos exemplo incitabant Imperatores: inter quos eximius *Scipio Africanus*, cui frequens erat, vt militi animos adderet,

—vibrare ſudem, tranſmittere ſaltu
Murales foſſas —

vt de illo ſcribit Silius lib. VIII. ſicut Salluſtius de Pompeio, *cum alacribus Saltu certare ſolitum.* Huius etiam ſpecimen dedit Militiæ noſtræ ſupremus Dux Chriſtus, qui veniendo ad redemptionem

tionem noſtram quoſdam veluti SALTVS dedit, vt obſeruarunt Sancti, Ambroſius, (a) Gregorius, (b) Bernardus. (c) Et eundem ob tranſiliendi foſſas, valles, ac colles facilitatem ac celeritatem comparat Sponſa cæleſtis cum ijs animalibus, quorum eſt in Saltu admiranda velocitas, Canticorum ſecundo: *Ecce iſte*, Dilectus, *venit Saliens in montibus, tranſiliens colles. Similis eſt Dilectus meus Capreæ, hinnuloq; ceruorum.* Nimirum, viderat Sponſum Saltandi initium feciſſe, quando Omnipotens Sermo de regalibus ſedibus venit. An non Saltus fuit, cùm egreſſus de altiſſimo thalamo ſuo, de tabernaculo in Sole, de ſinu Patris æterni, fulguris inſtar, choros Angelorum, & tot Patriarcharum, Ducum, Regum, aliaſque Maiorum ſuorum generationes, veluti montes, tranſmittens, in vterum Virginis deſilijt? Vbi exiſtens Saltum fecit, Matre quoque ſubſiliente in montana Iudææ. Poſteà impetu nouo, ſaltauit de vtero in præſepe, de præſepi in Ægyptũ, de Ægypto in Nazareth, hinc in deſertum: de deſerto in Ieruſalem, tum in montem Moria, inde Thabor, aliaque Iudææ loca. Saltando Chriſtus peruenit ad Hortum Gethſemanæum, ex hoc ad torrentem Cedron, à torrente, quem tranſilijt ſine adiutorio, ad Pontificis palatium, deinde ad Pilati prætorium, tum ad Herodis Curiam, ex hac ad forũ, à foro ad Caluariæ montem, in illo ipſo ad latitudinem CRVCIS, & inde in ſepulchrum; vnde *Saltum* fecit in montem Oliueti, & tandem ex eo in cælum tranſiliuit.

VIS & inde videre *Saltantem?* conſidera Ducem noſtrum quotidie, prout Eccleſiarum particularium neceſſitates exigunt, pedibus Charitatis & prouidentiæ nunc huc, nunc illud ſe conferre velociſſimè, velut CAPREAM tranſilientem colles, ſalientem in montibus, nullibi ocioſè deſidentem. Optimè enim particulares Eccleſiæ montium ac collium nomine ſignificantur, vt docet S. Hieronymus, in caput 2. Iſaiæ. Elogium autem iſtud *Saltantis Capreæ* conuenire Meſsiæ, hominum Saluatori tradiderunt, præter Eccleſiæ Patres, Magiſtri quoque Synagogæ Iudaicæ Rabbini, vt ex ipſorum ſcriptis probat Galatinus: lib. IV. cap. 29. ita vt comparetur *Capreæ, Hinnuloq; Ceruorum*, tum propter celeritatem, vt omnes Hebræi, Græci, Latini fatentur: tum quia, vt canit Willeramus hæc animalia.

Planitie ſpretâ contendunt ſemper ad alta,
Huic (Sponſo) *homines puri non poſſunt æquiparari.*
Qui geſtans hominem DEVS eſt altiſſimus idem.

tum *Capreæ* ob viſus acumen, quo omnia penetrat: tum *Hinnulo*, quod colles ac montes *Saltibus* premat, percurrat, tranſiliat: hoc eſt, vt exponunt, ſceleratas malitiæ Dæmonum altitudines proculcet ac diſſipet. Haud diſpari ſenſu Gregorius Nyſſenus per *Montes*, aduerſarias Poteſtates fortiores, per *Colles* intelligit

(a) *In Pſalm.* cxxxxx. *Serm.* 6. *& lib. de Iſaac. cap.* 4. (b) *Hom.* xxix. *in Euang.* (c) *Ser.* xlix. *in Cant.*

intelligit imbecilliores. Simili modo Hailgrinus, per *Montes* putat denotatos Dæmones maiores, per *Colles* verò, minores. Quod conſentaneum eſt illi vaticinio Zachariæ cap. IV. ſub eadem metaphorâ potentem Satanam appellantis *Montem* magnum: *Quis tu* Mons magne *coram Zorobabel in planum?* ac ſi dicat Propheta. Quis & quantus es tu mons ô ſuperbe Satan: tuus ille faſtus, tua præſumptio, tumor ille tuus in terram detrahetur ac conculcabitur à vero Zorobabele Chriſto. Nunc ergo vide SALTVS edentem Chriſtum, per montes & colles tranſilijt, id eſt, facili molimine, immò, nullo negotio inferiores ac imbecilliores Dæmones ſubegit, tum verò ſuperiores magisque validas Poteſtates pede potentiæ iterum iterumque compreſſit, *Ambulans ſuper aſpidem & baſiliſcum, & conculcans leonem & draconem.*

QVOD ſi *Saltus* velis tropologicos & ad mores accommodatos, accipe, per *Montes*, cum Gulielmo inſigni Canticorum Interprete, Virtutes maiores, & altioris gradus, per *Colles*, inferioris ordinis, eoque minores: nec enim omnes eiuſdem ſunt excellentiæ, ſed neque fructus. Hinc illud Apoſtoli monitum dilecto diſcipulo ſcribentis: *Exerce teipſum ad* Pietatem. *Corporalis enim exercitatio ad modicum vtilis eſt.* En Collem. *Pietas autem ad omnia vtilis eſt*: en Montem 1. ad Timoth. IV. Venit Ioannes Baptiſta corporali exercitatione noſcibilis, habens veſtimentum de pilis camelorum & zonam pelliceam, non manducans panem, neque bibens vinum, contentus eſca locuſtarum, & melle ſilveſtri. At *Filius hominis* venit manducans bibens, etiam cum publicanis & peccatoribus, ductus pietate, vt omnibus conſuleret, ac proinde omnibus ſe accommodaret: quod maioris erat virtutis, ſicut & ipſe maior erat Ioanne. Tranſiliebat quod erat minus, vt ad maiora magisque ardua tranſitum faceret, & in ijs pedem poneret. Tranſiliebat collem exercitationis corporalis, vt *Saltum* faceret in montem Pietatis. Ambulationis *Saltum* ſubiungebat: hoc eſt, nouo quodam impetu, nouâ incitatione & alacritate, nec non agilitate, quæ propria eſt inflammatæ Pietatis, vt ſubueniret infirmis, properabat. En aliud eiuſdem tranſilitionis documentum. Chriſtus loculos habebat apud domeſticum neceſſariorum procuratorem: Ioannes penè nudus ambulabat, tam procul à loculis, quàm à nummis, quos aliquando accipere Chriſtus non recuſabat. Erat Ioannes in Colle perfectionis, ſuperior ijs, qui in valle conſtituti concupiſcunt locupletari. Chriſtus reliquerat vallem, tranſilierat collem, & infirmorum ac egentium amore *Saltum* magnum fecerat in Montem Pietatis.

IAM contemplemur PASSIONIS exordium. Dignatus eſt Dominus imminente Paſſione, turbari, pauere, triſtari, tædere, cum plurimi Martyres, eius beneficio ad tormenta gaudentes aduolarint. Hos in Colle fuiſſe fortitudinis meritò dixeris, eorum intuitu, qui timidi, puſillanimes, trepidi ad tribunalia ſunt ducti, quaſi in planitie conſiſtentes. Elegit tamen Dominus infirmioribus iſtis potius, quàm fortibus ſe coniungere, cum ipſe ijs fortitudinem indidiſſet, for-

titudinis

titudinis auctor, ipſaque fortitudo: nimirum, voluit tranſilire collem, *Saltaus* in Montem Pietatis. Mirum eſt, quod ſequitur, ſed ad idem ſpectat *Exercitium Saltandi.* Matris ſuæ amantiſſimæ notitiam diſſimulabat, cùm ei verbum vitæ prædicanti quidam diceret: *Ecce Mater tua & fratres tui foris ſtant quærentes te.* Reſpondit enim: *Quæ eſt Mater mea & qui ſunt fratres mei?* Marci III. 31. Nonne animaduertis, quomodo tranſiliens collem ſaltet in montem? Siquidem, bonum eſt quod filius matrē honoret, ſed non eſt id optimum: optimum autem eſt, magis honorare Devm Patrem. Itaque honor hominis Matris erat Collis: Mons autem, honor DEI Patris. Saltabat Dilectus in montem, & tranſiliebat collem: quia ſingulari alacritate in his quæ Patris eius erant verſabatur: & ideò Matrem carnis ſuæ pius filius agnoſcere non videbatur. Clariſſimè: ne intermitteret opus paternæ iuſſionis, quod maius erat; omittebat officium maternæ ſalutationis, quod minus erat. Nonne ſatis veriſimile eſt aliquem eorum, qui Matris Chriſti aduentum nunciarat, Matri hoc reſponſum renunciaſſe? An indignatam putas Matrem? an deſpectam credidiſſe à filio veteri ſui? an vt ingrato & in officioſo iratum? abſit, abſit. Potius illa virtuti & Sapientiæ Filij congratulans, dicebat: *Ecce iſte venit* Saliens *in montibus, tranſiliens colles.* Quia procedit ad opus humanæ redemptionis ſingulari promptitudine, inſtar *Saltantis*, præcipuis bonis inſiſtens; & ne ſumma intermitterentur, mediocria bona ſingulari virtute tranſiliens.

Saltavit in Passione peculiariter Dominus de Monte in Montem: de Caritate in Patientiam: de Patientiâ in Miſericordiam: de Miſericordiâ erga hominem in Iuſtitiam erga Devm, ſatisfaciens ei ex rigore iuſtitiæ: de hac in Humilitatem: vbi ſubſiſtit, tanquam in ſolo firmiſſimo; factus obediens vſque ad mortem, & quidem mortem in monte Crucis. Tranſiliuit foſſas diffidentiæ, valles blaſphemiarum, alueos profundos inconſtantiæ: ſic ſuperauit omnia victoriæ impedimenta. Attendite ad hos *Saltus militares*, Dilecti, & imitamini exercitus veſtri Ducem. Tranſilite foſſam reſpectus humani remorantem curſum perfectæ virtutis. Saltu ſuperate colliculos minutarum quarundam obſeruationum quę in exterioribus tantùm conſiſtunt, foriſq; apparent, & in montem altum ſolidarum virtutum, operumque heroicorum vos transferte. Eſtote ſimiles Capreæ, hinnuloque ceruorum, *Saltantes* in Campo Paſſionis in Montem Myrrhæ, montem amaritudinis, montem Crvcis & Salvationis.

Nobis etiam in Militia ſacrâ prælium ineundum eſt cum Saltatione & cantu; nempe, cum hilari animoſitate, & ad numerum diſcretionis & prudentiæ: nec enim niſi ad tibiam ſonoræ virtutis contra hoſtes ſpirituales eſt procedendum: vt nihil à nobis agatur temerè, nihil fiat inordinatè, nihil ſit turbulentum, nihil ex tetrico puſillanimitatis affectu. Reprehendebat Chriſtus Scribarum ac Phariſæorum tetricitatem, quod ad cantum cæleſtis Muſici non ſaltarent. *Cui ſimilem æſtimabo generationem iſtā?*

Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non planxiſtis. *Venit enim Ioannes neque manducans neque bibens, & dicunt, Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt.* Ecce homo vorax & potator vini publicanorum & peccatorum amicus. *Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis,* Matth. xi.

MEMBRVM IV.

SALITIO CHRISTI MILITARIS

In Campo Paſſionis.

PRÆTER *Saltum* in Militiâ celebrabatur olim SALITIO, quæ ad Equites ſpectabat. Diſcebant illi celeriter & expeditè *Salire* in equum ligneum ab vtrauis parte, gladios etiam ſtrictos aut contum tenentes: vt fusè deſcribit Vegetius, libro 1. de Militia cap. 18. Hoc neceſſarium fuit eo tempore, cùm adiumenta ad ſcandendum in equos nulla haberent, vt nos hoc æuo ſtapedes & alia. CHRISTVM generis humani propugnatorem, & libertatis noſtræ Aſſertorem, non modò vt *Peditem*, ſed etiam vt *Equitem* certaſſe cum hoſte, in confeſſo eſt, & ſuo tempore oſtendetur ex profeſſo, cùm de *Militia* ſacra *Equeſtri* diſſeremus. Nunc SALIENTEM tantùm contemplemur: cuius rei gratiâ *Equus* illius primò nominandus eſt. Non habuit autem CHRISTVS Imperator noſter vnicum ſolummodo Equum generoſum, ſibique proprium, & Bucephalum Alexander, ſed plures in quos promptè ſalijt; ſed in nullum expeditius, quàm in ligneum.

EQVVS illius fuit *Humanitas*, in quê inſilijt Diuinitas, cùm *Verbum Caro factum eſt*. Virtutibus, tanquam *Equis*, Dux noſter eſt vſus, in quos *Salitione* operum aſcendit. Equi Chriſti prælianțis fuerunt Apoſtoli, Martyres, Doctores quibus inſidet & per orbem vniuerſum equitat. Equus ligneus eſt CRVX, quæ omnia officia ſeruitiaque Equi Chriſto præſtitit: nam ſuſcepit, extulit, vexit, portauit. In illum verò admirabili animi promptitudine inſilijt, & vt iumentum ſuum habuit contra hoſtem animoſiſſimè pugnaturus. Nobis ad exemplum, vt SALIENTEM imitemur, non in ſternacem Superbiæ caballum, non in deſultorium Concupiſcentiæ quadrupedem, non in ſtrigoſum ambitionis vectorem, ſed in fortem mollemque humilitatis, modeſtiæ, ſobrietatis ac Pietatis portatorem. Quod nunquam fiet, niſi in Equum ligneum CRVCIS Salire cum CHRISTO quotidiana exercitatione dedicerimus.

***

MEMBRVM V.
CHRISTI NATATIO MILITARIS
In Pelago Paſſionis.

ALIA Exercitij armorum ſpecies erat NATATIO: cuius eſt aperta vtilitas, quam idcirco commendat militaris doctor Vegetius libr. III. cap. 4. *Seu mare*, inquiens, *ſeu fluuios vicinus eſt ſedibus* (ſiue caſtris) *æſtino tempore ad natandum cogendi ſunt omnes.* In ipſa Vrbe, aut ad Vrbem olim hoc factum apud Romanos. Qui *Campum Martium vicinum Tiberi ideò delegerunt, in quo iuuentus poſt exercitium armorum, ſudorem puluereḿq́; dilueret, ac curſus laſſitudinem natandi lauore deponeret.* Fuit & *Piſcina* ad hunc vſum, & conſtat ex Feſto, cuius ſunt iſta: *Piſcina publica hodieq́; nomen manet, ipſa non extat; ad quam & natatum & exercitationis alioqui cauſſâ veniebat populus.* Parentes in hac re præibant filijs & docebant eos natare, vt Cato, de quo Plutarchus: *Filium ſuum præiuit, & docuit ipſe non ſolùm iaculari, aut armis depugnare & equitare, ſed & pugillatum exercere & æſtum ac frigus ferre: ac fluminum vorticoſa aut rapida natando ſuperare, & tranſmittere.* Quid quod, vt ſcribit Suetonius, cap. LXIV. Auguſtus ſuos nepotes, & literas & NATARE, & alia rudimenta per ſe pleraque docuit. Mirum eſt, Auguſtum in eo dignitatis gradu & iam ſenem ad illa ſe demiſiſſe. Tantum potuit amor in nepotes.

SED magis mihi mirum, dum video, cæli terræque Dominum, detractâ veſte nudum, poſtquam ipſe lacum vel piſcinam, ſi non vis dicere mare, confecit ex ſanguine, quem copioſiſſimè eduxit Iudæorum rabies, ac ipſe liberaliſſimè profudit, non qualis ſecta venâ effluit è brachio, ſed qualis toto diſſecto corpore prorumpit, innatantem purpureis iſtis vndis. Tum, vt nos, poſteritatem ſibi caram, tanquam ſeros nepotes, doceret in quo flumine natando refocillationem ab æſtu libidinis, recreationem poſt laborioſam à calamitatibus exercitationem, purgationem à puluere ac ſordibus peccatorum, abſterſionem à ſudore, poſt ambulationem viarum huius mundi difficilium quærere debeamus. Tum, vt nos erudiret in Natatione Militi Chriſtiano admodum neceſſaria. Tum, vt nos inſtrueret, quomodo natando per mare magnum & ſpacioſum ærumnarum, ac miſeriarum huius mundi ad littus felicitatis æternæ transferri poſſemus. Eia immittamus nos in ipſum natantem preacioſiſſimi Sanguinis Chriſti lacum, & ab omni calore noxiæ cupiditatis liberabimur. Innatemus huic piſcinæ, & ab omni puluere vanitatis mundabimur, ac ſuper niuem dealbabimur. *Beati qui lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem*, inquit dilectus Chriſto diſcipulus

Apocalypſis XXI. Nec indecorum putes, concipere animo CHRISTVM, vt NATANTEM, cùm inter præcipuas imagines, quas Symbolica Sapientia ex Naturæ officinâ deſumit, ad repræſentandum CRVCEM & CRVCIFIXVM, ſit *Homo natans*, vt eleganter expreſſum ſtilo ac typo exhibent eius diſciplinæ periti.

MEMBRVM VI.

PALARIA CHRISTI MILITARIA

In Campo Paſſionis.

PENVLTIMVM in Exercitijs Armorum dicebatur PALARIA: de quibus multa Vegetius ex more veteri, lib. 1. cap. 11. Statuebatur *Palus* terræ infixus, & rectus, qui ſex pedes eminebat ad modum hominis, eumque hinc illinc Tyro aſsiliebat, & varijs ictibus, aſtante magiſtro petebat. *In quâ exercitatione*, inquit Vegetius, *ſeruabatur illa cautela, vt ita tyro ad inferendum vulnus inſurgeret, ne quâ ex parte ipſe pateret ad plagam.* Meminit huius Exercitij Seneca in epiſtola XVIII. de præexercitationibus, vbi, *Exerceamur*, inquit, *ad palum: & ne imparatos Fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris.* Laudatur Hadrianus, de quo eius hiſtoricus, *Equitauit, ambulauitq́; plurimum, armisq́; & PALO ſe ſemper exercuit.* De Aureliano autem Vopiſcus non minus laudabiliter: *Nullum prætermiſit diem, quamuis feſtum, quamuis vacantem, quo non ſe Palo & ſagittis, ceterisq́; armorum exerceret officijs.* Vtrobique *pilo* legebatur, ſed aſſentior Lipſio, (a) ſubſtituenti vicinam vocem, *palo.* De quo eſt etiam iſtud Iuuenalis.

Quis neſcit, aut quis non vidit vulnera Pali?

Quem cauat aſſiduis ſudibus, ſcutoq́; laceſſit.

DESVNT ne PALARIA in Campo Militiæ Chriſtianæ? Eſt corpus hominis, tanquam PALVS, quem docuit nos Chriſtus aſſilire, & varijs ictibus petere. Ictus illi ſunt à ieiunijs, genuflexionibus flagellis, cilijs, alijsque affiictationibus: nam talibus deinde hoſtem noſtrum Cacodæmonem, & eius exercitum infeſtamus, & Concupiſcentias interimimus; ſed non prius, quàm artificium pugnandi in animato hoc noſtro PALO nobis familiare fecerimus. In hoc genere Exercitij, vt in omnibus alijs, præiuit CHRISTVS, tum ante, tum in Paſſione. Quamuis non erat Chriſto, quod nobis eſt neceſſarium, vt Corpus ſuum innocentiſſimum, velut *Palum* ſibi proponeret, quem ipſe repetitis acerbitatum ictibus vexaret. Officium hoc ſibi ſumebant truculentiſſimi tortores, qui corpore ad columnam alligato, tanquam *Vite* cum *palo* maritata, omni genere non tam artificiorum, quàm crude-

(a) I. Lipſ. lib. 5. de Milit. dial. 14.

crudeliſſimorum ictuum illud impetiuerunt. Et ſanè velut *Palus* ſine ſenſu impatientiæ, ſine motu iracundiæ, ſine retorſione vindictæ, ictus omnes excipiebat tenerrimum corpus verberibus expoſitum.

CHRISTI Domini exemplo ad *Palū* ſeſe exercebat Paulus Apoſtolus cùm animosè exclamaret, 1. ad Cor. IX. *Sic pugno, non quaſi aërem verberans*: hoc eſt, non ita ictus, quibus corpus meum aſſilio, languidè facio, vt in aëre fractl euaneſcant, nec *Palum* meum feriant: nam fruſtra, & inaniter manum cum flagello attollerem: ſed reuerà corpus meum verbero, & carnem ſubigo, quâ ſubactâ, facilè, veri hoſtes, Dæmon, Mundus, Concupiſcentia ſubiguntur. In *Palo* tento, quod deinde in hoſtibus eſt perficiendum. Itaque, *Caſtigo corpus meum*, Græcè, ὑπωπιάζω, vel ὑπωπιάζω; coërceo, contundo, percutio, liuidum facio corpus meum, & ſudorem ac ſanguinem percutiens elicitio: ſicque *in ſeruitutem redigo*. Quod fit ieiunijs, cilicijs, humicubationibus flagris ac diſciplinis, vt vocamus, Eccleſiaſtico idiomate, quibus non pueriliter tantùm extima cutis paullulum lentiſſima percuſſione, aut nodorum attactu perfricetur, vel tanquam cauda vulpina, ad pruritum excitandum; demulceatur; ſed viriliter, ſolidè, heroicè, Chriſtianè, ad ſanguinem vſque contendatur: deinde, ad maiorem dolorem percipiendum, aceto dorſum ſanguinolentum perfricetur, ac oleo ad cruſtam inducendam perungatur. tunc enim non obeſt ſanitati, vt inexperti & ignaui garriunt. Hoc eſt Chriſto reipſa compati, velle cum illo aliquid ſpontaneè perferre, ſentire, quod ipſe in Paſſione ſenſit, reſiſtere vſque ad ſanguinem citra martyrium; amorem non verbo ſed opere; non affectu tantum, ſed etiam effectu demonſtrare: eſſe Militem Chriſtianum, Ducis ſui inſignibus ornari, eadem cum Rege ſuo purpurâ indui, eodem in ſago conciſſo ac rubricato cum Imperatore ſuo prodire.

AT, Pater, inquis, hoc horrendè dolet: non poteſt ſanè non eſſe acerbum cuticulam ſuam dorſualem ita flagris arare, vt rubicundus ex carne ſubiecta humor effluat. Scio id equidem fili: idcirco dicitur opus iſtud pænale, & eſt actus pænitentiæ. An tu delicate, exiſtimas flagellum Militis Chriſtiani, ſiue *Diſciplinam* eſſe debere muſcarium, quo cinifes abigantur, vel flabellum pauonicum, quo aura ad delicias ventiletur? Senſit haud dubiè Chriſtus flagellorum ictus, & dolorem ſenſit, cuius tu centeſimam partem viuus nunquam ſuſtineres, cùm ad Columnam ligatus, ictus ſexies mille ſexcentos ſexaginta à lacertoſis ac valentiſſimus virgatoribus accepit: cùm dorſum eius arauerunt, vt oſſa numerari poſſent tortores immaniſſimi: cùm ſub crudeliſſimorum carnificū manibus fatiſceret, concideret, & in ſanguine ſuo rotaretur.

SED, Pater mi, non ſumus aſſueti vt dorſum denudemus in hac frigidâ regione, & flagellis exponamus. Id equidem animaduerto, Cariſſimi, & doleo: ſed omnis aſſuetudinis datur initium. Nec Chriſtus erat aſſuetus flagellari: nec alibi olim erant aſſueti, vbi hoc tempore, ab initio Quadrageſimæ efflagitant certa-

tertatim á curatoribus animarum ſuarum, vt non tantùm in vltimâ hebdomade, quæ pœnoſa dicitur, ſemel, at quot ſeptimanis per ſacrum tempus, Diſciplinam publicè facere permittantur, parui, magni, iuuenes, viri, docti, indocti. Quotus quiſque ex veſtro numero eſt, aut quis eſt, ſi excipiatur vnus vel alter, qui à Confeſſario ſuo id poſtularit? qui ſe offerat? qui deſiderium oſtendat, ſi quid tale à Sodalibus Marianis eſſet exhibendum? Verùm iterum iterumq; audio oggeri: teneræ, Pater Reuerende, ſumus complexionis, temperamenti delicati, corpore haud ſatis robuſti. Scilicet? illis ex cætu veſtro craſſis, quadratis, toroſis, ſucculentiſque & adipe diſtentis id conuenit. De ijs non loquebar, dicis, ſed de adoleſcentibus & iuuenibus benè natis, lautè enutritis, dilicatè educatis, generoſi ſanguinis, nobilibus. Nobilis in Germaniâ inde moritur, vnde ruſticus vix ægrotat. Benè habet. At enim, nemo ex omnibus ijs nominabitur, qui habeat illam corporis teneritudinem, illam carnis mollitiem, delicatam illam omnium membrorum conſtitutionem, illam nobilitatem, quã Chriſtus DEI Filius ab ortu ex vtero matris ſecum tulit. Is tamen à planta pedis vſque ad capitis verticem fuit tortorum manibus crudeliter, verberibus & flagellorum aculeis laceratus. Eius frontem Corona ſpinea mille modis lancinauit: eius nobile caput & tenerrimum paliuris fuit terebratum: eius crines euulſi, aures oppletæ blaſphemijs, genæ vellicatæ: eius facies ſputis deformata, alapis liuida: eius oculi ludibrijs vexati, nares fætore & os ſputamine, aceto, & felle afflictatum; collum colaphis & catenis oneratum; manus & pedes clauis transfixi; pectus mucrone diræ lanceæ transfoſſum; humeri Crucis onere grauiſſimo fatigati; tergum virgis aculeatis conciſum. Et vos corporis teneritudinem, aut nobilitatem ad excuſationem prætexitis, cùm de flagellatione ſpontaneâ agitur?

ID à verè nobilibus ac generoſis adoleſcentibus fieri mihi haud perſuadeo; penè certus, ſi poteſtas fieret, & inuitarentur iſtiuſmodi ad publicam diſciplinationem, quod primi qui ſe offerrẽt, & conuitio fortè efflagitarẽt ſibi flagella in manus dari, eſſent tenerrimi ac nobiliſſimi: hoc ipſorum indoles, & ad eiuſmodi pietatis exercitamenta promptitudo ſuadet, conſtatq; experimento alibi facto, vbi equeſtris ordinis adoleſcentes, Comites, immò Principes, primi fuerunt, qui hanc ſacram pompam in Germaniâ ſunt exorſi. De Hiſpaniâ, Galliâ, Italiâ non loquor, quibus in regionibus templa ſacella, oratoria, plateæ, hoc tempore, ſed maximè in hebdomade quadrageſimæ poſtremâ, pio illuſtrium, illuſtriſſimorum, excellentiſſimorum, immò, eminentiſſimorum vtriuſque ordinis profani & ſacri Principum ſanguine purpurantur: certè, flagris acriter in dorſum, ad numerum, ſine numero, impactis, aër longè lateque perſonat.

VNVM de mille exemplum accipite. Mortuus eſt ante annos haud ita multos ALEXANDER CARDINALIS ex Illuſtriſſimâ Ducum Romanorum VRSINA familiâ, quæ Regum præcipuis affinitate iuncta, tribus ſummus Pontificibus, qui ex eadem fuerunt gente, Purpuratorum plurimis,

plurimis,& ſtrenuiſſimis bellorum Ducibus fuit illuſtrata. [Is, vt habet Elogium,quod illi poſt mortem ſcripſit nominatiſſimus Sacræ-Scripturæ Interpres Cornelius de Lapide, Commentario in I.Epiſt.Ioannis,longè nobilior ſapientia ac virtute , Alexander Ioannem Apoſtolum, Chriſto dilectiſſimum,candido, hilari,ac pudico vultu, geſtibus, actibus,moribus referebat. Idem innocentiæ,caſtitatis,modeſtiæ, humilitatis, caritatis,patientiæ,mortificationis,pœnitentiæ,contemptus ſui, & mundi,integritatis,magnanimitatis, beneficentiæ, zeli, Prælatis,Cardinalibus, Principibus æquè ac Chriſtianis omnibus viuum erat exemplum ac ſpeculum. Inter aulicos ac Principes vitam agebat religioſam , vt Religioſum ac Principem cum intuens dicere poſſes. Christo Iesv eiuſque Passioni & Crvci, æquè ac Deiparæ Virgini imprimis addictus erat ac deuotus , quaſi vtriuſque *Beniaminus*. Ætatem habebat florentem, naturâ ſanguineus,ſucculentus,toroſus,elegans,affabilis,eloquens,eruditus, ac ſimul candidiſſimi moris & pectoris, ſine vllo oris cordiſque diſſidio , maturus, grauis, integer,conſtans: Ioannem,hoc eſt,filium Charitum & Gratiarum meritò appellaſſes. In ieiunijs, Disciplinis,cilicijs,etiam Cardinalis creatus, erat aſſiduus,immò,nimius. Congregationi Sodalium in Collegio Romano erectæ ad ſcribi voluit. Ad eam frequens, etiam tempore Diſciplinæ,ventitabat, ac publicè in turbâ plebeiorum cum illis acriter ſe diuerberabat: idque non rarò ad ſanguinem. Quod perpetim faciebat in peruigilijs B. Virginis, vt ei ſe ſuamque vitam ſuo ſanguine offerret ac conſecraret. *Hoſpitalia* viſebat, ægris ſeruiebat, iiſque cum eleëmoſynâ cibum porrigebat,quin & pedes abluebat. Quocirca tam illuſtri tantarum virtutum exemplo, nonnullos hæreticorum compunctos, hæreſim eiuraſſe,& ſe S.Romanæ Eccleſiæ reconciliaſſe conſtat.

Bracchiani , quod oppidum eſt Romæ vicinum, ſedeſque Ducum Vrſinorum , Sodalitatem è ciuibus ſibi ſubditis aulicisque erexerat,inſtar eius, quæ viſitur in Collegio Romano, in quâ ipſe Præfectum,Concionatorem , Diſciplinæ choragum , ceterorumque pietatis officiorum antesignanum agebat. Ad pectus nudum Christi è Crvce pendentis effigiem geſtabat æneam,claiculis inea extantibus, carnemque pungentibus, qui proinde non rarò illi ſanguinem eliciebant , ac induſium cruentabant.Solebat autem ad vices manu admota pectori Crvcem arctius illi adprimere, vt Christvm Crvcifixvm penitius illi, maiori amore æquè ac dolore imprimeret.Edidit Officium Passionis & Crvcis, indicium tam elegantis ingenij : quàm ardentis in eam pietatis & deuotionis. Bracchiani in colle quodam, quaſi in eremo ſeceſſum, Passionis Christi myſterijs inſignitum(ſimilem illi,quem S.Carolvs *Borromeus* non longè à Mediolano) crebrò adibat) adornauerat , vt per vices eo ſe reciperet, totuſque Christo Crvcifixo ac ſibi vacaret. In peruigilio Aſſumptionis Patronæ ſuæ, præter ordinaria deuotionis exercitia obita, exhortationem in Congregatione ad ſuos habuerat ſolito ardentiorem,ac deinde de

more cum ſuis acriter ſe diuerberauerat. Solebat enim eo die ſanguinem elicere, quem B. V. daret & conſecraret. Die ipſo feſto febricula correptus, vt cum Domina ſua, quam tenerrimè amauerat, citius CRVCIFIXI delicijs, ac DISCIPLINARVM fructu frueretur, in octaua Aſſumptionis, ſine agone & lucta cum hoſte tartareo quem ſanus ita fugarat ac deuicerat; ſed perinde, ac ſi ſenectute confectus eſſet (cùm eſſet annorum XXXIII. quæ fuit ætas CHRISTI D. quando is CRVCI adfixus eſt) reſolutis viribus, placidè pieque animam Creatori, ac Redemptori ſuo reſignauit.]

I nunc, delicate Miles, & cùm DISCIPLINÆ tempus aduenerit, cùm vel inuitaberis à Socio, vel inſtigaberis à Cuſtode Angelo, excuſationem prætende à nobilitate, à carnis mollitie, à complexione tenerâ. Tu non poteris, quod Cardinalis, Dux, Princeps? Et quidem Diſciplinam facere. Quid eſt hîc DISCIPLINA? flagellátiuncula à proprijs, id eſt, ipſiuſmet indulgentiæ & mititatis manibus facienda. quis enim carnem ſuam odio habet? Cùm Chriſtus manibus alienis, & quidem robuſtiſſimorum, truculentiſſimorumque ſatellitum Brutiorum ſit flagellis acuminatis dilaceratus. Tu horreas *Diſciplinam*, qui ob criminum enormitatem, ſcelerum multitudinem, peccatorum grauiſſimorum abominandam accumulationem, vel à carnifice merereris diſcindi, vel à Cacodæmone in Orci propilæo excarnificari?

EXCLAMAS iterum: Flagellare me non poſſum. Falleris pueriliter, & mendaciter fallis, ſed ex ignorantiâ fortaſſe. Laudo te, quod non dicas, nolo. Puto enim, ex affectu ergo vos benigno, quod velitis omnes, ſed non audetis, erubeſcentiâ puerili impediti, ita ſubitò nomen edere quilibet ſuum abſque exemplo. At caue etiam dicas, non poſſum. Potuerunt Principes Reges Maximi, Imperatoria Maieſtas, tu verna facere, & plebeium tuum dorſum ſuſtinere non poterunt? CAROLI V. Inuictiſſimi Imperatoris, & Germani, ne Italorum id tantùm eſſe ſuſpiceris, tum PHILIPPI II. eius filij Hiſpaniarum & Indiarum Regis potentiſſimi flagellum ſanguine inſperſum conſeruatur Madriti quod moriens ex arcâ depromptum hic filio commendauit, vt æternâ dignum memoriâ cimelium. HENRICVS II. Anglorum Rex ſuſpectus in cæde Antiſtitis Cantuarienſis Thomæ, quaſi imperio patrata regio eſſet, monitus, vt peccati confeſſionem faceret, renuit aliquamdiu: tandem, DEO impellente, ad locum ſepulcrumque Martyris venit Cantuariam, atque ibi in terram & lacrymas effuſus, miſericordiam petijt. Satisfaciendi poſt hæc ardore incitatus ad Monachorum cætum perrexit, & multis precibus impetrauit, vt à ſingulis ordine diſciplinaretur; loquor monachaliter & religioſè. Hanc à virgis, quibus vapulauit Rex pœnitentiam ſuſcepit, immò ſibi impoſuit. Et tuum tam delicatum eſt dorſum, vt ad *Diſciplinæ* commemorationem ſubſultet, ac penè diffindatur, antequam tangatur Poſt tam illuſtria exempla, minores Regibus non lubet adducere, qui dorſum ſuum fodere valuerunt, &, cum

Pau-

Paulo caſtigare corpus; id eſt, ex verbi Græci proprietate; ὑπωπιάζειν, vſque ad liuorem contundere. Atque hæc ſunt PALARIA Chriſtianorum, vtiliſſimum haud dubiè Militiæ ſacræ exercitium.

MEMBRVM VII.

CHRISTI ARMATVRA MILITARIS In Campo Paſſionis.

SVPEREST inter Exercitia Militum antiquorum ARMATVRA: quod leuiũ fuit, vti *Palaria* grauium. De ea aliquot capitibus agit Vegetius, lib. 1. à cap. 13. Militiæ antiquæ diſciplinam deſcribens, ex quo iſtud habetur: non aliud hoc nomine deſignari, quàm haſtilium, iaculorum, pilorum, ſagittarum miſſionem. Cauſſa nominis videtur ex eodem Auctore lib. 11. cap. 15. quod ipſi leues milites dicerentur *Armaturæ*, aut *leues armaturæ*. Seneca vſum exponit his verbis, *Iuuentutem maiores noſtri rectam exercuerunt, haſtilia iacere; ſudem torquere, equum agitare, arma tractare.* Silius lib. VIII. Imperatorem producit in eo excellentem, vbi de Scipione:

Ipſe inter medios ventura ingentia laudis
Signa dabat, vibrare ſudem, tranſmittere ſaltu
Murales foſſas, vndoſum frangere nando
Indutus thoraca vadum.

Feſtus indicat, aſtitiſſe Centuriones, quaſi arbitros & doctores. *Adſtantibus*, inquit, *Centurionibus, iacere coguntur ſudes.* Iam vero, tota quidem vita ſua Chriſtus noſtræ Militiæ Magiſter & Anteſignanus docuit nos exercendo iacula amoris in cælum vibrare, ſudes acutas, & præuſtas caritatis in altum iacere, haſtilia orationis in hoſtem contorquere, illumque auertere; ſed id præcipuè fecit in *Paſſione*, in quâ omne genus armorum ſpiritualium tractauit ipſe dexterrimè, & quomodo à nobis vſurpandum ſit exemplo monſtrauit. In PASSIONE Domini Noſtri docemur, quomodo ſagittæ dilectionis acutæ in corda inimicorum ſunt dirigendæ, illique beneficijs demerendi, quomodo haſtilia pietatis verſanda, Gladius ſpiritus, quod eſt verbum DEI in omnem partem vibrandus, quomodo corpus noſtrum, quod eſt equus, cui inſidet anima, tractandum.

ITAQVE, vt paucis hactenus dicta complectar, videtis, nihil deeſſe in Militiâ Chriſtianâ eorum, quæ ad *Armorum* exercitationem pertinent: non Curſus, non Saltus, non Salitio, non Natatio, non Palaria, non Armatura, non Ambulatio. Faxit Militiæ Sacræ Dux & Imperator, quod poteſt, vt ſecundum Artem ab ipſo traditam, & exemplo firmatam, in Campo vitæ mortalis aſſiduò ambulemus, curramus, ſaltemus, ſaliamus, natemus, circa Palum noſtrum verſemur, arma tractemur, donec ad optatiſſimam victoriæ, & felicitatis æternæ, quam Mili-

tibus omnibus Chriſtianis enixiſſimè precor, metam perueniamus, fauentibus Superis, & auxiliante Domino Exercituum Deo Zabaoth, PATRI, FILIO, & SPIRITV-SANCTO. *AMEN.*

NOTÆ

In quibus Auctores & Lectio varia.

§. I. CVRSVS, DECVRSIO] *Legendi VValtrinus, & Lipſius lib. v. de Militia, dialog.* 4.

Pſalmo XVIII. 7. Exultauit vt Gigas, ad currendam viam.] *Viam cucurrit, quia in via peccatorum non ſtetit, Pſal.* I. 1. *Egreſſus æterna egreſſione à Patre occurrit plenitudine Diuinitatis, vſque ad æqualitatem Patris ad eius dexteram ſedens Marci vlt.* 19. Exiui, *inquit*, à Patre, *Ioan.* XVI. 28. *S. Ambroſius in Pſal.* XLI. *Viam accipit, quæ alijs adhuc inuia fuerat, & peruia facta eſt mortalibus, ita vt hi aſcenderent: nimirum, ſolus ipſe deſcendit, vt ſancti eius mererentur aſcendere. S. Auguſt. lib.* IV. *Conf. cap.* 66. *in curſu notat indicatam celeritatem giganteam. Quam etiam deſignans illa Iſaia* VIII. 3. Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari: *quoniam, vt ibi* Procopius *docet, in ipſo Chriſti aduentu fuit velox, & fulminis inſtar. Exultauit ad currendam viam, vt nos poſt ſe currere faceret, eiq; diceremus ex corde,* Trahe nos poſt Te. curremus. *Cant.* I. 1.

§. II. SALTVS.] *Ad Militiam qui ſpectat, eſt duplex.* Vnus, *quo vſi olim multi in prælio, dicatur diſcriminis gratiâ* SALTATIO. Alter, *qui deſeruit, cùm iter faciendum ad ſuperandos colliculos, & tranſmittendas foſſas. Prioris auctorem faciunt Rheam, quæ, vt Lucianus lib. de Saltat. ſcribit, in Phrygia quidem Corybantas, in Cretâ Curetas Saltare iuſſit, optimo exemplo. Nempe, vt gradum facere in bello ad numerum, vt ſe mouere ex ordine, & vibrare haſtas, & ſagittas iacere, & moderari ſcuta, & opportunè adoriri, & ſe recipere tempeſtiuè condiſcerent.* Hæc Saltatio, *inquit Lucianus*, ab armatis deſaltabatur, gladios ad ſcuta collidentibus, ac bellicum quiddam & attonitum ſaltantibus. *Hoc autem Saltationis genus non eneruatum ac molle, ſed decorum ac magnificum, quod motus, qui fiunt in armis repræſentabat, docebantur Tyrones.*

Sed corruptela paullatim horrorem in delicias vertit. Nam equos Sybaritæ ad tibiam in ſympoſijs tripudiare docuerunt. At non impune: id enim cum Crotoniatæ cognouiſſent, tibicines ſecum in aciem eduxerunt, quorum, cùm tibiarum ſonum equi audiſſent, ſublatis manibus extremiſq; innitentes pedibus in tripudium ſunt conuerſi. Itaque ſeſſores victi fugatiq; ſunt, quorum omnis in equitatu vis poſita erat. Scripſit hoc Athenæus *ex Ariſtotele lib.* XII. *cap.* 6. *&* Charon Lampſacenus *lib. ſecundo Terminorum.*

Hinc Magiſtri Saltationum *bellicarum, ac* Præſultores *inducti, & ſtatuarum inſcriptionibus ac titulis decorati, qui optimam nauaſſent operam in bello, non commiſſo, ſed ſaltato. Supereſt etiamnum epigraphe cuidam honoris cauſâ à Populo curata propterea, quod pugnam probè deſaltaſſet. Inde Salij Martis flamines à ſaltando dicti, quod Martem ſaltarent grauiſſimè &* religioſiſsimè, *vt loquitur Lucianus.* Hanc ſaltandi artem, *vt idem ſcribit*, vſurpans Bacchus, Thyrrenos, & Indos & Lydos deuictos ſubiugauit, ac gentes adeò bellicoſas ipſis ſaltem Thyrſis deſaltauit.

tauit. *Quò ſpectat* Athenæus *libro* XIII. *cap.* 12. *ſic ſcribens* : Habent Thyrſos ſaltantes haſtarum loco, quas in ſe inuicem iaculantur, ferulaſque & lampades ferunt, tripudiantque, quæ ad Indos, quæ ad Pentheum canentes.

Hoc ſaltandi genus olim appellatum fuiſſe Pirrhycum, & Lacedamoniorum inuentum fuiſſe idem adfirmat : ab ijs autem ad alios eſſe deriuatum, tametſi poſteà derelictum: ſed cum eius interitu, militarem etiam diſciplinam euanuiſſe. Sanè bellicum hunc ſaltum ad diſciplinam illam maximè neceſſarium cenſuit Socrates, *qui idcirco tripudiantes maximè eſſe idoneos rebus bellicis ſcriptum reliquit in Poëmatis, vbi hoc legitur:*

Qui rectè ſciuere choris decorare Deos, hi
Optimi & in bello. ------

INDE *natus multarum gentium mos, cum cantu & ſaltatione prælia inire.* Clemens Alexandrinus *in Pædag. cap.* 4. In bellis ſuis tuba vtuntur Hetruſci, fiſtula Arcades, Siculi inſtrumentis, quæ appellant, pyctidas, Cretenſes lyra, Lacedæmonij tibia, cornu Thraces, tympano Aegyptij, Arabes cymbalo.

Athenæus lib. XII *cap.* 4. *de lydis* : Cùm ad bellum exeunt lydi, cum tibijs ſyringibus in acie inſtruuntur, vt aſſerit Herodotus. Sicut in hoſtem impetum faciunt lacedæmonij cum tibijs: ac cum lyrâ Cretenſes.

Lucianus Opuſculo de Saltatione: Lacedæmonij, qui Græcorum præſtantiſsimi cenſebantur, cùm à Caſtore & Polluce caryatiſſare didiciſſent, quæ ſaltationis ſpecies à Carijs vrbe Laconiæ dicta erat, omnia cum carminibus facere ſoliti; adeò, vt ad tibiarum quoq; modulos, & rhythmum, & moderatum pedis ingreſſum prælium committere illi genti moris fuerit.

Aethiopes non alia, quàm ſaltandi ratione, illatis iam ſignis, bellum ingrediuntur. Nec quiſquam Aethiopum vel ſagittam emittere ſolet auulſam à capite [hoc enim vice pharetræ vtuntur, radiorum inſtar, tela capiti circumponentes, niſi priùs ſaltauerit, ſaltatione hoſti timorem incutiens.

De Thracibus Tacitus *lib.* IV. *Annal.* More gentis, cum carminibus ac tripudijs præſultabant. *De Germanis idem lib.* 2. *Hiſtor.* Temerè ſubeuntes cohortes Germanorum, cantu truci & more patrio, nudis corporibus. *De Cimbris & Theutonibus Strabo lib.* VII. Plinius *lib.* XXVI. *cap.* 4. *De Hiſpanis* Silius:

------ ritu iam moris Iberi
Carmina pulſata fundentem barbara cetra

De Luſitanis Diodorus Siculus: In bellis ad numerum incedunt, cùm aggrediuntur hoſtem. *De Perſis* Petronius: Proceſsit ſtatim ſciſſor, & ad ſymphoniam ita geſticulatus lacerauit obſonium, vt putares Darium, Hydraule cantante, pugnare.

Hebræi cantum vſurpabant, vt & Syri, de ſaltu non lego. Machabæorum ſecundo 12. Illis, qui cum Eſdrin erant diutius pugnantibus & fatigatis, inuocauit Iudas Dominum adiutorem, & Ducem belli fieri, incipiens voce patria, & cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus incuſsit. *Ibid. cap.* XV. *de Syris:* Nicanor & qui cum eo erant cum tubis & canticis admouebant. *An fortaſſe, ad mitigandum affectum in hoſtes, & ad humanitatis officia diſponendum, ſicq, ad ferocitatem coërcendam? Idcirco Chriſtum ad Paſſionem, vt cruentiſſimum prælium euntem, hymnum dixiſſe, aut ceciniſſe commentatur Philippus Boſquier Concione V.*

An, vt ad fortia cantu animarentur? quomodo Martem accendere cantu monebat quidam, non vt quemquam caderet, ſed ne ceſuris cadetet. Legendus Gellius lib. 1. *cap.* 11. *& Martinus de Roa libr.* 3. *Singular. cap.* 16.

§. III. HOMO *natans exprimit* CRVCIFIXVM] *Legendus* Iuſtus Lipſius *de Cruce lib.* 1. *cap.* 9. *vbi ex Hieronymo, Tertulliano, Minutio Felice, Maximo Taurinenſi, Iuſtino Mar-*

Martyre iſtiuſmodi picturas ponit, & poſt illum Iacobus Gretzerus, *lib.1.de Cruce.*

§. IV. PALARIA.] *Calepinus interpretatur* Palaria *locum, in quo palus defixus, ad quem milites ſe exercebant circumeundo. Quo pertinet illud in cornicularia, cuius meminit Varro: Itaq;*, ducunt milites ad veſtim, quem circumeunt ludentes. *Sic legit Scaliges.*

§. V. DISCIPLINAE] *De Diſciplinis legendum* Iacobi Gretzeri *opuſculum.*

COMMENTATIO IV.

PASSIO CHRISTI

Militiæ Chriſtianæ

ARMAMENTARIVM. PANOPLIA. OFFICINA ARMORVM.

Chriſto in Carne Paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.
I. Petri Epiſt. IV. I.

DOMINICA PASSIONIS.

MEMBRVM I.

PASSIO CHRISTI

Quam dictionem poſtulet.

PASSIO Domini Noſtri IESV CHRISTI exordium non admittit, propoſitionem reijcit, confirmationem non deſiderat, exaggerationem excludit, epilogo non finitur, ſola eſt contenta narratione. In quâ non ſeruetur ordo, nulla ſit elegantia loquutionis, nullum ornamentum facundiæ, nullum artificium eloquentiæ, artis fucus nullus; cùm in illâ quicquid auditur, cernitur, agitur, ſit horror, dedecus, confuſio: eaque omnia, & ijs annexa finem non habeant; & principium neſciant, quippe immenſa: omni exaggeratione ſint maiora, quippe infinita: abſque confirmatione probata, quippe notoria: non propoſita, ſed inflicta: denique PASSIO, non dictio. Si tamen interueniat Dictio aliqua, ſine quâ non diſſeritur, illa luctum deſiderat, non cultum; lacrymas, non figuras; longam complorationem; ſpinas, non flores; non volubilem linguam, ſed lugubrem mentem; non verba, ſed opera; nõ oſtentationem, ſed collacrymationem.

ITA-

ITAQVE optimè dicit de *Paſſione Domini*, qui incipit ex abrupto, & nullo ſeruato ordine, prout afflatus interior, & impetus Spiritus propellit, nunc huc fertur, nunc illuc, non tam currentis, quam ſaltantis ritu, hominis mente moti: nam verè mentem mouet, ac ſede ſuâ pellit mente ſeriò recogitatâ PASSIO DOMINICA. Nos tamen, quoniam MILITIAM CHRISTIANAM hoc anno ex hac cathedrâ tradimus, quæcumque dicemus, metaphorâ armorum ac rerum militarium veſtientur, ordine aliquo ſeruato: nam tam tenaciter formalæ illæ ac ſpecies militares hoc tempore animo infixæ hærent, vt etiamſi maximè velimus, abolere illas nequeamus, & ab ordine ſuo auellere. Nunc rem ipſam aggrediamur.

MEMBRVM II.

BELLI TEMPORE NECESSITAS.

Armamentarij Panoplia, & Officina armorum.

TEMPORE belli, quod ſi vnquam aliàs fuit, modò ſanè eſt, & futurum videtur deinceps in Imperio Romano-Germanico diuturnius, quàm quidam opinantur, vtinam ſim. vanus augur; tempore, dico, belli, aut dum illud inſtar, de nullâ re accommodatius diſſeritur, quàm de Armis, & quæ ad illa ſpectant plurima. Inter cetera verò imprimis curandum, vt in Republicâ ſit ARMAMENTARIVM benè inſtructum. Item, vt in eadem reperiatur OFFICINA FERRARIA ARMORVM, quæ horum genus omne conficiat, & contineat ſemper, vt nunquam deficiat PANOPLIA ad armandum plenè militares copias. Quamobrem ſolicitus Princeps Apoſtolorum, cui cura belligerantium in Eccleſia Militante demandata erat à Militiæ Chriſtianæ Imperatore ſupremo, *Domino Exercituum*, DEO *Zabaoth*, ne Chriſtiani Milites ſint inermes tempore belli, non tam illius externi & corporei, quàm interni ac ſpiritualis, quod eſt nobis omnibus, dum viuimus, cum Cacodæmone, Carne, Mundo, peccatis, vitijs, & concupiſcentijs, deſignauit paucis verbis, tum *Armamentarium*, quod eſt in Eccleſia Chriſti omnis generis armis refertiſſimum; tum *Officinam*, vbi arma ipſa parantur, nullis Reipublicæ impenſis, ſed Imperatoris ſolius ſumptibus, tum *Panopliam* ipſam, id eſt, perfectam armaturam, ſeu quicquid ad armandum Militem eſt neceſſarium. Hæc enim omnia continentur breuiſſima illa ſententia: CHRISTO PASSO *in carne*; & *vos eadem cogitatione armamini.*

ARMA autem Militiæ noſtræ; non carnalia ſunt, vt loquitur S. *Paulus*, nempe, vel ex ferro vel chalybe, thoraces, galeæ, ſcuta, clypei, enſes, acinaces. haſtæ, iacula, & huiuſmodi alia, quæ tamen ſunt ſymbola armorum noſtrorum; ſed ſpiritualia, nimirum, virtutes. fides, ſpes, caritas, humilitas, patientia, caſtitas, obedientia, & ſimiles, quibus contra hoſtes

res nos munimus ac defẽdimus: aduerſarios verò noſtros offendimus ac ſuperamus.

Quocirca nihil opportunius hoc belliciſſimo tempore; nihil vtilius Auditorum meorum, qui omnes Militiæ Chriſtianæ nomen dederunt, rationibus; nihil commodius ad totius PASSIONIS Dominicæ explicationem compendiariam, adferre me poſſe ſum arbitratus, quàm, vt ſequutus conceptionem Petri Apoſtoli, oſtendam, PASSIONEM D.N. IESV CHRISTI, eſſe OFFICINAM armorum omnium ſpiritualium, & ARMAMENTARIVM inſtrumentorum omnium militarium; & PANOPLIAM omnium in Chriſti exercitus militantium; ſed vniuerſa hæc analogiâ quadam & alluſione facili ad illa ipſa, quæ in Militia externa & corporali vſurpantur, elucidabimus. Vnde innoteſcet fructus multiplex, qui ex PASSIONIS CHRISTI conſideratione militari ad nos deriuari poteſt, ſi induſtrij ſimus Militiæ ſacræ contemplatores, & CHRISTI CRVCIFIXI cultores. Eadem operâ PASSIONIS Dominicæ opes inexhauſtæ, theſauri, gazæ prodibunt in medium, & omnibus ad vſum exponentur.

MEMBRVM III.

PASSIO CHRISTI OFFICINA

In quâ cuduntur Arma Militiæ Chriſtianæ.

PRINCIPIO itaque contemplor Paſſionem D.N.I.C. tanquam *Officinam fabrilem*, in quâ ferrum, æs, chalybs, aliaque metalla igniuntur, permiſcentur, temperantur; tum incudi imponuntur, malleis pulſantur, eoque extenuantur, aut denſantur, denique, in Arma genus omne conformantur. Siquidem in Paſſione ferrum fortitudinis, immixto chalybe prudentiæ, adiunctoque ære iuſtitiæ ad menſuram clementiæ, & pondus miſericordiæ temperamentum accipit; tum caritatis igne in fornacula Lateris Dominici, in quâ COR inflammatum ardebat, mollitur: deinde incudi CRVCIS impoſitum, malleis aduerſitatis, ac contumeliæ extremæ pulſatur, extenuatur longanimitate, denſatur patientiâ; tandemque in formam galeæ, loricæ, ſcuti, enſis, balliſtæ, ſcloppi, armaturamque omnem Militi Chriſtiano neceſſariam figuratur.

MEMBRVM IV.

PASSIO CHRISTI

Militia Chriſtianæ

ARMAMENTARIVM.

CONSIDERO deinde PASSIONEM Domini, veluti publicum Militiæ Sacræ noſtræ ARMAMENTARIVM, in cuius quatuor capaciſſimis cameris à totidem Euangeliſtis Architectis peritiſſimis in altum eductis, ingens ille *Apparatus Machinarum*; & tormentorum bellicorum, vt nunc loquuntur, in *Officinâ* prædicta fabricatorum conſeruatur. Præterea, *Inſtrumenta* omnia militaria, quibus, vel ad defendendum nos, vel ad offendendum hoſtem vtimur, & ſunt opportuna in omnem belli euentum.

SIMILE Symbolum PASSIONIS eſt TVRRIS DAVID clypeata, quæ Canticorum quatto celebratur, diciturque *ædificata cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* Quid aliud dixeris eſſe PASSIONEM, quàm *Turrim Dauidicam* in Sione à Patiente erectam, tum in refugium ciuibus, ac amicis in tutelam admittendis; tum in conſeruationem armorum bellicorum, è quâ ſubminiſtrentur ad omnem caſum,

Armamenta ſacra publica militiæ?

Hoc eſt quod docent ſine metaphorâ, Sanctiſſimi Patres Eccleſiæ Doctores, dum aſſerunt, virtutum omnium, quæ Militiæ Chriſtianæ ſent arma, reconditorium eſſe Paſſionem Dominicam; cum nulla ſit virtus, cuius non illuſtre aliquod exemplum in Paſſione ſua Dominus Chriſtus reliquerit. In ea elucet humilitas profundiſſima, obedientia exactiſſima, patientia conſtantiſſima, liberalitas profuſiſſima, fortitudo robuſtiſſima, iuſtitia rigoroſiſſima, miſericordia ſuauiſſima caritas flagrantiſſima, denique omnes aliæ, in ſummo quæcumque gradu.

***

COMMENTATIO V.

PASSIO CHRISTI

Militis Chriſtiani

PANOPLIA

Chriſto in Carne Paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.]
1.Petri IV. 1.

MEMBRVM I.

Quomodo eidem conueniant eſſe Armaturam *&* Armamentarium.

PASSIO D.N.I.C. eſt PANOPLIA Militis Chriſtiani, & quatenus eſt repoſitorium armorum, & quatenus ipſa armat. Siquidem Paſſionis Dominicæ Armamentariũ maxime opulentant CHRISTVS & CRVX, ſeu coniunctim CHRISTVS CRVCIFIXVS, qui nobis eſt PANOPLIA. Ita concepiſſe CHRISTVM in CRVCE PASSVM videtur Petrus Apoſtolus. (*a*) Qui poſtquam dixiſſet: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret* DEO; inde conficit; (*b*) *Chriſto igitur* Paſſo *in carne*, *& vos eadem cogitatione armamini.* Vbi premendum eſt verbum militare, ARMAMINI, quod haud dubiè ὁπλίσασθε ab Apoſtolo vſurpatur. Quamuis enim generatim alicubi ſumatur, pro *induite*, aut inſtruite. Sic enim quandoque veſtes, ſupellex, & quæuis vtenſilia ac inſtrumenta vocantur *Arma*, reor tamen propriè, ac neruoſius, τὸ *armamini*, poſitum, pro armate vos, armis vos communite, ac inſtruite, cataphractos hac *Panopliâ* vos exhibite. Quo innuatur, *Primò*, Vitam hominis vniuerſam, præſertim Chriſtiani non eſſe aliud, quàm Militiam, in quâ continuò contra Dæmonem, Carnem & Mundum luctandum ac decertandum ſit. *Deinde* ne nudi cum armatis decertemus, oportere armis indui Militem Chriſtianum. *Tertiò*, PANOPLIAM, id eſt, plenam, perfectamque

(a) 1. *Petri* 3. 22. (b) 1. *Petr.* 4. 1.

ſque armaturam Chriſti Imperatoris noſtri fuiſſe PASSIONEM & CRVCEM: ea enim debellauit Peccatum, Mortem, Mundum, Carnem, Infernum, Diabolum. Quapropter, *Quartò*, Chriſtiani cuiuſcumque *Armaturam* eſſe debere PASSIONEM, & CRVCEM CHRISTI DOMINI, eiuſque cogitationem, memoriam, conſiderationem, ſimulque imitationem: iiſdem enim armis vti ac pugnare debet Chriſtianus, ſi vir ſui nominis eſſe velit, quibus vſus eſt, ac pugnauit CHRISTVS in cuius caſtris militant, quicumque eo cenſentur nomine. Sanè, Patres antiqui Eccleſiæ Magiſtri quando de PASSIONE & CRVCE diſſerunt, quod faciunt frequentiſſimè, cum omni armorum militarum genere, ac ſpeciebus illam comparauit, A S. Martiale (*a*) Apoſtolorum diſcipulo vocatur CRVX *Armatura inuicta* contra Satanam. A S. Chryſoſtomo (*b*) *Chriſtianorum Gladius*. A S. Damaſceno, (*c*) *defenſionis Clypeus*. A S. Ephremo, (*d*) *Armatura* Chriſtianorum *inſuperabilis*. A S. Ambroſio (*e*) in perſona Helenæ Imperatricis *Vexillum ſalutis*. A S. Paulino Epiſcopo Nolano, (*f*) *Munimentum præſentis, & pignus æternæ ſalutis*. A Sophronio Patriarcha (*g*) Ieroſolymitano, *Scutum Magni Regis*: cuiuſmodi plura occurrunt apud Patres in CRVCIS SANCTÆ elogijs.

QVOCIRCA nullum eſt telum efficacius ad lædendum hoſtem, nullus Clypeus accommodatior ad muniendum Corpus & animam, nullum genus armaturæ magis validum ad reſiſtendum tentationibus Dæmonis, & fuganda ac delenda peccata, ſuperandamque Carnem inſidiantem, & Mundum apertè nos inuadentem, quàm ſit CRVX Domini & Cogitatio CHRISTI CRVCIFIXI. Ad cuius rei teſtificationem in Confirmationis Sacramento ab Epiſcopo in fronte ſignamur CRVCE, eaque quaſi Milites & Pugiles Chriſti auctoramur, ac roboramur ad certandum pro fide & iuſtitiâ, vſque ad martyrium, & mortem. Ita Conſtantinus Magnus de Confirmatione, quam ſuſceperat, mentionem faciens in Edicto, quod deinde edidit, loquitur: *Leuato me de fonte, ac induto veſtibus candidis, ſeptiformis gratiæ Spiritus Sancti conſignationem adhibuit beati Chriſmatis vnctione, & vexillum* CRVCIS *in mea fronte liniendo erexit*. Regale vnguentum vocat Prudentius, In Pſychom. dicere potuiſſet Militare.

> *Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ*
> *Vnguentum Regale datum eſt, & Chriſma perenne,*

Hinc in Ordine Romano die Iouis ſancto, forma CRVCIS vocatur *Signum frontis, & ſacri titulus* BELLATORIS, *vti ſignati Chriſmate ſancto*, SIGNIFERI *eſſe mereamur cæleſtes*. Quamobrem veteres non tantum frontem, in qua reſidet pudor vngebant in Confirmatione ac ſignabant CRVCE, ad profitendum intrepidè fidem ac CRVCIFIXVM, ſed etiam alia membra. Id etiamnum ſeruant Græci,

(a) *Epiſt.1.cap.4.* (b) *Homil.1.de Lazaro.* (c) *lib.4.de fide cap.12.* (d) *lib.de pœnit.cap.4.* (e) *Orat. in funere Theod.* (f) *Epiſt.11.ad Seuer.* (g) *Homil.de venerat.Crucis.*

ci, qui, vt teſtis eſt Ieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in Confeſsione fidei, vngunt frontem, oculos, & dorſum in formam CRVCIS.

AT Æthiopes Chriſtiani, vt habet eorum Ritualis Codex, ſiue Ordo Baptiſmi, vngunt non tantùm frontem, oculos, & dorſum in modum CRVCIS, ſed nares quoque, labia, pectus, ſtomachum, tibias, genua, pedes, vt ſignificent, Militis Chriſtiani membra omnia, ſenſus omnes, omnes actiones eſſe CRVCE obſignanda. Hinc etiam Militiæ Chriſtianæ *Teſſera* & *Vexillum* fuit CRVX, ab eo præſertim tempore, quo Conſtantinus Imperator Aquilas, quas Romani in vexillis præferebant, mutauit in CRVCIS labarum cælitus monitus, & per illud victoria donatus. Id ſequuti ſunt Chriſtiani in bello ſacro: quotquot, enim nomen dabant militiæ, CRVCE ſignabantur: vnde dicebantur CRVCE SIGNATI. Rectè igitur Militiæ Sacræ, poſt Chriſtum Anteſignanus Petrus Apoſtolus per modum mandati fidelibus ſcribit: CHRISTO *in carne* PASSO *vos eadem cogitatione*, nimirum, PASSIONIS, *armamini*.

MEMBRVM II.

AMATORES CRVCIFIXI

Qui Paſſionis Dominicæ Panopliâ benè ac fructuosè ſunt vſi.

MANDATO ſui Ducis obſequentes DEO peculiariter cari in vtroque ſexu, vt fortiter pugnarent contra capitales animarum hoſtes, contra carnem, eiuſque copias, voluptates ſenſuum; contra Mundum eiuſque cohortes, pompas, honores, dignitates; contra Cacodæmonem, eiuſque furentem ab inferis exercitum, contra quaslibet iniurias, contumelias, probra, irriſiones, moleſtias, dolores, ærumnas, perturbationes animi innumerabiles; nullum tranſmittebant diem, quin aliquid temporis PASSIONI DOMINICÆ meditandæ darent, aut cum periculum aliquod ab hoſte imminebat, hoc ſe armaturæ genere inſtruerent. Hic imprimis animo obſeruatur S. ELZEARIVS Comes Arriani, qui rogatus, quomodo hoſtes nobis infenſiſsimos, indignationem, rancorem, iracundiam, in poteſtatem redigiſſet ſuam, & ad tantam animi manſuetudinem ac patientiam, irritatus etiam à viliſsimis hominibus proprijſque famulis perueniſſet; reſpondit, cogitatione Paſsionis Chriſti, quâ detumeſcit iracundiæ fluctus, & ſubſidit omnis animi æſtus accommotio: maximè, ſi eligatur habitatio continua in Latere CRVCIFIXI, quod proprium fuit Comitis Elzearij. (a)

S. ELIZABETHA Hungarorum Regis filia, intenſius intuens in imaginem CHRISTI CRVCIFIXI eiuſque meditatione, momentò omnem vanitatis mundanæ exercitum profligauit. (b) *En*, inquiebat, *Creator & Redemptor meus, unde*

(a) *Vita cap.* 30. *Septem.* 27. (b) *Vita cap.* 7. *Nouemb.* 19.

nudo corpore, meâ cauſsâ ignominioſam in CRVCE *oppetit mortem: ego verò miſera gemmis, auro, byſſo, & purpurâ contecta, vitam cæleſtibus indignam beneficiis, perdo magis, quàm ago.* Illud caput ſpinea corona diſpunxit, Iudæorum vallarunt opprobria: me numeroſa circumdatam familia, aurea corona redimitam cuncti mirantur, ſuſpiciunt, honorant: me miſeram! me infelicem! ſic illius obedio præceptis, beneficia reuoluo, veſtigia ſequor, qui me cùm non eſſem, creauit, perditamque ſuo ſanguine redemit? ſic poſt exanimationem, ex vehementi compunctione, abiuratâ vanitate, totam ſe dedit pietati, humilitati, contemptui ſui, & pauperum obſequio.

B. CLARA *Aſſiſias* (*c*) abſque intermiſſione intuebatur oculis mêtis CHRISTVM CRVCIFIXVM, atque ita ad deſpectum rerum mundanarum, ad amorem cæleſtium, ad deſiderium CRVCIS, ad omnis denique perfectionem virtutis accendebatur. Docebat teneras virgines, nouellas in religione plantulas, inſtituti ſui tyrunculas plangere CHRISTVM CRVCIFIXVM. Intèr horas diei, ſextâ ac nonâ (quibus in CRVCE pependit CHRISTVS) maiori compunctione affuiebatur, vt cum immolato Domino immolaretur. Chordam tredecim nodorum ad carnem cingebat in memoriam vulnerum Chriſti. Quid exiſtimandum de B. CLARA *Montis Falconis*? vt in Italia cognominatur, (*a*) cuius cordi uiſum repræſentabat myſteria Dominicæ PASSIONIS tam exactè, ut ea ſculpta viderentur. Nimirum, perpetuò hærebat in profundiſſima cõtemplatione CHRISTI PASSI, qua ſe contra omnes adverſariorum inſultus armabat. Idem faciebat B. COLETA. (*b*) & quidem cum tanta conſiderationis vehementiâ, vt extra ſe raperetur, & in Dominum transformaretur ardentiſſimo deſiderio & amore: præſertim ſextis ferijs, quibus ſæpe præ doloris acerbitate, in manibus, pedibus, ac latere ſibi reuera videbatur clauis & lancea configi. Quare apparuitei aliquando CHRISTVS, modumque quo PASSVS eſſet; &, vt ſingulis membris ſingulares, noſtri amore, pertuliſſet cruciatus, reuelauit. Quamobrem ipſa incidebat in deliquium, nil niſi CHRISTVM ſentiens, eumque CRVCIFIXVM, & in ipſum TRANSFORMATA. Similes ſupêrioribus fuit B. LYDWINA, quæ degens aſſiduè in viridario PASSIONIS, imo ex corde trahebat ſuſpiria, ex oculis lacrymarum imbres profundebat, ac per triginta tres annos continuis morbis, ac dolorum cruciatibus vexata ſumma patientia ſe CHRISTO PATIENTI conformabat, illud ruminans: *Chriſto in carne Paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.* His vetuſtior. STEPHANVS *Abbas*, vt eſt in Prato ſpirituali (*b*) dicebat fidenter: Ego diu noctuque nihil aliud aſpicio, niſi Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM in ligno pendentem: memor illius, *Chriſto in carne Paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.* Idem feciſſe reor

S. AVGVSTINVM, cuius ſunt iſta in Manuali: *Cùm me pulſat aliqua turpis cogitatio recurro ad* Vulnera CHRISTI, *cùm*

(a) *Vita c. 20. Aug. 12.* (b) *Iſidorus Moſconius in vita* (c) *Vita, 6. Mar Sur.* (d) *Vita cap. 7. April 14* (e) *Cap. 97.*

cùm me premit caro mea, recordatione Vulnerum *Domini mei reſurgo. Cùm Diabolus mihi parat inſidias fugio ad viſcera miſericordiæ Domini mei, & recedit à me. In omnibus aduerſitatibus non inuenio tam efficax remedium, quàm* Vulnera Chriſti. *In illis dormio ſecurus, & quieſco intrepidus.* Chriſtus mortuus eſt pro nobis. *Nihil tam ad mortem amarum, quod morte Chriſti non ſanetur* (& dulceſcat.) *Tota ſpes mea eſt in Morte Domini mei.* Mors *enim ejus meritum meum, refugium meum, ſalus, vita & reſurrectio mea. Quanto ille potentior eſt ad ſaluandum, tanto ego ſum ſecurior.* Iterat pené eadem, vt oſtendat, quàm fortis ſit *Armatura* PASSIO Domini, quantumque ſit præſidij ingruentibus hoſtibus in vulneribus CRVCIFIXI. *Tuta & firma requies eſt in* Vulneribus Saluatoris. *Securus illic habito: patent mihi* viſcera *per* vulnera *Quicquid ex me mihi deeſt, vſurpo mihi ex* viſceribus Domini mei, *quoniam miſericordia affluunt, nec deſunt foramina per quæ effluant.* Per has rimas licet mihi guſtare, quàm ſuauis ſit Dominus DEVS *meus. Copioſa redemptio data eſt nobis in* Vulneribus IESV CHRISTI: *magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum.*

QVARE monet Chriſtianos omnes omnium Paſtor Leo Papa: ſerm. 2. de Reſurr. *Siue ergo contra ambitionem ſeculi, ſiue contra concupiſcentias carnis, ſiue contra hæreticorum iacula dimicemus, Dominica* CRVCE ſemper ARMEMVR. Vt autem circumquaque hac armatura ſint tutiores generoſi Milites, *Pia vita Sanctorum*, inquit idem, *nunquam aliena eſt à* CRVCE *Chriſti, dum continentia clauis deſideria carnis configit, & corporeas cupiditates virtute ſpiritus in ſe habitantis interficit.* S. quoque Bernardus in Cantica, ſermone XLIII. agens de doloribus ac *Vulneribus* Chriſti, ſcribit, ſe ex eis haurire omnem gratiam ac virtutem. *Hæc meditari dixi ſapientiam. In his iuſtitiæ perfectionem mihi conſtitui, in his diuitias ſalutis, in his copias meritorum* Ergo PASSIO non ſolùm eſt *Armamentarium*, ſed *Ærarium* quoque noſtræ Militiæ, Bernardi ſenſu. *Ex his mihi interdum potus ſalutaris amaritudinis.* En *cellam vinariam*, in quâ non deſit vas acris aceti. *Ex his rurſus ſuauis vnctio conſolationis.* En *Officinam* athleticam. *Hæc me erigunt in aduerſis, in proſperis reprimunt, & inter læta triſtiaq; vitæ præſentis via regia incedenti tutum præbent vtrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulſando. Hæc mihi conciliant mundi iudicem, dum tremendum poteſtatibus mitem humilemq; figurant dum non ſolùm placabilem, ſed & imitabilem præſentant eum, qui inacceſſibilis eſt Principatibus, terribilis apud Reges terræ.*

HAC de cauſſâ S. FRANCISCVS XAVIER quotidiè, per dimidiam horam minimùm meditabatur de PASSIONE Chriſti: idemque ſocijs, & alijs omnibus, vt facerent, conſulebat: nimirum verſans monitum Petri Apoſtoli, *Chriſto in carne Paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.* Quàm autem id ſit grarum CRVCIFIXO docuit ipſe dilectus ſuas filias, *Catharinam, Brigittam, Gertrudem, Machtildem*, quibus reuelauit, vt refert pijſſimus Bloſius, in Monili cap. 2. inter ea quæ gratiſſima ſibi ſint, numerari debere devotam Paſſionis ſuæ recognitionem,

nem, ac quotidianam memoriam. Quocirca illa eam tam profundè mentibus ſuis infixerunt, & tam ardenti, ſuauique affectu ruminarunt, vt ea ijs eſſet mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. Hiſce vexillum præferre potuit MAGDALENA, CHRISTI PASSI amatrix, ſi quæ alia, feruentiſſima, quæ Domino Patienti conſtanter, multis aliis leuiter diffugientibus, inter Carnifices, Scribas ac Phariſæos adſtitit vſque ad mortem, immò, vſque ad reſurrectionem. Patheticè animæ eius, amoriſque ſenſa exprimit Origenes, qui ſic loquentem inducit: Homil. de S. Magdalena. *Stabo & hic moriar, vt ſaltem iuxta ſepulchrum Domini mei ſepeliar. O quàm beatum corpus meum, ſi fuerit ſepultum iuxta Magiſtrum meum: viuens iuxta illud manebo, moriens illi adhærebo nec viua, nec mortua ab illo ſeparabor.* Quid autem tu de Magdalena ſentis Adamanti? Audite curioſiſſimi ſcrutatoris elogium. *Ioſeph poſuit corpus tuum* (ô Chriſte!) *in monumento*: Maria *ſepeliuit ibi pariter ſpiritum ſuum, & ita indiſſolubiliter iunxit, & quodammodo vniuit cum corpore tuo, vt faciliùs poſſet ſeparare animam ſe viuificantem à viuificato corpore ſuo. Spiritus enim* Mariæ *magis erat in corpore tuo, quàm in corpore ſuo; cumq; requirebat corpus tuum requirebat pariter ſpiritum ſuum. Quid mirum ergo ſi ſenſum non habebat* (Chriſtum videns non videret, ſed hortulanum putaret?) *quæ ſpiritum amiſerat? Quid mirum ſi te neſciebat, quæ non habebat ſpiritum, quo ſcire debebat. Redde ei itaque ſpiritum ſuum, quem habet in ſe corpus tuum, & mox recuperabit ſenſum ſuum, & relinquet errorem ſuum.*

SED ſuperauit haud dubiè, omnes in aſſiduâ PASSIONIS meditatione Chriſti Genetrix MARIA, cui, quippe Prophetiæ ſpiritu dotatæ, & in Prophetarum libris exercitatæ Filij ſui Paſſionem multo ante præuiſam fuiſſe teſtatur D. Bernardus,(*a*) cui conſentiunt Theologi: ac proinde volunt, illam Chriſti D. immaniſſimos cruciatus fuiſſe frequenter, immò, aſſiduè præmeditatam. Chriſto autem in cælos ſecundum corpus etiam recepto, cùm Ieroſolymis ageret, ſacroſanctæ Paſſionis loca Beata Mater crebrò adibat, ac religioſiſſimè inuiſebat. Caluariæ rupem, vbi Chriſtus Crucifixus eſt aſcendebat, vt locum, quem Dominus ſuo ſanguine inundarat, ac ſanctificauerat, lacrymis aſpergeret. Inde digreſſa ſepulchrum venerabatur, ac reſurgentis Chriſti gloriam contemplando ſolitudinem ſuam ſolabatur. Magni ergo facienda eſt, & omni conatu perſuadenda eſſet hoc tempore. PASSIONIS DOMINICÆ frequens, ſi non aſſidua memoria; tum ob alios fructus penè innumeros, tum ab illum qui ad Militiam Chriſtianam propriè ſpectat, quod Apoſtoli Petri iudicio, ſit PANOPLIA, plena ue ARMATVRA: aut, quod initiò dicebam, ſit ipſa ARMAMENTARIVM, vnde omnis generis inſtrumenta bellica, ad muniendum bellatorem ſpiritualem, & offendendos hoſtes animorum petantur. CHRISTO igitur in carne PASSO, vos eadem cogitatione armamini.

COM-

(a) *Serm. ſign. mag.* (b) *Dionyſ. Richel. lib. 2. de B. V. cap. 26.*

COMMENTATIO VI.
VSVS ARMORVM
Quæ è Paſſione, tanquam Armamentario, deſumuntur.

IAM ingrediamur hoc *Armamentarium*: Luſtremus eius cameras, excutiamus ſingula illius loculamenta, repoſitoria, armaria, inueniemus, quod ſpondeo, in ijs omnem armaturam fortium: galeas, loricas, ſcuta, arcus, pharetras, ſagittas, tela, malleos, clauos, fundas, & in ijs lapides, haſtas, ſicas, gladios, ſecures, vomeres, maxillas, baculos, fuſtes, virgas, flagella, clauas, & ſi quid prætereà ad defendendum ac offendendum pertinet. Sed hæc ad praxim applicemus, ac doceamus vſum armorum, quæ ex inſtructiſſimo Armamentario Paſſionis accipi poſſunt.

MEMBRVM I.
GALEA SPEI & CONFIDENTIÆ.
Contra Deſperationem.

EST Militi Chriſtiano perquam neceſſaria SPEI ac confidentiæ GALEA, quâ aduerſariorum minas, irritationes, illuſiones, contumelias, tanquam niueos circa caput volitantes floccos, excipiat, & deſpiciat: quâ animetur, vt in DEVM ſuum ſperet, illi fidat, ab illo nunquam ſe deſerendum firmiter ſibi perſuadeat, maximè, circa vitæ mortalis finem. Oppugnet te tempore illo, quo nullum eſt periculoſius, diffidentiæ ac deſperationis ſpiritus, qui exercitum cõflat ex omnibus, ab ipsâ pueritiâ repetitis ſceleribus, ac peccatis quibuslibet. Et primam aciem inſtruit ex commiſſis cõtra DEVM: alteram expatratis contra proximum: tertiam ex admiſſis in te ipſum, ex turpitudinibus ac fœditatibus adoleſcentiæ, & iuuentutis; quibus nihil ferè boni ſolidi fuit admixtum. In dextro cornu collocat peccata manuum, pedum, operationum: in ſiniſtro, oris, linguæ, loquutionis: in fronte, velut antiguardiam, vt nunc loquitur vulgus, cordis, pectoris, cogitationum: à tergo inſtant bonorum quorumlibet omiſſiones, legum diuinarum, & humanarum præuaricationes variæ, tandemque in benè

benè agendo negligentiæ. Quis ita cinctus & vndique oppugnatus non deſperet de ſalute conſequendâ? quis non animum & arma abijciat? quis non hoſti ſe vinciendum tradat? Quod faciet quicumque ſine ſpei GALEA certamen inibit.

EAM autem ſumere licet ex Armamentario PASSIONIS DOMINICÆ, quâ mirum in modũ firmatur *ſpes* hominis Chriſtiani. Qui exclamat anhelus cum Bernardo: ſerm. LXI. in cant. *Fidẽter quod ex me mihi deeſt, vſurpo mihi ex viſcerib⁹ Domini, quoniã miſericordia affluunt, nec deſunt foramina per quæ effluant. Patet hoc magnum pietatis Sacramentum: patent* viſcera miſericordiæ *DEI noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.* Iterum exaltat vocem, & gemebundus confitetur: *Peccaui peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbatur, quoniam* vulnerum *Domini recordor.* Rurſus, ſer. XXII. obteſtatur: *Deficiente ſapientia, iuſtitia non ſufficiente, ſanctitatis ſuccũbentibus meritis,* O Chriſte! PASSIO *tua ſuccurrat.* PASSIO *tua* Domine IESV, *vltimũ eſt refugium ſingulare remedium*(a) Nimirum, *Petra* refugium eſt herinaceis, (b) vel leporibus; quæ illa *Petra*? Chriſtus in Cruce: *Petra autem erat Chriſtus.* Suxit Iſraël *mel de Petra*(c) confitens videnſque Chriſtum in Cruce, *Oleumque* miſericordiæ *de ſaxo duriſſimo.* Qui herinacei & lepores? homines timidi, ſed timore ſalutari, metu cõſternati Iudicis, & iudiciorum diuinorũ, fugitiui à facie furoris Domini, deſperabundi penè ob peccata præterita; quib⁹ nihilominus ſupereſt refugium. Nã quilibet, modò ſpé omnẽ non abijciat, inuitatur: Cant. 2. *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Quæ verba ſunt CRVCIFIXI, ad *vulnera* ut ad propugnacula aduocantis. Et reuera, vbi tutius commoramur, vt propugnemur, vbi magis ſecura requies, vbi magis firma tutela, quàm in *Vulneribus* Saluatoris? *Cum defecerit virtus mea, non conturbabor, non diſfidã,* inquit deuotiſſimus Bernardus ſer. 22. in Cant. *Scio quid faciam: Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Curram ad *quinque Vulnera* tanquam ad quinque loca refugij. Dicam(a) *Dominus firmamentum meum & refugium meum*(b) *Fortitudo mea & refugium meum es* Tu Domine(c) *Refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me* (d) DEVS *noſter refugium & virtus adiutor in tribulationibus*(e) *Qui factus eſt refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.*

CHRISTVS pro peccatoribus redimendis mortuus eſt, & is non miſerebitur iam à ſe redemptorum? qui pro rebellibus obſtinatiſque eſt Crucifixus, an is abiget à ſe pœnitentia ductos? *Commendat caritatem ſuam* DEVS *in nobis,* inquit Paulus Apoſtolus, Ad Rom. V. *quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus prò nobis mortuus eſt. Multo igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus DEO per mortem Filij eius multo magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius.* Optima argumẽtatio, & in re præ-

(a) *Serm. 4. hebd. ſanctæ* (b) *Deuter. 32.* (c) *Pſal. 103.* (d) *Pſal.* XVII. (e) *Pſ.* XXX (f) *Pſal.* XXXI (g) *Pſal.* XLV. (h) *Pſal.* IX.

præſenti apodictica. Dubitas de miſericordia, lenitate, manſuetudine, affabilitate, commiſeratione tui Redemptoris? Ingredere mecum aream Paſſionis. Audi quam gratioſè proditorem excipiat, alloquatur, ſalutet? amicum vocat, qui erat inimicus capitaliſſimus: non cõfundit, non reijcit, non condemnat: ſed miſericordiâ motus gratiã offert, paratus recipere & amplecti modò voluiſſet ipſe. Vide, quid cum Malcho egerit, quàm fuerit benignus: inhibet lædenté, læſum ſanat, ex aurito membrum amputatum reſtituit. Conſidera, quàm citò, quàm promptè, quàm liberaliter latroni recordationem tantum poſcenti Paradiſum obtulerit, & aperuerit. Attende, quàm valido clamore, & quibus cum lacrymis, vt Paulus teſtatur, hoſtibus ſæuire pergentibus ignoſci petiuerit, inimicorũ haud ſecus, ac amiciſſimorum patronus. Iam labores Redemptoris tui perpende: itus, reditus, tractus, concuſſationes, ſpinas, flagella *Vulnera:* horum numerum, nimirum, vt quidam numerant, quinque millia, quadringenta, nonaginta, fruſtra-ne hęc omnia ſuſceperit, ſuſtinuerit, perpeſſus ſit, cum deſiderio plura exantlauti ſi ad ſalutem fuiſſet neceſſarium. Denique, *Pretium*, quod pro te expoſuit in Paſſione excute. *Empti eſtis precio magno*, inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. VI. *Non corruptibilibus auro vel argento, ſed ſanguine Agni immaculati* addit D. Petrus in Epiſt. 1. c. 1. Et tu deſperes? putas ne Mercatorem prudentiſſimũ, gemmam tã carè emptã velle abijcere? prædium pretio inæſtimabili comparatum velle flammis abſumere? torquem tanti æſtimatum velle fimeto infodere? Quæ hæc, diceres, inſania? & de ſapientiſſimo emptore ac Redemptore tuo tam viliter ſuſpicaris?

HORVM conſideratio facit, vt probabiliter quis arbitrari poſſit & aſſerere, magnam partem Chriſtianorum Catholicorum (aliqui dicunt partẽ maiorem) ſaluari & vix æternùm perire quemquam ex ijs, qui munitus Sacramentis Eccleſiæ, aut pia cogitatione inſtigatus dolens de peccatis hinc emigrat CHRISTI PASSI miſericordiam implorans, & meritorum illius fidi ciâ fretus, firmiter ſe ſalutem conſequuturum cõfidens. Quare omnibus auctor ſim, vt in extremo vitæ mortalis actu, Paſſionem Domini mente voluant, Saluatoris pro nobis ſuſceptos labores perpendant, lytrum pro redemptione noſtrâ perſolutum præ oculis habeant, indeque ſpem ſuam foueant. Quod maiores noſtri faciebant diligenter, qui idcirco & CRVCIFIXI effigiem ante oculos decumbentis collocabant, & lectione Euangelij, quod PASSIONIS myſteria continet, ad illius recordationem cum morte luctantem excitabant. Idem, vt vos faciatis, cùm veſtræ vices erunt, & in fatali lectulo extenſi decretoriam horam expectabitis, hortor etiam atque etiam. Quæ cùm ex me auditis, nolite, quæſo vos, ventis tradere, & memineritis aliquando, vbi cum Lutheranis & Caluiniſtis, ſimiliſque furfuris hominibus agendi erit opportunitas. Hi enim incredibili impudentiâ Eccleſiæ Romanæ Doctoribus affingunt enormia quædam; inter quæ ad inuidiam indignationemque apud populum concitandam iſtud haud eſt

po-

poſtremum: Doctrinam de fide in Chriſtum, deque merito PASSIONIS DOMINICÆ, ac gratuitâ peccatorum remiſſione multis ſæculis iacuiſſe ignotam: & negari non poſſe, de Iuſtitiâ altiſſimum fuiſſe ſilentium. Reuera, omnes libros Pontificiorum, omnes conciones ea dere fuiſſe mutas: neque aliam viam ad conſequendam vitam æternam demonſtraſſe, quàm ſatisfactiones noſtras, & opera ex naturalibus arbitrij noſtri viribus ante gratiam DEI facta.

SED hac in re mentiuntur, vt ſolent, ſplendidè aduerſarij noſtri, & facilè conuincuntur, apertis ſiue ſcholæ Magiſtrorum, ſiue concionatorum libris. Inſpiciatur vel vnius Magiſtri ſententiarum Codex (*a*) occurret ſtatim in oculos illud Scholaſticorum pronunciatum; *Aſſerere, vllum peccati genus abſque gratiâ* CHRISTI, *einſq́; virtute* PASSIONIS *deleri poſſe*, IMPIVM *eſt*, *cum eum* ſolum, *vt ſcribit Paulus*, *propoſuerit* DEVS propitiatorem *per fidem in ſanguine eius*. Nota particulam demonſtratiuam *vnius*, & excluſiuam aliorum omnium, SOLVM. Cum Magiſtro illo conueniunt doctiſſimi diſcipuli, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Bonauentura, Scotus, Alenſis: nam de hoc nulla fuit aut eſt in Scholis contentio. Et illi tanquam fundamento ſuperextruxerunt conciones ſiue homilias ſiue ſermones ſuos Eccleſiaſtæ Catholici, vt videre eſt in concionibus Latinis, & poſtillis ante Lutherum etiam in Germaniâ linguâ vulgari editis. Extat liber concionum de PASSIONE CHRISTI editus Norimbergæ, in quâ vrbe ſunt habitæ ad populum, à Religioſo familiæ S. Franciſci ante Lutheri tempora typis impreſſus, quippe Anno M. CD. XCI. Inſcribitur, *Armarium theſauri abſconditi*, in cuius præfatione altera leguntur iſta. Qui magnas opes exiguo labore conſequi, magnas pœnas iucundis rebus effugere, magnumque brauium & coronam, vitâ quietâ tutâque, & nullius periculi certamine mereri cupit, huic ſe dedat exercitio, meditandi vitam ac MORTEM, doctrinam ac MERITA vnici ſaluatoris Noſtri IESV CHRISTI: eamque meditationem pro ingentis pretij theſauro habeat, & pro fidiſſimo regni cæleſtis pignore. In eâ meditatione ſi ad finem vſque perſeuerauerit, gratiam DEI tam certò ſibi ſpondeat; ac ſi pignus certum in poteſtate ſuâ haberet.

NEC aliud freqnentius inculcant libri de Arte benè moriẽdi, aut qui inſtructionem continent, quomodo iuuandi ſint infirmi & ad mortem feliciter obeundam diſponendi. Libri quoque rituales qui interrogatoria & reſponſoria habent ad moribundos, etiis accommodata, & inter ceteros, *Ordinarium Romanum*. CHRISTI PASSIONEM, eius merita, ſpem ac fiduciam in CHRISTVM PASSVM præcipuè inculcant. Monetur in ijs æger, vt credat ſe alio modo ſaluari non poſſe, quàm per Mortem vnici Redemptoris IESV CHRISTI. Additur, poſtquam reſpondit, vt potuit, adhortatiuncula talis à ſacerdote. Age igitur, omnem fiduciam tuam, quam diu

(*a*) *Lib. 4. ſent. diſt. 5. cap. 3.*

erit in te ſpiritus in hac ſolâ MORTE colloca, neque in vllâ aliâ te ſpem habe, nulli alteri rei innitere, quàm Morti & Merito CHRISTI SALVATORIS. In hanc Mortem te penitus immerge in hanc Mortem te inuolue: acſi Dominus DEVS te velit condemnare, dicas: *Domine* DEVS, *Mortem Domini Noſtri* IESV CHRISTI *pone inter me & iudicium tuum: alioqui, tecum non litigo.* Si dicat, meruiſſe te condemnari; tu dicas, *Domine, Mortem* CHRISTI *pono inter Te & peccatum meum, & meritum illius loco meriti, quod ego miſer deberem habere, & non habeo* Dic iterum: *Domine, Mortem Filij tui pono inter me, & iram tuam.* Dic tertiò: *Domine in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Hæc quomodo optimè conueniant cum aſpiratione ad DEIPARAM: *Salue Regina, Mater Miſericordia, vita, dulcedo, &* SPES *noſtra Salue* alibi Theologicè demonſtramus.

ATTENDE autem, ac pondera effatum, quod in eodem libello, è quo ſuperiora excerpta ſunt, conſequitur: *Securus morietur, qui ſic ante mortem confitebitur, nec videbit mortem in æternum.* Hic habetis, quid conſulat filijs ſuis fidelis Mater Eccleſia Romana, quid doceat, quo digitum intendat, ad quem nos in maximis & extremis neceſſitatibus mittat: nimirum, ad Merita, Paſſionem, & Mortem CHRISTI Saluatoris Ita docuerunt, & docent in Eccleſiâ Pontificiâ, Romanâ, Papiſticâ Doctores omnes Catholici, Seculares, Monachi, Ieſuitæ Quod ſi fortaſſe ignarus quiſpiam & idiota in pago Curio, aut inter agreſtes Parochus aliquis inductus, cuius notæ eſſe aliquos alicubi, quod dolendum, negare non poſſumus. Qui vt ventrem impleant, ex Rhetorica claſſe aut fortaſſe inferioribus Gymnaſij ſcholis rapiuntur, aut volant ad Ordines ſacros, & docere præſumunt, quod non didicerunt, dedecus ſacrati Ordinis (Qui quamuis ſacerdotes, & eatenus concionatores, recoquendi eſſent in Scholis Theologicis, nec permittendi vllam cathedram, etiam in pagis conſcendere, niſi audita prius Dialectica, poſt verò bienniam minimùm in Theologia poſitum.) Si quis, inquam, talis effutierit, quod aduerſarij obijciunt, fraudi non debet eſſe toti Religioni. cuius idiotæ tales ſunt carcinomata, & cum quisquilijs euerrendi ſcopa canonicæ depoſitionis, aut ſuſpenſionis. Nos quoque, quamuis Sanctorum interceſſiones defendamus pro virili, & vt eas procurent debitis modis incitemus fideles; licet ſanctiſſimam virginem DEIPARAM extollamus, eamque Aduocatam, Patronam, & pio ſenſu, *Spem* noſtrã appellemus: in quo benè facimus, antiquitati omni conſentientes; tamen id ſemper intelligimus *ſecundariò* ac *dependenter* à PASSIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, in qua vnicum ſolatium, SPEM, fiduciam, vt in vno Redemptore propriè habe tote, & vobis benè erit in nouiſſimis, & in æternum.

Mem-

Membrvm II.

GALEA SPEI ET TIMORIS

Contra Præſumptionem.

SVperato *Deſperationis Spiritu*, qui hoſtis eſt manifeſtus, non minus periculum, immò maius imminet à Spiritu *Præſumptionis*, qui inſidiatur occultè,agitque per cuniculos, maximè,contra illos,qui ſunt in ætate floridâ,qui multos ſibi annos ſpondent; qui occaſionibus peccandi abundant, qui firmâ ſunt valetudine,ideoque frequentiſsimè labûntur in grauiſsima ſcelera: turpitudinibus ſe contaminant, eadem iteratis vicibus committunt,emendationem differũt, pœnitentiã de anno inannũ reijciunt. Hos oppugnat *Spiritus Præſumptionis*, qui Spiritui Sancto eſt contrarius, cùm inter peccata in Spiritum-Sanctum primo loco nominetur *Præſumptio*. Quæ integram cohortem ſuam conſtantem ex miſericordijs & miſerationibus Domini, ſed fuco perſonatis, abſcondit in voluptatis proximâ ſilua, per quam tranſeundum peccatori,quem aduentantem ſic aggrediuntur. Etiamſi committas hoc peccatũ: quamuis ſemel laſciuiæ ſuccumbas, ſcortieris, inres, blaſphemes, peieres, decipias proximum, lædas, vulneres, occidas: licet ſemel,bis ter te inebries, fureris, ſacrilegium committas; clementem habes Devm & miſericordem: Chriſtus pro nobis paſſus tam crudelia ſuſtinuit, denique mortuus eſt. an fruſtra? an pro anſeribus & paſſerculis? pro nobis,haud dubiè,hominibus. Miſerationum Domini recorderis multiplicium, ac ſine numero. Præterita autem ſunt exempla futurorum. Et tui miſerebitur, nil ambigas,quamuis nihil miſericordia dignum tecum adferas. Commiſiſti vnum peccatum laſciuiæ: addas eiuſdem fæditatis alterum: eadem confeſsione expiabitur, numero tantùm addito, quod fit ſine magnâ verecundia. Pœnitentiam ages, cùm ad ſenectutem perueneris: nunc ſumma in Christi Passi meritis tibi ſit fiducia,de cetero rebus tuis inuigila, id eſt,voluptatibus,Carni,Mundo, Cacodæmoni te mancipa,quid te torques? Contra hunc inſidiatorem cautè,ac fortiter pugnandum eſt Militi Chriſtiano, & armandum maximè caput, id eſt, Mens, Galea Spei. Hæc enim, vt eſt contraria deſperationi, quæ conſiſtit in defectu, ita aduerſatur Præſumptioni, quæ vergit in exceſſum. Ex eodem autem Passionis Armamentario eadem deſumitur Galea virtutis geminæ.

Passio D.N.I.C. retundit Præſumptionem mortalium: ſperandum docet, non arrogandum, non præſumendum. Empti ſumus pretio magno; amplius quàm decem millibus millionum auri, nimirum, inæſtimabili pretio Sanguinis. Offendit grauiter,irritat,ad iracundiam & offenſam irreconciliabilem cogit mer-

mercatorem, ſi quis cariſſimè emptas merces lacerat, aut diſſipat. Finge gemmarium emiſſe lapidem precioſiſſimum aliquot auri talentis; famulum verò domini lenitate abuſum, malleis eum contudiſſe, & in cloacam abieciſſe: nonne inſurgeret emptor in caput illud nefarium, &, ſi poſſet, tonitru, fulmen, fulgur in illud vibraret, diriſque omnibus deuoueret? Patientia læſa fit furor. Agnus fuit Chriſtus in Paſſione, fateor; ſed nolite agnum irritamentis ac ſceleribus veſtris vertere in leonem. Cauete. rugiet, qui coram tondente ſe obmutuit: læſæ maieſtatis reus feudis priuatur & priuilegijs: hominem ſceleratum, inimicum CRVCIS CHRISTI, proculcatorem ſanguinis Teſtamenti feret, qui ſe vindicare póteſt DEVS CRVCIFIXVS. Timorem meritò incutit ac tremorem præſumptioni contrarium diligenter attenteque animo recogitata PASSIO, dum illud identidem occurrit: *Si in viridi ligno hac faciunt, in arido quid fiet?* Si Chriſtus innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, pro peccatoribus tot tamque graues cruciatus eſt paſſus, quid tot criminibus oneratus peccator Chriſti Paſſi cruciatus vili pendens eſt meritus? quid niſi reſipiſcat, patietur? *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor, ſicut eſt dolor meus, quoniam vindemiauit me Dominus in die furoris ſui*, clamabat Chriſtus, cæſus flagellis, coronatus ſpinis, nudatus veſtibus, oneratus Cruce, appetitus contumelijs, fœdatus ſputis, raptatus funibus, delumbatus fuſtibus, exceptus ludibrijs, inhonoratus blaſphemijs, poſtpoſitus latronibus; & tu non timeas furorem Patris æterni parricida Filij, qui criminibus magis tuis, quàm ferreis clauis fuit Cruci affixus? Pro te DEI filius iugulatus eſt, tu qui ferrum in id acuiſti, Patris non metuas vindictam temerarie? itaque CHRISTO *in carne* PASSO, *vos eadem cogitatione*, tanquam GALEA, duplicis virtutis, contra Deſperationem ac *Præſumptionem armamini.*

MEMBRVM III.

LORICA FORTITVDINIS,

Contra Puſillanimitatem, & hoſtiles impetus.

VIS Loricam, aut Thoracem ferreum, quo ita obfirmetur pectus, vt illud ipſum videatur ex ferro aut chalybe, adeò, vt nullis aduerſitatum telis poſſit configi, nullis quamuis amentatis perſequutionum haſtis poſſit tranſadigi, nulli grauiſſimarum calamitatum, quaſi bipennibus penetrari: immò, quod admirandum magis; neque vnquam in armatura corporea accidit, vt ad illius attactum, omnia hoſtium tela ferrea conuertantur in plumea, aut, vt vulgus loquitur, in butyracea: id eſt,

non

non magis noceant, quàm ſi ex molli illa & innocua materia fabricata eſſent. Hoc nimirum, eſt myſterium ingens PASSIONIS DOMINICÆ, cuius perſcrutatione, contemplatione, meditatione ita obfirmatur animus Chriſtianus, vt nullis à Mundo, Carne, Cacodæmone, iuratis ſalutis noſtræ hoſtibus, aduerſitatum intentatis immiſſiſque telis, ſariſſis, haſtilibus lædi poſſit: vt recipiat calamitatem omnem, tanquam paruulorum ſagittas, tanquam puerorum ex paleâ aut ſtramine haſtulas; denique, tanquam pygmæorum ex feſtucis iacula. Iuuat pati illum, qui CHRISTVM Patientem pro ſe contemplatur: iuuat cædi alapis contumeliarum, qui Chriſtum tam ſeruiliter percuſſum conſpicit: iuuat flagellari, vel linguis iniquorum, ob pietatem, vel in cutis ſibi per flagra ictibus, ex pœnitentiæ affectu, qui Chriſtum tam fædè diſciſſum ante oculos habet. Vt optimo exemplo, & multis alijs imitando, proximè dum ſupplicatum iremus per templa huius vrbis fecerunt boni ac commendatione digni, quam à DEO exſpectant, adoleſcentes: iuuat coronari ſpinis calamitatum magis, quàm roſis voluptatum, rhamno ſponſi, quam ſerto mundi, qui Chriſtum tam denſo ſpinarum vallo ſeptum conſiderat. Iuuat illum portare Crucem, ærumnarum, tribulationum, perſequutionum, qui Chriſtum ſub pondere trabalis infamiſque ligni fatiſcentem animo contemplatur, ruminat. Iuuat Crucifigi Mundo, crucifigi cum peccatis & concupiſcentijs, pendere in patibulo abnegationis, amplecti *Crucem* in Religione, contempto mundi gaudio, poſtponi per deſpectum terrenorum omnium Barrabbæ latroni; agi in *Crucem* veram cum latronibus pro fide, qui Chriſtum tam patienter, tam ſpontaneè, tam libenter hæc ſufferre perpendit. Itaque benè monet Paulus Apoſtolus, Ad Hebræor. XII. *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit contradictionem à peccatoribus aduerſus ſemetipſum, vt non fatigemini, deficientes animis veſtris.* Benè exclamat Apoſtolorum vertex; *Chriſto igitur in carne Paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.*

PASSIO D.N.I.C. ſi vel cogitetur, animat, animumque in omnibus aduerſus, velut LORICA ferreâ, munit, obfirmat, indurat, impenetrabilem facit. Sacco illi carneo, tenerrimæ cuticulæ, caronculæ florenti & lacteæ adoleſcentum, virorum, diuitum, nobilium, in hoc mundo felicium ac delicijs aſſuetorum moleſtum eſt, & videtur intolerabile, abſtinere ab aſſuetis corporis commoditatibus, priuari ſolitis ſolatijs, orbari ſuauitate palati, ieiunare, humi cubare, portare cilicium, cingi catenâ ferreâ, flagellari, deſpici, illudi, protrudi, conſpui, eſſe omnium peripſema, haberi delirum, morionem, criminoſum, hominum nouiſsimum. Sed Chriſtum hæc & infinita alia, tam placitè, tam animoſè, tam auidè perferentem, qui verſat mente ſeriò Paſsione Dominicâ, velut thorace ferreo induitur; quo munitus hæc omnia haud ægrè ſuſcipiat & plura pati deſideret. Itaque, dum in calamitates inciditis, dum ab aduer-

ſarijs

ſarijs vexanimi, dum in tormentis eſtis, dum ſponte ſuſtinetis dura & acerba PASSIONIS Domini Armamentarium reſpicite, eo vos conferte, indeque thoracem ferreum fortitudinis ac ſuſtinentiæ ſumite: *Chriſto in carne Paſſo, vos eadem cogitatione armamini.* Exemplo nobis præiuit MATER Noſtra, quæ ex hoc Armamentario ferream illam, hamiſque virtutum omnium, ſed *fortitudinis* incredibilis potiſſimùm conſertam tunicam accepit, illaque ſe induit, cùm in orbis theatro, monte Caluariæ tam fortiter egit, vt meritò in ſui admirationem, vt opinor, Angelos ſpectatores rapuerit. Certè, nunquam alias, quàm in Paſſione Filij, illam oculis ſubiectam habens, & mente voluens talia dedit inuictæ fortitudinis documenta. Nimirum, ſtabat tunc Mater, doloroſa quidem, ac lacrymoſa, ſed omnibus animi perturbationibus ſuperior hoſtium victrix & ſui.

MEMBRVM VII.

ARCVS & SAGITTÆ

Orationum, Obſecrationum, Poſtulationum.

SI tibi ſit præliandum cum DEO, ſi cælum oppugnandum, ſi ſuperi deuincendi: nam *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud;* Matth. XI. 12. en tibi in eodem Armamentario ARCVM & SAGITTAS: quibus ſymbolicè ORATIO ſignificatur. Quomodo, quod dicebat Iacob Patriarcha Ioſepho filio: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & Arcu meo*, Genes. XLVIII. reddit Paraphraſtes Chaldæus, quam tuli de manu Amorrhæi *Oratione mea, & deprecatione meâ.* Siquidem ore & linguâ, tanquam *Arcu*, iaculamur in DEVM preces, & ab eo quodammodo quod poſtulamus, ac volumus, extorquemus. Incepit Christus Paſſionem ab Oratione, finijt Oratione. De priore loquitur Matthæus in Euangelio cap. XXII. *Ipſe auulſus eſt ab eis, quantum iactus eſt lapidis, & poſitis genibus; orabat dicens: Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me: verumtamen nõ mea voluntas ſed tua fiat.* De poſteriore ſcribit Paulus ad Hebræos V. quamuis & ad priorem aliqui illam referant. *In diebus carnis ſuæ, preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentiâ.* Quid addi poſſet ad Orationis perfectionem? QVÆRIT ſolitudinem quapropter vrbe egreditur, agrum, hortumque adit: neque hoc contentus, à ſuis auellitur, nec tantùm à cætu Apoſtolorũ, ſed etiam à tribus coniunctiſſimis & dilectiſſimis, idque ad iactum lapidis: orat etiam tempore nocturno, nempe, quieto, & ad agendum cum DEO maximè idoneo. Orat humillimo geſtu corporis, affectu animi: *Poſitis genibus, procidit*

in

in faciem. Oratio humiliantis ſe nubes penetrat: Eccl. xxxv. tam altè iacitur hæc ſagitta. Quo magis arcus cornua contrahuntur, & funis infernè trahitur, eo velocius, vehementius, altius iaculum volat. Nec ceſſat orare Dominus, bis, ter, idem repetens, in *Cruce* quoque orando Spiritum emittens: en perſeuerantiam vſque in finem. Addidit etiam lacrymas ex Pauli teſtimonio. quid mirum? cùm fuderit ſudorem ſanguineum. Nimirum, vt loquitur D. Bernardus: Serm. 3. Dom. Palm. *Chriſtus non contentus fuit lacrymis oculorum, ſed totius corporis ſanguineis lacrymis peccata noſtra flere & lauare voluit.* Itaque ARCVM habes, & ſagittas in Armamentario Paſſionis, quæ vſui eſſe poſſunt, quotieſcumque DEVS expugnandus erit, aut hoſtis hoc armorum genere configendus. Nulla enim eſt ſagitta penetratiuior, quàm vel Chriſti Oratio, vel noſtra, conditionibus, quas Chriſtus exemplo in Paſſione docuit, tanquam pennis vtrimque adornata. *Chriſto itaque Paſſo in Carne, & vos eadem cogitatione armamini.*

MEMBRVM V.

PHARETRÆ

VVLNERA V. CRVCIFIXI.

CONCIPITE etiam Quinque Domini VVLNERA, tanquam totidem PHARETRAS in hoc Armamentario, è quibus armorum educuntur iacula, quibus non vno vulnere penè exanimis concidit Amatoris Anima, vt clamare cogatur: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Cant. 2. Felicem Animam quæ amoris telo ſauciata fulciri optat floribus, in ſignum lætitiæ ac victoriæ. Contingant hæc mihi vtinam VVLNERA! contingant etiam ignita ad vulnerandum viciſſim vulnerantem iacula; vt & ipſe exclamet: *Vulneraſti cor meum, Soror mea Sponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Cant. IV. Contingent haud dubiè mihi & Auditoribus meis, ſi Chriſto in Cruce Paſſo eadem cogitatione armemur.

***

COMMENTATIO VI.

VSVS ARMORVM

Quæ è Paſſione, tanquam Armamentario, deſumuntur.

IAM ingrediamur hoc *Armamentarium*: Luſtremus eius cameras, excutiamus ſingula illius loculamenta, repoſitoria, armaria, inueniemus, quod ſpondeo, in ijs omnem armaturam fortium: galeas, loricas, ſcuta, arcus, pharetras, ſagittas, tela, malleos, clauos, fundas, & in ijs lapides, haſtas, ſicas, gladios, ſecures, vomeres, maxillas, baculos, fuſtes, virgas, flagella, clauas, & ſi quid prætereà ad defendendum ac offendendum pertinet. Sed hæc ad praxim applicemus, ac doceamus vſum armorum, quæ ex inſtructiſſimo Armamentario Paſſionis accipi poſſunt.

MEMBRVM I.

GALEA SPEI & CONFIDENTIÆ.

Contra Deſperationem.

EST Militi Chriſtiano perquam neceſſaria SPEI ac confidentiæ GALEA, quâ aduerſariorum minas, irritationes, illuſiones, contumelias, tanquam niueos circa caput volitantes floccos, excipiat, & deſpiciat; quâ animetur, vt in DEVM ſuum ſperet, illi fidat, ab illo nunquam ſe deſerendum firmiter ſibi perſuadeat, maximè, circa vitæ mortalis finem. Oppugnet te tempore illo, quo nullum eſt periculoſius, diffidentiæ ac deſperationis ſpiritus, qui exercitum cõflat ex omnibus, ab ipsâ pueritiâ repetitis ſceleribus, ac peccatis quibuslibet. Et primam aciem inſtruit ex commiſſis cõtra DEVM: alteram expatratis contra proximum: tertiam ex admiſſis in te ipſum, ex turpitudinibus ac fœditatibus adoleſcentiæ, & iuuentutis; quibus nihil ferè boni ſolidi fuit admixtum. In dextro cornu collocat peccata manuum, pedum, operationum: in ſiniſtro, oris, linguæ, loquutionis: in fronte, velut antiguardiam, vt nunc loquitur vulgus, cordis, pectoris, cogitationum: à tergo inſtant bonorum quorumlibet omiſſiones, legum diuinarum, & humanarum præuaricationes variæ, tandemque in

benè

benè agendo negligentiæ. Quis ita cinctus & vndique oppugnatus non deſperet de ſalute conſequendâ? quis non animum & arma abijciat? quis non hoſti ſe vinciendum tradat? Quod faciet quicumque ſine ſpei GALEA certamen inibit.

EAM autem ſumere licet ex Armamentario PASSIONIS DOMINICÆ, quâ mirum in modũ firmatur *ſpes* hominis Chriſtiani. Qui exclamat anhelus cum Bernardo: ſerm. LXI. in cant. *Fidẽter quod ex me mihi deeſt, vſurpo mihi ex viſcerib' Domini, quoniã miſericordia affluunt, nec deſunt foramina per quæ effluant. Patet hoc magnum pietatis Sacramentum: patent* viſcera miſericordiæ *DEI noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.* Iterum exaltat vocem, & gemebundus confitetur: *Peccaui peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbatur, quoniam* vulnerum *Domini recordor.* Rurſus, ſer. XXII. obteſtatur: *Deficiente ſapientia, iuſtitia non ſufficiente, ſanctitatis ſuccũbentibus meritis,* O Chriſte! PASSIO *tua ſuccurrat.* PASSIO *tua* Domine IESV, *vltimũ eſt refugium ſingulare remedium*(a) Nimirum, *Petra* refugium eſt herinaceis, (b) vel leporibus; quæ illa *Petra*? Chriſtus in Cruce: *Petra autem erat Chriſtus*; Suxit Iſraël *mel de Petra*(c) confitens videnſque Chriſtum in Cruce, *Oleumque* miſericordiæ *de ſaxo duriſſimo.* Qui herinacei & lepores? homines timidi, ſed timore ſalutari, metu cõſternati Iudicis, & iudiciorum diuinorũ, fugitiui à facie furoris Domini, deſperabundi penè ob peccata præterita; quib' nihilominus ſupereſt refugium. Nã quilibet, modò ſpẽ omnẽ non abijciat, inuitatur: Cant 2 *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Quæ verba ſunt CRVCIFIXI, ad *vulnera* ut ad propugnacula aduocantis. Et reuera, vbi tutius commoramur, vt propugnemur; vbi magis ſecura requies, vbi magis firma tutela, quàm in *Vulneribus* Saluatoris? CVM *defecerit virtus mea, non conturbabor, non diffidã*, inquit deuotiſſimus Bernardus ſer. 22. in Cant. *Scio quid faciam: Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Curram ad *quinque Vulnera* tamquam ad quinque loca refugij. Dicam (a) *Dominus firmamentum meum & refugium meum* (b) *Fortitudo mea & refugium meum es* Tu Domine (c) *Refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me* (d) DEVS *noſter refugium & virtus adiutor in tribulationibus* (e) *Qui factus eſt refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.*

CHRISTVS pro peccatoribus redimendis mortuus eſt, & is non miſerebitur iam à ſe redemptorum? qui pro rebellibus obſtinatiſque eſt Crucifixus, an is abiget à ſe pœnitentia ductos? *Commendat caritatem ſuam* DEVS *in nobis*, inquit Paulus Apoſtolus, Ad Rom. V. *quoniam cùm ad huc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multo igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus DEO per mortem Filij eius multo magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius.* Optima argumẽtatio, & in re præ-

(a) *Serm. 4. hebdom. ſanctæ* (b) *Deuter. 32.* (c) *Pſal. 10. 3.* (d) *Pſal.* XVII. (e) *Pſ.* XXX (f) *Pſal.* XXXI (g) *Pſal.* XLV. (h) *Pſal.* IX.

præſenti apodictica. Dubitas de miſericordia, lenitate, manſuetudine, affabilitate, commiſeratione tui Redemptoris? Ingredere mecum aream Paſſionis. Audi quam gratioſè proditorem excipiat, alloquatur, ſalutet? amicum vocat, qui erat inimicus capitaliſſimus: non cōfundit, non reijcit, non condemnat: ſed miſericordiâ motus gratiā offert, paratus recipere, & amplecti modò voluiſſet ipſe. Vide, quid cum Malcho egerit, quàm fuerit benignus: inhibet lædentē, læſum ſanat, ex aurito membrum amputatum reſtituit. Conſidera, quàm citò, quàm promptè, quàm liberaliter latroni recordationem tantum poſcenti Paradiſum obtulerit, & aperuerit. Attende, quàm valido clamore, & quibus cum lacrymis, vt Paulus teſtatur, hoſtibus ſæuire pergentibus ignoſci petiuerit, inimicorū haud ſecus, ac amiciſſimorum patronus. Iam labores Redemptoris tui perpende: itus, reditus, tractus, concuſſationes, ſpinas, flagella *Vulnera*: horum numerum, nimirum, vt quidam numerant, quinque millia, quadringenta, nonaginta, fruſtra-ne hęc omnia ſuſceperit, ſuſtinuerit, perpeſſus ſit, cum deſiderio plura exantlanti ſi ad ſalutem fuiſſet neceſſarium. Denique, *Pretium*, quod pro te expoſuit in Paſſione excute. *Empti eſtis precio magno*, inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. vi. *Non corruptibilibus auro vel argento, ſed ſanguine Agni immaculati* addit D. Petrus in Epiſt. 1. c. 1. Et tu deſperes? putas ne Mercatorem prudentiſſimū, gemmam tā carè emptā velle abijcere? prædium pretio inæſtimabili comparatum velle flammis abſumere? torquem tanti æſtimatum velle fimeto infodere? Quæ hæc, diceres, inſania? & de ſapientiſſimo emptore ac Redemptore tuo tam viliter ſuſpicaris?

HORVM conſideratio facit, vt probabiliter quis arbitrari poſſit & aſſerere, magnam partem Chriſtianorum Catholicorum (aliqui dicunt partē maiorem) ſaluari & vix æternùm perire quemquam ex ijs, qui munitus Sacramentis Eccleſiæ, aut pia cogitatione inſtigatus dolens de peccatis hinc emigrat CHRISTI PASSI miſericordiam implorans, & meritorum illius fiduciâ fretus, firmiter ſe ſalutem conſequuturum cōfidens. Quare omnibus auctor ſim, vt in extremo vitæ mortalis actu, Paſſionem Domini mente voluant, Saluatoris pro nobis ſuſceptos labores perpendant, lytrum pro redemptione noſtrâ perſolutum præ oculis habeant, indeque ſpem ſuam foueant. Quod maiores noſtri faciebant diligenter, qui idcirco & CRVCIFIXI effigiem ante oculos decumbentis collocabant, & lectione Euangelij, quod PASSIONIS myſteria continet, ad illius recordationem cum morte luctantem excitabant. Idem, vt vos faciatis, cùm veſtræ vices erunt, & in fatali lectulo extenſi decretoriam horam expectabitis, hortor etiam atque etiam. Quæ cùm ex me auditis, nolite, quæſo vos, ventis tradere, & memineritis aliquando, vbi cum Lutheranis & Caluiniſtis, ſimiliſque furfuris hominibus agendi erit opportunitas. Hi enim incredibili impudentiâ Eccleſiæ Romanæ Doctoribus adfingunt enormia quædam; inter quæ ad inuidiam indignationemque apud populum concitandam iſtud haud eſt po-

poſtremum: Doctrinam de fide in Chriſtum, deque merito Passionis Dominicæ, ac gratuitâ peccatorum remiſſione multis ſæculis iacuiſſe ignotam: & negari non poſſe, de Iuſtitiâ altiſſimum fuiſſe ſilentium. Reuera, omnes libros Pontificiorum, omnes conciones ea dete fuiſſe mutas: neque aliam viam ad conſequendam vitam æternam demonſtraſſe, quàm ſatisfactiones noſtras, & opera ex naturalibus arbitrij noſtri viribus ante gratiam Dei facta.

Sed hac in re mentiuntur, vt ſolent, ſplendidè aduerſarij noſtri, & facilè conuincuntur, apertis ſiue ſcholæ Magiſtrorum, ſiue concionatorum libris. Inſpiciatur vel vnius Magiſtri ſententiarum Codex(a) occurret ſtatim in oculos illud Scholaſticorum pronunciatum; *Aſſerere, vllum peccati genus abſque gratiâ* Christi, *eiuſq́ virtute* Passionis *deleri poſſe*, Impium *eſt*, *cùm eum*, ſolum, *vt ſcribit Paulus*, *propoſuerit* Devs propitiatorem *per fidem in ſanguine eius*. Nota particulam demonſtratiuam *vnius*, & excluſiuam aliorum omnium, Solvm. Cum Magiſtro illo conueniunt doctiſſimi diſcipuli, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Bonauentura, Scotus, Alenſis: nam de hoc nulla fuit aut eſt in Scholis contentio. Et illi tanquam fundamento ſuperextruxerunt conciones ſiue homilias ſiue ſermones ſuos Eccleſiaſtæ Catholici, vt videre eſt in concionibus Latinis, & poſtillis ante Lutherum etiam in Germaniâ linguâ vulgari editis. Extat liber concionum de Passione Christi editus Norimbergæ, in quâ vrbe ſunt habitæ ad populum, â Religioſo familiæ S. Franciſci ante Lutheri tempora typis impreſſus, quippe Anno M. CD.XCI. Inſcribitur, *Armarium theſauri abſconditi*, in cuius præfatione altera leguntur iſta. Qui magnas opes exiguo labore conſequi, magnas pænas iucundis rebus effugere, magnumque brauium & coronam, vitâ quieta totaque, & nullius periculi certamine meteri cupit, huic ſe dedat exercitio, meditandi vitam ac Mortem, doctrinam ac Merita vnici ſaluatoris Noſtri Iesv Christi: eamque meditationem pro ingentis pretij theſauro habeat, & pro fidiſſimo regni cæleſtis pignore. In eâ meditatione ſi ad finem vſque perſeuerauerit, gratiam Dei tam certò ſibi ſpondeat; ac ſi pignus certum in poteſtate ſuâ haberet.

Nec aliud frequentius inculcant libri de Arte benè moriēdi, aut qui inſtructionem continent, quomodo iuuandi ſint infirmi & ad mortem feliciter obeundam diſponendi. Libri quoque rituales qui interrogatoria & reſponſoria habent ad moribundos, eriis accommodata, & inter ceteros, *Ordinarium Romanum*. Christi Passionem, eius merita, ſpem ac fiduciam in Christvm Passvm præcipuè inculcant. Monetur in ijs æger, vt credat ſe alio modo ſaluari non poſſe, quàm per Mortem vnici Redemptoris Iesv Christi. Additur, poſtquam reſpondit, vt potuit, adhortatiuncula talis â ſacerdote. Age igitur, omnem fiduciam tuam, quam diu erit

(a) *Lib. 4. ſent. diſt. 5. cap. 3.*

erit in te ſpiritus in hac ſolâ MORTE colloca, neque in vllâ aliâ re ſpem habe, nulli alteri rei innitere, quàm Morti & Merito CHRISTI SALVATORIS. In hanc Mortem te penitus immerge in hanc Mortem te inuolue: ac ſi Dominus DEVS te velit condemnare, dicas: *Domine* DEVS, *Mortem Domini Noſtri* IESV CHRISTI *pone inter me & iudicium tuum: alioqui, tecum non litigo.* Si dicat, meruiſſe te condemnari; tu dicas, *Domine, Mortem* CHRISTI *pono inter Te & peccatum meum, & meritum illius loco meriti, quod ego miſer deberem habere, & non habeo.* Dic iterum: *Domine, Mortem Filij tui pono inter me, & iram tuam.* Dic tertiò: *Domine in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Hæc quomodo optimè conueniant cum aſpiratione ad DEIPARAM: *Salue Regina, Mater Miſericordiæ, vita, dulcedo, &* SPES *noſtra Salue* alibi Theologicè demonſtramus.

ATTENDE autem, ac pondera effatum, quod in eodem libello, è quo ſuperiora excerpta ſunt, conſequitur: *Securus morietur, qui ſic ante mortem confitebitur, nec videbit mortem in æternum.* Hic habetis, quid conſulat filijs ſuis fidelis Mater Eccleſia Romana, quid doceat, quo digitum intendat, ad quem nos in maximis & extremis neceſſitatibus mittat: nimirum, ad Merita, Paſſionem, & Mortem CHRISTI Saluatoris. Ita docuerunt, & docent in Eccleſiâ Pontificiâ, Romanâ, Papiſticâ Doctores omnes Catholici, Seculares, Monachi, Ieſuitæ. Quod ſi fortaſſe ignarus quiſpiam & idiota in pago Curio, aut inter agreſtes Parochus aliquis inductus, cuius notæ eſſe aliquos alicubi, quod dolendum, negare non poſſumus. Qui vt ventrem impleant, ex Rhetorica claſſe aut fortaſſe inferioribus Gymnaſij ſcholis rapiuntur, aut volant ad Ordines ſacros, & docere præſumunt, quod non didicerunt, dedecus ſacrati Ordinis (Qui quamuis ſacerdotes, & eatenus concionatores, recoquendi eſſent in Scholis Theologicis, nec permittendi vllam cathedram, etiam in pagis conſcendere, niſi audita prius Dialectica, poſt verò bienniam minimùm in Theologia poſitum.) Si quis, inquam, talis effutierit, quod aduerſarij obijciunt, fraudi non debet eſſe toti Religioni. cuius idiotæ tales ſunt carcinomata, & cum quiſquilijs euerrendi ſcopa canonicæ depoſitionis, aut ſuſpenſionis. Nos quoque, quamuis Sanctorum interceſſiones defendamus pro virili, & vt eas procurent debitis modis incitemus fideles; licet ſanctiſſimam virginem DEIPARAM extollamus, eamque Aduocatam, Patronam, & pio ſenſu, *Spem* noſtrâ appellemus: in quo benè facimus, antiquitati omni conſentientes; tamen id ſemper intelligimus *ſecundariò* ac *dependenter* à PASSIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, in qua vnicum ſolatium, SPEM, fiduciam, vt in vno Redemptore propriè habete, & vobis benè erit in nouiſſimis, & in æternum.

MEM-

MEMBRVM II.

GALEA SPEI ET TIMORIS

Contra Præſumptionem.

SVPERATO *Deſperationis Spiritu*, qui hoſtis eſt manifeſtus, non minus periculum, immò maius imminet à Spiritu *Præſumptionis*, qui inſidiatur occultè, agitque per cuniculos, maximè, contra illos, qui ſunt in ætate floridâ, qui multos ſibi annos ſpondent; qui occaſionibus peccandi abundant, qui firmâ ſunt valetudine, ideoque frequentiſsimè labuntur in grauiſsima ſcelera: turpitudinibus ſe contaminant, eadem iteratis vicibus committunt, emendationem differũt, pœnitentiã de anno inannũ reijciunt. Hos oppugnat *Spiritus Præſumptionis*, qui Spiritui Sancto eſt contrarius, cùm inter peccata in Spiritum Sanctum primo loco nominetur *Præſumptio*. Quæ integram cohortem ſuam conſtantem ex miſericordijs & miſerationibus Domini, ſed fuco perſonatis, abſcondit in voluptatis proximâ ſilua, per quam tranſeundũ eſt peccatori, quem aduentantem ſic aggrediuntur. Etiamſi committas hoc peccatũ: quamuis ſemel laſciuiæ ſuccumbas, ſcortieris, iures, blaſphemes, peieres, decipias proximum, lædas, vulneres, occidas: licet ſemel, bis tèr te inebries, fureris, ſacrilegium committas; clementem habes DEVM & miſericordem. Chriſtus pro nobis paſſus tam crudelia ſuſtinuit, denique mortuus eſt: an fruſtra? an pro anſeribus & paſſerculis? pro nobis, haud dubiè, hominibus. Miſerationum Domini recorderis multiplicium, ac ſine numero. Præterita autem ſunt exempla futurorum. Et tui miſerebitur, nil ambigas, quamuis nihil miſericordia dignum tecum adferas. Commiſiſti vnum peccatum laſciuiæ: addas eiuſdem fœditatis alterum: eadem confeſsione expiabitur, numero tantùm addito, quod fit ſine magnâ verecundia. Pœnitentiam ages, cùm ad ſenectutem perueneris: nunc ſumma in CHRISTI PASSI meritis tibi ſit fiducia, de cetero rebus tuis inuigila, id eſt, voluptatibus, Carni, Mundo, Cacodæmoni te mancipa, quid te torques? Contra hunc inſidiatorem cautè, ac fortiter pugnandum eſt Militi Chriſtiano, & armandum maximè caput, id eſt, Mens, GALEA SPEI. Hæc enim, vt eſt contraria deſperationi, quæ conſiſtit in defectu, ita aduerſatur Præſumptioni, quæ vergit in exceſſum. Ex eodem autem PASSIONIS Armamentario eadem deſumitur GALEA virtutis geminæ.

PASSIO D.N.I.C. retundit Præſumptionem mortalium: ſperandum docet, non arrogandum, non præſumendum. Empti ſumus pretio magno: amplius quàm decem millibus millionum auri, nimirum, inæſtimabili pretio Sanguinis. Offendit grauiter, irritat, ad iracundiam & offenſam irreconciliabilem cogit mer-

mercatorem, ſi quis cariſſimè emptas merces lacerat, aut diſſipat. Finge gemmarium emiſſe lapidem precioſiſſimum aliquot auri talentis; famulum verò domini lenitate abuſum, malleis eum contudiſſe, & in cloacam abieciſſe: nonne inſurgeret emptor in caput illud nefarium, &, ſi poſſet, tonitru, fulmen, fulgur in illud vibraret, diriſque omnibus deuoueret? Patientia læſa fit furor. Agnus fuit Chriſtus in Paſſione, fateor; ſed nolite agnum irritamentis ac ſceleribus veſtris vertere in leonem. Cauete. rugiet, qui coram tondente ſe obmutuit: læſæ maieſtatis reus feudis priuatur & priuilegijs: hominem ſceleratum, inimicum CRVCIS CHRISTI, proculcatorem ſanguinis Teſtamenti feret, qui ſe vindicare poteſt DEVS CRVCIFIXVS. Timorem meritò incutit ac tremorem præſumptioni contrarium diligenter attenteque animo recogitata PASSIO, dum illud identidem occurrit: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si Chriſtus innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, pro peccatoribus tot tamque graues cruciatus eſt paſſus, quid tot criminibus oneratus peccator Chriſti Paſſi cruciatus vili pendens eſt meritus? quid niſi reſipiſcat, patietur? *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor, ſicut eſt dolor meus, quoniam vindemiauit me Dominus in die furoris ſui*, clamabat Chriſtus, cæſus flagellis, coronatus ſpinis, nudatus veſtibus, oneratus Cruce, appetitus contumelijs, fœdatus ſputis, raptatus funibus, delumbatus fuſtibus, exceptus ludibrijs, inhonoratus blaſphemijs, poſtpoſitus latronibus; & tu non timeas furorem Patris æterni parricida Filij, qui criminibus magis tuis, quàm ferreis clauis fuit Cruci affixus? Pro te DEI filius iugulatus eſt, tu qui ferrum in id acuiſti, Patris non metuas vindictam temerarie? itaque CHRISTO *in carne* PASSO, *vos eadem cogitatione*, tanquam GALEA, duplicis virtutis, contra Deſperationem ac *Præſumptionem armamini.*

MEMBRVM III.

LORICA FORTITVDINIS

Contra Puſillanimitatem, & hoſtiles impetus.

VIS Loricam, aut Thoracem ferreum, quo ita obfirmetur pectus, vt illud ipſum videatur ex ferro aut chalybe, adeò, vt nullis aduerſitatum telis poſſit configi, nullis quamuis amentatis perſequutionum haſtis poſſis tranſadigi, nulli grauiſſimarum calamitatum, quaſi bipennibus penetrari: immò, quod admirandum magis; neque vnquam in armatura corporea accidit, vt ad illius attactum, omnia hoſtium tela ferrea conuertantur in plumea, aut, vt vulgus loquitur, in butyracea: id eſt, non

non magis noceant, quàm ſi ex molli illa & innocua materia fabricata eſſent. Hoc nimirum, eſt myſterium ingens PASSIONIS DOMINICÆ, cuius perſcrutatione, contemplatione, meditatione ita obfirmatur animus Chriſtianus, vt nullis à Mundo, Carne, Cacodæmone, iuratis ſalutis noſtræ hoſtibus, aduerſitatum intentatis immiſſiſque telis, ſariſſis, haſtilibus lædi poſsit: vt recipiat calamitatem omnem, tanquam paruulorum ſagittas, tanquam puerorum ex paleâ aut ſtramine haſtulas, deniquè, tanquam pygmæorum ex feſtucis iacula. Iuuat pati illum, qui CHRISTVM Patientem pro ſe contemplatur: iuuat cædi alapis contumeliarum, qui Chriſtum tam ſeruiliter percuſſum conſpicit: iuuat flagellari, vel linguis iniquorum, ob pietatem, vel in cuſis ſibi per flagra ictibus, ex pœnitentiæ affectu, qui Chriſtum tam fœdè diſciſſum ante oculos habet. Vt optimo exemplo, & multis alijs imitando, proximè dum ſupplicatum iremus per templa huius vrbis fecerunt boni ac commendatione digni, quam à DEO exſpectant, adoleſcentes: iuuat coronati ſpinis calamitatum magis, quàm roſis voluptatum, rhamno ſponſi, quam ſerto mundi, qui Chriſtum tam denſo ſpinarum vallo ſeptum conſiderat. Iuuat illum portare Crucem, ærumnatum, tribulationum, perſequutionum, qui Chriſtum ſub pondere trabalis infamiſque ligni fatiſcentem animo contemplatur, uò ruminat. Iuuat Crucifigi Mundo, crucifigi cum peccatis & concupiſcentijs, pendere in patibulo abnegationis, amplecti *Crucem* in Religione, contempto mundi gaudio, poſtponi per deſpectum terrenorum omnium Barrabbæ latroni; agi in *Crucem* veram cum latronibus pro fide, qui Chriſtum tam patienter, tam ſpontaneè, tam libenter hæc ſufferre perpendit. Itaque benè monet Paulus Apoſtolus. Ad Hebræor. XII. *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit contradictionem à peccatoribus aduerſus ſemetipſum, vt non fatigemini, deficientes animis veſtris.* Benè exclamat Apoſtolorum vertex; *Chriſto igitur in carne Paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.*

PASSIO D.N.I.C. ſi vel cogitetur, animat, animumque in omnibus aduerſus, velut LORICA ferreâ, munit, obfirmat, indurat, impenetrabilem facit. Sacco illi carneo, teneſtimæ cuticulæ, caranculæ florenti & lacteæ adoleſcentum, virorum, diuitum, nobilium, in hoc mundo felicium ac delicijs aſſuetorum moleſtum eſt, & videtur intolerabile, abſtinere ab aſſuetis corporis commoditatibus, priuari ſolitis ſolatijs, orbari ſuauitate palati, ieiunare, humi cubare, portare cilicium, cingi catenâ ferreâ, flagellari, deſpici, illudi, protrudi, conſpui, eſſe omnium peripſema, haberi delirum, motionem, criminoſum, hominum nouiſsimum. Sed Chriſtum hæc & infinita alia, tam placitè, tam animoſè, tam auidè perferentem. qui verſat mente ſeriò Paſſione Dominicâ, velut thorace ferreo induitur; quo munitus hæc omnia haud ægrè ſuſcipiat & plura pati deſideret. Itaque, dum in calamitates incideritis, dum ab aduerſarijs

in faciem. Oratio humilitantis ſe nubes penetrat: Eccl. xxxv. tam altè iacitur hæc ſagitta. Quo magis arcus cornua contrahuntur, & funis infernè trahitur, eo velocius, vehementius, altius iaculum volat. Nec ceſſat orare Dominus, bis, ter, idem repetens, in *Cruce* quoque orando Spiritum emittens: en perſeuerantiam vſque in finem. Addidit etiam lacrymas ex Pauli teſtimonio. quid mirum? cùm fuderit ſudorem ſanguineum. Nimirum, vt loquitur D. Bernardus: Serm. 3. Dom. Palm. *Chriſtus non contentus fuit lacrymis oculorum, ſed totius corporis ſanguineis lacrymis peccata noſtra flere & lauare voluit.* Itaque ARCVM habes, & ſagittas in Armamentario Paſſionis, quæ vſui eſſe poſſunt, quotieſcumque DEVS expugnandus erit, aut hoſtis hoc armorum genere configendus. Nulla enim eſt ſagitta penetratiuior, quàm vel Chriſti Oratio, vel noſtra, conditionibus, quas Chriſtus exemplo in Paſſione docuit, tanquam pennis vtrimque adornata. *Chriſto* itaque *Paſſo in Carne, & vos eadem cogitatione armamini.*

MEMBRVM V.

PHARETRÆ
VVLNERA V. CRVCIFIXI.

CONCIPITE etiam Quinque Domini VVLNERA, tanquam totidem PHARETRAS in hoc Armamentario, è quibus armorum educuntur iacula, quibus non vno vulnere penè exanimis concidit Amatoris Anima, vt clamare cogatur: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Cant. 2. Felicem Animam quæ amoris telo ſauciata fulciri optat floribus, in ſignum lætitiæ ac victoriæ. Contingant hæc mihi vtinam VVLNERA! contingant etiam ignita ad vulnerandum viciſſim vulnerantem iacula; vt & ipſe exclamet: *Vulneraſti cor meum, Soror mea Sponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Cant. IV. Contingent haud dubiè mihi & Auditoribus meis, ſi Chriſto in Cruce Paſſo eadem cogitatione armemur.

***

COMMENTATIO VII.

ARMA OFFENSIVA ET DEFENSIVA

Sanctorum Veteris Teſtamenti in Armamentario Paſsionis Dominicæ recondita, indequè promenda.

MEMBRVM I.

TETVM ABRAHAMI.

SCRVTEMVR alia Sacri Armamentarij inſtrumenta bellica. Pendet in latere illius Orientali, quoddam ex ligno incomputribili Teli genus, litteram T. referens, cum inſcriptione: TELVM PATRIS FIDELIVM ABRAHAM. Verùm peruoluens in Scripturæ Diuinæ Códice Geneſim, in quâ Abrahami res geſtæ fideliter recenſentur, non reperio virum bellicoſiſſimum vſum peculiari Telo; ſed vt Loth è captiuitate liberaret, & hoſtes cæderet, quos feliciter deuicit, numeraſſe expeditos vernaculos ſuos Trecentos decem & octo, cum ijſque progreſſum, præclaram reportaſſe victoriam. Geneſis xiv. Ex eo autem Militum fidelium numero ingenioſè conficit inſtrumentum militare in modum *Crucis*, vel potius CRVCEM ipſam Dominicam Clemens Alexandrinus antiquiores Magiſtros ſequutus, ideò, quod, T, littera figura CRVCIS ſit, & trecentos ſignificet; I. verò & H, IESVM ac octodecim. Vt pluribus Libro V. Comment. I. Membro 2. explicabitur. CRVX igitur, cum inſcriptione IESV CHRISTI, eſt Telum Abrahamiticum.

MEMBRVM II.

CLAVVS. MALLEVS. FVNDA. GLADIVS. PVGIO.
IAHELIS. DAVIDIS. GEDEONIS. GOLIATH. AODI.

PROXIME huic Telo appenſum vidi CLAVVM cum MALLEO, inſolês ad pugnandum cum hoſte Inſtrumenti genus. Quærenti myſteriũ occurrit Heroina IAHEL, de quâ Iudicum IV. Cùm infeſtiſſimus Iudæorum hoſtis Siſara fugatus ab exercitu Iſraëlis, pedibus ſalutem quæreret, inuitauit illum IAHEL vxor Haber Cinæi: fatigato lac dedit: latebras quærentem pallio operuit: tum verò ſilenter poſuit ſuper caput eius *Clauum*, percuſſumque *Malleo* defixit in cerebro

rebro vſque ad terram. Siſara verò ſoporem morti conſocians interijt. *Clauus* & *Malleus* Paſſionis Inſtrumenta ſunt: in vtroque CRVX latet; quam educam Lib. V. Comm. IV. Membro VII. IAM Regis Dauid FVNDA in oculos incurrit, ſacri Armamentarij magnum decus, & Inſtrumentum ad ſternendum hoſtem capitalem aptiſſimum. Quo qua ratione vſus ſit contra Goliathum Dauid; quomodo nobis ſit vtendum contra Gigantem infernalem: quo pacto CRVCEM deſignet & CRVCIFIXVM demonſtabit Liber V. & VI.

GLADIVS in Armamentario Paſſionis eſt multiplex, ſed eximius ille qui vocatur GEDEONIS. Is antequam exercitum ſuũ in hoſtes duceret, iuit exploratum, & audiuit vnius è caſtris Madianitarum ſomnium, quod erat tale *Videbatur*, aiebat Somniator, *mihi, quaſi ſubcinericius Panis ex hordeo volui, & in caſtra Madianitarum deſcendere; cumq; perueniſſet ad Tabernaculum, percuſſit illud atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit*. Reſpondit autẽ is, cui loquebatur: *Non eſt hic alind, niſi* GLADIVS GEDEONIS: *tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia caſtra eius*. GEDEON, inquit S. Papa Gregorius lib. XXX. Moral. cap 17. *ad prælium veniens. Redemptoris noſtri ſignat aduentum, non ſolùm ipſo opere ſed etiam nomine*. Quod quàm verè dicatur, & quo armorum genere, vt Chriſti Saluatoris Typus, Madianitas, hoſtem Iſraëlis numeroſiſſimum, inuaſerit, fugauerit, deleuerit GLADIO, CRVCIS ſymbolo, manifeſtum faciet Liber V. Commentatio IV. Membro V.

VVLTIS alium in eodem Armamentario GLADIVM? Non procul inde ſpectabitis, Gladium, quo paruulus Dauid ingentis Goliathi Gigantis caput demeſſuit, 1. Regum XXI. Qui cùm offerretur fugienti à facie Saulis, dixit: *Non eſt huic alter ſimilis*. Non eſt ſimilis GLADIVS illi, quo verus Dauid caput Gigantis infernalis abſtulit, qui haud dubiè fuit CRVX Enſis figuram gerens.

GLADIOLVS illi adhæret, ſiue PVGIO, aut SICA. Hic in memoriam nobis reuocat quod legitur libro Iudicum Capite tertio. *Eglon* Rex Moabitarum, *craſſus nimis*, vt loquitur Scriptura, cùm opprimeret Iſraëlem, ſurrexit *Aod* Ambidexter, & ad eum ingrediens, dicenſque, *Verbum Dei* habeo ad te, tulit *Sicam* de dextero femore ſuo infixitque eam in ventre eius, tam validè, vt capulus ſequeretur ferrum in vulnere, ac pinguiſſimo adipe ſtringeretur. AOD tùm virtute, tum factis ſuis expreſſit, vt Figura, Saluatorem noſtrum IESVM, qui CRVCE, tanquam SICA interemit pinguiſſimum *Eglon* aduerſariarum partium Ducem, ac generis humani Tyrannum.

Inſpice librum V. Membr. III. huius hiſtoriæ tabulam.

COMMENTATIO VIII.

ARMA EXOTICA

In Armamentario Paſsionis Dominicæ pro Milite Chriſtiano ſepoſita.

MEMBRVM I.

SECVRIS ELISEI.

PRÆTER Arma hactenus recenſita, verè militaria adhibetur aliquando ad hoſtem interimendũ SECVRIS. Scimus hoc tempore Gothos ſuis ſecuriculis multis hominibus in occupatis à ſe locis necem intuliſſe. Neque hoc inſtrumentum deeſt in Armamentario PASSIONIS. Quod perſpicaciter in illo vidit B. Auguſtinus, cùm locumenta illius excuteret. Vt & tu videas, eoque vtaris, memor ſis hiſtoriæ quæ habetur, Libro IV. Reg. cap VI. vbi narratur, quendam è domeſticis Eliſei Prophetæ, cùm materiam in ſyluâ ſuccideret, lapſu in aquam amiſiſſe ferrum Securis: itaque exclamauit: *Heu, heu, Domine mi, & hoc ipſum mutuo acceperam.* Dixit autem homo DEI, *vbi cecidit?* At ille monſtrauit ei locum: præcidit ergo Eliſeus lignum, & miſit illuc, natauitque ferrum & ait, *tolle*. qui extendit manũ, & tulit illud. NON *ignorauit penitus* LIGNI MYSTICI *virtutem* Eliſeus, inquit Auguſtinus, *qui* Securim *de manubrio in gurgitem lapſam, miſſo in flumine* LIGNO *de profundo euocauit. Significans vtique dura corda & ferreas hominum ceruices de profundo emerſas errore,* LIGNO CRVCIS *eſſe in poſterum ſubiugandas.* O CRVX! cuius talis ac tantus decerpitur fructus!

ACCIPE aliud ad morum informationem pro peccatoribus. *Quomodo* SECVRIS *illa de manu Prophetæ in profundum corruit, ita & genus humanum de manu Domini Omnipotentis per ſuperbiã ſe excuſſit. & cecidit, & in fluuio luxuria, vel omnium peccatorum gurgite ſe ſubmerſit. Veniens verò* Eliſeus, *miſit* LIGNVM *& natauit* FERRVM. *Quid eſt* LIGNVM *mittere, &* FERRVM *in lucem producere, niſi patibulum* CRVCIS *aſcendere,*

(a) *Serm.* 101. *de temp. hom.* 27. *lib.* 50. *homil.* (b) *Serm.* 210. *de temp. lib.* 5. *aduer. hær.*

dere, & de profundo inferni humanum genus eripere, ac de omnium peccatorum limo, per CRVCIS *myſterium liberare?* SECVRIS autem illa, in quâ LIGNVM eſt CRVCIS ac FERRVM clauorum, nobis deſeruit non ſolùm ad incidendam, & de medio tollendam arborem inueteratam malę conſuetudinis, verùm etiam ad findendum caput aduerſariarum Poteſtatum, cui mortale vulnus Securi ita inflixit libertatis noſtræ Aſſertor CHRISTVS Dominus.

MEMBRVM II.

VOMER SAMGARIS

QVI in Armamentario ſuo recondi quoque voluit ad vſus militares VOMEREM. Quomodo? dicis, nonne *Vomer* inſtrumentum eſt arationis, & pacis, non interfectionis & belli? Nonne prædictum à Propheta Euangelico, quod tempore Meſſiæ *conflabunt gladios ſuos in* VOMERES, *& lanceas ſuas in falces?* Iſaiæ 11. vt ſignificaret homines non exercendos amplius ad prælium. At hoc myſterium eſt PASSIONIS DOMINICÆ: nimirum, quod inſtrumenta illius ſimul ſint pacis & belli: nam iiſdem bellum conficitur, & in pace excoluntur animarum fundi. Inter quæ nominatiſſimus eſt VOMER, quo Iudicum III. SAMGAR Iudicum Hebræorum tertius *percuſſit de Philiſthijm ſexcentos viros*, ſicque defendit Iſraël. Res mira arabat Samgar, patiebantur Hebræi: vocatur è rure ad imperium, arripit *Vomerem* & ſolus ſexcentos mactat aduerſarios. Quamuis aliqui velint, conuocatis ruſticanis ſocijs, quemque ſuo *Vomere* hoſtem inuaſiſſe, & ſic tantam eſſe editam, Samgare Ducem agente, ſtragem. De qua vberius Libro V. Membro IV.

MEMBRVM III.

MAXILLA ASINI SAMSONICA.

MAGIS inſolens, quàm quod modò expreſſimus, ad præliandum inſtrumentum pendet in Armamentarij noſtri angulo id curioſè inſpicienti videtur MAXILLA ASINI: & eſt profectò illius animalis *Mandibula*, quâ SAMSON interfecit expeditè mille viros, dixitque gloriabundus: *In* Maxilla aſini, *in* Mandibulâ pulli aſinarum *deleui eos, & percuſſi mille viros.* Hoc fuit epinicion Samſonis, quo nullus ex Hebræorum Iudicibus CHRISTO fuit ſimilior, ideoque expreſſior Imago ac Typus. Sed nos omiſſis alijs, Inſtrumentum ſolummodò adducimus.

MAXILLAM cogita in manu fortiſſimi Bellatoris, & *Maxillam Aſini*, quã nihil vilius, nihil abiectius, illius animalis,

Philiſthæum 1. Reg. xvii. Quod S. Auguſtinus perpendens ſic ſcribit: ſermone c.xlvii. de temp. *Venit* Dauid *& inuenit Iudæorum populum contra Diabolum prælıantem, & cum nullus præſumeret ad ſingulare certamen procedere, ille qui figuram* CHRISTI *gerebat, proceſſit ad prælium: tulit* BACVLVM *in manu ſuâ, & exijt contra Goliath. Et in illo quidem tunc figuratum eſt, quod in Domino* IESV CHRISTO *completum eſt. Venit enim verus Dauid* CHRISTVS, *qui contra ſpiritalem Goliath id eſt, contra Diabolum pugnaturus* CRVCEM *ſuam ipſe portauit.*

MEMBRVM VI.

BACVLVS ELISEI PROPHETÆ.

TERTIVS ſuperioribus iunctus eſt BACVLVS ELISEI. Habebat hic Propheta *Baculum*, quem dabat Giezi puero ſuo, vt poneret ſupra faciem demortui: fecit, quod imperatum fuerat, famulus, ſed mortuo non eſt reſtituta vita Lib. iv. Reg 4. BACVLVS *ſine* ELISEO *nihil valebat, quia* CRVX *ſine* CHRISTO *nihil poterat. Venit ergo B. Eliſeus & aſcendit in cænaculum, quia venturus erat* CHRISTVS, *& aſcenſurus* CRVCIS *patibulum. Inclinauit ſe Eliſeus, vt puerum reſuſcitaret: humiliauit ſe Chriſtus, vt Mundum in peccatis iacentem erigeret. Miſit Eliſeus oculos ſuper oculos, manus ſuper manus.*

Videte, fratres, quantum ſe vir ille perfectæ ætatis conſtraxit, vt paruulo mortuo & iacenti congrueret. Quod enim Eliſeus in puero præfigurauit, hoc in toto genere humano Chriſtus compleuit. Audi Apoſtolum dicentem: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem.* Ita Auguſtinus ſerm. lcvi. de temp.

COMMENTATIO IX.

IN PASSIONIS DOMINICÆ ARMAMENTARIO, ſunt pro Milite Chriſtiano. *Virgæ. Fuſtes. Flagella. Haſta. Scutum.*

MEMBRVM I.

VIRGÆ SERVORVM TERROR

EST etiam in Militiâ Virgarum vſus ijs facilius aliquando, quàm armis alijs obtinetur victoria. Id experti ſunt Scythæ, de quibus hoc narrat Iuſtinus. Hi-

Hiſtoricus lib.II Cùm mares, domo abeſſent annis omninò ſeptem â coniugibus, & liberis, vxores longâ expectatione virorum feſſæ, nec iam teneri bello, ſed deletos ratæ, ſeruis ad cuſtodiam pecoris relictæ nubunt. Qui reuerſos cum victoriâ dominos, velut aduenas, armati finibus prohibent. Quibuſcum varia victoria fuiſſet, ad monentur Scythæ mutare genus pugnæ, memores, non cum hoſtibus, ſed cum ſeruis prœliandum, nec armorum ſed dominorum iure vincendos: verbera in aciem non tela ferenda, omiſſoque ferro, VIRGAS & flagella, ceteraque ſeruilis metus paranda inſtrumenta. Probato omnes conſilio, inſtructi ſunt, ſicut præceptum erat: poſteaquam verò ad hoſtes acceſſerunt, inopinantibus verbera intentant, adeoque illos perturbant, vt quos ferro non poterant, metu verberum vincerent, fugamque, non vt hoſtes victi, ſed, vt fugitiui ſerui capeſſerent. Quicumque capi potuerunt, ſupplicia crucibus luerunt.

EST frequenter bellum ſeruile nobis, tum cum viliſſimis animi perturbationibus, quæ inſtar ſunt mancipiorum, & catenis conſtringi deberent; tum cum Inferni ergaſtularijs, quibuscum non eſt pugnandum, vt cum liberis & ingenuis hoſtibus, ſed vtendum oſtentatione virgæ, ac flagellorum ſonitu, qui non ſit inanis, ſed expercuſſione corporis noſtri oriatur: ſic enim paſſiones ſuperantur. Ideò in hoc noſtro Armamentario illorum inſtrumentorum eſt copia. Sed omnium virtutem CRVX continet.

MEMBRVM II.

VIRGA MOSIS LEGISLATORIS.

REPERITVR quoque hîc VIRGA MOSIS, cùm in Ægypto, tum in exitu de Ægypto plurimis nobilitata miraculis. Exodi XIV. Hæc autem etiam CRVCEM Domini Paſſi adumbrauit. VIRGA MOSAICA, inquit Damaſcenus, Lib. IV. de fide cap. 12. *in ſimilitudine* CRVCIS, *mare percuſſit, & ſaluauit Iſraël: in mari autem Pharaonem ſubmerſit.* Huius vel oſtenſione VIRGÆ incredibili correpta timore Orci mancipia fugiunt. Quod expertus eſt Iulianus licet Apoſtata, alijque innumeri.

MEMBRVM III.

VIRGA GEDEONIS.

SVPERIORI eſt adiuncta VIRGA GEDEONIS Ducis fortiſſimi. Hic, vt narratur Iudicum ſexto cap. ſtans ſub quercu, manu VIRGAM tenens, & excutiens frumentum, vidit Angelum Domini. Arborem autem ſub quâ ſtetit

Gedeon, & VIRGAM, quam tenuit CRVCEM ſignificaſſe manifeſtum eſt. (a) Quod autem Angelus VIRGA ſuâ tetigit petram, & exijt inde ignis ac conſumpſit hædum ſuperpoſitum, innuit, quod CRVX tetigit CHRISTVM, & de PETRA illa, quæ erat CHRISTVS ignis exijt caritatis qui humani generis peccata conſumpſit.

MEMBRVM IV.

VIRGA & FLAGELLA CHRISTI PASSI.

VEræ etiam hîc ſunt VIRGÆ, vera FLAGELLA, non tantùm metaphorica, quibus Saluatoris dorſum fuit laceratum, quorum conſideratione, in nobis manus dant perturbationum, tanquam ſeruorum agmina, eorumque conſpectu trepidant Tartari propudia. Ex obſeſſorum etiam corporibus Dæmonia facillimè abiguntur, ſi VIRGIS excipiantur in obſeſſis corporibus, fortaſſe, quia VIRGA CRVCIS eſt ſymbolum; fortaſſe etiam quia recordantur quantum ijs obfuerit CHRISTI PASSI caſtigatio virgis facta.

MEMBRVM V.

CLAVA HERCVLEA.

MIRA fuit olim gloriatio profanæ Gentilitatis ob CLAVAM, quâ monſtra genus omne profligata, aut deleta fingebant, à quodam, quem

Tergemini nece Geryonis ſpolijſq; ſuperbum.

vocabant Alexicacum, malorum auerruncatorem Herculem. Eſt autem CLAVA fuſtis teres ad claui ſimilitudinem capitatus. Nec iſtius generis inſtrumentum hîc deſideratur: immò, ipſa haberi videtur in PASSIONIS Armamentario. Nam probatum eſt ſuperius CHRISTI Domini Patientis typum illuſtriſſimum fuiſſe Samſonem, tum alijs facinoribus præclaris, tum Philiſthæorum aliorum-que hoſtium internecione. Non eſt autem improbabile, verum *Herculem* à quo Gentilium de ſuo aut Hercule, aut Herculibus prognatæ, ac propagatæ ſunt fabulæ, fuiſſe *Samſonem*, vt multis indicijs ad fidem faciendam idoneis probat egregiè eruditus ſacræ ſcripturæ interpres Nicolaus Serarius. Iud. XVI. q. 36. Qui monet etiam, Herculis picturas varias eſſe, ſed illam vſitatiſſimam cum CLAVA & Leonis exuuio, quia & Leonem & Philiſthæos interemit quàm plurimos *Samſon*, neque ferro tamen & loricâ, galea-ne vnquam eſt vſus. Nam non pugnaſſe Herculem gladio, haſtâ, armiſque ferreis illa pictura ſignificari apud Ægyptijs Diodorus teſtatur, Lib. I. Nec du-

dubitauit Gulielmus Budæus CHRISTVM Dominum appellare HERCVLEM VERVM, prudentior illo Concionatore plebeio, qui Herculis labores Virgini MARIÆ applicauit. Nobis non licet eſſe tam profanis: hoc tamen adfirmare non eſt profanum: Quod ſiue verus, ſiue fictus *Hercules* vnico armorum genere ſibi proprio, CLAVA conſequutus eſt vt omnibus ſuis hoſtibus eſſet ſuperior; id facilius CHRISTVM AVERRVNCATOREM malorum omnium, & verum ἀλεξίκακον ſuo obtinuiſſe inſtrumento bellico, quod non fuit aliud, quàm CRVX, CLAVA Herculeâ potentior, vt illam meritò in PASSIONIS DOMINICÆ Armamentario reponamus.

MEMBRVM VI.

HASTA VVLNERANS & CVRANS.

CElebertima eſt apud Poëtas *Haſta Peliat* Achillis, quam à Pallade decorticatam, & politam, à Vulcano verò cuſpidatam ferebant. Huius tanta dicebatur eſſe vis in contrarium, vt ſi quem vulneraſſet, mox curaret, iniectâ in vulnus è ferro rubigine; quod contigiſſe narrant Telepho. Tales Haſtæ, ſine fictione poëticâ, ſunt in Armamentario Paſſionis. Omnia enim inſtrumenta, quæ tam crudeliter vulnerarunt Caput noſtrum, & in illo nos omnes, ſi eorum rubigo, hoc eſt, memoria doloroſa vulneribus noſtris applicetur, ſanant expediſſimè.

MEMBRVM VII.

SCALA IACOB.

QVoniam *Militia Chriſtiana* eſt quoque *Obſidionales*, & Eccleſia Militans Artem habet obſidendi, vt ſuo loco demonſtratū eſt, obſidio autem vrbium & propugnaculorū non perficitur ſine Scalis, neceſſariò Scalæ etiam deſumendæ ſunt ex PASSIONIS CHRISTI inſtructiſſimo Armamentario, dum vel obſidendum eſt Cælum, quod violenti eo modo rapiunt; vel conſcendendi aggeres caſtrorum, quibus ſe muniunt aduerſariorum infernalium exercitus; vel cæleſtis Ieroſolymæ muri explorandi. Quæ omnia, & ſi quid prætereà per Scalas attentatur in Militia, efficit, vt Inſtrumentum maximè idoneum, vna, quæ eſt inſtar omnium, & appellatur SCALA IACOB, nominatiſſima inter Milites Chriſtianos *Scala*, vſitatiſſima in Militia ſacra *Scala*, altiſſima vt ad quamlibet munitionem applicari poſſit *Scala* cuius proprius locus eſt PASSIONIS DOMINICÆ Armamentarium.

QVID enim figuratè eſt SCALA IACOB?

cob? CRVX CHRISTI. *Ego puto,* inquit S.Hieronymus,(*a*) *CRVCEM Saluatoris,illam eſſe SCALAM, quam vidit Iacob.In illa SCALA deſcendebant Angeli & conſcendebant.* In iſta SCALA, hoc eſt, CRVCE *deſcenderunt Iudæi,& conſcenderunt Gentiles.* Fuſius S.Auguſtinus(*b*) *IACOB dormiebat, & Dominum in cacumen SCALÆ videbat incumbere. Quid eſt*, in Scalam incumbere, *niſi in Ligno pendere ? conſiderate quis in ligno CRVCIS pendens pro Iudæis orauerit. & cognoſcetis,quis ad Iacob Scalæ incumbens clamauerit. Sed quare hoc in itinere factum eſt. antequam Iacob vxorem acciperet ? Quia & verus Iacob Dominus Noſter,prius in SCALA,id eſt,CRVCE occubuit , & poſteà ſibi Eccleſiam ſociauit, dans ei in præſenti arrham ſanguinis ſui, daturus dotem poſtmodum ſui Regni.*

(a) *In Pſal.* XLVIII. (b) *Serm.* LXXIX. *de temp. & Tract. de Cataclyſmo.*

MEMBRVM VIII.

SCVTVM ANCILE.

GLORIABANTVR olim Romani, Numæ Pompilij tempeſtate de cælo cecidiſſe SCVTVM.

Ecce leni Scutum *verſatum leuiter aura*
Decidit, à populo clamor ad aſtra venit.
Idq́; Ancile *vocat, quod ab omni parte recisum eſt.*
Quemq́; notes oculis angulus omnis abeſt.

Vnaque vocem editam, omnium potentiſſimam fore ciuitatem illam, quam diu in eâ manſiſſet. Itaque facta ſunt eius figuræ *Scuta* plurima, quibus miſceretur cæleſte, ne internoſci poſſet , & fraude ſubduci. Omnes CHRISTI Patientis labores vocan-ur SCVTVM, quo aduerſitatum tela excipimus , & infringimus; de quo Propheta ; *Dabo eis* SCVTVM CORDIS *Laborem tuum* , Threnorum tertio. Sed nihil magis Scuti figuram gerit, quàm flagrantiſſimum amore noſtri COR Domini,& CRUX , *Ancile Chriſtianorum* : quod quam diu in pectoris penetrali reſeruauerimus , non dubitemus, nos contra omnes aduerſarios noſtros fore potentiſſimos,& INVVLNERABILES.

in te ex Crvcis arcu iaculatur caritatis ſagittas, aureâ te dilectionis haſta transfodit, aureo amoris gladio tranſuerberat, non alio fine, quàm, vt ſi non parem, aliquem ſaltem amoris affectum excitet. Si Christvm ante amare pigebat, redamare tibi laborantem, tibi laſſum, tibi Crvcifixvm haud pigeat. Creando homini parum, immò nihil laborauit: dixit & facta ſunt, at recreando hominem, plurimum. *Nihil eſt quod ita nobis Chriſtum amabilem reddit, quàm* CALIX *ille, quem pro nobis bibit: hoc eſt opus noſtræ redemptionis. Hoc enim neceſſariò amorem noſtrum totum vendicat ſibi. Hoc deuotionem noſtram blandius allicit iuſtius exigit.* (a) *arctius ſtringit, & afficit vehementius.* Tanti ergo beneficij immeritis, immò hoſtibus à Christo præſtitis, neque tamen vllo modo debiti, conſideratione, *Caritas* illius in nos intelligitur, & noſtra viciſſim erga illum acuitur. Poſſet ne quis ſuæ pretia libertatis poſt longiſſimam diriſſimamque ſeruitutem intueri, & non amare Redemptorem? poſſet-ne medicinam quis videre, quâ eſt ſanatus, & Medicum, ſi ſanguinem ſuum miſcuiſſet non complecti? O Christe Crvcifixe! in meditatione meâ, de Paſſione tuâ, exardeſcat ignis.

(a) *S. Bernard. ſerm. xx. in Cantica.*

Membrvm II.

ARMA VNIVERSALIA.

Habetis Militiæ Chriſtianæ Armamentarivm omni ſpiritualium armorum genere refertiſſimum, è quo contra inſultantia vndique vitia inſtrumenta quælibet bellica in tuitionem & oppugnationem copioſiſſimè deſumere licet. Itaque ſi te *Superbia* oppugnet, habes hic arma *Humilitatis*, quibus ceruices illius deprimas. Et quæ humilitas profundior eſſe poterat Deo Crvcifixo? Si *Auaritia* premat, habes hic *Liberalitatis*, ac *Munificentiæ* tela, quibus illam confodias, cùm nec vltimæ ſanguinis guttæ pepercerit. Si te *Luxuria* colaphizet, habes *Caſtitatis* Scutum, quod opponas, cùm etiam verecundiſſimè nudari, orbe inſpectatore, ob inuerecundas tuas libidines voluerit. Si te maceret *Inuidia*, habes hic, quæ te roboret, & gaudio perfundat, *Caritatem*, quâ impulſus, Iudæorum ſcelus excuſat, ignorantiam prætexit, veniam poſtulat. Si te opprimere tentet *Intemperantia*, habes, quâ illam à te excutias, *Sobrietatem*: habes acetum felle miſtum, quod guſtare voluit in tuæ intemperantiæ expiationem. Si te *Ira*, tanquam fornacis calcariæ flamma accendat, habes hic *Manſuetudinem*, quâ ignes mitiges & extinguas, cùm etiam inter blaſphemas Iudæorum & alterius latronis voces nihil reponat, niſi latronum vni deprecanti Paradiſum. Si te *Socordia* ad ignauiam impellat, habes hic *Vigilantiam*,

Conſtantiam, *Generoſitatem*, quæ illius iacula excutiant, & mori doceant, & rectè inchoata, non minis, non promiſſis aduerſarij interrumpere, ſed cum vitâ fortiter conſtanterque finire.

QVICQVID denique vitiorum ſeſe in vnum caput tuum effuderit, habes hic præſentia ad omne malum auertendum, aut curandum *Remedia*: habes *Arma*, quibus hoſtilia aduerſariorum reprimas, conteras, auertas. Non hoc ignorabat, qui animosè dicebat. *Apprehende arma & ſcutum: & exſurge in adiutorium mihi.* (a) *Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni*, (b) Vnde & monemur ab Apoſtolo: *Abijciamus opera tenebrarum, & induamus Arma lucis*, (c) quæ ex hoc Ducis noſtri prævalido, & diuite Armamentario ſuppeditantur.

(a) *Pſal.* xxxiv. (b) *Pſal.* xlv. (c) *Rom.* xiii.

MEMBRVM III.
ARMA POTENTIA DEO.

ARMA *Militiæ noſtræ* inquit Capi doctor Paulus, *nõ carnalia ſunt*, ſed Potentia DEO II. ad Corinth. x. 4. Sunt à DEO in CHRISTO DEO. Quæ qualia ſint docet idem: *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt*, *ſed potentia* DEI *ad deſtructionem munitionum potentia*, virtuteque CRVCIS potentiſſima ad deſtructionem munitionum infernalium, quibus noctu diuque oppugnamur. Sed fortior Armatus CHRISTVS CRVCIFIXVS ſuperueniens, vniuerſa Principis tenebrarum Arma, in quibus ſuperbus confidebat, per CRVCEM, & CRVCIFIXI VVLNERA abſtulit, exuitque ſpolijs ac munitionibus nudauit. Et exinde monemur: *Neque exhibeatis membra veſtra* ARMA *iniquitatis Peccato, ſed* ARMA *Iuſtitiæ* DEO. Ad Rom. vi. Satis eſt, & nimium peccaſſe hactenus toties, nimium ſudaſſe ſub armis iniquitatis. Veſtiamur Armis Iuſtitiæ, Ad Eph. vi. & induamur *Armaturam* DEI, *vt poſſimus ſtare aduerſus inſidias Diaboli, & aduerſus Principes & Poteſtates, aduerſus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Arripiamus eia ARMATVRAM Ducis noſtri, ſuccingamur *in veritate*, induamus *Loricam Iuſtitiæ*; calceamus pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus ſumentes *Scutum fidei*, *in quo poſſimus omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*: Sed & *Galeam ſalutis* adſumamus, & *Gladium ſpiritus*, quod eſt Verbum DEI. Quæ omnia mutuanda nobis ſunt ab armorũ ſummo Præfecto IESV CHRISTO, & deſumenda ex ARMAMENTARIO PASSIONIS, in quo repoſita ſunt omnis generis arma æternùm inuicta.

Hoc fine conditum eſt iſtud ARMAMENTARIVM, cuius eſt iſta inſcriptio: CHRISTVS PASSVS *eſt pro nobis, vobis*

relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. CHRISTO igitur *in carne* PASSO, *& vos eadem cogitatione* ARMAMINI. Vt compendio armemini, ſit vobis CHRISTVS CRVCIFIXVS *Galea* in capite, *Lorica* in pectore, *Gladius* in dexterâ, *Scutum* in ſiniſtrâ. Sic ille vobis ſemper in corde, ore, & opere: ſit mel in ore, melos in aure, iubilus in mente. Tandem, vt finis imponatur huic de ARMAMENTARIO *Militiæ Christianæ* Commentationi Sacræ, ſi Amatores CRVCIS eſtis, ſi Imitatores CRVCIFIXI eſſe velitis, eius ſuper Vos ex altiſſimo CRVCIS benedictæ throno deſcendat, cum copioſo gratiarum imbre, *Benedictio* æterna tua PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI, cui laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum. AMEN.

NOTÆ

In quibus Auctores & Miſcella.

§. I. CHRISTO paſſo in carne, & Vos eadem cogitatione armamini] *Sanus planiſſimus eſt. Itaque & Vos Chriſto pro Vobis Paſſo, conformamini, & eadem cogitatione armamini, vt cum* CHRISTO CRVCIFIXO *vitia veſtra pariter crucifigatis, iuſtitiam ab eo acceptam conſeruetis, nec ad priſtinam iniuſtitiam redeatis: ſed iuſtos vos, ſanctosq́; ſiſtatis & offeratis* DEO, *ne eius Paſſionem & laborem euacuetis, néue ipſe gratis ac fruſtrà pro vobis mortuus ſit.* Cornel. in Epiſt. Petri.

§. II. CRVX armatura omnis generis.] *Legendus* NOMENCLATOR *Sanctæ* CRVCIS Sandæi, *ex encomijs, elogijs, titulis, quibus Crucem Chriſti SS. Patres Doctores Theologi, aliiq́; Scriptores orthodoxi, tum veteres, tum recentiores honorarunt, concinnatus. Aliqua ex ijs habet* Iacobus Gretzerus *lib. 1. de Cruce, cap. 55.*

§. III. CRVCE Signati.] *De his fusè Iacobus Gretzer. lib. 1. de Cruce.*

§. IV. AMATORES CRVCIFIXI.] *De his ſunt X. Centuriæ Sandæi.*

§. V. HASTA Pelias] *Ouid. epiſt. 3.* Tranſeat Hectoreum Pelias haſta latus. *Haſta Achillis, qui Peleï fuit filius, quam nemo præter Achillem, ob magnitudinem vibrare poterat.*

§. VI. SCVTVM Ancile. *Plura Sandæus in Donario Cordis Principis Iulij Epiſcopi Herbipolenſis; & in Opuſculo,* MARIA AQVILA MYSTICA, *Serm. 2.*

§. VII. SECVRIS Eliſæi.] S. Auguſtinus *Sermone 210. de Temp. per fluuium accepit fluentes voluptates, & concupiſcentias, ex quibus nos merſos liberat Eliſeus, id eſt,* CHRISTVS *per* LIGNVM CRVCIS. SECVRIS illa, *inquit*, in profundo iacebat, quia genus humanum in omnium criminum abyſſum infelici ruina corruerat, ſicut ſcriptum eſt: *Infixus ſum in limo profundi:* & iterum, *Deueni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Fluuius enim ille, vbi SECVRIS cecidit, ſignificat præterfluentem, & fugitiuam, & in abyſſum deſcendentem voluptatem, vel luxuriam ſeculi huius. Fluuius enim à fluendo nomen accepit. Et quia omnes peccatores tranſitorijs voluptatibus inhærentes fluere dicuntur, ideò SECVRIS illa in fluuio, & in limo iacebat oppreſſa. Veniens verò Eliſeus miſit lignum, & natauit ferrum. Quid eſt lignum mittere, & ferrum

rum in medium producere, niſi PATIBVLVM CRVCIS aſcendere, & de profundo inferni humanum genus erigere, ac de omnium peccatorum limo per CRVCIS myſterium liberare? Poſtquam verò natauit ferrum, miſit manum Propheta, & recepit illud, & rediit ad vtiles vſus domini ſui. Ita & de nobis factum eſt, dilectiſsimi fratres, qui de manu Domini ſuperbiendo cecideramus, per *CRVCIS LIGNVM* iterum, ad manum, vel ad poteſtatem Domini iterum redire meruimus. Et ideò, quantum poſſumus, cum ipſius adiutorio laboremus, ne iterum ſuperbiendo de manu Domini corruamus.]

Tertullianus lib. contra Iudæos cap. XIII. per aquas Iordanis in quas incidit ferrum, accipit Baptiſmum, per LIGNVM, CRVCEM Chriſti; per Ferrum, dura peccatorum corda. Quid, *ait*, manifeſtius, huius ligni Sacramẽto? quod duritia huius ſeculi merſa in profundo erroris, & à LIGNO CHRISTI, id eſt, PASSIONIS eius in baptiſmo liberatur; vt quod perierat olim in Adam per lignum, id reſtitueretur per *LIGNVM CHRISTI*.

S. Ambroſius lib. 2. de Sacramenti cap. 2. Ecce aliud genus baptiſmatis. Quare? quia omnis homo ante baptiſmum quaſi ferrum premitur atque demergitur. Vbi baptizatus fuerit, non tanquam ferrum, ſed tanquam iam leuior fructuoſi ligni ſpecies leuatur. Vides ergo, quod in *CRVCE CHRISTI* omnium hominum leuatur infirmitas.]

S. Irenæus lib. v. cap. 17. Per ferrum accipit firmum DEI verbum, quod per lignum Comedendo ex ligno ſcientiæ boni & mali à DEO vetito, Geneſ. 3. negligenter amiſeramus, per negligenter amiſeramus, nec inueniebamus, ſed per LIGNVM CRVCIS CHRISTI recepimus. Quod autẽ ſecuris ſimilis ſit verbo DEI, inquit, docet Ioannes Baptiſta dicens: Iam autem ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. *Matth. 3. Vide aliam applicationem in Bellarmino Con. XII. quæ Cruci facile accommodari poteſt.*

§. VIII. SCALA IACOB.] *Legendus* Antonius Ferdinandius *Comment. in Geneſ.* Iacobus Gretſerus *lib. 1. de Cruce, capite 43.* Maximilianus Sandæus, *in Theologia Symbolica lib. 4. Comment. 2. & 4. Vbi ſunt* XXXII. *expoſitiones ſymbolicæ de SCALA IACOB. Præter quam explicantur,* I. Scala *Kabaliſtarum.* II. Scala. *Zoroaſtris.* III. Scala *Naturæ.* IV. Scala *Virtutum.* V. Scala *Paradiſi.* VI. Scala *Diſciplinarum.* VII. Scala *Fidelium, quæ omnes ſunt*

SCALAE MILITARES.

LIBER

LIBER V.

MONOMACHIA CHRISTI PATIENTIS.

ALLOCVTIO PRÆVIA. CHRISTVS

In Paſsione Duellator Fortis & Inuictus.

COMMENTATVRVS hiſce Chriſtiani Ieiunij ferijs Dominicalibus, de PASSIONE D.N. IESV CHCISTI, quam nouennio integro, per hæc interualla, lentiſſimâ feſtinatione, ex hoc loco, illuſtrare (ſi Sol illuſtrari per tenebras humani ingenij poteſt) pertexi; quotannis minimâ aliquâ particulâ explanationi ſepoſitâ; hoc tempore aliam ingrediens viam, nouo ſchemate inducam CHRISTVM PATIENTEM, vt fortiſſimum dexterrimumque Militem, Monomachiâ cum capitaliſſimo generis humani hoſte, In ampliſſimo, ſiue Gethſemaneæ villæ, ſiue Pontificalium atriorum, ſiue regiæ Herodianæ, ſiue Prætoriæ Pontiæ, ſiue fori Ieroſolymitani, ſiue denique Montis Caluariæ Campo, tanquam in arenâ duello congredientem. Cuius deſumpti à me hoc anno argumenti, præter connexionem, cum hactenus à me diſputatis de MILITIA CHRISTIANA, acceſſit iſta, quod Diuinas peruoluenti Paginas, & in ijs, CHRISTI PASSI, ſiue Typos, ſiue Figuras, ſiue Imagines, ſiue Symbola (nam idem hæc omnia ſignificant) contemplan-

planti , illuſtriores haud occurrerunt, quàm fortiſſimi Duces , & intrepidi, impigrique Milites ILLE autem præ omnibus , cuius ſingulare certamen, duello , cum giganteæ molis monſtro ſponte ſuſcepto , & inaudito præliandi genere ardoreque ſuperaro , Iſraëliticam rem omnem penitus collapſam, momento temporis erexit , orbemque vniuerſum in ſtuporem dedit. Is fuit DAVID, filius Iſai,bellicoſiſſimus Dauid, qui poſt leonem , agni inſtar tenelli,in fruſtra diſcerptum,& poſt laceratum vrſum , Goliath Gigantem, Philiſtinorum vt maximum, ita ferociſſimum, caſtrorum fulmen in valle Terebinthi , monomachiâ indictâ initâque animoſiſſimè aggreſſus , proſtrauit & occidit. Quod Dauidis cum Goliatho Duellum præludium quoddam fuiſſe , ſeu figuram Duellantis in PASSIONE CHRISTI quadrageſimalibus aliquot Commentationibus demonſtrabimus. Quibus omnibus præfigendum eſt lemma, ab Eccleſia, poſt debellatum hoſtem , inter epinicia, odaſque triumphales decantari ſolitum.

MORS ET VITA
DVELLO
CONFLIXERE MIRANDO.

Porrò, vt omnibus innoteſcat penè ad oculum, inter CHRISTI PATIENTIS Typos eminere ſtrenuiſſimos Duces , ac fortiſſimos Milites, in ijs autem palmam deberi Ieſſæo bellatori, concipite animo ampliſſimum orbis amphitheatrum maius multo & capacius, Tauri, Veſpaſiani, Titi, in cuius arenæ exhibeantur breuiſsimo tempore, quæcumque ab orbe condito ſacra bella à generoſiſſimis DEI Equitibus in figura geſta ſunt: & notate in ſingulis Ductorem, tanquam CHRISTI Imperatoris N. animatam imaginem: ego myſteria explanabo.

***

COM-

COMMENTATIO I.

ABRAHAM.

MONOMACHIA CHRISTI PATIENTIS

Expreſſa in Abrahamo pugnante cum Vernaculis CCC.XXIII.

Mors & Vita Duello conflixêre mirando.

MEMBRVM I.

ABRAHAM

Cum CCCXVIII. *Vernaculis ſuis pugnans*

Figura Chriſti Patientis.

EN prorumpunt inſtructi agminibus Palæſtinorum & Aſſyriorum Reguli, Rex Sodomorum,& Rex Gomorrhæ, Rexque Adamæ,& Rex Seboim, nec non & Rex Balæ. Sed occurrit illis numeroſiſsimis copijs Chodorlahomor Rex Elamitarum,&Thadal Rex Gentium, Amraphel Rex Sennaar,& Arioch Rex Ponti: quatuor Reges aduerſus quinque. Venitur ad manus. conſeruntur ſigna. impreſsionem faciunt vtrimque ſtrenuè. Vincuntur Pentapolitæ: vincunt Aſſyrij: fit fuga: alicubi reſiſtitur aliquantulum: hæret pede pes, viro vir. Actum eſt. fugiunt Rex Sodomorum & Gomorrhæ trucidantur in fuga atrociter plurimi. Victor Chodorlahomor facultates Sodomitarum diripit, vrbem ſpoliat, in ſeruitutem rapit populum, in eoque Loth filium fratris Abraham. Benè habet. ſentiet quid attentauerit, & quem irritando aduerſarium ſibi fecerit. Nunciatur Abrahamo captum & abductum Loth ſuum cognatum. Ille non minus ad exercitum colligendum, inſtruendumque promptus, quàm ad omnia pietatis officia paratus, numerat illicò expeditos ſuos vernaculos, hoc eſt, ſeruos domi ſuæ natos, *Trecentos decem & octo*: illos armat, ac in bellum educit, diuiſiſque his ſuis commilitonibus irruit in aduerſarios noctu. Quibus deuictis reduxit Lothum, omnemque ſubſtantiam captiuorum, ipſos autem libertati reſtituit. Spectaſtis prælium, quod fuſius narratur Geneſ. XIV. nunc abditos in eo ſenſus percipite.

dubitauit Gulielmus Budæus CHRISTVM Dominum appellare HERCVLEM VERVM, prudentior illo Concionatore plebeio, qui Herculis labores Virgini MARIÆ applicauit. Nobis non licet eſſe tam profanis: hoc tamen adfirmare non eſt profanum: Quod ſiue verus, ſiue fictus *Hercules* vnico armorum genere ſibi proprio, CLAVA conſequutus eſt vt omnibus ſuis hoſtibus eſſet ſuperior; id facilius CHRISTVM AVERRVNCATOREM malorum omnium, & verum ἀλεξίκακον ſuo obtinuiſſe inſtrumento bellico, quod non fuit aliud, quàm CRVX, CLAVA Herculeâ potentior, vt illam meritò in PASSIONIS DOMINICÆ Armamentario reponamus.

MEMBRVM VI.

HASTA VVLNERANS & CVRANS.

CElebertima eſt apud Poëtas *Haſta Peliat* Achillis, quam à Pallade decorticatam, & politam, à Vulcano verò cuſpidatam ferebant. Huius tanta dicebatur eſſe vis in contrarium, vt ſi quem vulneraſſet, mox curaret, iniectâ in vulnus è ferro rubigine; quod contigiſſe narrant Telepho. Tales Haſtæ, ſine fictione poëticâ, ſunt in Armamentario Paſſionis. Omnia enim inſtrumenta, quæ tam crudeliter vulnerarunt Caput noſtrum, & in illo nos omnes, ſi eorum rubigo, hoc eſt, memoria doloroſa vulneribus noſtris applicetur, ſanant expediſſimè.

MEMBRVM VII.

SCALA IACOB.

QVoniam *Militia Chriſtiana* eſt quoque *Obſidionales*, & Eccleſia Militans Artem habet obſidendi, vt ſuo loco demonſtratũ eſt, obſidio autem vrbium & propugnaculorũ non perficitur ſine Scalis, neceſſariò Scalæ etiam deſumendæ ſunt ex PASSIONIS CHRISTI inſtructiſſimo Armamentario, dum vel obſidendum eſt Cælum, quod violenti eo modo rapiunt; vel conſcendendi aggeres caſtrorum, quibus ſe muniunt aduerſariorum infernalium exercitus; vel cæleſtis Ieroſolymæ muri explorandi. Quæ omnia, & ſi quid præterea per Scalas attentatur in Militia, efficit, vt Inſtrumentum maximè idoneum, vna, quæ eſt inſtar omnium, & appellatur SCALA ICAOB, nominatiſſima inter Milites Chriſtianos *Scala*, vſitatiſſima in Militia ſacra *Scala*, altiſſima vt ad quamlibet munitionem applicari poſſit *Scala* cuius proprius locus eſt PASSIONIS DOMINICÆ Armamentarium.

QVID enim figuratè eſt SCALA IA-

cob: CRVX CHRISTI. *Ego puto*, inquit S.Hieronymus,(*a*)*CRVCEM Saluatoris, illam eſſe SCALAM, quam vidit Iacob. In illa SCALA deſcendebant Angeli & conſcendebant*. In iſta SCALA, hoc eſt, CRVCE *deſcenderunt Iudæi, & conſcenderunt Gentiles*. Fuſius S.Auguſtinus(*b*) *IACOB dormiebat, & Dominum in cacumen SCALÆ videbat incumbere. Quid eſt*, in Scalam incumbere, *niſi in Ligno pendere? conſiderate quis in ligno CRVCIS pendens pro Iudæis orauerit. & cognoſcetis, quis ad Iacob Scalæ incumbens clamauerit. Sed quare hoc in itinere factum eſt, antequam Iacob vxorem acciperet? Quia & verus Iacob Dominus Noſter, prius in SCALA, id eſt, CRVCE occubuit, & poſteà ſibi Eccleſiam ſociauit, dans ei in præſenti arrham ſanguinis ſui, daturus dotem poſtmodum ſui Regni.*

(a) *In Pſal.* XLVIII. (b) *Serm.* LXXIX. *de temp. & Tract. de Cataclyſmo.*

MEMBRVM VIII.

SCVTVM ANCILE.

GLORIABANTVR olim Romani, Numæ Pompilij tempeſtate de cælo cecidiſſe SCVTVM.

Ecce leui Scutum *verſatum leniter aura*
Decidit, à populo clamor ad aſtra venit.
Idq; Ancile *vocat, quod ab omni parte reciſum eſt.*
Quemq; notes oculis angulus omnis abeſt.

Vnaque vocem editam, omnium potentiſſimam fore ciuitatem illam, quam diu in ea manſiſſet. Itaque facta ſunt eius figuræ *Scuta* plurima, quibus miſceretur cæleſte, ne internoſci poſſet, & fraude ſubduci. Omnes CHRISTI Patientis labores vocantur SCVTVM, quo aduerſitatum tela excipimus, & infringimus; de quo Propheta; *Dabo eis* SCVTVM CORDIS *Laborem tuum*, Threnorum tertio. Sed nihil magis Scuti figuram gerit, quàm flagrantiſſimum amore noſtri COR Domini, & CRVX, *Ancile Chriſtianorum*: quod quam diu in pectoris penetrali reſeruauerimus, non dubitemus, nos contra omnes aduerſarios noſtros fore potentiſſimos, & INVVLNERABILES.

in te ex CRVCIS arcu iaculatur caritatis ſagittas, aureâ te dilectionis haſta transfodit, aureo amoris gladio tranſuerberat; non alio fine, quàm, vt ſi non parem, aliquem ſaltem amoris affectum excitet. Si CHRISTVM ante amare pigebat, redamare tibi laborantem, tibi laſſum, tibi CRVCIFIXVM haud pigeat. Creando homini parum, immò nihil laborauit: dixit & facta ſunt, at recreando hominem, plurimum. *Nihil eſt quod ita nobis Chriſtum amabilem reddit, quàm* CALIX *ille, quem pro nobis bibit: hoc eſt opus noſtræ redemptionis. Hoc enim neceſſariò amorem noſtrum totum vendicat ſibi. Hoc deuotionem noſtram blandius allicit iuſtius exigit,* (a) *arctius ſtringit, & afficit vehementius.* Tanti ergo beneficij immeritis, immò, hoſtibus à CHRISTO præſtitis, neque tamen vllo modo debiti, conſideratione, *Caritas* illius in nos intelligitur, & noſtra viciſſim erga illum acuitur. Poſſet ne quis ſuæ pretia libertatis poſt longiſſimam diriſſimamque ſeruitutem intueri, & non amare Redemptorem? poſſet-ne medicinam quis videre, quâ eſt ſanatus, & Medicum, ſi ſanguinem ſuum miſcuiſſet non complecti? O CHRISTE CRVCIFIXE! in meditatione meâ, de Paſſione tuâ, exardeſcat ignis.

(a) *S. Bernard. ſerm. xx. in Cantica.*

MEMBRVM II.

ARMA VNIVERSALIA.

HABETIS Militiæ Chriſtianæ ARMAMENTARIVM omni ſpiritualium armorum genere refertiſſimum, è quo contra inſultantia vndique vitia inſtrumenta quælibet bellica in tuitionem & oppugnationem copioſiſſimè deſumere licet. Itaque ſi te *Superbia* oppugnet, habes hic arma *Humilitatis*, quibus ceruices illius deprimas. Et quæ humilitas profundior eſſe poterat DEO CRVCIFIXO? Si *Auaritia* premat, habes hic *Liberalitatis*, ac *Munificentiæ* tela, quibus illam confodias, cùm nec vltimæ ſanguinis guttæ pepecerit. Si te *Luxuria* colaphizet, habes *Caſtitatis* Scutum, quod opponas, cùm etiam verecundiſſimè nudari, orbe inſpectatore, ob inuerecundas tuas libidines voluerit. Si te maceret *Inuidia*, habes hic, quæ te roboret, & gaudio perfundat, *Caritatem*, quâ impulſus, Iudæorum ſcelus excuſat, ignorantiam prætexit, veniam poſtulat. Si te opprimere tentet *Intemperantia*, habes, quâ illam à te excutias, *Sobrietatem*: habes acetum felle miſtum, quod guſtare voluit in tuæ intemperantiæ expiationem. Si te *Ira*, tanquam fornacis calcariæ flamma accendat, habes hic, *Manſuetudinem*, quâ ignes mitiges & extinguas, cùm etiam inter blaſphemas Iudæorum & alterius latronis voces nihil reponat, niſi latronum vni deprecanti Paradiſum. Si te *Socordia* ad ignauiam impellat, habes hic *Vigilantiam*,

Conſtantiam, *Generoſitatem*, quæ illius iacula excutiant, & mori doceant, & rectè inchoata, non minis, non promiſſis aduerſarij interrumpere, ſed cum vitâ fortiter conſtanterque finire.

QVICQVID denique vitiorum ſeſe in vnum caput tuum effuderit, habes hic præſentia ad omne malum auertendum, aut curandum *Remedia*: habes *Arma*, quibus hoſtilia aduerſariorum reprimas, conteras, auertas. Non hoc ignorabat, qui animosè dicebat. *Apprehende arma & ſcutum: & exſurge in adiutorium mihi.* (a) *Arcum conteret*, *& confringet arma*, *& ſcuta comburet igni.* (b) Vnde & monemur ab Apoſtolo: *Abijciamus opera tenebrarum*, *& induamus Arma lucis*, (c) quæ ex hoc Ducis noſtri prævalido, & diuite Armamentario ſuppeditantur.

(a) *Pſal.* XXXIV. (b) *Pſal.* XLV. (c) *Rom.* XIII.

MEMBRVM III.
ARMA POTENTIA DEO.

ARMA *Militiæ noſtræ* inquit Capi doctor Paulus, *nō carnalia ſunt*, ſed Potentia DEO II. ad Corinth. X. 4. Sunt à DEO in CHRISTO DEO. Quæ qualia ſint docet idem: *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt*, *ſed potentia* DEI *ad deſtructionem munitionum potentia*, virtuteque CRVCIS potentiſſima ad deſtructionem munitionum infernalium, quibus noctu diuque oppugnamur. Sed fortior Armatus CHRISTVS CRVCIFIXVS ſuperueniens, vniuerſa Principis tenebrarum Arma, in quibus ſuperbus confidebat, per CRVCEM, & CRVCIFIXI VVLNERA abſtulit, exuitque ſpolijs ac munitionibus nudauit. Et exinde monemur: *Neque exhibeatis membra veſtra* ARMA *iniquitatis Peccato*, *ſed* ARMA *Iuſtitiæ* DEO. Ad Rom. VI. Satis eſt, & nimium peccaſſe hactenus toties, nimium ſudaſſe ſub armis iniquitatis. Veſtiamur Armis Iuſtitiæ, Ad Eph. VI. & induamur *Armaturam* DEI, *vt poſſimus ſtare aduerſus inſidias Diaboli*, *& aduerſus Principes & Poteſtates*, *aduerſus Mundi Rectores tenebrarum harum*, *contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Arripiamus eia ARMATVRAM Ducis noſtri, ſuccingamur *in veritate*, induamus *Loricam Iuſtitiæ*; calceamus pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus ſumentes *Scutum fidei*, *in quo poſſimus omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*: Sed & *Galeam ſalutis* adſumamus, & *Gladium ſpiritus*, quod eſt Verbum DEI. Quæ omnia mutuanda nobis ſunt ab armorū ſummo Præfecto IESV CHRISTO, & deſumenda ex ARMAMENTARIO PASSIONIS, in quo repoſita ſunt omnis generis arma æternùm inuicta.

Hoc fine conditum eſt iſtud ARMAMENTARIVM, cuius eſt iſta inſcriptio: CHRISTVS PASSVS *eſt pro nobis*, *vobis*

relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. CHRISTO igitur *in carne* PASSO, *& vos eadem cogitatione* ARMAMINI. Vt compendio armemini, ſit vobis, CHRISTVS CRVCIFIXVS *Galea* in capite, *Lorica* in pectore, *Gladius* in dexterâ, *Scutum* in ſiniſtrâ. Sit ille vobis ſemper in corde, ore, & opere: ſit mel in ore, melos in aure, iubilus in mente. Tandem, vt finis imponatur huic de ARMAMENTARIO *Militiæ Chriſtianæ* Commentationi Sacræ, ſi Amatores CRVCIS eſtis, ſi imitatores CRVCIFIXI eſſe velitis, eius ſuper Vos ex altiſſimo CRVCIS benedictæ throno deſcendat, cum copioſo gratiarum imbre, *Benedictio* æterna tua PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI, cui laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum. AMEN.

NOTÆ

In quibus Auctores & Miſcella.

§. I. CHRISTO paſſo in carne, & Vos eadem cogitatione armamini] *Sanus planiſſimus eſt. Itaque & Vos Chriſto pro Vobis Paſſo, conformamini, & eadem cogitatione armamini, vt cum* CHRISTO CRVCIFIXO *vitia veſtra pariter crucifigatis, iuſtitiam ab eo acceptam conſeruetis, nec ad priſtinam iniuſtitiam redeatis: ſed iuſtos vos, ſanctoſq; ſiſtatis. & offeratis* DEO, *ne eius Paſsionem & laborem euacuetis, néue ipſe gratis ac fruſtrà pro vobis mortuus ſit.* Cornel. in Epiſt. Petri.

§. II. CRVX armatura omnis generis.] *Legendus* NOMENCLATOR *Sanctæ* CRVCIS Sandæi, *ex encomijs, elogijs, titulis, quibus Crucem Chriſti SS. Patres* Doctores *Theologi, alijq; Scriptores orthodoxi, tum veteres, tum recentiores honorarunt, concinnatus. Aliqua ex ijs habet* Iacobus Gretzerus *lib. 2. de Cruce, cap. 55.*

§. III. CRVCE Signati.] *De his fusè Iacobus Gretzer. lib. 2. de Cruce.*

§. IV. AMATORES CRVCIFIXI.] *De his ſunt X. Centuriæ* Sandæi.

§. V. HASTA Pelias] *Ouid. epiſt. 3.* Tranſeat Hectoreum Pelias haſta latus. *Haſta Achillis, qui Pelei fuit filius, quam nemo præter Achillem, ob magnitudinem vibrare poterat.*

§. VI. SCVTVM Ancile. *Plura Sandæus in Donario Cordis Principis Iulij Epiſcopi Herbipolentis; & in Opuſculo,* MARIA AQVILA MYSTICA, *Serm. 2.*

§. VII. SECVRIS Eliſæi.] S. Auguſtinus *Sermone 210. de Temp. per fluuium accepit fluentes voluptates, & concupiſcentias, ex quibus nos merſos liberat Eliſeus, id eſt,* CHRISTVS *per* LIGNVM CRVCIS. SECVRIS illa, *inquit*, in profundo iacebat, quia genus humanum in omnium criminum abyſſum infelici ruina corruerat, ſicut ſcriptum eſt: *Infixus ſum in limo profundi:* & iterum, *Deueni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Fluuius enim ille, vbi SECVRIS cecidit, ſignificat præterfluentem, & fugitiuam, & in abyſſum deſcendentem voluptatem, vel luxuriam ſeculi huius. Fluuius enim à fluendo nomen accepit. Et quia omnes peccatores tranſitorijs voluptatibus inhærentes fluere dicuntur, ideò SECVRIS illa in fluuio, & in limo iacebat oppreſſa. Veniens verò Eliſeus miſit lignum, & natauit ferrum. Quid eſt lignum mittere, & fer-

rum in medium producere, niſi PATIBVLVM CRVCIS aſcendere, & de profundo Inferni humanum genus erigere, ac de omnium peccatorum limo per CRVCIS myſterium liberare? Poſtquam verò natauit ferrum, miſit manum Propheta, & recepit illud, & rediјt ad vtiles vſus domini ſui. Ita & de nobis factum eſt, dilectiſsimi fratres, qui de manu Domini ſuperbiendo cecideramus, per CRVCIS LIGNVM iterum, ad manum, vel ad poteſtatem Domini iterum redire meruimus. Et ideò, quantum poſſumus, cum ipſius adiutorio laboremus, ne iterum ſuperbiendo de manu Domini corruamus.]

Tertullianus lib. contra Iudæos cap. XIII. per aquas Iordanis in quas incidit ferrum, accipit Baptiſmum, per LIGNVM, CRVCEM Chriſti; per Ferrum, dura peccatorum corda. Quid, *ait*, manifeſtius, huius ligni Sacramēto? quod duritia huius ſeculi merſa in profundo erroris, & à LIGNO CHRISTI, id eſt, PASSIONIS eius in baptiſmo liberatur; vt quod perierat olim in Adam per lignum, id reſtitueretur per *LIGNVM CHRISTI.*

S. Ambroſius lib. 2. de Sacramenti cap. 2. Ecce aliud genus baptiſmatis. Quare? quia omnis homo ante baptiſmum quaſi ferrum premitur atque demergitur. Vbi baptizatus fuerit, non tanquam ferrum, ſed tanquam iam leuior fructuoſi ligni ſpecies leuatur. Vides ergo, quod in CRVCE CHRISTI omnium hominum leuatur infirmitas.]

S. *Irenæus lib. V. cap. 17. Per ferrum accipit firmum DEI verbum, quod per lignum Cognoſcendo ex ligno ſcientiæ boni & mali à DEO vetito, Geneſ. 3. negligenter amiſeramus, nec negligenter amiſeramus, nec inueniebamus, ſed per LIGNVM CRVCIS CHRISTI recepimus.* Quod autē *ſecuris ſimile ſit verbo DEI, inquit, docet Ioannes Baptiſta dicens:* Iam autem ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. *Matth 3. Vide aliam applicationem in Bellarmino Con. XII. quæ Cruci facile accommodari poteſt.*

S. VIII. SCALA IACOB.] *Legendus* Antonius Ferdinandius Comment. in Geneſ. Iacobus Gretſerus *lib. 1. de Cruce, capite 43.* Maximilianus Sandæus, *in Theologia Symbolica lib. 4. Comment. 2. & 4. Vbi ſunt XXXII. expoſiones ſymbolicæ de SCALA IACOB. Præter quam explicantur,* I. Scala *Kabaliſtarum.* II. Scala. *Zoroaſtris.* III. Scala *Naturæ.* IV. Scala *Virtutum.* V. Scala *Paradiſi.* VI. Scala *Diſciplinarum.* VII. Scala *Fidelium, quæ omnes ſunt*

SCALAE MILITARES.

LIBER

LIBER V.

MONOMACHIA CHRISTI PATIENTIS.

ALLOCVTIO PRÆVIA. CHRISTVS

In Paſſione Duellator Fortis & Inuictus.

COMMENTATVRVS hiſce Chriſtiani Ieiunij ferijs Dominicalibus, de PASSIONE D.N. IESV CHCISTI, quam nouennio integro, per hæc interualla, lentiſſimâ feſtinatione, ex hoc loco, illuſtrare (ſi Sol illuſtrari per tenebras humani ingenij poteſt) perrexi; quot annis minimâ aliquâ particulâ explanationi ſepoſitâ; hoc tempore aliam ingrediens viam, nouo ſchemate inducam CHRISTVM PATIENTEM, vt fortiſſimum dexterrimumque Militem, Monomachiâ cum capitaliſſimo generis humani hoſte, in ampliſſimo, ſiue Gethſemaneæ villæ, ſiue Pontificalium atriorum, ſiue regiæ Herodianæ, ſiue Prætoriæ Pontiæ, ſiue fori Ieroſolymitani, ſiue denique Montis Caluariæ Campo, tanquam in arenâ duello congredientem. Cuius deſumpti à me hoc anno argumenti, præter connexionem, cum hactenus à me diſputatis de MILITIA CHRISTIANA, acceſſit iſta, quod Diuinas peruoluenti Paginas, & in ijs, CHRISTI PASSI, ſiue Typos, ſiue Figuras, ſiue Imagines, ſiue Symbola (nam idem hæc omnia ſignificant) contemplan-

planti, illuſtriores haud occurrerunt, quàm fortiſſimi Duces, & intrepidi, impigrique Milites ILLE autem præ omnibus, cuius ſingulare certamen, duello, cum giganteæ molis monſtro ſponte ſuſcepto, & inaudito præliandi genere ardoreque ſuperaro, Iſraëliticam rem omnem penitus collapſam, momento temporis erexit, orbemque vniuerſum in ſtuporem dedit. Is fuit DAVID, filius Iſai, bellicoſiſſimus Dauid, qui poſt leonem, agni inſtar tenelli, in fruſtra diſcerptum, & poſt laceratum vrſum, Goliath Gigantem, Philiſtinorum vt maximum, ita ferociſſimum, caſtrorum fulmen in valle Terebinthi, monomachiâ indictâ initâque animoſiſſimè aggreſſus, proſtrauit & occidit. Quod Dauidis cum Goliatho Duellum præludium quoddam fuiſſe, ſeu figuram Duellantis in PASSIONE CHRISTI quadrageſimalibus aliquot Commentationibus demonſtrabimus. Quibus omnibus præfigendum eſt lemma, ab Eccleſia, poſt debellatum hoſtem, inter epinicia, odaſque triumphales decantari ſolitum.

MORS ET VITA
DVELLO
CONFLIXERE MIRANDO.

PORrò, vt omnibus innoteſcat penè ad oculum, inter CHRISTI PATIENTIS Typos eminere ſtrenuiſſimos Duces, ac fortiſſimos Milites, In ijs autem palmam deberi Ieſſæo bellatori, concipite animo ampliſſimum orbis amphitheatrum maius multo & capacius, Tauri, Veſpaſiani, Titi, in cuius arenæ exhibeantur breuiſsimo tempore, quæcumque ab orbe condito ſacra bella à generoſiſſimis DEI Equitibus in figura geſta ſunt: & notate in ſingulis Ductorem, tanquam CHRISTI Imperatoris N. animatam imaginem: ego myſteria explanabo.

***

COMMENTATIO I.

ABRAHAM.

MONOMACHIA CHRISTI PATIENTIS

Expreſſa in Abrahamo pugnante cum Vernaculis CCC.XXIII.

Mors & Vita Duello conflixêre mirando.

MEMBRVM I.

ABRAHAM

Cum CCCXVIII. *Vernaculis ſuis pugnans*

Figura Chriſti Patientis.

EN prorumpunt inſtructi agminibus Palæſtinorum & Aſſyriorum Reguli, Rex Sodomorum, & Rex Gomorrhæ, Rexque Adamæ, & Rex Seboim, nec non & Rex Balæ. Sed occurrit illis numeroſiſsimis copijs Chodorlahomor Rex Elamitarum, & Thadal Rex Gentium, Amraphel Rex Sennaar, & Arioch Rex Ponti: quatuor Reges aduerſus quinque. Venitur ad manus. conſeruntur ſigna. impreſsionem faciunt vtrimque ſtrenuè. Vincuntur Pentapolitæ: vincunt Aſſyrij: fit fuga: alicubi reſiſtitur aliquantulum: hæret pede pes, viro vir. Actum eſt. fugiunt Rex Sodomorum & Gomorrhæ trucidantur in fuga atrociter plurimi. Victor Chodorlahomor facultates Sodomitarum diripit, vrbem ſpoliat, in ſeruitutem rapit populum, in eoque Loth filium fratris Abraham. Benè habet. ſentiet quid attentauerit, & quem irritando aduerſarium ſibi fecerit. Nunciatur Abrahamo captum & abductum Loth ſuum cognatum. Ille non minus ad exercitum colligendum, inſtruendumque promptus, quàm ad omnia pietatis officia paratus, numerat illicò expeditos ſuos vernaculos, hoc eſt, ſeruos domi ſuæ natos, *Trecentos decem & octo*: illos armat, ac in bellum educit, diuiſiſque his ſuis commilitonibus irruit in aduerſarios noctu. Quibus deuictis reduxit Lothum, omnemque ſubſtantiam captiuorum, ipſos autem libertati reſtituit. Spectaſtis prælium, quod fuſius narratur Geneſ. XIV. nunc abditos in eo ſenſus percipite.

IMPRIMIS autem in Abrahamo CHRISTVM agnoſcite Patrem fidelium; quem, vt belli Ducem fortiſſimum deſcribit Ioſephus Hebræorum hiſtoricus, Libro I. Antiquitat. *Abraham*, inquit ille, *tum Lothi cognati ſui, tum Sodomitarum amicorum & vicinorum clade commotus, nihil cunctatus, ad opitulandum ijs properauit, & quinta nocte hoſtem aſſequutus, circa Dan oppreſſum, ex improuiſo facilè ſuperauit: ſecuri enim & incauti, partim in cubilibus inermes ſunt cæſi, partim præ temulentia pugnæ inutiles in fugam ſe conuerterunt. Quos Abraham cum ſuis acriter à tergo inſequutus, ſequenti etiam luce perurgens ad loca vſque Damaſcenorum compulit.* Quo facto nemini dubium reliquit, victoriam non multitudine militum, ſed in bellatorum alacritate conſiſtere, & virtutum nulli numero ſuccumbere. Nam Excell.mus Dux Abraham cum domeſtica ſua cohorte trecentorum decem & octo vernaculorum, & trium amicorum auxilijs tantum exercitum profligauit.

SINGVLARIS hic notanda eſt Abrahæ prudentia militaris. Tum quod diuiſis multifariam copiolis ſuis, tum quod nocturno tempore hoſtes inuaſerit. Etenim diuiſis militibus, ex multis, ac diuerſis partibus improuisò irruptionem faciendo, hoſtes vehementius exterruit, exiſtimantes numeroſiſsimum Abrahami eſſe exercitum; quod illis ſpem euadendi ademit, cùm vndequaque ſe cingi, omniq́ue ex parte infeſtari & feriri ſe animaduerterent. Opportuniſsimum etiam ad id tempus elegit nocturnum. Siquidem in tenebris, motus tametſi parui, ingentes, atque horribiles videntur; nec diſcerni hoſtium multitudo poteſt: & omnia repentina, quæ prius ſuperueniunt, quàm caueri poſsint, quæq́ue effectu magis ſentiuntur, quàm viſu, vehementius animos hominum confundunt atque perturbant. Quibus adiunge, quod noctu diurnis occupationibus diſtentis, & labore fatigatis, nec non cibo potuq́ue grauatis, inde autem ſomnolentis, aut ſtertentibus, induſtria omnis, & reſiſtendi conatus inanis redditur. Simili ſtratagemate, ſed non eadem felicitate ac exitu Leonidas Rex Lacedæmoniorum cum trecentis dumtaxat militibus, innumerabilibus penè Xerxis copijs ſeſe oppoſuit: atque in eius caſtra irrumpens, non ante finem fecit trucidandi hoſtes, quàm vnà cum ſuis vincendo in hoſtium caſtris occumberet. Cuius illud ad milites ſuos ante pugnam dictum celebratur inter Laconica genecoſiſsimum: *Prandete nunc commilitones, tanquam apud inferos cænaturi.* Iam inſtituatur comparatio.

I. ABRAHAM prudentiſsimus belli Dux ingenti opis diuinæ fiducia roboratus, & DEI nixus auxilio, poſt eius inuocationem: nam exclamantem audire videor: (a) *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? Si conſiſtāt aduerſum me caſtra, non timebit cor meū: ſi exurgat aduerſum me præliū, in hoc ego ſperabo.* (b) *Benedictus Dñus* DEVS *meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum: qui poſuit, tanquam arcū æreum brachia mea:* (c) bellū ſuſcepit

(a) *Pſal.* XXVI. (b) *Pſal.* CXLI. (c) *Pſal.* XVII.

pit contra Reges omninò quattuor, hoſtes potentiſſimos. Chriſtus Imperator Noſter contra totidem inimicos Principes, robore ac potentia ſuperiores multo quattuor ijs Regibus, duxit exercitum, nempe, contra *Diabolum*, Principem tenebrarum; *Mundum* Regem Gentium; *Carnem* Regem effæminatorum; & *Mortem* Dominatorem terræ, ac terrigenarum omnium.

II. ABRAHAM pugnandi conſilium capit, vt fratrem in libertatem reſtituat, opes ablatas illi recuperet, & amicis opituletur. CHRISTVS ſimiliter, vt fratrem ſuum, hominem eiuſdem naturæ, & conſanguinitatis participem à teterrima ſeruitute eximat, gratiæ, donorumque ſupernaturalium ſubſtantiam iam olim à quattuor illis prædonibus ablatam recuperet, & amicos ſuos ab aduerſariorum potentia tuetur.

III. ABRAHAM ad debellandum hoſtes, ex omni clientum ſuorum numero eligit ſolùm pauculos vernaculos. Verna Latinis dicitur ſeruus in heri domo natus, idem autem valet nomen vernaculus. Colligit autem Caietanus ampliſſimam fuiſſe Abrahæ familiam: nam præter armatos illos, habebat ſenes, paruulos, mulieres, aliosque ad bellum ineptos, tum relictos ad curam animalium; denique haud paucos amicitia, & clientelis ſibi iunctos. Attamen ſolos illos CCC X. & VIII numerauit, ſeu elegit, armauit, expediuit, in bellum eduxit, quod eſſent amantiores heri ſui, eique obſequentiores & fideliores, ob eamque cauſſam ad bellandum promptiores & alacriores. *Expeditos* habet ſacer textus, pro quo ſuo idiomate LXX ta legunt *ἰδίους*, id eſt, *proprios*. Hebræum vocabulum ſonat eruditos à primis vſque rudimentis, ideoque aſſuetos, exercitatos, duratos laboribus, induſtrios, ſtrenuos, & ad id, quod intendebat Abraham maximè accommodatos.

CHRISTVS ex innumerabili hominum multitudine, quos iure clientelari ſibi deuictos habebat, ad ſacrum bellum ſeligit ſolùm pauculos, quos Apoſtolos vocauit; verè ſuos Vernaculos, natos in heri domo, in Synagogâ, aut CHRISTI ipſius familiâ. Siquidem verius nati dicuntur Duodecim-viri illi, cùm à Chriſto fuerunt adſciti, quàm cùm à parentibus in lucem editi: eruditi in tyrocinio eiuſdem Archiſtrategi, ideoque exercitatiſſimi ac Duci ſuo fideles. Ioſephus hiſtoricus lib. VI. de bell. Iud. exiſtimat, Abraham iſtos Vernaculos non fuiſſe milites priuatos, ſed aliorum præfectos, & anteſignanos; & eorum ſingulis non exiguam paruiſſe militum multitudinem. Quod egregiè quadrat in Chriſti Duces Vernaculos: fuerunt enim Apoſtoli non è grege milites priuati; ſed ceteris præpoſiti, ordinum ductores ac primipili.

IV. ABRAHAM diuiſis ſuis militibus ex multis diuerſiſque partibus improuisò impetum faciendo in hoſtes, dū numeroſi exercitus opinionem ingenerat, terruit, & ſpem euadendi omnem præcidit. CHRISTVS pro numero climatum orbis ac regionum ſuos diſpertijt, & in mundum vniuerſum emiſit; tanto aduerſariorum terrore, vt cùm Petrus & Paulus ſigna in Romanas arces, Ioannes in Aſiam, Thomas in Indiam inferret, hoſtes accerrimi, ac ſi infinita hominum multitudo illos ſequeretur,

panico timore perculſi, manus dederunt.

V. ABRAHAM non abſque ſingulari prudentia, indeque conſilio, noctu hoſtem inuaſit, terruit, in fugam egit, deleuit. CHRISTVS in ſpiſſiſſima, & ſupra omnem Ægyptiacam tenebroſa ignorantiæ nocte ſiue dum natus in ipſo eius conticinio, ſiue dum Paſſionem auſpicatus in primo eius vigiliâ; ſiue dum Annæ & Caiphæ Pontificibus præſentatus, & tam dira perpeſſus in toto eius decurſu, hoſtem aggreſſus, perſequutuſque perterrefecit, oppreſſit, interemit.

MEMBRVM II.

ABRAHAMI VERNACVLI CCCXVIII.

Cum Cruce Chriſti habent analogiam peculiarem.

SED latet hic præterea nonnihil, quod Ducẽ noſtrum CHRISTVM in CRVCIS colliculo fortiſſimè depugnantem occultè repræſentat; quodque idcircò ingenioſis myſteriorum, quę in numeris, ac elementis litterarijs ſunt abdita, perſcrutatoribus reſeruaui. Pugnauit & vicit Abraham Trecentis decem & octo Vernaculis. Numerum audio certum & definitum; ſed vix mihi perſuadeo tanti fuiſſe Scientiarum Domino Spiritui Sancto, tam exertè hunc ſignare numerum ob ſolum calculum arithmeticum ſine alio myſterio, quod vtinam detur feliciter eruere. Peruoluens igitur Notas arithmeticas Græcorum, (*a*) inuenio, litteram τ̂ addita supernè lineolâ ſignificare *τριακόσια*, ſiue trecenta, tũ verò *ί*. Iota deſignare δέκα, ſeu decem: *ή*. autem octo. Rurſum verſans Alphabetum Græcorum, repetio, litteram Tau, ſicut & Latinorum T. Crucem exprimere. Quod notauit Tertullianus (*b*) Iſidorus, (*c*) alij. Veterem quoque Hebræorum Tau ſpeciem habuiſſe Crucis obſeruat ex S. Hieronymo Cardinalis Bellarminus in Grammaticâ ſua Hebræa, titulo, de figuris, ſeu characteribus litterarum. His ita conſtitutis, cùm Tau ſit trecentorum nota arithmetica, eadẽ autem Crucem deſignet, rectè dixeris, Abrahæ Trecentos Vernaculos, CRVCIS fuiſſe quoddam hieroglyphicum; & indicaſſe, Abrahamum CRVCIS virtute victoriam obtinuiſſe. Friuola, dicis, eſt iſthæc diuinatio. Si mea tantùm eſſet, haud abnuerem; ſed eſt Patrum grauiſſimorum, quorum pias contemplationes ſpernere, aut ingenioſis obſeruationibus illudere, impotentis eſt animi, & irreligioſum, immò ſcurrile. Sic autem imprimis ſcribit

S. PAVLINVS Epiſtola I. de Abrahamo à cæde regum regreſſo: *Non multitudine, nec virtute legionum, ſed iam tunc in Sacramento* CRVCIS, *cuius figura, per litteram Græcam Tau, numero Trecentorum exprimitur, aduerſarios Principes debellauit. Cuius Myſterij virtute trecentis in longum texta cubitis ſuperauit*

ARCA

(a) *Notæ arithmeticæ.* τ̂. 300. *ί*. 10. *ή*. 8. (b) *Ter. l. 3. in Marc.* (c) *Iſid. de Vocat. Gen. c. 25.*

ARCA *diluuium*. Ad idem alluſit Prudentius præfatione ad Pſychomachiam hiſce verſibus.

Nos eſſe largè vernularum diuites,
Si quid treceni bis nouenis additis
Poſſint figura nouerimus myſtica.

AT cùm Tau Trecentorum tantùm ſit ſymbolum, Abrahamus autem Trecentos decem & octo vernaculos ſuam in expeditionem adſciuerit, quomodo hæc hiſtoria ad CRVCIS figuram accommodatur? Hãc difficultatem ſolues, ſcribit nobilis apud Friſios, & eruditus Caluiniſta (*a*) ſi ſcias ad Tau litteræ figuram ſcribi ſolitum nomen ιησῦς, duabus litteris principalibus hoc modo I. H. quæ litteræ in numero faciũt XVIII quippe I. deſignat decem, & H. octo. Verùm non eſt acatholico hæc adſcribenda animaduerſio. cùm orthodoxum, & antiquiorem habeat magiſtrum, inſignem Geneſeos interpretem. B Eucherium (*b*) qui hunc in modum diſſerit: *Quod verò ille (* Abraham *) tantùm in Trecentis decem & octo comitantibus aduerſarios Principes debellauit, iam tunc in ſacra* CRVCIS *figuram, quæ per* Tau, *litteram Græcam, &* IESV *nomen, quod per Iota & Eta Græcis litteris ſcribitur, qui Saluator interpretatur in numero* CCCXVIII. exprimitur. Docte etiam. Rupertus Abbas Tuitienſis ita commentatur. (*c*) Numerus vernaculorum Abrahæ CCCXVIII. totus ſacer eſt: nam ſi Græcis vti numerando velis elementis, Tau, T. Trecentos. I. & H. explicant octodecim. Tau Crucem. I. & H. cum ſuper ducta linea, nomen IESV ſignificant. Et Nota, quia hic nomen IESV, genitiuo caſu non nominatiuo effertur; & ideo ſigma, ſiue littera S. non additur: ſed cum I. & H. ſuperpoſita linea ſcribitur, quibus numerus XVIII. completur. Sanè litteræ Tau T. tranſuerſa linea supernè deeſt: quæ ſi adderetur, non Crucis ſpecies, ſed ipſa CRVX eſſet.

ROBVR addat, qui auctoritate eminet S. Ambroſius, (*d*) cuius eſt iſta expoſitio. *Eos adſciſcit, quos dignos numero fidelium iudicauit, qui in Domini noſtri* IESV CHRISTI *nomen crederent. Trecentos enim littera* Tau *Græca ſignificat: Decem & octo ſummam,* I. & H. *exprimit, nomen fidei.* Auctores hactenus laudatos ántiquitate ſuperat Clemens Alexandrinus (*e*) inter Græcos Patres litteratiſſimus, qui Sacramentum Crucis ex arithmeticis illis numeris ita venatur. Quemadmodum in Aſtronomia habemus exemplum Abraham, ita etiam in Arithmeticâ eundem Abraham. Cùm enim audiuiſſet abductum fuiſſe Loth, Trecentis & octodecim vernaculis numeratis, hoſtes aggreſſus vincit maximũ eorum numerum. Dicunt itaque periti rerum ſacrarum Theologi, Dominici quidem ſigni typum, quod ad figuram attinet, eſſe elementum, quod ſignificat Trecentos, nempe, T. ἰῶτα autem & ἦτα ſignificare nomen ſalutare. Et ſanè, T. I. & H. initium ſunt & ab breuiatio Græci nominis IESV, ſi τῷ H. T. in ſcribas hoc modo IHS. tantùm deeſt littera S. vt ſit plenum nomen IESVS.

(a) *Druſius lib. 2. qq. Hebr quæſt. capitis 2.* XVIII. *ſignificantur per I. & H.* ἰῶτα *&* ἦτα, (b) *lib. 1. in Gen. cap.* 17. (c) (*Ruper. lib. V. in Gen. cap.* 15. (d) *lib.* 1. *de Abraham cap.* 3. (e) *lib.* 6. *Stromat.*

MEMBRVM III.

PRÆLIVM MORALE DOMESTICVM.

Quomodo pugnandum, virtute Crucis, & auſpiciis Crucifixi, contra Paſſiones animi, & Senſus corporis.

PRIMAM in arenâ pugnam ſpectaſtis, & victorem CRVCE ſuâ IESVM; antequam altera introducatur, intercedat Chorus, non Muſicus, ſed Ethicus, ſeu Moralis, qui mores informet, accommodatis ad virtutem exercendam præceptis. Neque enim intellectui hic tantùm inſeruimus, ſed adfectui etiam, & huic potiſſimùm. Attendite. Pugnabant quattuor Reges cõtra quinque. Sed quattuor illi ſuperarunt hos quinque, vnius generoſitate & fortitudine, qui cum CCC XVIII. certamen inijt. Cui victoriam conſequuto occurrit Melchiſedech Rex Salem, proferens Panem ac Vinum, Triumphatoremque gratulabundus benedictione inſolitâ excipiens. Contingit non rarò, vt in nobis occurrant, & pugnent pertinaciſſimè *Quattuor* & *Quinque Reges*: Quattuor animæ Paſſiones, ſeu Affectus principes: *Gaudium, Dolor, Spes, Timor.* Et quinque Senſus, qui ab illis quattuor fugantur, & abducuntur captiui. Siquidem ita nonnulli inani efferuntur in proſperis Lætitiâ, ira in aduerſis opprimuntur Dolore; tam facilè rerum inaniſſimarum occurſu commouentur Metu, & exanimantur; denique, rerum longiſſimè diſſitarum Spe inani vſque adeò abripiuntur, vt ſenſibus orbati, nec videre, nec audire, nec alijs ſenſuum functionibus vti poſſe, ſecundum rationem, videantur. Itaque Affectus, ſiue Paſſiones, qui ſenſus in poteſtate habent, perſequendi ſunt, ſi Heroes eſſe volumus ac ſtrenui bellatores. Sed quibus auxilijs? Trecentis & octodecim vernaculis. Cuius virtute & auſpicijs, *Tau, Iota, Ita.* CRVCIS, & IESV in CRVCE Domini Noſtri ſemper victorioſi. Atque ita gloriosam de Perturbationibus, ſenſuum victricibus, ipſiſque Senſibus, vt inimicis Regibus victoriam reportabimus.

DEBEMVS moralem hanc commentationem ingenioſo, nec minus pio Abbati Ruperto Tuitienſi, qui differens de operibus Trinitatis, in hunc modum clariſſimè bellum domeſticum explicat. Lib. I. cap. 16. Quattuor Reges, de " quinque Regibus victoriam reportã- " tes, quattuor ſunt animi Paſſiones, " quinque ſenſus corporis captiuantes: " *Gaudium, Dolor, Spes, Timor.* Has " Poëta vno verſu exprimit. ſexto Æneid. " *Hinc metuunt, cupiuntq́, dolent, gaudentq́.*

Vbi Fides, quæ per dilectionem o- " peratur, has animi Paſſiones ſuperaue- " rit, & interiorem hominem, quaſi " Loth, à captiuitate liberauerit, planè " exemplo Patris Abrahæ, laudabiliter " triumphabit. Tunc magnus Sacerdos " Melchiſedech, id eſt, CHRISTVS Do- "

minus

minus occurret illi cum ſacrificio ſalutari, dignum vtique illum iudicans, qui debeat cæleſtiũ ſuorũ ſacramẽtorũ particeps fieri, Magna namq; victoria eſt, nec gaudere proſperis huius mundi, nec aduerſis dolere: nec ſperare læta, nec triſtia formidare. Hanc victoriam prædicans apud quendam Philoſophia, canit iſta(*a*)

Gaudia pelle. Tolle Timorem,
Spemq́, fugato. Nec Dolor adſit.
Nubila mens eſt. Hæc vbi regnant.

Quiſquis igitur ſic victor fuerit, contemnat à Rege Sodomorum quicquã accipere, ne dicatur ei, quod ille eum ditauerit. Id eſt, caueat facere coram hominibus iuſtitiam ſuam vt videatur ab illis, & illam incurrat ſententiam, qua dictum eſt: *Amen amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.*

IDEM Abbas monet, vt Abrahamum prælìantem, id eſt, CHRISTVM in CRVCE aduerſarias poteſtates debellantem imitemur. Pugnemus ſemper cum ccc. XVIII vernaculis, & occurrenti Sodomorũ Regi, dicentiq; : *Da mihi animas, cetera tolle tibi*, reſpondeamus, vt Abraham: *Leuo manum meam ad Dominũ* DEVM *excelsũ poſſeſſorem cæli & terræ, quod à filo ſubtegminis vſq, ad corrigiã caligæ non accipiã ex omnibus, quæ tua ſunt; ne dicas: ego ditaui Abrã.* Spiritualiter hic locus, inquit Rupertus, Euãgelicũ virũ ædificat. Etenim quiſquis vexillum CRVCIS erigit, & nomen CHRISTI prædicat, fanaticũ errorẽ, ſiue hæreticã barbariem expugnat; & exinde non quæ ſua ſunt, quærit, ſed quæ IESV CHRISTI, ipſe quodãmodo eſt Abrã, qui cũ Trecentis & octodecim Vernaculis ſuis quattuor Reges deuicit; & eos, qui ſpoliauerant, ſpoliauit, atq; propinquum liberauit. Atque hoc facto ab homine, ſiue per hominem ditari noluit, dicens Regi Sodomorum, *Quia à filo ſubtegminis vſque ad corrigam caligæ nõ accipiam ex omnibus quæ tua ſunt.* Ingenioſum autem eſt, ſimulque pium, quod ex eiuſdẽ Abbatis obſeruatione habetur: Chriſti hoſtes hæreticos, & eos maximè, qui Diuinitatẽ illius oppugnãt, quod penè omnibus noſtri tẽporis ſectarijs cõmune eſt, trecentis & octodecim vernaculis, id eſt, virtute CRVCIS, ac Nominis IESV, nõ humanâ vi ſuperandos eſſe. In cuius rei ſignũ, diuinâ planè DEI prouidentiâ, non autem arte vlla, vel prouiſione humana factum eſt, vt in Nicæno Concilio Generali, in quo vaſtator Chriſtianitatis Arius deuictus, condemnatusque ſuccubuit, numeri illius inſigne ſplenduerit, id eſt, Trecenti & octodecim adfuerint conuocati Epiſcopi.

(a) *Boetius lib. 1. Conſol. Philos.*

MEMBRVM IV.

PRÆLIA CONTINVA.

Impiorum inter ſe. Vitiorum conflictus. Quattuor peccata quinque Senſus infeſtantia.

ALIA non pauca ad Militiam ſpiritualem ſpectantia, atque ad morũ informationẽ vtilia, ſuggerit Dionyſius Carthuſianus inſignis litterarum ſacrarum

rum explanator, qui cōſiderans quattuor Regum Aſſyriorum contra quinque Palæſtinorum prælium, Notat imprimis, Pugnam quattuor Regum infidelium contra quinq; perfidos Reges, deſignare, inter ambitioſos, & ſuperbos *ſemper eſſe iurgia:* Prou. XIII. perpetuumitē inter impios eſſe præliū, inſtructas acies, vt inter Cadmæos fratres, nunquam pacem, rarò inducias. Quod magis adhuc cernitur in ijs, qui verè infideles ſunt, à fide ſanâ extranei: quales ſunt Hæretici, qui maioribus odijs, & magis capitali diſſidio à ſe mutuo, quàm à Catholicis diſſident: atque idcirco impreſſionem in ſeſe inuicē, linguâ, ferro, ſtylo, ſcriptis, dictiſque faciunt, donec pars vna alteram oppreſſerit. Sed victricem factionem ſuperat Abraham fidelis, Doctor orthodoxus, & Catholicus, non ſuis quidem viribus, ſed Trecentis decem & octo Vernaculis, Tribus elementis myſticis, T. I. H. CRVCE Domini N. IESV Chriſti. In hoc Signo vinces. In hoc ſpes victoriæ vnica.

RVRSVS, idem infidelium Regum conflictus, deſignat bellum ciuile & domeſticum, quod gerunt in homine vno eodemque vitiorum capita. Pone mihi hominem guloſum, ſordidum, ſuperbū, ambitioſum: in eo gula incitabit ad delicias, irritabit ad ſuperuacanea, ad dapſiles ſemper anhelabit cœnas: auaritia ſe opponet ſummis viribus: exhauriendas momentò Cræſi opes ſuggerit: laſciuia ad omnes voluptatum illecebras hortabitur: vana gloria laudis humanæ deſiderio retrahit. Sed quæcumq; tandem pars vincet alterā, ſuperari debebit ab Abrahamo, virtutis veræ ſtudioſo, & CHRISTI imitatore, Trecentis decem & octo Vernaculis, ac duobus elementis CRVCE D. N. IESV CHRISTI.

ADHÆC. Peccata quattuor præcipua, virtutibus quattuor Cardinalibus oppoſita, *Iniuſtitia, Indiſcretio, Puſillanimitas, Intemperantia*, quinque hominis ſenſus inuadunt, & oppugnant grauiter. In quo certamine, nunnunquam Electi quoque ac boni, qui deſignantur per Loth, captiui ducuntur ab imperfectionibus: interdum etiam conſtringuntur peccati grauioris vinculis, dum in criminis alicuius conſenſum actumque dant manus. Quod quiſpiam alius à tali ſe ſubducens malo, victoque compatiens, fraternæ correctionis zelo, denūciat Abrahæ Hebræo: nimirū, ſuperiori, Magiſtro, Eccleſiaſtæ. Qui Trecētis, decē, & octo vernaculis, CRVCE D. N. IESV CHRISTI armatus, inſequitur oratione, monitione prædicatione inuiſibiles illos DEI hoſtes, & reducit Loth abductū, omnemq; eius ſubſtantiā recuperat, dum cooperatur ſpiritualibus gratiæ donis, quæ amiſerat, recipiēdis. Et ſi ſtrenuè ſe geſſerit reuertenti benedicet Melchiſedech ſummus DEI ſacerdos, CHRISTVS Dominus, Pontifex Max. Sed caueat victor ne quicquā accipiat à Rege Sodomorum, ſuperbiæ Spiritu, vanitatē ſuggerente. Dicat cum Abraham, CRVCE triumphans: Non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt: id eſt, in nullo tibi cōſentiā. Tandem, non eſt negligenda Clementis Alexandrini obſeruatio Lib. VI. Stromat. Numero illo myſtico, Trecētis. decē, & octo denotari eos eſſe Abrahæ domeſticos, illiq; cōiunctos, quod ad ſalutē attinet, qui ad Signū ſalutiferum, & Nomen Domini confugerunt, ac ſuperarūt eos,

quā

qui ipſos abducebant in captiuitatem, & plurimas gentes infideles, quæ eos ſequebâtur; quas deinde perduxerunt,ad EVM, qui eſt SALVS Gentium, Dominus N. IESVS CHRISTVS CRVCIFIXVS, ac BENEDICTVS in ſecula.

NOTÆ.

§. I. TAV Litteræ.] *Legendus* Iacobus Gretzerus *in Inſtitutionibus Grammaticis lib. 3. cap. 24. vbi de Numeris litterarum Alphabeti Græci. Quod autem Græcorum* Tau, *ſicut Latinorum T. Crucem exprimat notauit Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, cap. 22. vbi,* Ipſa, *inquit,* Littera Græcorum *Tau,* noſtra autem T. ſpecies Crucis eſt. *Et Iſidorus de Vocatione Gent. cap. 25.* Tau littera ſpeciem Crucis demonſtrat.

Ioſephus Scaliger *in Euſebianis Animaduer. ridet Tertullianum, quod ſcribat* Tau *apud Ezechielem cap.* IX. 4. Signa Tau ſuper frontem virorum gementium, *eſſe litteram Græcorum* Tau, *& noſtrum T. Crucis ſpeciem: refert e & viderit, inquit, quod Ezechielem litteras Græcorum ſcribentem inducit. Inanis cauillatio. Senſus Tertulliani eſt,* Tau *apud Ezechielem in frontibus ſcriptum, fuiſſe ſimile* Tau *Græcorum, & T. Latinorum, quod non eſt, Ezechielem litteras Græcas pingentem inducere. Pluribus ineptias Scaligeri confutauit* Iacobus Gretzerus *lib. 1. de Cruc cap. 1. & in Defenſio. Bellarmini lib. 2. cap. 2.*

Lucianus in iudicio Vocalium T. accuſat hoc modo. Huius conſtitutionem & ſpeciem ſequuti tyranni, ſimili deinde figura ligna fabricarunt, & homines in ijs fixerunt.

§. II. PATRES CXVIII. in Concilio Nicæno.] *Scio fuiſſe olim controuerſiam de numero Epiſcoporum, qui interfuerunt Concilio Niceno. Et* Euſebius *quidem lib. 3. de vita Conſtantini cap. 9. ait conueniſſe ducentos quinquaginta & amplius. Sed mendosè, vt obſeruat* Baronius. *Nam* Socrates *lib. 1. cap. 8. Euſebij verba recitans, trecentos & amplius ponit. Eodemq; modo deprauatus ſit oportet locus Euſtathij Antiocheni, qui Synodo interfuit apud Theodoret. lib. 1. cap. 8. ſcribentis interfuiſſe ducentos ſeptuaginta. Nam S.* Athanaſius *Epiſt. ad Iouia. Imperat. & diſputatione contra Arium,* Epiphanius *hæreſi 69. Hilarius contra Conſtan.* Ruffinus *lib. 1. cap. 1. Theodoretus lib. 1. cap. 7. Trecentos decem & octo Epiſcopos interfuiſſe tradunt; licet Sozomenus lib. 1. cap. 10. trecentos viginti conueniſſe ſcribat. Et Victorinus* Marius *lib. 2. aduerſus Arium in fine Trecentos quindecim numeret. At ſententiam de* CCC. XVIII. *poſteriores omnes vno conſenſu probarunt, eundemq; numerum, vt myſticum, varijs celebrarunt encomijs, vt ſtultum ſit id reuocare in dubium. Nec mouere debet, quod longè minor Epiſcoporum numerus reperiatur ſubſcriptus Concilio, quod nunc eſt in manibus. Nam ex immenſo Nicænorum Actorum naufragio, eos ibi conſcriptos haberi mirantur merito hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gnari.*

CVM S. Ambroſius *lib. 1. de fide ad Gratianum, & Liberius Papa in Epiſtola ad Orientales, præter alios in contextu nominatos, ſcribunt, Abrahæ patris credentium militibus præſignificatos fuiſſe* CCC. XVIII. *Patres, fidei pugiles, qui in victrice Nicæa infidelem Arium vicerunt, & damnarunt; accipiendum id eſt ſymbolicè, & ænigmaticè.*

tiæ. Moſes enim hiſtoriam illam ſcripſit Hebraicè, non Græcè. Potuit tamen Spiritusſanctus eadem ita attemperare, vt etiam in lingua & Eccleſia Græca (quæ futura erat florentiſſima, in quam proinde Hebræa transferri volebat) ſua continerent myſteria. Quod monet Cornelius, *Genes.* XIV.14. *qui iſtud etiam obſeruat. Abraha hanc victoriam contigiſſe iuxta* Dan, *vt patet ver.* 14. *quæ poſtea à Philippo Tetrarcha in gratiam Cæſaris Tiberij dicta eſt Cæſarea Philippi, vbi Petrus obſcuram & ſymbolicam, Abraha confeſſionem fidei clarè expreſſit, dicens:* Tu es Chriſtus Filius DEI viui. *Matt.* XVI.

COMMENTATIO II.

IACOB.

LVCTA CHRISTI PATIENTIS

Exhibita à Iacobo Patriarcha, & Angelo Luctatoribus.

Mors & vita Duello conflixêre mirando.

MEMBRVM I.

IACOB.

Simulq; Luctator inſuperabilis Angelus

Figura Chriſti Patientis.

IAM procedat in arenam ex Abraham progenie, nominatiſſimus IACOB, duellãdi peritiâ eximius in paucis, Geneſis. XXXII. Oculos mentemq; quæſo vos aduertite. Progreditur Baculo armatus, quo Iordanẽ tranſiuit. Præmiſſis autem familiæ totius in turmas diſtributis copiolis, quæ bellicoſũ Eſau munerum telis profligarent, Ipſe Duellum init, cum Viro occurrente totâ nocte pugnatur. Sed videns aduerſarius, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit. Non deſtitit tamen à certamine Iacob donec benedictionem impetraſſet. Et audiuit dicentem: *Si contra* DEVM *fortis fuiſti, quanto magis contra hominem prævalebis?* In hoc autem certamine CHRISTVM PATIENTEM exhiberi vidit acutũ in iſtiuſmodi ſpectaculis videre ſolitus Auguſt. qui virũ illũ luctantẽ cum Iacob, typum fuiſſe CHRISTI aſſerit; Iacobum luctatorem

torem populi Iudaici. Hic enim luctatus eſt cum Chriſto peruicaciter, pertinaciterque, ei repugnando, atque hoſtiliter inſectando. Viſus eſt autem præuálere tandem, quia mortem poſt tot opprobria ærumnaſque Chriſto intulit. Verumtamen neruus Iacob percuſſus eſt, & factus eſt ipſe claudicans, quia poſt Dñi Paſſionem, per Apoſtolorum prædicationẽ, tacta, & commota gẽs hebraica, pars eius iuſtificata eſt, credens in ipſũ, pars obſtinato animo in ſua obſtinatione perſeuerans. Sicut Patriarchæ Iacob pes alter ſanus erat, alter verò claudicans. Et illa quidem pars Gentis Hebreæ electa & ſanata, quæ ad CHRISTVM conuerſa eſt, benedictionem accepit ab ipſo Chriſto, quem anteà oderat, & vſque ad necem inſectata fuerat. Suauius hæc influent in aures animoſque ſi verbis Doctoris Auguſtini proferantur, cuius iſta eſt commentatio.

"IACOB nomen Iſraëlis accepit ab Angelo, qui fuit cum eo in itinere de Meſopotamia redeunte luctatus. quæ res typum Chriſti euidentiſſimè geſſit. Nam quod ei præualuit Iacob, vtique volenti, vt myſterium figuraret, ſignificat PASSIONEM CHRISTI. Vbi viſi ſunt ei præualere Iudæi, & tamen benedictionem ab eodem Angelo, quem ſuperauerat, impetrauit: ac ſic huius nominis impoſitio benedictio fuit. Interpretatur enim ISRAEL, VIDENS DEVM. Quod erit in fine præmium omnium Sanctorum. Tetigit porrò Angelus ipſi Iacob, velut præualenti latitudinem femoris, eúmque iſto modo claudum reddidit. Erat itaque vnus & idem Iacob: claudus & benedictus in his, qui in Chriſtum ex eodem populo crediderunt: claudus verò in his, qui in ſuâ infidelitate manſerunt. Femoris quippe latitudo generis, ſiue poſteritatis eſt multitudo: plures quippe ſunt in ea ſtirpe, de quibus prophericè dictum eſt: *Et claudicauerunt à ſemitis ſuis*. Pſalmo XVII."

IN eandem ſententiam de illo ipſo Myſterio idem S. Doctor alibi ſic diſſerit, aliqua inſerens præterea quæ affectum magis incitent. "Iacob, inquit, in primâ luctatione cum Angelo Iudæorum Populum figurabat. Angelus autem, qui cum illo luctabatur typum Saluatoris noſtri præferebat. Luctatus eſt populus Iudaicus cum Chriſto, & quodammodo vicit, quia non deſtitit eum perſequi, donec morti tradidit. Et quia non totus populus Iudæorum Chriſti fidem repudiauit, ſed non pauca multitudo eius in eum credidit; ideò, in eius rei figuram, Angelus tetigit femur Iacob, & claudicare cœpit. Pes enim ille, in quo claudicabat, Iudæos non credentes in CHRISTVM ſignificabat: alter verò pes, qui ſanus remanſerat, figurabat eos, qui fidem Chriſti receperunt. Denique, diligenter attendendum eſt quod Iacob in illa colluctatione, & vincebat, & tamen benedictionem victor à victo petebat, dicens: *Non dimittam te niſi benedixeris mihi*. Iacob, enim vincens, Iudæos perſequutores & occiſores Chriſti futuros præmonſtrabat: idem petens benedictionem ab Angelo, Iudæos, qui Chriſtum adoraturi,

ad Antiochum Auctoris antiqui, hanc interrogationem: *Quis in Teſtamento Veteri primus præfigurauit typum viuificæ CRVCIS?* Reſpondetur autem? *Iacob benedicens filios Ioſeph, manuſq; ſuas transponens,* is fuit. IACOB igitur tot prærogatiuis CHRISTVM affixum CRVCI denotantem, dum audio cum Angelo luctari, concipio Dominum meum in PASSIONE ſuâ agonizantem; & cum Natura ſuperiore, lucta egregiè certantem, atque adeò fortiter, vt ictus femur, nempe ſecundum infirmitatem humanam exclamauerit: *Non mea ſed tua voluntas fiat.* Præclara victoria, quam cæleſtis benedictio eſt conſequuta.

MEMBRVM III.

IACOB

Luctâ ſuâ cum Angelo luctari moraliter nos docet.

SPECTASTIS Angelum luctantem cum Iacobo; CHRISTVM in PASSIONE cum Iſraelitica progenie: hanc viperinam prolem fuiſſe quadam tenus ſuperiorem; victum aliquatenus Chriſtum, quia mortuum.

Mors & Vita duello conflixère mirando.

Dux Vitæ mortuus.

Victorem tandem plenè Chriſtum quia Reſurgentem: *Regnat viuus*: poſt occaſum, denuo orientem, & benedictionis copioſæ munificum largitorem. Nunc moralitatis chorum ex eodem Theatro excipite.

LVCTANDVM nobis eſt, & Iacobi inſtar & Angeli, ſiue CHRISTI: Chriſti, vt benefactis aduerſarios ſuperemus: Iacobi, vt non dimittamus, qui nobiſcum benefaciendo luctam inijt, DEVM, donec benedictionem conſequamur. Luctatur, quicumque DEVM diligenter, & attentè in PASSIONE CHRISTVM contemplatur, & in ipſo orationis meditationiſque ſtudio quandam quaſi luctam, & concertationem experitur. Interdum verò vigore ſpiritus, & ſingularis cuiuſdam diuini luminis, ac gratiæ vberioris participatione, prævalet, ac ſeipſum ſuperare videtur; nimirum, tranſcendere viſibilia ac temporalia omnia atque ad quendam vſque proſpectum Diuinitatis euehi. Sæpe tamen aliàs infirmitate carnis grauatus ac deficiens, quaſi ſuccumbens in lucta deprimitur, ad imaque proſternitur. MILITIS CHRISTIANI eſt, ita orationi contemplationique inſiſtere ita etiam omnibus tentationibus carnis, atque inde oriri ſolitis difficultatibus reſiſtere, vt in hac vita copioſam gratiam, in altera precioſam gloriæ ſempiternæ obtineat coronam. Quam auditoribus lectoribuſque meis precor.

NOTÆ.

NOTÆ

MVLTA ſunt in hac inter Iacobum & Angelum luctâ, quæ ad Chriſtum Ductorem noſtrum, & Militem Chriſtianum ſpectant, & vſui eſſe poſſunt. Ad nomen quod ſpectat,

LVCTA, genus eſt certaminis, vnum ex Græcorum pentathlo, quo alius alium proſternere in terram nititur. Luctor eſt luctâ contendo: quod fit, quum duo ſe complectuntur, & alter alterum in terra deiycere conatur. Per translationem accipitur, pro contendo, pugno, dimico. Veteres dicebant lucto: hinc apud Plautum, delucto.

Luctatio, ludus, quo alius alium nititur in terram proſternere, & deturbare. Translatè, vniuerſim, eſt pugna, concertatio, contentio, Luctatus. Luctamen. idem. Luctator, qui luctâ cum altero contendit.

I. CVM Iacobo luctabatur VIR, vt dicitur Geneſis XXXII. 24. Quis ille Vir? Fuit Angelus perſonaliter. Sed vocatur DEVS, verſu 30. repræſentatiuè & auctoritatiuè, quemadmodum Prorex vocatur Rex, quoniam DEVM, putà, DEI Filium incarnandum repræſentabat, eiuſq; vice & auctoritate fungebatur, verè Typus Chriſti ex Iacob naſcituri, & Angelus tutelaris Iacobi.

II. Luctam hanc fuiſſe imaginariam exiſtimat D. Thomas & Rupertus: alij realem & corpoream, in corpore ab Angelo adſumpto, vt ſpem faceret Iacobo facilè ipſum ſuperaturum, qui ſuperaſſet Angelum.

III. Ad luctæ modum concipiendum facit diuerſitas lectionis. 1. LXX ta ex Hebræo vertunt ἐπάλαιεν, id eſt, luctabatur quaſi palæſtrita in palæſtra. 2. Aquila & Symmachus ἐκυλίετο, id eſt, verſabat, & iactebat ſe cum illo, vti luctantes ſeſe inuicem iactare, & contorquere ſolent, dum vnus alium detinet, & alius ſe ab eo expedire, & aufugere contendit. 3. Hebraicum ויאבק ieabec propriè ſignificat, puluerizabatur: id eſt, in puluerem & arenam deſcendebat, vt vertit Vatablus: ſiquidem luctantes crebro pedum pulſu & agitatione celeri ac vehementi puluerem excitant, vt ille apud Virgilium taurus:

— — pedibus qui ſpargit arenam.

4. Verbo puluerizandi contineri poteſt, & denotari mos palæſtræ Græcorum & Latinorum, in qua luctantes puluere ſe aſpergebant, vt facilius & firmius inuicem prehenſos tenerent. Martinus Roa l. VI. Singular. cap. vlt.

5. Nonnulli ieabec, vertunt, luctabatur intorquendo ſe, conandoq; aduerſarium deiicere, ac euertere, vt ſit metaphora à vento. Sicut enim ventus validus puluerem, immò, & homines intorquet, & euertit, ita facere nituntur colluctatores.

IV. Allegoriam Luctæ Iacobi cum Angelo DEVM repræſentante, ſic euoluit S. Ambroſius lib. 2. de Iacob cap. 6. Quid eſt luctari cum DEO, niſi virtutis ſuſcipere certamen? & cum ſuperiore congredi, potioremque ceteris imitatorem DEI fieri? Et quia inſuperabilis erat fides eius atque deuotio, ſecreta ei myſteria Dominus reuelabat.

V. Eadem lucta allegoricè poteſt ſignificare luctam Eſau cum Iacob, id eſt, Synagogæ cum Eccleſiâ, putâ perſequutionem Iudæorum in primos Chriſtianos. Hi enim cum Iacobo parente ſuo in tentatione hac fortes ſteterunt, ideoq; victoriam reportarunt, & à DEO benedicti ſunt. Ita ferè Ludouicus Alcazar in Apocal. 11. notat. 2.

Qui etiam monet, DEVM in ſpirituali prælio, dum quis oppugnatur tentationibus & calamitatibus ſe propitium & familiarem exhibere. I. temperat: dis viribus, quibus Iacobum & fideles per hoſtes exercet II. tribuenda fortitudinem, qua in hac lucta conſtantes perſtent.

VI. Philo in libro de præmijs & pœnis refert hanc Luctam ad illum qui conſiſtens in vita contẽplatiua, certat quodammodo cum DEO vt illum perfectè, quantum fas mortali cog-

panico timore perculſi, manus dederunt.

V ABRAHAM non abſque ſingulari prudentia, indeque conſilio, noctu hoſtem inuaſit, terruit, in fugam egit, deleuit. CHRISTVS in ſpiſſiſſima, & ſupra omnem Ægyptiacam tenebroſa ignorantiæ nocte ſiue dum natus in ipſo eius conticinio, ſiue dum Paſſionem auſpicatus in primo eius vigiliâ; ſiue dum Annæ & Caiphæ Pontificibus præſentatus, & tam dira perpeſſus in toto eius decurſu, hoſtem aggreſſus, perſequutuſque perterrefecit, oppreſſit, interemit.

MEMBRVM II.

ABRAHAMI VERNACVLI CCCXVIII.

Cum Cruce Chriſti habent analogiam peculiarem.

SED latet hic præterea nonnihil, quod Ducē noſtrum CHRISTVM in CRVCIS colliculo fortiſſimè depugnantem occultè repræſentat; quodque idcircò ingenioſis myſteriorum, quę in numeris, ac elementis litterarijs ſunt abdita, perſcrutatoribus reſeruaui. Pugnauit & vicit Abraham Trecentis decem & octo Vernaculis. Numerum audio certum & definitum; ſed vix mihi perſuadeo tanti fuiſſe Scientiarum Domino Spiritui Sancto, tam exertè hunc ſignare numerum ob ſolum calculum arithmeticum ſine alio myſterio, quod vtinam detur feliciter eruere. Peruoluens igitur Notas arithmeticas Græcorum, (*a*) inuenio, litteram τ̄ addita supernè lineolâ ſignificare τριακόσια, ſiue trecenta, tū verò ἰ. Iota deſignare δέκα, ſeu decem: ἠ. autem octo. Rurſum verſans Alphabetum Græcorum, repetio, litteram Tau, ſicut & Latinorum T. Crucem exprimere. Quod notauit Tertullianus (*b*) Iſidorus, (*c*) alij. Veterem quoque Hebræorum Tau ſpeciem habuiſſe Crucis obſeruat ex S. Hieronymo Cardinalis Bellarminus in Grammaticâ ſua Hebræa, titulo, de figuris, ſeu characteribus litterarum. His ita conſtitutis, cùm Tau ſit trecentorum nota arithmetica, eadē autem Crucem deſignet, rectè dixeris, Abrahæ Trecentos Vernaculos, CRVCIS fuiſſe quoddam hieroglyphicum; & indicaſſe, Abrahamum CRVCIS virtute victoriam obtinuiſſe. Friuola, dicis, eſt iſthæc diuinatio. Si mea tantùm eſſet, haud abnuerem; ſed eſt Patrum grauiſſimorum, quorum pias contemplationes ſpernere, aut ingenioſis obſeruationibus illudere, impotentis eſt animi, & irreligioſum, immò ſcurrile. Sic autem imprimis ſcribit

S. PAVLINVS Epiſtola 1. de Abrahamo à cæde regum regreſſo: *Non multitudine, nec virtute legionum, ſed tam tunc in Sacramento* CRVCIS, *cuius figura, per litteram Græcam Tau, numero Trecentorum exprimitur, aduerſarios Principes debellauit. Cuius Myſterij virtute trecentis in longum texta cubitis ſuperauit*

(a) *Nota arithmetica.* τ̄. 300. ἰ. 10. ἠ. 8. (b) *Ter. l. 3. in Marc.* (c) *Iſid. de Vocat. Gen. c. 25.*

ARCA *diluuium.* Ad idem alluſit Prudentius præfatione ad Pſychomachiam hiſce verſibus.

Noſeſſe largè vernularum diuites,
Si quid treceni bis nouenis additis
Poſſint figura nouerimus myſticâ.

AT cùm Tau Trecentorum tantùm ſit ſymbolum, Abrahamus autem Trecentos decem & octo vernaculos ſuam in expeditionem adſciuerit, quomodo hæc hiſtoria ad CRVCIS figuram accommodatur? Hāc difficultatem ſolues, ſcribit nobilis apud Friſios, & eruditus Caluiniſta (*a*) ſi ſcias ad Tau litteræ figuram ſcribi ſolitum nomen ιησȣ̃ς, duabus litteris principalibus hoc modo I. H. quæ litteræ in numero faciūt XVIII quippe I. deſignat decem, & H. octo. Verùm non eſt acatholico hæc adſcribenda animaduerſio. cùm orthodoxum, & antiquiorem habeat magiſtrum, inſignem Geneſeos interpretem. B Eucherium (*b*) qui hunc in modum diſſerit: *Quod verò ille* (Abraham) *tantùm in Trecentis decem & octo comitantibus aduerſarios Principes debellauit, iam tunc in ſacra* CRVCIS *figuram, quæ per* Tau, *litteram Græcam, &* IESV *nomen, quod per Iota & Eta Græcis litteris ſcribitur, qui Saluator interpretatur in numero* CCCXVIII. exprimitur. Docte etiam. Rupertus Abbas Tuitienſis ita commentatur. (*c*) Numerus vernaculorum Abrahæ CCCXVIII. totus ſacer eſt: nam ſi Græcis vti numerando velis elementis, Tau, T. Trecentos. I. & H. explicant octodecim. Tau Crucem. I. & H. cum ſuper ducta linea, nomen IESV ſignificant. Et Nota, quia hic nomen IESV, genitiuo caſu non nominatiuo effertur; & ideo ſigma, ſiue littera S. non additur: ſed cum I. & H. ſuperpoſita linea ſcribitur, quibus numerus XVIII. completur. Sanè litteræ Tau T. tranſuerſa linea supernè deeſt: quæ ſi adderetur, non Crucis ſpecies, ſed ipſa CRVX eſſet.

ROBVR addat, qui auctoritate eminet S. Ambroſius, (*d*) cuius eſt iſta expoſitio. *Eos adſciſcit, quos dignos numero fidelium iudicauit, qui in Domini noſtri* IESV CHRISTI *nomen crederent. Trecentos enim littera* Tau *Græca ſignificat: Decem & octo ſummam,* I. & H. *exprimit, nomen fidei.* Auctores hactenus laudatos ántiquitate ſuperat Clemens Alexandrinus (*e*) inter Græcos Patres litteratiſſimus, qui Sacramentum Crucis ex arithmeticis illis numeris ita venatur. Quemadmodum in Aſtronomia habemus exemplum Abraham, ita etiam in Arithmeticâ eundem Abraham. Cùm enim audiuiſſet abductum fuiſſe Loth, Trecentis & octodecim vernaculis numeratis, hoſtes aggreſſus vincit maximū eorum numerum. Dicunt itaque periti rerum ſacrarum Theologi, Dominici quidem ſigni typum, quod ad figuram attinet, eſſe elementum, quod ſignificat Trecentos. nempe, T. ἰῶτα autem & ἦτα ſignificare nomen ſalutare. Et ſanè, T. I. & H. initium ſunt & ab breuiatio Græci nominis IESV, ſi τῷ H. T. in ſcribas hoc modo IHS. tantùm deeſt littera S. vt ſit plenum nomen
IESVS.

MEM-

(a) *Druſius lib. 2. qq. Hebr quæſt. capitis* 2. XVIII. *ſignificantur per I. & H.* ἰῶτα *&* ἦτα, (b) *lib. 2. in Gen. cap.* 17. (c) *Ruper. lib. V. in Gen. cap.* 15. (d) *lib.* 1. *de Abraham cap.* 3. (e) *lib.* 6. *Strom.*

MEMBRVM III.

PRÆLIVM MORALE DOMESTICVM.

Quomodo pugnandum, virtute Crucis, & auſpicijs Crucifixi, contra Paſſiones animi, & Senſus corporis.

PRIMAM in arenâ pugnam ſpectaſtis, & victorem CRVCE ſuâ IESVM; antequam altera introducatur, intercedat Chorus, non Muſicus, ſed Ethicus, ſeu Moralis, qui mores informet, accommodatis ad virtutem exercendam præceptis. Neque enim intellectui hic tantùm inſeruimus, ſed adfectui etiam, & huic potiſſimùm. Attendite. Pugnabant quattuor Reges cõtra quinque. Sed quattuor illi ſuperarunt hos quinque, vnius generoſitate & fortitudine, qui cum CCC XVIII. certamen inijt. Cui victoriam conſequuto occurrit Melchiſedech Rex Salem, proferens Panem ac Vinum, Triumphatoremque gratulabundus benedictione inſolitâ excipiens. Contingit non rarò, vt in nobis occurrant, & pugnent pertinaciſſimè *Quattuor* & *Quinque Reges*: Quattuor animæ Paſſiones, ſeu Affectus principes: *Gaudium, Dolor, Spes, Timor*. Et quinque Senſus, qui ab illis quattuor fugantur, & abducuntur captiui. Siquidem ita nonnulli inani efferuntur in proſperis Lætitiâ, ita in aduerſis opprimuntur Dolore; tam facilè rerum inaniſſimarum occurſu commouentur Metu, & exanimantur; denique, rerum longiſſimè diſſitarum Spe inani vſque adeò abripiuntur, vt ſenſibus orbati, nec videre, nec audire, nec alijs ſenſuum functionibus vti poſſe, ſecundum rationem, videantur. Itaque Affectus, ſiue Paſſiones, qui ſenſus in poteſtate habent, perſequendi ſunt, ſi Heroes eſſe volumus ac ſtrenui bellatores. Sed quibus auxilijs? Trecentis & octodecim vernaculis. Cuius virtute & auſpicijs, *Tau, Iota, Ita*. CRVCIS, & IESV in CRVCE Domini Noſtri ſemper victorioſi. Atque ita glorioſam de Perturbationibus, ſenſuum victricibus, ipſiſque Senſibus, vt inimicis Regibus victoriam reportabimus.

DEBEMVS moralem hanc commentationem ingenioſo, nec minus pio Abbati Ruperto Tuitienſi, qui diſſerens de operibus Trinitatis, in hunc modum clariſſimè bellum domeſticum explicat. Lib. I. cap. 16. Quattuor Reges, de " quinque Regibus victoriam reportá- " tes, quattuor ſunt animi Paſſiones, " quinque ſenſus corporis captiuantes: " *Gaudium, Dolor, Spes, Timor*. Has " Poëta vno verſu exprimit. ſexto Æneid. " *Hinc metuunt, cupiuntq́, dolent, gaudentq́*.

Vbi Fides, quæ per dilectionem o- " peratur, has animi Paſſiones ſuperaue- " rit, & interiorem hominem, quaſi " Loth, à captiuitate liberauerit, planè " exemplo Patris Abrahæ, laudabiliter " triumphabit. Tunc magnus Sacerdos " Melchiſedech, id eſt, CHRISTVS Do- " minus

minus occurret illi cum ſacrificio ſa- "
lutati, dignum vtique illum iudicans, "
qui debeat cæleſtiũ ſuorũ ſacramẽto- "
rũ particeps fieri, Magna namq; victo- "
ria eſt, nec gaudere proſperis huius "
mundi, nec aduerſis dolere: nec ſpera- "
re læta, nec triſtia formidare. Hanc vi- "
ctoriam prædicans apud quendam "
Philoſophia, canit iſta(*a*)

Gaudia pelle. Tolle Timorem,
Spemq; fugato. Nec Dolor adſit.
Nubila mens eſt. Hæc vbi regnant.

Quiſquis igitur ſic victor fuerit, con- "
temnat à Rege Sodomorum quicquã "
accipere, ne dicatur ei, quod ille eum "
ditauerit. Id eſt, caueat facere coram "
hominibus iuſtitiam ſuam vt videatur "
ab illis, & illam incurrat ſententiam, "
quæ dictum eſt: *Amen amen dico vo-* "
bis, receperunt mercedem ſuam.

IDEM Abbas monet, vt Abrahamum præliantem, id eſt, CHRISTVM in CRVCE aduerſarias poteſtates debellantem imitemur. Pugnemus ſemper cum ccc. xviii vernaculis, & occurrenti Sodomorũ Regi, dicentiq; : *Da mihi animas, cetera tolle tibi*, reſpondeamus, vt Abraham. *Leuo manum meam ad Dominũ* DEVM *excelſũ poſſeſſorem cæli & terræ, quod à filo ſubtegminis vſq; ad corrigiã caligæ non accipiã ex omnibus, quæ tua ſunt; ne dicas: ego ditaui Abrã.* Spiritualiter hic locus, inquit "

(a) *Boetius lib.* 1. *Conſol. Philos.*

Rupertus, Euãgelicũ virũ ædificat. Et- "
enim quiſquis vexillum CRVCIS erigit, "
& nomen CHRISTI prædicat, fanaticũ "
errorẽ, ſiue hæreticã barbariem expu- "
gnat; & exinde non quæ ſua ſunt, quæ- "
rit, ſed quę IESV CHRISTI, Ipſe quodã- "
modo eſt Abrã, qui cũ Trecentis & o- "
ctodecim Vernaculis ſuis quattuor Re- "
ges deuicit; & eos, qui ſpoliauerant, "
ſpoliauit, atq; propinquum liberauit. "
Atque hoc facto ab homine, ſiue per "
hominem ditari noluit, dicens Regi "
Sodomorum, *Quia à filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ nõ accipiam ex omnibus quia tua ſunt.* Ingenioſum autem eſt, ſimulque pium, quod ex eiuſdẽ Abbatis obſeruatione habetur: Chriſti hoſtes hæreticos, & eos maximè, qui Diuinitatẽ illius oppugnãt, quod penè omnibus noſtri tẽporis ſectarijs cõmune eſt, trecentis & octodecim vernaculis, id eſt, virtute CRVCIS, ac Nominis IESV, nõ humanâ vi ſuperandos eſſe. In cuius rei ſignũ, diuinâ planè DEI prouidentiâ, non autem arte vlla, vel prouiſione humana factum eſt, vt in Nicæno Concilio Generali, in quo vaſtator Chriſtianitatis Arius deuictus, condemnatusque ſuccubuit, numeri illius inſigne ſplenduerit, id eſt, Trecenti & octodecim adfuerint conuocati Epiſcopi.

MEMBRVM IV.

PRÆLIA CONTINVA.

Impiorum inter ſe. Vitiorum conflictus. Quattuor peccata quinque Senſus infeſtantia.

ALIA non pauca ad Militiam ſpiritualem ſpectantia, atque ad morũ informationẽ vtilia, ſuggerit Dionyſius Carthuſianus inſignis litterarum ſacrarum

rum explanator, qui cōſiderans quattuor Regum Aſſyriorum contra quinque Palæſtinorum prælium, Notat imprimis, Pugnam quattuor Regum infidelium contra quinq; perfidos Reges, deſignare, inter ambitioſos, & ſuperbos *ſemper eſſe iurgia*: Prou. XIII. perpetuumitē inter impios eſſe prælū, inſtructas acies, vt inter Cadmæos fratres, nunquam pacem, rarò inducias. Quod magis adhuc cernitur in ijs, qui verè infideles ſunt, à fide ſanâ extranei: quales ſunt Hæretici, qui maioribus odijs, & magis capitali diſſidio à ſe mutuo, quàm à Catholicis diſſident: atque idcirco impreſſionem in ſeſe inuicē, linguâ, ferro, ſtylo, ſcriptis, dictiſque faciunt, donec pars vna alteram oppreſſerit. Sed victricem factionem ſuperat Abraham fidelis, Doctor orthodoxus, & Catholicus, non ſuis quidem viribus, ſed Trecentis decem & octo Vernaculis, Tribus elementis myſticis, T. I.H. CRVCE Domini N. IESV Chriſti. In hoc Signo vinces. In hoc ſpes victoriæ vnica.

RVRSVS, idem infidelium Regum conflictus, deſignat bellum ciuile & domeſticum, quod gerunt in homine vno eodemque vitiorum capita. Pone mihi hominem guloſum, ſordidum, ſuperbū, ambitioſum: in eo gula incitabit ad delicias, irritabit ad ſuperuacanea, ad dapſiles ſemper anhelabit cœnas: auaritia ſe opponet ſummis viribus: exhauriendas momentò Cræſi opes ſuggerit: laſciuia ad omnes voluptatum illecebras hortabitur: vana gloria laudis humanæ deſiderio retrahit. Sed quæcumq; tandem pars vincet alterā, ſuperari debebit ab Abrahamo, virtutis veræ ſtudioſo, & CHRISTI imitatore, Trecentis decem & octo Vernaculis, ac duobus elementis CRVCE D.N IESV CHRISTI.

ADHÆC, Peccata quattuor præcipua, virtutibus quattuor Cardinalibus oppoſita, *Iniuſtitia, Indiſcretio, Puſillanimitas, Intemperantia*, quinque hominis ſenſus inuadunt, & oppugnant grauiter. In quo certamine, nonnunquam Electi quoque ac boni, qui deſignantur per Loth, captiui ducuntur ab imperfectionibus: interdum etiam conſtringuntur peccati grauioris vinculis, dum in criminis alicuius conſenſum actumque dant manus. Quod quiſpiam alius à tali ſe ſubducens malo, victoque compatiens, fraternæ correctionis zelo, denūciat Abrahæ Hebræo: nimirū, ſuperiori, Magiſtro, Eccleſiaſtæ. Qui Trecētis, decē, & octo vernaculis, CRVCE D. N. IESV CHRISTI armatus, inſequitur oratione, monitione prædicatione inuiſibiles illos DEI hoſtes, & reducit Loth abductū, omnemq; eius ſubſtantiā recuperat, dum cooperatur ſpiritualibus gratiæ donis, quæ amiſerat, recipiēdis. Et ſi ſtrenuè ſe geſſerit reuertenti benedicet Melchiſedech ſummus DEI ſacerdos, CHRISTVS Dominus, Pontifex Max. Sed caueat victor ne quicquā accipiat à Rege Sodomorum, ſuperbiæ Spiritu, vanitatē ſuggerente. Dicat cum Abrahām, CRVCE triumphans: Non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt: id eſt, in nullo tibi cōſentiā. Tandem, non eſt negligenda Clementis Alexandrini obſeruatio Lib. VI Stromat. Numero illo myſtico, Trecētis decē, & octo denotari eos eſſe Abrahæ domeſticos, illiq; cōiunctos, quod ad ſalutē attinet, qui ad Signū ſalutiferum, & Nomen Domini confugerunt, ac ſuperarūt eos,

qui

qui ipſos abducebant in captiuitatem, & plurimas gentes infideles, quæ eos ſequebátur; quas deinde perduxerunt,ad EVM,qui eſt SALVS Gentium, Dominus N. IESVS CHRISTVS CRVCIFIXVS, ac BENEDICTVS in ſecula.

NOTÆ.

§. I. TAV Litteræ.] *Legendus* Iacobus Gretzerus *in Inſtitutionibus Grammaticis lib. 3. cap. 24. vbi de Numeris litterarum Alphabeti Græci. Quod autem Græcorum* Tau, *ſicut Latinorum* T. *Crucem exprimat notauit Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, cap. 22. vbi*, Ipſa, *inquit*, Littera Græcorum *Tau*, noſtra autem T. ſpecies Crucis eſt. *Et Iſidorus de Vocatione Gent. cap. 25.* Tau littera ſpeciem Crucis demonſtrat.

Ioſephus Scaliger *in Euſebianis Animaduer. ridet Tertullianum, quod ſcribat* Tau *apud Ezechielem cap.* IX. 4. Signa Tau ſuper frontem virorum gementium, *eſſe litteram Græcorum* Tau, *& noſtrum* T. *Crucis ſpeciem: referre & viderit, inquit, quod Ezechielem litteras Græcorum ſcribentem inducit. Inanis cauillatio. Senſus Tertulliani eſt*, Tau *apud Ezechielem in frontibus ſcriptum, fuiſſe ſimile* Tau *Græcorum, &* T. *Latinorum, quod non eſt, Ezechielem litteras Græcas pingentem inducere. Pluribus ineptias Scaligeri confutauit* Iacobus Gretzerus *lib. 1. de Cruc. cap. 1. & in Defenſio. Bellarmini lib. 2. cap. 1.*

Lucianus in iudicio Vocalium T. *accuſat hoc modo. Huius conſtitutionem & ſpeciem ſequuti tyranni, ſimili deinde figura ligna fabricarunt, & homines in ijs fixerunt.*

§. II. PATRES CXVIII. in Concilio Nicæno.] *Scio fuiſſe olim controuerſiam de numero Epiſcoporum, qui interfuerunt Concilio Nicæno. Et* Euſebius *quidem lib. 3. de vita Conſtantini cap. 9. ait conueniſſe ducentos quinquaginta & amplius. Sed mendosè, vt obſeruat* Baronius. *Nam* Socrates *lib. 1. cap. 8. Euſebij verba recitans, trecentos & amplius ponit. Eodemq; modo deprauatus ſit oportet locus Euſtathij Antiocheni, qui Synodo interfuit apud Theodoret. lib. 1. cap. 8. ſcribentis interfuiſſe ducentos ſeptuaginta. Nam S.* Athanaſius *Epiſt. ad Iouia. Imperat. & diſputatione contra Arium*, Epiphanius *hæreſi 69. Hilarius contra Conſtan.* Ruffinus *lib. 1. cap. 1. Theodoretus lib. 1. cap. 7. Trecentos decem & octo Epiſcopos interfuiſſe tradunt? licet Sozomenus lib. 1. cap. 10. trecentos viginti conueniſſe ſcribat. Et Victorinus Marius lib. 2. aduerſus Arium in fine Trecentos quindecim numeret. At ſententiam de* CCC. XVIII. *poſteriores omnes vno conſenſu probarunt, eumdemq; numerum, vt myſticum, varijs celebrarunt encomijs, vt ſtultum ſit id reuocare in dubium. Nec mouere debet, quod longè minor Epiſcoporum numerus reperiatur ſubſcriptus Concilio, quod nunc eſt in manibus. Nam ex immenſo Nicænorum Actorum naufragio, eos ibi conſcriptos haberi mirantur merito hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gnari.*

CVM S. Ambroſius *lib. 1. de fide ad Gratianum, & Liberius Papa in Epiſtola ad Orientales, præter alios in contextu nominatos, ſcribunt, Abrahæ patris credentium militibus præſignificatos fuiſſe* CCC. XVIII. *Patres, fidei pugiles, qui in victrice Nicæa infidelem Arium vicerunt, & damnarunt, accipiendum id eſt ſymbolicè, & ænigma*-

tiæ. Moſes enim hiſtoriam illam ſcripſit Hebraicè, non Græcè. Potuit tamen Spirituſanctus eadem ita attemperare, vt etiam in lingua & Eccleſia Græca (quæ futura erat florentiſſima, in quam proinde Hebræa transferri volebat) ſua continerent myſteria. Quod monet Cornelius, *Genes.* XIV. 14. *qui iſtud etiam obſeruat. Abrahæ hanc victoriam contigiſſe iuxta* Dan, *vt patet ver.* 14. *quæ poſtea à Philippo Tetrarcha in gratiam Cæſaris Tiberij dicta eſt Cæſarea Philippi, vbi Petrus obſcuram & ſymbolicam, Abrahæ confeſſionem fidei clarè expreſſit, dicens:* Tu es Chriſtus Filius DEI viui. *Matt.* XVI.

COMMENTATIO II.

IACOB.

LVCTA CHRISTI PATIENTIS

Exhibita à Iacobo Patriarcha, & Angelo Luctatoribus.

Mors & vita Duello conflixêre mirando.

MEMBRVM I.

IACOB.

Simulq́; Luctator inſuperabilis Angelus

Figura Chriſti Patientis.

IAM procedat in arenam ex Abraham progenie, nominatiſſimus IACOB, duellādi peritiâ eximius in paucis, Geneſis. XXXII. Oculos mentemq́; quæſo vos aduertite. Progreditur Baculo armatus, quo Iordanē tranſiuit. Præmiſſis autem familiæ totius in turmas diſtributis copioſis, quæ bellicoſū Eſau munerum telis profligarent, Ipſe Duellum init, cum Viro occurrente totâ nocte pugnatur. Sed videns aduerſarius, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit. Non deſtitit tamen à certamine Iacob donec benedictionem impetraſſet. Et audiuit dicentem; *Si contra* DEVM *fortis fuiſti, quanto magis contra hominem prævalebis?* In hoc autem certamine CHRISTVM PATIENTEM exhiberi vidit, acutū in iſtiuſmodi ſpectaculis videre ſolitus Auguſt. qui virū illū luctantē cum Iacob, typum fuiſſe CHRISTI aſſerit; Iacobum luctatorem

torem populi Iudaici. Hic enim luctatus eſt cum Chriſto peruicaciter, pertinaciterque, ei repugnando, atque hoſtiliter inſectando. Viſus eſt autem præualere tandem, quia mortem poſt tot opprobria, ærumnaſque Chriſto intulit. Verumtamen neruus Iacob percuſſus eſt. & factus eſt ipſe claudicans, quia poſt Dñi Paſſionem, per Apoſtolorum prædicationẽ, tacta, & commota gẽs hebraica, pars eius iuſtificata eſt, credens in ipſũ, pars obſtinato animo in ſua obſtinatione perſeuerans. Sicut Patriarchæ Iacob pes alter ſanus erat, alter verò claudicans. Et illa quidem pars Gentis Hebreæ electa & ſanata, quæ ad CHRISTVM conuerſa eſt, benedictionem accepit ab ipſo Chriſto, quem anteà oderat, & vſque ad necem inſectata fuerat. Suauius hæc influent in aures animoſque ſi verbis Doctoris Auguſtini proferantur, cuius iſta eſt commentatio.

IACOB nomen Iſraëlis accepit ab "
Angelo, qui fuit cum eo in itinere de "
Meſopotamia redeunte luctatus. quæ "
res typum Chriſti euidentiſſimè geſſit. "
Nam quod ei præualuit Iacob, vtique "
volenti, vt myſterium figuraret, ſigni- "
ficat PASSIONEM CHRISTI. Vbi viſi "
ſunt ei præualere Iudæi, & tamen be- "
nedictionem ab eodem Angelo, "
quem ſuperauerat, impetrauit: ac ſic "
huius nominis impoſitio benedictio "
fuit. Interpretatur enim ISRAEL, VI- "
DENS DEVM. Quod erit in fine præ- "
mium omnium Sanctorum. Tetigit "
porrò Angelus ipſi Iacob, velut præ- "
ualenti latitudinem femoris, eumque "
iſto modo claudum reddidit. Erat ita- "
que vnus & idem Iacob: claudus, & "
benedictus in his, qui in Chriſtum ex "
eodem populo crediderunt: claudus "
verò in his, qui in ſuâ infidelitate man- "
ſerunt. Femoris quippe latitudo ge- "
neris, ſiue poſteritatis eſt multitudo: "
plures quippe ſunt in ea ſtirpe, de qui- "
bus prophetice dictum eſt: *Et* "
claudicauerunt à ſemitis ſuis. Pſalmo "
XVII. "

IN eandem ſententiam de illo ipſo Myſterio idem S. Doctor alibi ſic diſſerit, aliqua inſerens præterea quæ affectum magis incitent. Iacob, inquit, in "
primâ luctatione cum Angelo Iudæo- "
rum Populum figurabat. Angelus au- "
tem, qui cum illo luctabatur typum "
Saluatoris noſtri præferebat. Luctatus "
eſt populus Iudaicus cum Chriſto, & "
quodammodo vicit, quia non deſtitit "
eum perſequi, donec morti tradidit. "
Et quia non totus populus Iudæorum "
Chriſti fidem repudiauit, ſed non "
pauca multitudo eius in eum credidit; "
ideò, in eius rei figuram, Angelus "
tetigit femur Iacob, & claudicare "
cœpit. Pes enim ille, in quo claudica- "
bat, Iudæos non credentes in CHRI- "
STVM ſignificabat: alter verò pes, qui "
ſanus remanſerat, figurabat eos, qui "
fidem Chriſti receperunt. Denique, "
diligenter attendendum eſt, quod Ia- "
cob in illa colluctatione, & vincebat, "
& tamen benedictionem victor à vi- "
cto petebat, dicens: *Non dimittam te* "
niſi benedixeris mihi. Iacob, enim vin- "
cens, Iudæos perſequutores & occi- "
ſores Chriſti futuros præmonſtrabat: "
idem petens benedictionem ab An- "
gelo, Iudæos, qui Chriſtum adoraturi, "

& veneraturi erant, eiuſque cæleſtibus bonis cumulandi, oſtendebat. Dixit autem Angelus ei, *ſi contra* DEVM *fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis?* Hoc tunc impletum eſt, quando Populus Iudæorum Chriſtum Dominum Crucifixit. *Dimitte me* inquit Angelus, iam *enim aſcendit aurora.* Hoc iam Reſurrectionem Domini figurauit, quem conſtat ante auroram reſurrexiſſe à mortuis. Nec illud non pertinet ad eandem allegoriam, quod idem Iacobo dixit Angelus: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël:* quia ex ijs ipſis, qui Chriſto fuerunt tam contrarij aliqui ad viſionem DEI euecti ſunt; quod Iſraëlis nomen denotat.

PLACVIT D. Auguſtini contemplatio reliquis, qui cum ſequuti ſunt explanatoribus. Inter quos B. Iſidorus plenius eam exequitur. Breuius autem Dionyſius Carthuſianus, (a) *Per Virum,* inquiens, *qui luctabatur cum Iacob, & ſe ab eo vinci ſponte permiſit, intelligitur* CHRISTVS, *qui ſe à poſteritate Iacob,* quæ nunc per Iacob ſignificatur, ſe voluntariè crucifigi, atque per ſuæ meritum PASSIONIS, etiam his, à quibus occiſus eſt, benedictionem promeruit, pœnitentibus largitus eſt: ita quod facti ſumus veri ac ſpirituales Iſraelitæ, qui ante fuerunt carnales Iudæi. Exiſtimat autem S. Hilarius, Iacobum luctatorem cognouiſſe eum, cum quo luctabatur fuiſſe Filium DEI, eumque pro ſalute hominum aliquando factum iri hominum, atque humiliandum, & infirmandum per Paſſionem; ea propter tam ſolicitè benedictionem poſtulaſſe. Sic enim ille tanquam præſentem alloquitur, Libro V. de Trinit. Adeſto nunc mecum fidei tuæ ſpiritu aduerſus venenata infidelitatis ſibila Sancte Iacob Patriarcha, qui in luctâ hominis inualeſcens benedici te ab eo fortiter deprecaris. Quid illud eſt, quod imbecillum oras? quod ab infirmo benedictionem expetis? hunc cuius benedictionem rogas, amplexu tuo validior elidis. A geſtis corporis tui mentis tuæ opus diſſidet. Aliud profectò agis, quàm ſentis. Tenes in Luctâ tuâ hominem infirmum. Sed hic tibi homo DEVS verus eſt, non ex nuncupatione, ſed ex naturâ: non enim adoptiuus benedictionibus benedici te poſtulas, Patriarcha, ſed veris. Cum homine luctaris ſed DEVM facie ad faciem te vidiſſe teſtaris. Non hoc oculis tui corporis cernis, ſed viſu fidei tuæ ſentis. Infirmus ſecundum te homo eſt, ſed anima tua ſecundum verum DEVM, ſaluata eſt. Iacob in lucta es, poſt fidem poſtulatæ benedictionis, Iſraël es. Subditur tibi ſecundum carnem homo ad Myſterium Paſſionis in carne: DEVM in carnis infirmitate non neſcis ad Sacramentum benedictionis in ſpiritu. Nec aſpectus impedit, quin fides maneat: nec infirmitas auocat, quin benedictio poſtularet: nec homo efficit, qui quin homo eſt, DEVS ſit. Nec qui DEVS eſt, non DEVS verus eſt: quia non poteſt non DEVS verus eſſe, qui DEVS eſt, & ita benedixit.

* * *

(a) *In Caput 32. Geneſ. Artic. 79.*

Mem-

MEMBRVM II.

IACOB

Multis nominibus Chriſti Paſſi Typus.

ALIA conſideratione Iacob CHRISTVM PATIENTEM exprimit. Fuit enim Iacob multis modis Typus Saluatoris CRVCE victorioſi, aut ſanè magnam cum illo habens affinitatem. Imprimis autem Iacob SCALAM vidit, quæ CRVCIS fuit figura. Rectè autem dicitur SCALA IACOBI, vt CRVX CHRISTI. Ego puto, inquit S. Hieronymus, in Pſ. 98. CRVCEM Saluatoris *illam eſſe SCALAM, quam vidit Iacob. In iſta Scala deſcendebant Angeli & conſcendebant. In illâ Scala, id eſt, CRVCE, deſcenderunt Iudæi, & conſcenderunt Gentiles.* Et S. Auguſtinus (*a*) Iacob dormiebat, & Dominum in cacumen Scalæ videbat incumbere. Quid eſt, in *Scalam incumbere*, niſi *in Ligno pendere*. Conſiderate, quis in Ligno Crucis pendens pro Iudæis orauerit, & agnoſcetis, quis ad Iacob Scalæ incumbens clamauerit. Sed quare hoc in itinere factum eſt, antequam Iacob vxorem acciperet? Quia & verus Iacob Dominus Noſter, prius in SCALA, id eſt, CRVCE occubuit, & poſtea Eccleſiam ſibi ſociauit. Infra verò SCALA *vſque ad cælum attingens CRVCIS figuram habuit. Dominus innixus Scalæ*, Chriſtus Crucifixus *oſtenditur*. Similia Patres alij ad idem myſterium declarandum adferunt, in Sermonibus de Veneratione Crucis. DEINDE IACOB cum BACVLO Iordanem tranſiuit, quo ſignificatur idem noſter CRVCIFER *Iacob ad accipiendam vxorem exhibuit* BACVLVM; ait Auguſtinus: *&* CHRISTVS *ad redimendam Eccleſiam detulit* CRVCIS *Lignum.* Dicebat Iacob: *In Baculo meo tranſiui Iordanem: & ecce cum duabus turmis regredior. Sic profectò eſt:* BACVLO CRVCIS *Chriſtus apprehendit Mundum: & cum duabus turmis, id eſt, duobus populis, Iudaico & Gentili, ad Patrem rediji cum triumpho.* (a)

ADHÆC, IACOB, quando in extremis conſtitutus, alternis, cancellatiſque manibus, vt ait (*b*) Ioan. Damaſcenus, filios Ioſeph, nepotes ſuos benedicens, Signum CRVCIS manifeſtiſſimè deſcripſit. Quo etiam CHRISTVM CRVCIFIXVM deſignaſſe adfirmat Tertullianus, (*c*) qui, eſſe hoc quoque de veteri Sacramento aſſerit quod Iacob nepotes ſuos ex Ioſeph, Ephrem & Manaſſem, impoſitis manibus in capita eorum, ſed intermutatis benedixerit: & ita quidem tranſuerſim obliquatis in ſe, vt CHRISTVM CRVCIFIXVM, ſeu Crucem Chriſti deformantes, iam tunc portenderent benedictionem in Chriſto futuram.

DENIQVE, lego in Quæſtionibus ad

(a) *Ser. 79. de temp.* & (b) *Tract. de cataclyſmo.* (c) *S. Germanus Orat. de magno die Sabb.* (d) *S. Aug. ſerm. 79 de Temp.* (e) *Dam. lib. 4 cap. 12.* (f) *Tertull. lib. de Bap.*

ad Antiochum Auctoris antiqui, hanc interrogationem: *Quis in Teſtamento Veteri primus præfigurauit typum viuificæ CRVCIS?* Reſpondetur autem? *Iacob benedicens filios Ioſeph, manuſq; ſuas tranſponens*, is fuit. IACOB igitur tot prærogatiuis CHRISTVM affixum CRVCI denotantem, dum audio cum Angelo luctari, concipio Dominum meum in PASSIONE ſuâ agonizantem; & cum Natura ſuperiore, lucta egregiè certantem, atque adeò fortiter, vt ictus femur, nempe ſecundum infirmitatem humanam exclamauerit: *Non mea ſed tua voluntas fiat.* Præclara victoria, quam cæleſtis benedictio eſt conſequuta.

MEMBRVM III.
IACOB

Luctâ ſuâ cum Angelo luctari moraliter nos docet.

SPECTASTIS Angelum luctantem cum Iacobo, CHRISTVM in PASSIONE cum Iſraelitica progenie: hanc vipetinam prolem fuiſſe quadam tenus ſuperiorem; victum aliquatenus Chriſtum, quia mortuum.

Mors & Vita duello conflixêre mirando.

Dux Vitæ mortuus.

Victorem tandem plenè Chriſtum quia Reſurgentem: *Regnat viuus*: poſt occaſum, denuo orientem, & benedictionis copioſæ munificum largitorem. Nunc moralitatis chorum ex eodem Theatro excipite.

LVCTANDVM nobis eſt, & Iacobi inſtar & Angeli, ſiue CHRISTI: Chriſti, vt benefactis aduerſarios ſuperemus: Iacobi, vt non dimittamus, qui nobiſcum benefaciendo luctam inijt, DEVM, donec benedictionem conſequamur. Luctatur, quicunque DEVM diligenter, & attentè in PASSIONE CHRISTVM contemplatur, & in ipſo orationis meditationiſque ſtudio quandam quaſi luctam, & concertationem experitur. Interdum verò vigore ſpiritus, & ſingularis cuiuſdam diuini luminis, ac gratiæ vberioris participatione, præualet, ac ſeipſum ſuperare videtur; nimirum, tranſcendere viſibilia ac temporalia omnia atque ad quendam vſque proſpectum Diuinitatis euehi. Sæpe tamen aliàs infirmitate carnis grauatus ac deficiens, quaſi ſuccumbens in lucta deprimitur, ad imaque proſternitur. MILITIS CHRISTIANI eſt, ita orationi contemplationique inſiſtere ita etiam omnibus tentationibus carnis, atque inde oriri ſolitis difficultatibus reſiſtere, vt in hac vita copioſam gratiam, in altera precioſam gloriæ ſempiternæ obtineat coronam. Quam auditoribus lectoribuſque meis precor.

NOTÆ.

NOTÆ

Mvlta ſunt in hac inter Iacobum & Angelum luctâ, quæ ad Chriſtum Ductorem noſtrum, & Militem Chriſtianum ſpectant, & vſui eſſe poſſunt. Ad nomen quod ſpectat,

Lvcta, *genus eſt certaminis, vnum ex Græcorum pentathlo, quo alius alium proſternere in terram nititur.* Luctor *eſt luctâ contendo: quod fit, quum duo ſe complectuntur, & alter alterum in terra deijcere conatur. Per tranſlationem accipitur, pro contendo, pugno, dimico. Veteres dicebant* lucto: *hinc apud Plautum,* delucto.

Luctatio, *ludus, quo alius alium nititur in terram proſternere, & deturbare. Tranſlatè, vniuerſim, eſt pugna, concertatio, contentio, Luctatus.* Luctamen. *idem. Luctator, qui luctâ cum altero contendit.*

I. Cvm *Iacobo luctabatur* Vir, *vt dicitur Geneſis* xxxii. 24. *Quis ille Vir? Fuit Angelus perſonaliter. Sed vocatur* Devs, *verſu* 30. *repræſentatiuè & auctoritatiuè, quemadmodum Prorex vocatur Rex, quoniam* Devm, *putà,* Dei *Filium incarnandum repræſentabat, eiuſq; vice & auctoritate fungebatur, verè Typus Chriſti ex Iacob naſcituri, & Angelus tutelaris Iacobi.*

II. *Luctam hanc fuiſſe imaginariam exiſtimat D. Thomas & Rupertus: alij realem & corpoream, in corpore ab Angelo adſumpto, vt ſpem faceret Iacobo facilè ipſum ſuperaturum, qui ſuperaſſet Angelum.*

III. *Ad luctæ modum concipiendum facit diuerſitas lectionis.* 1. *Lxxta ex Hebræo vertunt* ἐπάλαιεν, *id eſt, luctabatur quaſi palæſtrita in palæſtra.* 2. *Aquila & Symmachus* ἐκυλίετο, *id eſt, verſabat, & iactebat ſe cum illo, vti luctantes ſeſe inuicem iactare, & contorquere ſolent, dum vnus alium detinet, & alius ſe ab eo expedire, & aufugere contendit.* 3. *Hebraicum* ויאבק *ieabec propriè ſignificat,* puluerizabatur: *id eſt, in puluerem & arenam deſcendebat, vt vertit Vatablus: ſiquidem luctantes crebro pedum pulſu & agitatione celeri ac vehementi puluerem excitant, vt ille apud Virgilium taurus:*

— — pedibus qui ſpargit arenam.

4. *Verbo puluerizandi contineri poteſt, & denotari mos palæſtræ Græcorum & Latinorum, in qua luctantes puluere ſe aſpergebant, vt facilius & firmius inuicem prehenſos tenerent.* Martinus Roa *l.* vi. *Singular. cap. vlt.*

5. *Nonnulli* ieabec, *vertunt, luctabatur intorquendo ſe, conandoq; aduerſarium deijcere, ac euertere, vt ſit metaphora à vento. Sicut enim ventus validus puluerem, immò, & homines intorquet, & euertit, ita facere nituntur colluctatores.*

IV. *Allegoriam Luctæ Iacobi cum Angelo* DEVM *repræſentante, ſic euoluit S. Ambroſius lib. 2. de Iacob cap. 6.* Quid eſt luctari cum Deo, niſi virtutis ſuſcipere certamen? & cum ſuperiore congredi, potioremque ceteris imitatorem Dei fieri? Et quia inſuperabilis erat fides eius atque deuotio, ſecreta ei myſteria Dominus reuelabat.

V. *Eadem lucta allegoricè poteſt ſignificare luctam Eſau cum Iacob, id eſt, Synagogæ cum Eccleſiâ, putâ perſequutionem Iudæorum in primos Chriſtianos. Hi enim cum Iacobo parente ſuo in tentatione hac fortes ſteterunt, ideoq; victoriam reportarunt, & à* DEO *benedicti ſunt. Ita ferè* Ludouicus Alcazar *in Apocal.* 11. *notat* 4.

Qui etiam monet, DEVM *in ſpirituali prælio, dum quis oppugnatur tentationibus & calamitatibus ſe propitium & familiarem exhibere.* I. *temperando viribus, quibus Iacobum & fideles per hoſtes exercet* II. *tribuenda fortitudinem, qua in hac lucta conſtantes perſtent.*

VI. Philo *in libro de præmijs & pœnis refert hanc Luctam ad illum qui conſiſtens in vita contẽplatiua, certat quodammodo cum* Deo *vt illum perfectè, quantum fas mortali cog-*

noſcat & intueatur. Et ſi viriliter certet, duo non exigua bona adipiſcitur. Quorum vnum eſt magnificum illud nomen Iſraelis: id eſt, ſupremus gradus cognitionis & contemplationis DEI: *Iſraël enim viſionem* DEI *denotat; aut videntem:* DEVM *ſignificat. Alterum quantum ad res humanas ac terrenas, torpor quidam & contractio, atque claudicatio: rerum enim inferiorum amor & affectus impedimento ſunt contemplationi. Vide Pererium diſp. 4. vbi Philonis integram diſputationem deſcribit.*

VII. S. Gregorius *ſecundum Tropologicam intelligentiam accommodat luctam Iacob cum Angelo exercitio vitæ contemplatiuæ, in quo per diuinas viſitationes, & viſiones quanto ſpiritus humanus magis attollitur, & vegetatur ac roboratur, tanto magis caro deprimitur, atque debilitatur; idque fit, tum propter vehementem ſpiritus à carnis ſocietate abſtractionem:* Spiritus enim promptus eſt, caro autem infirma. *Matth. xxvi. tum ad cuſtodiendam humilitatem animi, arcendamq́ mentis elationem. Nam & Paulus de ſe dixit:* Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, & Diabolus colaphizans *cumq́ vt ea moleſtia liberaretur, obnixè rogaſſet* DEVM, *tale reſponſum ab eo accepit:* Sufficit tibi gratia mea: nã virtus in infirmitate perficitur. *2. Corin. 12.*

S. Gregorius *lib. IV. Moral. ad illud Iob tertio,* Ibi ceſſauerunt impij à tumultu, & ibi requieuerunt feſsi robore, *ſic differit:* IACOB qui Angelum tenuit, vno mox pede claudicauit: quia qui vero DEI amore ſublimia reſpicit, is iam in hoc mundo duplicibus deſiderijs incedere neſcit. Vno enim pede innititur, qui ſolo DEI amore roboratur. Cui neceſſe eſt, vt alter pes marceſcat, quia mentis virtute creſcente, neceſſe eſt carnis fortitudo torpeſcat. *Iterum*

S. Gregorius *hom. 14. ſuper Ezechielem. Eſt in contemplatiua vita magna quædam* LVCTA *& contentio, cùm ſeſe mens ad cæleſtia erigit, cùm in rebus ſpiritualibus animus extenditur, cùm tranſgredi nititur omne, quod corporaliter videtur, cùm ſeſe anguſtat, vt dilatet. Et aliquando quidem vincit, & reluctantes tenebras ſuæ cæcitatis exſuperat, vnde ex inſcripto lumine, quiddam furtim & tenuiter attingat. Sed tamen ad ſemetipſam protinus mens quaſi reuerberata reuertitur, atque ab ea luce, ad quam reſpiciendo tranſit, ad ſuæ cæcitatis tenebras ſuſpirando, atque lamentando redit.*

Hoc bene Sacra Hiſtoria deſignat, cùm Iacob luctatum eſſe cum Angelo narrat. Reuertens enim Iacob ad proprios parentes in via Angelum inuenit, cum quo per Luctã magnum certamen habuit. Is autem, qui luctando certat, aliquando ſe aduerſario ſuperiorem, aliquando inferiorem inuenit. Iacob porro & Angeli LVCTA *cuiuslibet perfecti Viri, & in contemplatione verſantis exercitium denotat. Cuius quippe anima dum contemplari* DEVM *nititur, tanquam in certamine quodam poſita, modò quaſi exuperat, quia intelligendo, & ſentiendo de diuino lumine aliquid deguſtat: modò ſuccumbit, quia & deguſtando verũ deficit. Quaſi ergo vincitur Angelus, quando intellectu intimo apprehenditur* DEVS.

SED *notandum, quod idem victus Angelus neruũ femoris Iacob tetigit, & marceſcere ſtatim fecit: & ex eo tempore Iacob altero claudicauit pede. Videlicet, Omnipotens* DEVS, *cùm iam per deſiderium & intellectum cognoſcitur, omnem in nobis voluptatem carnis areſacit: & qui prius, quaſi duobus pedibus, &* DEVM *videbamur quærere, & mundum tenere, poſt agnitionem ſuauitatis diuinæ, vnus in nobis pes ſanus remanet, & alter claudicat: quia neceſſe eſt, vt quiſque debilitato amore mundi conualeſcat ad amorem* DEI.

Si ergo tenemus Angelum, vno tantum claudicamus pede: quia dum creſcit in nobis fortitudo amoris intimi, pariter infirmatur fortitudo carnis. Omnis quippe, qui vno claudicat illo ſolùm pede nititur, quem

ſanum habet:ſimiliter & is,cui iam deſiderium terrenum areſactum fuit in ſolo pede Amoris DEI *tota virtute ſe ſuſtinet , & in ipſo ſtat:quia pedem amoris ſeculi ; quem ponere in terra conſueuerat , iam à terra ſuſpenſum portat.*

ET *nos ergo , ſi ad parentes proprios,id eſt,ad ſpirituales Patres noſtros tendimus, teneamus in via Angelum,vt ſuauitate intima apprehendamus* DEVM. *Contemplatiua namque vita amabilis valdè dulcedo eſt , quæ ſuper ſemetipſam animam rapit, cæleſtia aperit , terrena omnia contemptui eſſe debere oſtendit,ſpiritualia mentis oculis patefacit,corporalia abſcõdit. Vnde benè S.Eccleſia,dicitur Cant.*IV.Ego dormio, & cor meum vigilat.*Vigilãti enim corde dormit,qui per hoc,quod interius contemplando reſpicit,ab inquieto foris opere quieſcit.*

VIII.LVCTA *Iacobi Tropologicè poteſt ſignificare Orationem,eiuſq; efficaciam. In Oratione deuota videmus cum Iacobo* DEVM *facie ad faciẽ,& ſalua ſit anima noſtra. Rurſum,per Orationem,quaſi Iſraël, dominamur* DEO,*& conſequenter omnibus timoribus,affectibus,perturbationibus,& hoſtibus. Exinde femur,id eſt,ſenſualitas , & amor proprius, fiducia propriarum virium , ac concupiſcentia,quæ viget in femore,*DEI *virtute tacta decreſcit,luxatur, & langueſcit , tuncq; vno claudicamus pede:alius ſanus remanet : quia neceſſe eſt vt debilitato amore ſeculi , homo conualeſcat ad amorem*DEI,*vt monet S.*Gregorius *loco citato,& in Pſalm.*VI.*Pænit. Diſce igitur Miles Chriſti,à* IACOBO *luctatore, in quauis tentatione,tribulatione, & perſequutione per Orationem confugere ad* DEVM. *Si enim Oratione perſuadens , & præualeas* DEO,*præualebis tuis hoſtibus,*DEVSq; *tibi illos vel amicos reddet , vel ſubditos,vti fecit Iacobo.Hoc arcanum vincendi,& quiduis obtinendi conſilium,norunt , & vſurparunt,ac vſurpant etiam-num Viri Sancti,*DEOq; *coniuncti,qui in* DEO *faciunt virtutem.* Omnia poſſum , *inquit Paulus Apoſt.*in eo,qui me conſortat.DEVS *enim omnium hominum, & Regum etiam ferociſſimorum corda in ſua habet manu,& ad nutum quocumque libet , ea inflectit ac immutat.* Cornelius *cap. Exodi* XXXII.*28.*

COMMENTATIO III.

MOSES.

PVGNA CHRISTI CRVCIFIXI

Præludente in Typo Moſe pugnante contra Amalech.

Mors & Vita Duello conflixêre mirando.

MEMBRVM I.

MOSES PVGNATOR EGREGIVS.

Figura Chriſti Patientis.

POSTQVAM caueâ exceſſit luctator IACOB, à longè incedentem videre videor heroico planè greſſu virũ humanâ forma anguſtiorẽ , & ad ſtuporẽ cornu-

ta fronte, ſed ex lucis repercuſſu, ideoque nil vulgare vibrantem, Ductorem infiniti penè exercitus, certè, à nobis hac horâ innumerabilis. Coniectura mihi eſt, eſſe MOSEM, illum populi Ducē bellicoſiſſimum Iſraëlitici. Omninò is eſt: nam pro ſceptro Virgam geſtat mirandorum patratricem. Sed cur brachia habet extenſa, & ad cælum vultum ſuum eleuatum? Cruci ſuffixum profectò aliquem exprimit. State, quæſo vos, attenti, & oculos in Moſen conijcite. Moſes hominis Cruci affixi refert ſpeciem, & tamen nunquam, quod ſciam, crucifixus eſt Moſes. Eſt abditum quid in victorioſo illo Duce, quod non omnibus eſt eſt obuium, ſed vt educatur.

OBSERVO, Moſen multiplicites CHRISTVM PATIENTEM vel expreſiſſe, vel deſignaſſe, certè, illius fuiſſe Figuram imprimis eximiam. Cerne proijcientem VIRGAM, (quæ verſa eſt in Colubrum; (a) & concipe CRVCEM deuoratricem humanæ omnis Sapientiæ. Siquidem CRVX, quæ infidelibus ſtultitia eſſe creditur, verſa eſt in ſerpentem, id eſt, in ſapientiam & in ſanctam ſapientiam, quæ omnem iſtius mundi ſapientiam deuoraret, quemadmodum deuorauit coluber ille dracones omnes Magorum, vt commentatur Auguſtinus. (b) VIRGA Moſaica in ſimilitudinem CRVCIS mare percuſſit, (c) & ſaluauit Iſraël, Pharaonem autem ſubmerſit, vt loquitur D. Damaſcenus. (d) Quādo ligno in aquas Marath immiſſo, dulces eas effecit. Moſes, (e) CHRISTVM repræſentauit, CRVCE amariſſimas tribulationum aquas dulcorantem. *Quamuis Marath aqua amara,* inquit B. Proſper, (f) *fatigauerit ſitientem populum, poſteà ligno in eam immiſſo dulcis effecta oſtendit, Chriſtianum, ſtatim, vt amarum* PASSIONIS *poculum biberit, ligni, nempe* CRVCIS *dulcedine, ab omni amaritudine liberandum.* Et Tertullianus: (g) *Hoc lignum* CRVCIS *tunc in ſacramento erat, quo Moſes aquam amaram indulcauit. Vnde populus qui ſiti peribat bibendo reuixit. Sicut nos, qui de ſeculi vanitatibus extracti, in quo commorabamur ſiti pereuntes, id eſt, verbo diuino propinati* LIGNO PASSIONIS CHRISTI *aquam Baptiſmatis potantes fide, quæ eſt in eum, reuiximus.*

IAM verò, cùm Moſes Virga Petram percuſſit, & proſilierunt aquæ, percuſſione bis facta, (h) non ne CHRISTVM concipis cum aliqua ad CRVCEM habitudine? Gemina percuſſio duo CRVCIS ligna ſignificat. Bis percuſſa eſt petra, quia duo ſunt ligna CRVCIS, vt monet Auguſtinus. (i) Modo etiam percuſſionis CRVCEM efformaſſe Moſen exiſtimat Seuerianus (k) Gabalorum Epiſcopus ſic ſcribens: *Percuſſit Moſes petram ſemel atque iterum. Cur ſemel atque iterum? Si* DEI *virtuti paret percuſſa petra, quid eſt opus percuſſione ſecūdâ? Si percutit ſine virtute* DEI, *nec ſecūda, nec decima, nec centeſima percuſſio rei ſterili fœcunditatem adferet. Verùm, vt* CRVCIS *imaginem deſignet hoc fecit. Percuſſit & ſemel & bis, non eodem modo, ſed ita, ut* CRVCIS *formam deſcri-*

(a) *Exodi 7.* (b) *Ser. 86. & 87. de temp.* (c) *Exodi* XIV (d) *lib. 4. c. 12.* (e) *Exod.* XV (f) *De præ. lib. Dei. 2. c. 38.* (g) *Lib. contra Iudæ.* (h) *Num.* XX. (i) *Tract. 26. & 28. in Ioan.* (k) *Ser. 4. in S. Crucem.*

deſcriberet. Quatenus natura etiam inanimata CRVCIS SIGNVM, notamque veneraretur. Adhæc, vt Moſes, quà Propheta, CRVCIFIXVM Dominum omnibus ſuis popularibus in Typo ſplendidiſſimè proponeret, & eorum pectoribus intimius imprimeret *Serpentem æneum* erexit in ſignum. Numerorum XXI. *Sicut exaltauit Moſes Serpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis,* dicit Chriſtus ipſe Ioannis tertio.

MEMBRVM II.

MOSES TYPVS CHRISTI CRVCIFIXI.

SED nunquam illuſtrius CHRISTVM CRVCIFIXVM Moſes ipſe exhibuit palam, quàm quando orās pro populo, manibus in CRVCIFIXI formam extenſis, hoſtem Amalech deuicit. Exodi XVII. Hiſtoria eſt in Exodo. Cap. XVII. cuius hoc breuiarium. Egreſſis ex Ægypto Iſraëlitis, & poſt mille diuerticula, per ambages innumeras ad Promiſſionis regionem properantibus, primi, qui ſe hoſtes oppoſuerunt fuêre Amalechitæ. Quos non tam ſuperarunt Milites Hebræi bellicis inſtrumentis, quàm Moſes, extenſis, eleuatiſque, ac ſi in CRVCE ſuffixus eſſet, manibus. Vt in Moſe conſtituto in collis vertice, & pandente brachia, CHRISTVM in Caluariæ monte brachijs latiſſimè protenſis agnoſcamus. Audi pium eruditumque Ioſuanæ hiſtoriæ commentatorem. (*a*) Mihi Moſes in monte iſto ſtans, pro populo ſuo deprecans, brachia pandens, manus extollens, mirificam illā virgam tenens, IESVS meus, Dominus & Saluator meus in Caluariæ monte videtur, dum pro me, totoque terrarum orbe, CRVCI ſuffixus coram cæleſti Patre ſtetit, brachia grauiſſimè verberibus, patibuliq; ſui baiulatione prælaſſata diſpandit: Sacratiſſimas illas manus, quibus tam multis ſalutarem opem, cæcis, ſurdis, energumenis, ægris, mortuis attulerat, trabalibus iam clauibus per foſſas ſurſum ſuſtulit, ipſamque CRVCIS ſuæ VIRGAM arctiſſimè complexus tenuit, cæleſtique Patri obtulit.

EXTENSIO manuum, inquit B. Ephrem Syrus, (*b*) eſt CRVCIS figura. Et S. Hieronymus, (*c*) Ad ſignum Crucis ſuperatur inimicus. Theodoretus (*d*) quoque: *Dum extendebat manus Moſes, præ ſe ferebat typum eius, qui Crucifixus eſt pro nobis. Declarata igitur eſt ſub illa figura vis ipſius veritatis. Quemadmodum enim ſeruo manus extendente cecidit Amalec; ita cùm Dominus manus extendit diſſoluta eſt acies Diaboli.*

Carmina olim concinebant Chriſtianorum pueri de tam nobili per brachiorum extenſionem victoria, ſunt autem iſta.

Sincera hunc Moſes expreſſit brachia tendens

(a) *Nicol. Serarius Tom.* 1. *Ioſ. cap.* 3. 4. 14. (b) *Tomo* 2. *Paran.* 2. (c) *Epiſt. ad Fabiol.* (d) *In Exod. q.* 34.

tici. Moſes enim hiſtoriam illam ſcripſit Hebraicè, non Græcè. Potuit tamen Spiritusſanctus eadem ita attemperare, vt etiam in lingua & Eccleſia Græca (quæ futura erat florentiſſima, in quam proinde Hebræa transferri volebat) ſua continerent myſteria. Quod monet Cornelius, *Genes.* XIV.14. *qui iſtud etiam obſeruat. Abrahæ hanc victoriam contigiſſe iuxta* Dan, *vt patet ver.* 14. *quæ poſtea à Philippo Tetrarcha in gratiam Cæſaris Tiberij dicta eſt Cæſarea Philippi, vbi Petrus obſcuram & ſymbolicam, Abrahæ confeſſionem fidei clarè expreſſit, dicens:* Tu es Chriſtus Filius DEI viui. *Matt.* XVI.

COMMENTATIO II.
IACOB.
LVCTA CHRISTI PATIENTIS
Exhibita à Iacobo Patriarcha, & Angelo Luctatoribus,
Mors & vita Duello conflixêre mirando.

MEMBRVM I.
IACOB.
Simulq́ʒ Luctator inſuperabilis Angelus
Figura Chriſti Patientis.

IAM procedat in arenam ex Abraham progenie, nominatiſſimus IACOB, duellãdi peritiâ eximius in paucis, Geneſis. XXXII. Oculos mentemq́ʒ, quæſo vos aduertite. Progreditur Baculo armatus, quo Iordanẽ tranſiuit. Præmiſſis autem familiæ totius in turmas diſtributis copiolis, quæ bellicoſũ Eſau munerum telis profligarent, Ipſe Duellum init, cum Viro occurrente totâ nocte pugnatur. Sed videns aduerſarius, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit. Non deſtitit tamen à certamine Iacob donec benedictionem impetraſſet. Et audiuit dicentem: *Si contra* DEVM *fortis fuiſti, quanto magis contra hominem prævalebis?* In hoc autem certamine CHRISTVM PATIENTEM exhiberi vidit acutũ in iſtiuſmodi ſpectaculis videre ſolitus Auguſt. qui virũ illũ luctantẽ cum Iacob, typum fuiſſe CHRISTI aſſerit; Iacobum luctatorem

torem populi Iudaici. Hic enim luctatus eſt cum Chriſto peruicaciter, pertinaciterque, ei repugnando, atque hoſtiliter inſectando. Viſus eſt autem præualere tandem, quia mortem poſt tot opprobria ærumnaſque Chriſto intulit. Verumtamen neruus Iacob percuſſus eſt. & factus eſt ipſe claudicans, quia poſt Dñi Paſſionem, per Apoſtolorum prædicationẽ, tacta, & commota gẽs hebraica, pars eius iuſtificata eſt, credens in ipsũ, pars obſtinato animo in ſua obſtinatione perſeuerans. Sicut Patriarchæ Iacob pes alter ſanus erat, alter verò claudicans. Et illa quidem pars Gentis Hebreæ electa & ſanata, quæ ad CHRISTVM conuerſa eſt, benedictionem accepit ab ipſo Chriſto, quem anteà oderat, & vſque ad necem inſectata fuerat. Suauius hæc influent in aures animoſque ſi verbis Doctoris Auguſtini proferantur, cuius iſta eſt commentatio.

IACOB nomen Iſraëlis accepit ab " Angelo, qui fuit cum eo in itinere de " Meſopotamia redeunte luctatus. quæ " res typum Chriſti euidentiſſimè geſſit. " Nam quod ei præualuit Iacob, vtique " volenti, vt myſterium ſignaret, ſigni- " ficat PASSIONEM CHRISTI. Vbi viſi " ſunt ei præualere Iudæi, & tamen be- " nedictionem ab eodem Angelo, " quem ſuperauerat, impetrauit: ac ſic " huius nominis impoſitio benedictio " fuit. Interpretatur enim ISRAEL, VI- " DENS DEVM. Quod erit in fine præ- " mium omnium Sanctorum. Tetigit " porrò Angelus ipſi Iacob, velut præ- " ualenti latitudinem femoris, eumque " iſto modo claudum reddidit. Erat ita- " que vnus & idem Iacob: claudus, & " benedictus in his, qui in Chriſtum ex " eodem populo crediderunt: claudus " verò in his, qui in ſuâ infidelitate man- " ſerunt. Femoris quippe latitudo ge- " neris, ſiue poſteritatis eſt multitudo: " plures quippe ſunt in ea ſtirpe, de qui- " bus propheticè dictum eſt: *Et* " *claudicauerunt à ſemitis ſuis.* Pſalmo " XVII. "

IN eandem ſententiam de illo ipſo Myſterio idem S. Doctor alibi ſic diſſerit, aliqua inſerens prætereà quæ affectum magis incitent. Iacob, inquit, in " primâ luctatione cum Angelo Iudæo- " rum Populum figurabat. Angelus au- " tem, qui cum illo luctabatur typum " Saluatoris noſtri præferebat Luctatus " eſt populus Iudaicus cum Chriſto, & " quodammodo vicit, quia non deſtitit " eum perſequi, donec morti tradidit. " Et quia non totus populus Iudæorum " Chriſti fidem repudiauit, ſed non " pauca multitudo eius in eum credidit; " ideò, in eius rei figuram, Angelus " tetigit femur Iacob, & claudicare " cœpit. Pes enim ille, in quo claudica- " bat, Iudæos non credentes in CHRI- " STVM ſignificabat: alter verò pes, qui " ſanus remanſerat, figurabat eos, qui " fidem Chriſti receperunt. Denique, " diligenter attendendum eſt quod Ia- " cob in illa colluctatione, & vincebat, " & tamen benedictionem victor à vi- " cto petebat, dicens: *Non dimittam te* " *niſi benedixeris mihi.* Iacob, enim vin- " cens, Iudæos perſequutores & occi- " ſores Chriſti futuros præmonſtrabat: " idem petens benedictionem ab An- " gelo, Iudæos, qui Chriſtum adoraturi, "

& veneraturi erant, eiuſque cæleſtibus bonis cumulandi, oſtendebat. Dixit autem Angelus ei, *ſi contra* DEVM *fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis?* Hoc tunc impletum eſt, quando Populus Iudæorum Chriſtum Dominum Crucifixit. *Dimitte me* inquit Angelus, iam *enim aſcendit aurora.* Hoc iam Reſurrectionem Domini figurauit, quem conſtat ante auroram reſurrexiſſe à mortuis. Nec illud non pertinet ad eandem allegoriam, quod idem Iacobo dixit Angelus: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum ſed Iſraël:* quia ex ijs ipſis, qui Chriſto fuerunt tam contrarij aliqui ad viſionem DEI euecti ſunt; quod Iſraëlis nomen denotat.

PLACVIT D. Auguſtini contemplatio reliquis, qui cum ſequuti ſunt explanatoribus. Inter quos B. Iſidorus plenius eam exequitur. Breuius autem Dionyſius Carthuſianus, (a) *Per Virum*, inquiens, *qui luctabatur cum Iacob, & ſe ab eo vinci ſponte permiſit, intelligitur* CHRISTVS, *qui ſe à poſteritate Iacob*, quæ nunc per Iacob ſignificatur, ſe voluntariè crucifigi, atque per ſuæ meritum PASSIONIS, etiam his, à quibus occiſus eſt, benedictionem promeruit, pœnitentibus largitus eſt: ita quod facti ſumus veri ac ſpirituales Iſraelitæ, qui ante fuerunt carnales Iudæi. Exiſtimat autem S. Hilarius, Iacobum luctatorem cognouiſſe eum, cum quo luctabatur fuiſſe Filium DEI, eumque pro ſalute hominum aliquando factum iri hominum, atque humiliandum, & infirmandum per Paſſionem; eapropter tam ſolicitè benedictionem poſtulaſſe. Sic enim ille tanquam præſentem alloquitur, Libro V. de Trinit. Adeſto nunc mecum fidei tuæ ſpiritu aduerſus venenata infidelitatis ſibila Sancte Iacob Patriarcha, qui in luctâ hominis inualeſcens benedici te ab eo fortiter deprecaris. Quid illud eſt, quod imbecillum oras? quod ab infirmo benedictionem expetis? hunc cuius benedictionem rogas, amplexu tuo validior elidis. A geſtis corporis tui mentis tuæ opus diſſidet. Aliud profectò agis, quàm ſentis. Tenes in Luctâ tuâ hominem infirmum. Sed hic tibi homo DEVS verus eſt, non ex nuncupatione, ſed ex naturâ: non enim adoptiuus benedictionibus benedici te poſtulas, Patriarcha, ſed veris. Cum homine luctaris ſed DEVM facie ad faciem te vidiſſe teſtaris. Non hoc oculis tui corporis cernis, ſed viſu fidei tuæ ſentis. Infirmus ſecundum te homo eſt, ſed anima tua ſecundum viſum DEVM, ſaluata eſt. Iacob in luctâ es, poſt fidem poſtulatæ benedictionis, Iſraël es. Subditur tibi ſecundum carnem homo ad Myſterium Paſſionis in carne: DEVM in carnis infirmitate non neſcis ad Sacramentum benedictionis in ſpiritu. Nec aſpectus impedit, quin fides maneat: nec infirmitas auocat, quin benedictio poſtularet: nec homo efficit, qui quin homo eſt, DEVS ſit. Nec qui DEVS eſt, non DEVS verus eſt: quia non poteſt non DEVS verus eſſe, qui DEVS eſt, & ita benedixit.

***

(a) *In Caput 32. Geneſ. Artic. 79.*

MEMBRVM II.
IACOB

Multis nominibus Chriſti Paſſi Typus.

ALIA conſideratione Iacob CHRISTVM PATIENTEM exprimit. Fuit enim Iacob multis modis Typus Saluatoris CRVCE victorioſi, aut ſanè magnam cum illo habens affinitatem. Imprimis autem Iacob SCALAM vidit, quæ CRVCIS fuit figura. Rectè autem dicitur SCALA IACOBI, vt CRVX CHRISTI. Ego puto, inquit S. Hieronymus, in Pſ.98. CRVCEM Saluatoris *illam eſſe SCALAM, quam vidit Iacob. In iſta Scala deſcendebant Angeli & conſcendebant. In illâ Scala, id eſt, CRVCE, deſcenderunt Iudæi, & conſcenderunt Gentiles.* Et S. Auguſtinus (*a*) Iacob dormiebat, & Dominum in cacumen Scalæ videbat incumbere. Quid eſt, in *Scalam incumbere*, niſi *in Ligno pendere*. Conſiderate, quis in Ligno Crucis pendens pro Iudæis orauerit, & agnoſcetis, quis ad Iacob Scalæ incumbens clamauerit. Sed quare hoc in itinere factum eſt, antequam Iacob vxorem acciperet? Quia & verus Iacob Dominus Noſter, prius in SCALA, id eſt, CRVCE occubuit, & poſtea Eccleſiam ſibi ſociauit. Infra verò SCALA *vſque ad cælum attingens* C*RV*C*IS figuram habuit. Dominus innixus Scalæ*, Chriſtus Crucifixus *oſtenditur*. Similia Patres alij ad idem myſterium declarandum adferunt, in Sermonibus de Veneratione Crucis. DEINDE IACOB cum BACVLO Iordanem tranſiuit, quo ſignificatur idem noſter CRVCIFER *Iacob ad accipiendam vxorem exhibuit* BACVLVM; ait Auguſtinus: *&* CHRISTVS *ad redimendam Eccleſiam detulit* CRVCIS *Lignum*. Dicebat Iacob: *In Baculo meo tranſiui Iordanem: & ecce cum duabus turmis regredior. Sic profectò eſt:* BACVLO CRVCIS *Chriſtus apprehendit Mundum: & cum duabus turmis, id eſt, duobus populis, Iudaico & Gentili, ad Patrem rediit cum triumpho.* (a)

ADHÆC, IACOB, quando in extremis conſtitutus, alternis, cancellatiſque manibus, vt ait (*b*) Ioan. Damaſcenus, filios Ioſeph, nepotes ſuos benedicens, Signum CRVCIS manifeſtiſſimè deſcripſit. Quo etiam CHRISTVM CRVCIFIXVM deſignaſſe adfirmat Tertullianus, (*c*) qui, eſſe hoc quoque de veteri Sacramento aſſerit quod Iacob nepotes ſuos ex Ioſeph, Ephrem & Manaſſem, impoſitis manibus in capita eorum, ſed intermutatis benedixerit: & ita quidem tranſuerſim obliquatis in ſe, vt CHRISTVM CRVCIFIXVM, ſeu Crucem Chriſti deformantes, iam tunc portenderent benedictionem in Chriſto futuram.

DENIQVE, lego in Quæſtionibus ad

(a) *Ser. 79. de temp.* & (b) *Tract. de cataclyſmo.* (c) *S. Germanus Orat. de magno die Sabb.* (d) *S. Aug. ſerm. 79. de Temp.* (e) *Dam. lib. 4. cap. 12.* (f) *Tertull. lib. de Bap.*

ad Antiochum Auctoris antiqui, hanc interrogationem: *Quis in Teſtamento Veteri primus præfigurauit typum viuificæ CRVCIS?* Reſpondetur autem: *Iacob benedicens filios Ioſeph, manuſq; ſuas tranſponens*, is fuit. IACOB igitur tot prærogatiuis CHRISTVM affixum CRVCI denotantem, dum audio cum Angelo luctari, concipio Dominum meum in PASSIONE ſuâ agonizantem; & cum Natura ſuperiore, lucta egregiè certantem, atque adeò fortiter, vt ictus femur, nempe ſecundum infirmitatem humanam exclamauerit: *Non mea ſed tua voluntas fiat.* Præclara victoria, quam cæleſtis benedictio eſt conſequuta.

MEMBRVM III.

IACOB

Luctâ ſuâ cum Angelo luctari moraliter nos docet.

SPECTASTIS Angelum luctantem cum Iacobo, CHRISTVM in PASSIONE cum Iſraelitica progenie: hanc viperinam prolem fuiſſe quadam tenus ſuperiorem; victum aliquatenus Chriſtum, quia mortuum.

Mors & Vita duello conflixêre mirando.
Dux Vitæ mortuus.

Victorem tandem plenè Chriſtum quia Reſurgentem: *Regnat viuus*: poſt occaſum, denuo orientem, & benedictionis copioſæ munificum largitorem. Nunc moralitatis chorum ex eodem Theatro excipite.

LVCTANDVM nobis eſt, & Iacobi inſtar & Angeli, ſiue CHRISTI: Chriſti, vt benefactis aduerſarios ſuperemus: Iacobi, vt non dimittamus, qui nobiſcum benefaciendo luctam inijt, DEVM, donec benedictionem conſequamur. Luctatur, quicumque DEVM diligenter, & attentè in PASSIONE CHRISTVM contemplatur, & in ipſo orationis meditationiſque ſtudio quandam quaſi luctam, & concertationem experitur. Interdum verò vigore ſpiritus, & ſingularis cuiuſdam diuini luminis, ac gratiæ vberioris participatione, præualet, ac ſeipſum ſuperare videtur; nimirum, tranſcendere viſibilia ac temporalia omnia atque ad quendam vſque proſpectum Diuinitatis euehi. Sæpe tamen aliàs infirmitate carnis grauatus ac deficiens, quaſi ſuccumbens in lucta deprimitur, ad imaque proſternitur. MILITIS CHRISTIANI eſt, ita orationi contemplationique inſiſtere ita etiam omnibus tentationibus carnis, atque inde oriri ſolitis difficultatibus reſiſtere, vt in hac vita copioſam gratiam, in altera precioſam gloriæ ſempiternæ obtineat coronam. Quam auditoribus lectoribuſque meis precor.

NOTÆ.

N O T Æ

Mvlta *ſunt in hac inter Iacobum & Angelum luctâ, quæ ad Chriſtum Ductorem noſtrum, & Militem Chriſtianum ſpectant, & vſui eſſe poſſunt. Ad nomen quod ſpectat,*

Lvcta, *genus eſt certaminis, vnum ex Græcorum pentathlo, quo alius alium proſternere in terram nititur.* Luctor *eſt luctâ contendo: quod fit, quum duo ſe complectuntur, & alter alterum in terra deijcere conatur. Per tranſlationem accipitur, pro contendo, pugno, dimico. Veteres dicebant* lucto: *hinc apud Plautum,* delucto.

Luctatio, *ludus, quo alius alium nititur in terram proſternere, & deturbare. Tranſlatè, vniuerſim, eſt pugna, concertatio, contentio,* Luctatus. Luctamen. *idem.* Luctator, *qui lucta cum altero contendit.*

i. Cvm *Iacobo luctabatur* Vir, *vt dicitur Geneſis* xxxii. 24. *Quis ille Vir? Fuit Angelus perſonaliter. Sed vocatur* Devs, *verſu* 30. *repræſentatiuè & auctoritatiuè, quemadmodum Prorex vocatur Rex, quoniam* Devm, *putà,* Dei *Filium incarnandum repræſentabat, eiuſq; vice & auctoritate fungebatur, verè Typus Chriſti ex Iacob naſcituri, & Angelus tutelaris Iacobi.*

ii. *Luctam hanc fuiſſe imaginariam exiſtimat D. Thomas & Rupertus: alij realem & corpoream, in corpore ab Angelo adſumpto, vt ſpem faceret Iacobo facilè ipſum ſuperaturum, qui ſuperaſſet Angelum.*

iii. *Ad luctæ modum concipiendum facit diuerſitas lectionis.* 1. *Lxxta ex Hebræo vertunt* ἐπάλαιεν, *id eſt, luctabatur quaſi palæſtrita in palæſtra.* 2. *Aquila & Symmachus* ἐκυλίετο, *id eſt, verſabat, & iactebat ſe cum illo, vti luctantes ſeſe inuicem iactare, & contorquere ſolent, dum vnus alium detinet, & alius ſe ab eo expedire, & aufugere contendit.* 3. *Hebraicum* יאבק ieabec *proprie ſignificat,* puluerizabatur: *id eſt, in puluerem & arenam deſcendebat, vt vertit Vatablus: ſiquidem luctantes crebro pedum pulſu & agitatione celeri ac vehementi puluerem excitant, vt ille apud Virgilium taurus:*

— — pedibus qui ſpargit arenam.

4. *Verbo puluerizandi contineri poteſt, & denotari mos palæſtræ Græcorum & Latinorum, in qua luctantes puluere ſe aſpergebant, vt facilius & firmius inuicem prehenſos tenerent.* Martinus Roa *l.* vi. *Singular. cap. vlt.*

5. *Nonnulli* ieabec, *vertunt, luctabatur intorquendo ſe, conandoq; aduerſarium deijcere, ac euertere, vt ſit metaphora à vento. Sicut enim ventus validus puluerem, immò, & homines intorquet, & euertit, ita facere nituntur colluctatores.*

iv. *Allegoriam Luctæ Iacobi cum Angelo* DEVM *repræſentante, ſic euoluit S. Ambroſius lib.* 2. *de Iacob cap.* 6. Quid eſt luctari cum Deo, niſi virtutis ſuſcipere certamen? & cum ſuperiore congredi, potioremque ceteris imitatorem Dei fieri? Et quia inſuperabilis erat fides eius atque deuotio, ſecreta ei myſteria Dominus reuelabat.

v. *Eadem lucta allegoricè poteſt ſignificare luctam Eſau cum Iacob, id eſt, Synagogæ cum Eccleſiâ, putâ perſequutionem Iudæorum in primos Chriſtianos. Hi enim cum Iacobo parente ſuo in tentatione hac fortes ſteterunt, ideoq; victoriam reportarunt, & à* DEO *benedicti ſunt. Ita ferè* Ludouicus Alcazar *in Apocal.* 11. *notat.* 4.

Qui etiam monet, DEVM *in ſpirituali prælio, dum quis oppugnatur tentationibus & calamitatibus ſe propitium & familiarem exhibere.* i. *temperando viribus, quibus Iacobum & fideles per hoſtes exercet* ii. *tribuenda fortitudinem, qua in hac lucta conſtantes perſtent.*

vi. Philo *in libro de præmijs & pœnis refert hanc Luctam ad illum qui conſiſtens in vita contēplatiua, certat quodammodo cum* Deo *vt illum perfectè, quantum fas mortali cognoſcat,*

noſcat & intueatur. Et ſi viriliter certet, duo non exigua bona adipiſcitur. Quorum vnum eſt magnificum illud nomen Iſraël: id eſt, ſupremus gradus cognitionis & contemplationis DEI: *Iſraël enim viſionem* DEI *denotat; aut videntem* DEVM *ſignificat. Alterum quantum ad res humanas ac terrenas, torpor quidam & contractio, atque claudicatio: rerum enim inferiorum amor & affectus impedimento ſunt contemplationi. Vide Pererium diſp. 4. vbi Philonis integram diſputationem deſcribit.*

VII. S. Gregorius *ſecundum Tropologicam intelligentiam accommodat luctam Iacob cum Angelo exercitio vitæ contemplatiuæ, in quo per diuinas viſitationes, & viſiones quanto ſpiritus humanus magis attollitur, & vegetatur ac roboratur, tanto magis caro deprimitur, atque debilitatur; idque fit, tum propter vehementem ſpiritus à carnis ſocietate abſtractionem*: Spiritus enim promptus eſt, caro autem infirma. *Matth. xxvi. tum ad cuſtodiendam humilitatem animi, arcendamq́; mentis elationem. Nam & Paulus de ſe dixit*: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, & Diabolus colaphizans *cumq́; vt ea moleſtia liberaretur, obnixè rogaſſet* DEVM, *tale reſponſum ab eo accepit*: Sufficit tibi gratia mea: nã virtus in infirmitate perficitur. *2. Corin. 12.*

S. Gregorius *lib. IV. Moral. ad illud Iob tertio*, Ibi ceſſauerunt impij à tumultu, & ibi requieuerunt feſſi robore, *ſic diſſerit*: IACOB qui Angelum tenuit, vno mox pede claudicauit: quia qui vero DEI amore ſublimia reſpicit, is iam in hoc mundo duplicibus deſiderijs incedere neſcit. Vno enim pede innititur, qui ſolo DEI amore roboratur. Cui neceſſe eſt, vt alter pes marceſcat, quia mentis virtute creſcente, neceſſe eſt carnis fortitudo torpeſcat. *Iterum*

S. Gregorius *hom. 14. ſuper Ezechielem. Eſt in contemplatiua vita magna quædam* LVCTA *& contentio, cùm ſeſe mens ad cæleſtia erigit, cùm in rebus ſpiritualibus animus extenditur, cùm tranſgredi nititur omne, quod corporaliter videtur, cùm ſeſe anguſtat, vt dilatet. Et aliquando quidem vincit, & reluctantes tenebras ſuæ cæcitatis exſuperat, vnde ex inſcripto lumine, quiddam furtim & tenuiter attingat. Sed tamen ad ſemetipſam protinus mens quaſi reuerberata reuertitur, atque ab ea luce, ad quam reſpiciendo tranſijt, ad ſuæ cæcitatis tenebras ſuſpirando, atque lamentando redit.*

Hoc bene Sacra Hiſtoria deſignat, cùm Iacob luctatum eſſe cum Angelo narrat. Reuertens enim Iacob ad proprios parentes in via Angelum inuenit, cum quo per Luctã magnum certamen habuit. Is autem, qui luctando certat, aliquando ſe aduerſario ſuperiorem, aliquando inferiorem inuenit. Iacob porro & Angeli LVCTA *cuiuslibet perfecti Viri, & in contemplatione verſantis exercitium denotat. Cuius quippe anima dum contemplari* DEVM *nititur, tanquam in certamine quodam poſita, modò quaſi exuperat, quia intelligendo, & ſentiendo de diuino lumine aliquid deguſtat: modò ſuccumbit, quia & deguſtando verũ deficit. Quaſi ergo vincitur Angelus, quando intellectu intimo apprehenditur* DEVS.

SED *notandum, quod idem victus Angelus neruũ femoris Iacob tetigit, & marceſcere ſtatim fecit: & ex eo tempore Iacob altero claudicauit pede. Videlicet, Omnipotens* DEVS, *cùm iam per deſiderium & intellectum cognoſcitur, omnem in nobis voluptatem carnis areſacit: & qui prius, quaſi duobus pedibus, &* DEVM *videbamur quærere, & mundum tenere, poſt agnitionem ſuauitatis diuinæ, vnus in nobis pes ſanus remanet, & alter claudicat: quia neceſſe eſt, vt quiſque debilitato amore mundi conualeſcat ad amorem* DEI.

Si ergo tenemus Angelum, vno tantum claudicamus pede: quia dum creſcit in nobis fortitudo amoris intimi, pariter infirmatur fortitudo carnis. Omnis quippe, qui vno claudicat illo ſolum pede nititur, quem

ſanum

ſanum habet:ſimiliter & is,cui iam deſiderium terrenum arefactum fuit,in ſolo pede Amoris DEI tota virtute ſe ſuſtinet, & in ipſo ſtat:quia pedem amoris ſeculi, quem ponere in terra conſueuerat, iam à terra ſuſpenſum portat.

ET nos ergo, ſi ad parentes proprios,id eſt,ad ſpirituales Patres noſtros tendimus, teneamus in via Angelum,vt ſuauitate intima apprehendamus DEVM. Contemplatiua namque vita amabilis valdè dulcedo eſt, quæ ſuper ſemetipſam animam rapit, cæleſtia aperit, terrena omnia contemptui eſſe debere oſtendit,ſpiritualia mentis oculis patefacit,corporalia abſcōdit. Vnde benè S.Eccleſia,dicitur Cant.v. Ego dormio, & cor meum vigilat.Vigilāti enim corde dormit,qui per hoc,quod interius contemplando reſpicit,ab inquieto foris opere quieſcit.

VIII.LVCTA Iacobi Tropologicè poteſt ſignificare Orationem,eiuſq; efficaciam. In Oratione deuota videmus cum Iacobo DEVM facie ad faciē,& ſalua fit anima noſtra. Rurſum,per Orationem,quaſi Iſraël, dominamur DEO,& conſequenter omnibus timoribus,affectibus,perturbationibus,& hoſtibus. Exinde femur,id eſt,ſenſualitas, & amor proprius, fiducia propriarum virium, ac concupiſcentia,quæ viget in femore,DEI virtute tacta decreſcit,luxatur, & langueſcit, tuncq; vno claudicamus pede:alius ſanus remanet: quia neceſſe eſt vt debilitato amore ſeculi, homo conualeſcat ad amorem DEI,vt monet S.Gregorius loco citato,& in Pſalm.vi.Pænit. Diſce igitur Miles Chriſti,à IACOBO luctatore, in quauis tentatione,tribulatione, & perſequutione per Orationem confugere ad DEVM. Si enim Oratione perſuadens, & præualeas DEO,præualebis tuis hoſtibus,DEVSq; tibi illos vel amicos reddet, vel ſubditos,vti fecit Iacobo.Hoc arcanum vincendi,& quiduis obtinendi conſilium,norunt, & vſurparunt,ac vſurpant etiam-num Viri Sancti,DEOq; coniuncti,qui in DEO faciunt virtutem. Omnia poſſum, inquit Paulus Apoſt.in eo,qui me confortat.DEVS enim omnium hominum, & Regum etiam ferociſſimorum corda in ſua habet manu,& ad nutum quocumque libet, ea inflectit ac immutat. Cornelius cap. Exodi xxxii.28.

COMMENTATIO III.

MOSES.

PVGNA CHRISTI CRVCIFIXI

Præludente in Typo Moſe pugnante contra Amalech.

Mors & Vita Duello conflixēre mirando.

MEMBRVM I.

MOSES PVGNATOR EGREGIVS.

Figura Chriſti Patientis.

POSTQVAM caueā exceſſit luctator IACOB,à longè incedentem videre videor heroico planè greſſu virū humanā forma anguſtiorē, & ad ſtuporē cornu-

ta fronte, ſed ex lucis repercuſſu, ideoque nil vulgare vibrantem, Ductore infiniti penè exercitus, certè, à nobis hac horâ innumerabilis. Coniectura mihi eſt, eſſe MOSEM, illum populi Ducē bellicoſiſſimum Iſraëlitici. Omninò is eſt: nam pro ſceptro Virgam geſtat mirandorum patratricem. Sed cur brachia habet extenſa, & ad cælum vultum ſuum eleuatum? Cruci ſuffixum profectò aliquem exprimit. State, quæſo vos, attenti, & oculos in Moſen conijcite. Moſes hominis Cruci affixi refert ſpeciem, & tamen nunquam, quod ſciam, crucifixus eſt Moſes. Eſt abditum quid in victorioſo illo Duce, quod non omnibus eſt eſt obuium, ſed vt educatur.

OBSERVO, Moſen multipliciter CHRISTVM PATIENTEM vel expreſiſſe, vel deſignaſſe, certè, illius fuiſſe Figuram imprimis eximiam. Cerne proijcientem VIRGAM, quæ verſa eſt in Colubrum; (a) & concipe CRVCEM deuoratricem humanæ omnis Sapientiæ. Siquidem CRVX, quæ infidelibus ſtultitia eſſe creditur, verſa eſt in ſerpentem, ideſt, in ſapientiam & in ſanctam ſapientiam, quæ omnem iſtius mundi ſapientiam deuoraret, quemadmodum deuorauit coluber ille dracones omnes Magorum, vt commentatur Auguſtinus. (b) VIRGA Moſaica in ſimilitudinem CRVCIS mare percuſſit, (c) & ſaluauit Iſraël, Pharaonem autem ſubmerſit, vt loquitur D. Damaſcenus. (d) Quādo ligno in aquas Marath immiſſo, dulces eas effecit. Moſes, (e) CHRISTVM repræſentauit, CRVCE amariſſimas tribulationum aquas dulcorantem. *Quamuis Marath aqua amara*, inquit B. Proſper, (f) *fatigauerit ſitientem populum, poſteà ligno in eam immiſſo dulcis effecta oſtendit, Chriſtianum, ſtatim, vt amarum* PASSIONIS *poculum biberit, ligni, nempe* CRVCIS *dulcedine, ab omni amaritudine liberandum.* Et Tertullianus: (g) *Hoc lignum* CRVCIS *tunc in ſacramento erat, quo Moſes aquam amaram indulcauit. Vnde populus qui ſiti peribat bibendo reuixit. Sicut nos, qui de ſeculi vanitatibus extracti, in quo commorabamur ſiti pereuntes, id eſt, verbo diuino propinati* LIGNO PASSIONIS CHRISTI *aquam Baptiſmatis potantes fide, quæ eſt in eum, reuiximus.*

IAM verò, cùm MOSES Virga Petram percuſſit, & proſilierunt aquæ, percuſſione bis facta, (h) non ne CHRISTVM concipis cum aliqua ad CRVCEM habitudine? Gemina percuſſio duo CRVCIS ligna ſignificat. Bis percuſſa eſt petra, quia duo ſunt ligna CRVCIS, vt monet Auguſtinus. (i) Modo etiam percuſſionis CRVCEM efformaſſe Moſen exiſtimat Seuerianus (k) Gabalorum Epiſcopus ſic ſcribens: *Percuſſit Moſes petram ſemel atque iterum. Cur ſemel atque iterum? Si* DEI *virtuti paret percuſſa petra, quid eſt opus percuſſione ſecūdâ? Si percutit ſine virtute* DEI, *nec ſecūda, nec decima, nec centeſima percuſſio reſiſterili fœcunditatem adferet. Verùm, vt* CRVCIS *imaginem deſignet hoc fecit. Percuſſit & ſemel & bis, non eodem modo, ſed ita, ut* CRVCIS *formam deſcri-*

(a) *Exodi 7.* (b) *Ser. 86. & 87. de temp.* (c) *Exodi XIV* (d) *lib. 4. c. 12.* (e) *Exod. XV* (f) *De præ. lib. 2. c. 38.* (g) *Lib. contra Iudæ.* (h) *Num. XX.* (i) *Tract. 26. & 28. in Ioan.* (k) *Ser. 4. in S. Crucem.*

deſcriberet. Quatenus natura etiam inanimata CRVCIS SIGNVM, notamque veneraretur. Adhæc, vt Moſes, quà Propheta, CRVCIFIXVM Dominum omnibus ſuis popularibus in Typo ſplendidiſſimè proponeret, & eorum pectoribus intimius imprimeret *Serpentem æneum* erexit in ſignum. Numerorum XXI. *Sicut exaltauit Moſes Serpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis*, dicit Chriſtus ipſe Ioannis tertio.

MEMBRVM II.

MOSES TYPVS CHRISTI CRVCIFIXI.

SED nunquam illuſtrius CHRISTVM CRVCIFIXVM Moſes ipſe exhibuit palam, quàm quando orãs pro populo, manibus in CRVCIFIXI formam extenſis, hoſtem Amalech deuicit. Exodi XVII. Hiſtoria eſt in Exodo. Cap. XVII. cuius hoc breuiarium. Egreſſis ex Ægypto Iſraëlitis, & poſt mille diuerticula, per ambages innumeras ad Promiſſionis regionem properantibus, primi, qui ſe hoſtes oppoſuerunt fuêre Amalechitæ. Quos non tam ſuperarunt Milites Hebræi bellicis inſtrumentis, quàm Moſes, extenſis, eleuatiſque, ac ſi in CRVCE ſuffixus eſſet, manibus. Vt in Moſe conſtituto in collis vertice, & pandente brachia, CHRISTVM in Caluariæ monte brachijs latiſſimè protenſis agnoſcamus. Audi pium eruditumque Ioſuanæ hiſtoriæ commentatorem. (*a*) „Mihi Moſes in monte iſto ſtans, pro „populo ſuo deprecans, brachia pan- „dens, manus extollens, mirificam illã „virgam tenens, IESVS meus, Dominus „& Saluator meus in Caluariæ monte „videtur, dum pro me, totoque terra- „rum orbe, CRVCI ſuffixus coram cæ- „leſti Patre ſtetit, brachia grauiſſimè „verberibus, patibuliq; ſui baiulatione „prælaſſata diſpandit: Sacratiſſimas illas „manus, quibus tam multis ſalutarem „opem, cæcis, ſurdis, energumenis, æ- „gris, mortuis attulerat, trabalibus iam „clauibus per foſſas ſurſum ſuſtulit, ip- „ſamque CRVCIS ſuæ VIRGAM arctiſſi- „mè complexus tenuit, cæleſtique Patri „obtulit.

EXTENSIO manuum, inquit B. Ephrem Syrus, (*b*) eſt CRVCIS figura. Et S. Hieronymus, (*c*) Ad ſignum Crucis ſuperatur inimicus. Theodoretus (*d*) quoque: *Dum extendebat manus Moſes, præ ſe ferebat typum eius, qui Crucifixus eſt pro nobis. Declarata igitur eſt ſub illa figura vis ipſius veritatis. Quemadmodum enim ſerno manus extendente cecidit Amalec; ita cùm Dominus manus extendit diſſoluta eſt acies Diaboli.*

Carmina olim concinebant Chriſtianorum pueri de tam nobili per brachiorum extenſionem victoria, ſunt autem iſta.

Sincera hunc Moſes expreſſit brachia tendens

Ddd 3 Vt

(a) *Nicol. Serarius Tom. 1. Ioſ. cap. 3. 4. 14.* (b) *Tomo 2. Paran. 2.* (c) *Epiſt. ad Fabiol.* (d) *In Exod. q. 34.*

uerſarios tuos extinguere. Quis benè " manus leuat, niſi qui eleemoſynam in " cælo iugiter theſaurizat? Quis ergo " benè manus leuat, niſi qui aſſiduo vi- " ctum ac veſtitum pauperibus ſubmi- " niſtrat? Quis benè manus leuat? Ille " vtique qui implet illud Apoſtoli: *Ele- " uantes puras manus, ſine ira & diſce- " ptatione.* Quia igitur quotidie nobis & vobis pugna imminet contra aduerſarias Poteſtates, ſi volumus vincere, manus noſtræ, id eſt actus noſtri, & conuerſatio noſtra non ſit in terris, ſed ſicut Apoſtolus dicit: *Super terram ambulantes, conuerſationem habeamus in cælo.* Scriptum eſt tamen: Quia *ſicut vitulus ablingit in campo herbam viridem, ita populus Iſraël ablinget populum Amalec ſuper terram.* Per quod indicari videtur, quia populus DEI, non tam manu & armis, quàm voce & linguâ pugnabat: id eſt, orationem ad DEVM fundebat. Ergo & tu, ſi vis vincere, audi Apoſtolum dicentem: *Orationi inſiſtentes, & vigilantes in ea.* Hæc eſt Militis Chriſtiani pugna glorioſiſſima: non in ſuis viribus præſumere, ſed ſemper DEI auxilium implorare, cui eſt honor & imperium, cum Patre & Spiritu-Sancto in ſecula ſeculorum.

IDEM Sanctus Doctor alio loco, haud diſpari ſpiritu, de eodem argumēto ita ad pietatē declamat *Fateor non deſunt hoſtes Sicut enim non deerant qui ſequerentur fugientes, ita non deerunt, qui impediant ambulantes. Prorſus, Cariſſimi figura noſtra fuēre Iſraëlitæ. Plane hoſtem itineri tuo aduerſantem Amalec habebis. Tunc orabat* MOSES, *tunc extendebat manus. Et vbi deponebat manus conualeſcebat Amalec: vbi extendebat manus deficiebat Amalec. Et tua manus extenta ſint. Deficiet Amalec tentator, & huius viæ impeditor.* Eſto vigil & ſobrius in orationibus, in operibus bonis: non tamen abſque Cruce & Crucifixo: quia Extenſio illa manuum Chriſti Crux fuit. In illâ extendebatur Apoſtolus cum dicebat: Mundus mihi Crucifixus eſt, & ego mundo. Ergo deficiat Amalec, vincatur, & non impediat tranſitum populi DEI. Si demittis manus à bono opere, à CRVCE CHRISTI, præualebit Amalec. Tamen noli omninò, aut continuò te fortem futurum putare, aut penitus deſperando deficere. Alternatio enim illa defectus, & fortitudinis in manibus ſerui DEI Moſis forte alternatio tua fuit. Aliquando enim in tentationibus deficis, ſed non ſuccumbis. Deponebat ille paululum manus, nō ruebat. Si dicebam: *motus eſt pes meus. Ecce miſericordia Domini adiuuabit me. Noli ergo timere; ad eſt in itinere Auxiliator. Noli timere, aggredere viam: præſume ſecurus. Aliquando ille deponebat manus: aliquando erigebat: tamen victus eſt Amalec. Rebellare potuit: ſuperare non potuit.*

AGNOVIT idem myſterium S. Cyrillus in Collectaneis cap 16. cuius accipe pro Militiâ Chriſtianâ vtile documentum. *Quæ eſt ex lege myſtagogia conſcendit ad altitudinem cognitionis, congruam habentem ſymmetriam, vnde poſſint Iudæi intueri ſtratagemata. Siquidem Moſe extendente manus, inualeſcebat Iſraël, remittente autem, inualeſcebat Amalec. Nam manus in aërem expanſa deſcribunt*

(a) *Hom.* XXVII. *cap.* I. *inter hom.* L.

bunt figuram CRVCIS. *Vincit autem quicumque fert* CRVCEM: *quomodo rurſum, quicumque non fert* CRVCEM, *ſed* CHRISTI *fidem amiſit, bello punitur*, ac ſuccumbit.

NON vacat autem myſterio, quod *Hur* & *Aaron* fuerint cum Moſe repræſentante brachiorum extenſione CHRISTVM PATIENTEM, laſſitudinem, imbecillitatemq; eius ſuſtentantes. Nam vt ingenioſè commentatur Rupertus Abbas: Lib. 3. de Trin. cap. 20. *Rectè per* MOSEM CHRISTVS *Dominus videtur poſſe accipi: cui ſemper adſtiterunt*, DEVS Pater, & DEVS Spiritus Sanctus. Nam ſecundum carnem infirmitates omnium noſtrum ſuſcepit, languores noſtros ipſe portauit: ſuſtentabant autem corporis illius imbecillitatem *Patris & Spiritus-Sancti manus. Quas nunquam ita ſubduxerunt, vt ruere ſinerent, ſed tantùm, vt dolores & cruciatus non auerterent.* Clamauit quidem Chriſtus Dominus, ſpiritum Patri commendans cum lacrymis: DEVS, DEVS *meus vt quid me reliquiſti me?* Sed blaſphemat horrendè Caluinus, dum Domino noſtro deſperationis vocem elapſam, & de animæ, quod horreo dicere, ſalute timuiſſe aſſerit: horribilis quoque exitij, & abyſſi infernalis metu, atque anxietate cruciatum, vno verbo, ſine ambagibus, *deſperaſſe*. O intolerandam in Auctorem fidei & beatitatis noſtræ blaſphemiam!

QVAMVIS autem ſcitè Abbas Rupertus, per Hur & Aaron, duas in Sacro-Sancta Triade Perſonas deſignet, accommodatè tamen ad Militiam Chriſtianam, Principum binio poteſt intelligi: nempe, Eccleſiaſticus & Politicus. Vt MOSES orans Typus ſit CHRISTI, pro nobis olim in CRVCE, & nunc in cælo orantis. Cuius brachia ſi ſuſtentauerint *Aaron* & *Hur*: nimirum Principes Chriſtiani Catholici, hinc Eccleſiaſtici, inde Politici, eximiâ ſuâ pietate, vitâ exemplari, & in CRVCIFIXVM Dominum fiduciâ, Ioſue. nempe Propugnator Religionis Orthodoxæ obtinebit Victoriam, ad quam anhelant omnes, qui ſperant in Domino. Vos interim Milites Chriſti, cui Sacramentum dixiſtis, quando ſacro latice perfuſi eſtis, diſcite, quando vobis erit, vel pugnandum cum quattuor Regibus, ditionem veſtram infeſtantibus, & iuſtum Loth (ſic hominem voco interiorem) in ſeruitutem abducentibus, nempe, cum quattuor vitijs, ſeu affectibus cardinalibus; vel luctandum cum Iacobo ſupplantatore, ſcilicet, cum hominū mundanorum perfidia; vel dimicandum cum Amalec, tenebrarum Principe, DEI fiduciâ roborati, extenſis operum bonorum brachijs, innixi CRVCIS viuificæ baculo, cum trecentis decem & octo vernaculis, T. I. H. in aciem procedere; id eſt, virtute CHRISTI CRVCIFIXI hoſtem inuadere, illique deinde glorioſam, quam ſpondeo fortiter dimicantibus, victoriam adſcribere; adiunctâ, fuſis, fugatis, internecione deletis hoſtibus, proteſtatiunculâ: Mihi abſit gloriari, niſi in CRVCE Domini N. IESV CHRISTI, in quo eſt ſalus, vita reſurrectio, & VICTORIA noſtra.

NOTÆ.

NOTÆ

ILLVSTRIS *eſt hæc pugna & victoria Hebræorũ contra primos ſuos hoſtes Amalecitas, è quâ multa ducuntur ad Militiam Chriſtianam ſpiritualem, myſticam, documenta.*

I. AMALEC *Hebraicè idem eſt quod populus lingens. Hic primò occurrit Iſraëli, quia ijs, qui ex AEgypto, id eſt, Mundo & Carne ad* DEVM *egrediuntur, primi hoſtes occurrunt carnis illecebræ & blandimenta: ab ijs enim primæ oriuntur tentationes, cum quibus cominus cum IOSVE, id eſt, cum IESV CHRISTO, eius & Sanctorum abſtinentiam, & continentiam intuendo, atque cum eo reipſa carnem macerando, corporis caſtigatione, & mortificatione pugnandum eſt: eminus verò, Oratione certandum eſt: quam ſuſtineat Montanus Aaron (Aaron Hebraicè Montanum ſignificat) id eſt, CHRISTVS, & heros Hur, id eſt robur S. Spiritus. Ita ferè* Rupert. *in Exod. &* S.Gregor. *lib. vi. in lib. Reg. cap. 2. ex quibus* Cornelius.

II. ELEVATIO manuum Moſis & remiſſio.] *Hoc Symbolo ſignificabat DEVS, Hebræis victoriam non imbelli ſuorum turbæ, ſed DEO in cælis habitanti tribuendam eſſe: ideò enim in cælum manus porrigebat Moſes, vt DEVM victoriæ datorem inuocaret.*

S. Chryſoſtomus homil. de Moſe. Moſes in monte proximus iam cælo, iã vicinus ſideribus. Et quanto eum ſublimitas montis ſuſtulerat, tanto Oratio DEO proximũ exhibebat. Oratio in vltionem inimici dirigitur cuius ſcelera iã interitum prouocabãt. Quis Iuſtorum non orando pugnauit? Quis hoſtem non orando deuicit? Orationibus Danieli viſa panduntur, ſopiuntur flammæ, feræ hebeſcunt, cadunt hoſtes, inimici ſuperantur. Licet colloqui cum DEO operando, licet cum eo fabulari, quando velis, licet precibus mercari quod optas. Et quamuis vocẽ eius audire non poſsis, tamen, cùm id, quod petis, accipis, colloqui tecum, etſi non verbis, tamen beneficijs dignatur.

III. *Eodem ſymbolo DEVS ſignificare voluit vim Orationis. Nam* Oratio oranti eſt præſidium, DEO ſacrificium, Dæmoni flagellum, *inquit S. Auguſtinus. Eleuatio manuum contentionem orationis, remiſſio manuum, remiſſionem orationis adumbrabat. Cur orantes leuent manus ſeptem cauſſas adſignat Cornelius 1. Timoth. 2. 8.*

IV. MOSES *videtur leuaſſe & extendiſſe manus iunctas, ita vt vola vna alteram, quæ Virgam tenebat cõplecteretur. Nec enim Virgam, vt pote, paſtoritiam & grandem vnica manu tam diu in altum eleuatam tenere potuiſſet.*

V. VIRGA Moſis *ſignificabat CRVCEM CHRISTI: vnde docent Patres, Moſen eo habitu Chriſti Crucifixi fuiſſe Typum. Ita* Tertul. *lib. 3. contra Marcion. cap.* 18. Cyrill. *in Collectan. cap.* 16. Cyprian. *lib. 2. Teſt.* 21. Iuſtin. *contra Tryphon. poſt med.* Proſper. 1. *p. Prædict. cap. vlt.* Auguſt. *lib. 10. cap. 8. lib. 12. contra Fauſt. cap* 30. *Orat. de hæres. cap. 2 Serm. 39. de temp.* Nazianz. *Orat.* 1. 3. 6. Sibylla *in Acroſtichide, cuius meminit lib. 2. de Diuinat.* Cic. Conſtantin. *Orat. ad S.tos cap.* 18. Auguſtin. *lib.* 18. *de Ciuit. cap.* 23.

VI. MOSIS *exemplũ ſequutus eſt* S. Gregorius Thaumaturgus *Epiſcopus Neocæſareenſis. Sæuiente enim perſequutione ipſe pro ſuis ciuibus & martyribus cum tyranno depugnãtibus oraturus in montem cum Diacono aſcendit, ibiq; extenſis manibus orarunt. Inſequuti ſunt eos perſequutores, ſed eos videntes non agnouerunt: putarunt enim ſe non duos homines, ſed duas arbores videre.* Gregorius Nyſſenus *in vita, hæc ſubiungens.* Sicut *Moſes* cùm procul abeſſet ab acie Amalecitarum, per orationem popularibus vires contra hoſtes iniecit: ita Gregorius, quaſi animi ocu-

oculis intueretur ea quæ fiebant, diuinum auxilium pro ijs, qui nomine fidei decertabant, inuocabat.

VII. *Victoriæ laudem omnem DEO adſcripſit Moſes, ædificans altare, & vocans nomen eius, DOMINVS EXALTATIO MEA.* Exodi XVII.15. *Quod verti poteſt:* Dominus eſt vexillum meum id eſt, *Dominus fuit mihi loco Vexilli, ipſe ſigna victricia in hoſtem intulit. Vnde* Ioſephus *ſcribit, Moſen Aram hanc DEO VICTORI poſuiſſe, quemadmodum Romani ponebat IOVI VICTORI. Adde, verti poſſe: Dominus eſt* Signum *vel* Miraculum *meum: quoniam, hanc miraculoſam victoriam, totq; alia miracula mihi contulit.*

VIII. *Agnoſcat Bellator Chriſtianus, victoriam ſuam & ſuorum à DEO pendere eſſeq; ſingulare DEI donum; idemq; profiteatur, exemplo tot magnorum in bellis victorioſorum Principum.*

1. IVTITH *fortiſſima heroina & triumphatrix, conopæum Holophernis, quaſi anathema DEO VICTORI conſecrauit.* Iudith XVI.23.

2. IAHAZIEL *Propheta cùm inſignem victoriam Ioſaphat Regi contra Moabitas eſſet pollicitus, ſubiecit:* Non eritis Vos, qui dimicabitis, ſed tantummodò confidenter ſtate, & videbitis auxiliũ Domini ſuper vos. Nolite timere. Cras egredimini cõtra eos, & Dominus erit vobiſcum. 2. *Paral.* XX.17.

3. IVDAS *Machabæus, cùm ſui timerent, vtpote pauci, animans eos, aiebat*: Facile eſt includi multos in manu paucorum, & non eſt differentia in conſpectu DEI cæli liberare in multis & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt. *I. Machabæor. tertio.* 17.

TRAIANVS *Dux belli miſſus à Valente Imper. contra Barbaros, cùm ſuccubuiſſet, ideoq; à Valente ignauia argueretur generoſè reſpondit:* Non ego ô Imperator, victus ſum, ſed Tu ipſe prodidiſti victoriam, qui contra DEVM aciem inſtruere non deſinis, & ita eius auxilium barbaris concilias. Nam abs Te oppugnatus ſe eis adiungit. Atqui DEVM ſequitur victoria, & ad eos accedit, quibus DEVS ſe Ducem præbet. Non noſti, quos Viros Eccleſijs expuleris, & quibus eas tradideris? *Theodor. lib.* IV. *hiſt. cap.* 29.

5. THEODOSIVS *Imp. cùm ei victoria de Ioanne Tyranno in ludis Circenſibus renunciaretur, ad populum vociferans*: Agite, *inquiebat*, ludicro hoc omiſſo, in ædem hanc precatoriam eamus, & carmina gratiarum Auctori Victoriæ DEO concinamus. *Dixit, & fecit.* Niceph. *lib.* XIV. c. 17.

6. CLOTARIVS *Rex Francorum cum Chramno filio rebelli dimicaturus, ita orabat:* Reſpice, Domine, de cælo, & iudica cauſſam meam; quia à filio iniuſtè iniurias patior. Reſpice & iudica iuſtè, illudque impone iudiciũ, quod quondam, inter Abſalonẽ, & patrẽ eius Dauidem poſuiſti. *Poſt quas preces, prælio inito, Chramnus à Clotario captus & occiſus eſt.* Gregor. Turon. *l* 4. *cap.* 16. & 17.

7. ALFONSVS *Aragonum Rex Ferdinandum filium contra Floreninos in bellum euntẽ ſic inſtruebat.* Noli, ô fili, tantum tuæ, aut cõmilitonum audaciæ tribuere, vt putes abſq; DEI auxilio victoriam vllam haberi poſſe. victoria enim non hominum diſciplinis, aut induſtria paratur; ſed DEI Opt. Max. benignitate & arbitrio DEVM igitur cole & tibi conſilia. Quod ſi quando eum tibi iratum ſuſpicaberis, caue contendas, & quicquid ab eo tibi accidiſſe videbitur, boni conſule, & patientiâ eum placa. *Panormit. in Vita.*

COM

COMMENTATIO IV.

MONOMACHIA CHRISTI PATIENTIS

Figurata in Ioſue, Aod, Samgar, Gedeon Samſon, Iahel, Iob.

Mors & vita Duello conflixere mirando.

MEMBRVM I.

Indoles Militaris multorum hoc æuo Adoleſcentum.

PERHIBENT eſſe non paucos litterarum quoq; ſtudijs addictos Adoleſcentes, ac Iuuenes, neq; peſſimos, neque indoctiſſimos, vanos tamen vagoſque & è mundanâ tribu, qui ſiue innato, ſiue adſcito Genij Militaris affectu, ad bellorum meditationes pleno impetu rapiuntur. Inter hos nominant aliqui iure an iniuria non diſputo, Eccleſiaſticis inſignitos titulis nonnullos, onuſtos beneficijs ſacris, & ſacerdotijs, de pauperis Chriſti patrimonio opulentos. Horum quidam, ex ſuperioribus tamen plures, quandocumque datur opportunitas, diſſimulatâ ſæpe perſonâ, quamuis perſonata fronte, ne agnoſcantur, ænea fiſtulâ quam vulgus bombardam indigetat, vel ſclopo armati egrediuntur, experimentum facturi, inpetendis, figendiſque è longinquo alitibus, quomodo ab hoſte dum vſus erit, in illum collimando, aberrabunt minimo. Alij acinace Sarmatico, & gladiolo Alemanico vtraque manu terribiles cum ſocio, pugillandi ſtudio congrediuntur, incruente primùm, & innoxiè, mox non ſine ſanguine: tandem, mutilatione datâ vel acceptâ noſcibiles. Quod nollent: ſed ſerò ſapiunt Phryges, hoc etiam tempore. Sunt qui fuſtibus batuere, aut ſic pugantes aſpicere habent in delicijs. Quibuſdam eſt volupe alio quolibet inſtrumentorum genere ſodales vel congredientes ſpectare, vel aggredientes excipere. Hos ego omnes, & ſi qui ſunt eius indolis alij, inuito ad ampliſſimum illum campum, in quo CHRISTVM, dum patitur, fortiſſimum agere Militem, & duello, cum deſtinato ſibi aduerſario congredi ſæpius probauimus.

MEMBRVM II.

IOSVE FILIVS NVN

Fortiſſimus Hebræorum Dux, Figura Inuictiſsimi Ducis Chriſtianorum.

IESV FILII DEI.

VLTIMVS, qui in Amphithatro Paſſionis Dominicæ ſpectaculum exhibuit, fuit MOSES, egregius Bellator, Chriſti in Paſſionis campo duellantis Typus. Huic ſucceſſit IOSVE *Filius Nun*, generoſiſſimus Miles, quod in quam plurimis demonſtrauit bellis. Sed nullum planè geſſit, in quo IESVM, Filium DEI, vt nomine, ita certamine, ac virtute bellandi non repræſentarit.

I. *Iſacidûm Ductor* IOSVE *prænuncia veri*
Signa tulit IESV, *arcanis vmbrata figuris.*
Ille quidem ſacra bella DEI, *cælo auſpice, bellans,*
Deiecit fremituq́, virûm ſonituq́, tubarum
Muratam Iericho. Hic valido clamore DVELLVM
In CRVCE *conſummans, lituisq́, & voce ſonorâ*
Biſſenes armans Proceres, Acheronta ſubegit.

II. *Coccineus pendens Funis bipatente feneſtra*
Remq́, genusq́, Raab vltore exemit ab enſe:
Purpureus Chriſti patulo de Vulnere Sanguis
Ægram hominum gentem Satanæ tutatur ab irâ.

III. *Bis centum argenti ſiclos quia ſurripit Achan,*
Saxorum imbre cadit, rabidoq́, peruritur igne:
Sic æs auertit Iudas ſic prodit IESVM
Argenti pretio, fumantis præda gehennæ.

IV. *Subſtitit in Gabaon Titan, curſumq́, retraxit.*
Imperio IOSVE, *Iſacidasq́, Ducemq́, ſerenas*
Hæſit, & obriguit cæli medio attonitus Sol
Cùm IESVS *Pugnam in Solymis pugnaret acerbam.*

V. *Ille ſuis peperit placidam poſt horrida pacem*
Prælia, compoſitis reparans prima ocia rebus:
Hic cælos terræ, atque iratum Numen amicans
Sontibus optatâ Mundum in ſtatione locauit.

VI. *Ille Palæſtinam Hebrais diſpeſcuit oram:*
Deſtinat Empyreum IESVS victoribus orbem.
Tanto illo maior, tantoq́, auguſtior ille
IESVS, quanto homini fas anteſtare Tonantem.

At

AT omiſit ingenioſus Poeta, quod illuſtriorem comparationem facere poterat: IOSVE tuliſſe Botrum in vecte ex quo Terræ Promiſſæ æſtimanda erat fertilitas, quo verum IESVM nobis expreſſit. Cùm enim Moſes exploratum miſiſſet *Terram Promiſsionis*, præter alios, Ioſue & Caleb, *pergentes vſque ad Torrentem Botri*, *abſciderunt Palmitem cum vna ſua, quem portauerunt in vecte duo viri*, Numerorum XIII. Hos duos fuiſſe *Ioſue & Caleb* fortes baiulos, ſcribit S. Ambroſius: (*a*) nam & hiduo ſoli terram Chanaan Hebræis commendarunt. (*b*) Vt autem commentatur Rupertus Abbas: (*c*) CHRISTVS *Dominus fuit* Vua *plena ſucci ſacri ſui ſanguinis in Baculo* CRVCIS *geſtatus coronatusq; à Iudæis: qui à Ioſue & Caleb, tanquam figura deportatus fuit.* Et verò, Iſaiæ XI. verſu I. in quo continetur vaticinium de Chriſti natiuitate, Chriſtus à Rabbinis vocatur Botrus, vt eo loco obſeruat Nicolaus Lyranus. Et ſanè, quemadmodum Sponſa Chriſto ſuo dicit: *Botrus Cypri Dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Canticorum primo, idque propter dulcedinem & gloriam Reſurrectionis; ita Vua pendens in Vecte, rectè dicitur per allegoriam, Chriſtus pendens in Cruce; quæ quidem nata eſt ex Terra promiſſa, nempe, Virgine MARIA, quam promiſit Iſaias cap. VII. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.*

DVO *Baculi, ſunt duo Teſtamenta. Præeunt Iudæi ſequuntur Chriſtiani. Salutem hic* (Chriſtianus) *ante conſpectum ſuum gerit ille* (Iudæus) *poſt dorſum. Hic obſequium præfert, ille contemptum. Laboremus ergo ne à ceruicibus noſtris tam ſanctam ſarcinam* (CHRISTVM CRVCIFIXVM) *deponamus.* ita ferè diſſerunt Patres, Ambroſius, (*d*) Hieronymus, (*e*) Proſper, (*f*) Bernardus. (*g*) His addatur S. Auguſtinus, (*h*) qui agens de Apoſtolis in die Pentecoſtes, Iudæorum opinatione, ebrijs à vino, *Vtres*, inquit, *noui erant: vinum de cælo nouum exceperant: iam enim magnus ille Botrus calcatus erat & glorificatus.* Idem in Pſalmum VIII. explicans Titulum, *Pro torcularibus: Dictus eſt*, ait, *Dominus* Botrus Vuæ, *quem ligno ſuſpenſum de Terra promiſsionis qui præmiſſi erant à populo tanquam Cruci affixum obtulerunt.* Denique B. Gregorius Nyſſenus, in vita Moſis, *Racemus*, inquit, *ex ligno dependens, quiſnam alius erit, quàm is, qui in nouiſsimis ſeculis in ligno pependit? cuius ſanguis potus eſt factus credentibus ſalutaris? Moſe id ænigmaticè prædicente*, ſanguinem Vuæ bibebant. Sicque ſalutaris Paſſio Chriſti prænunciabatur.

(a) *Ser. 72. de S. Cypriano* (b) *Num.* XIII. 31. XIV. 6. (c) *Num.* XXXVII. (d) *Serm.* 72. (e) *ad Fabiol. manſ.* 15. (f) *par. 2. prædict. cap.* 9. (g) *Serm.* 44. *in Cant.* (h) *Serm.* 2. *fer.* 2. *Pent. Serm.* 100. *de temp.*

Membrum III.
AOD AMBIDEXTER.
Chriſti vtraque manu dextrè pugnantis Typus.

Iosve ſe ſubducente à conſpectu circumſtantium, caueam ingrediuntur illi gentis Hebrææ Duces, qui Iudices ſunt dicti, erantque Magnates ac Principes, qui Populum Iſraëliticum à ſeruitute, & malis, quibus premebatur Reſpublica, vindicabant, eandemique ex legum præſcripto, & ſenatorum conſilio regebant. Vocati ſunt ijdem Salvatores, vt veri Salvatoris Iesv Christi animatæ quædam imagines. Ex his aliqui in bellis, aut duellis Christvm tam clarè expreſſeruut, vt non ab aliud, quàm vt in Paſſione ſuâ bellantem Dominum repræſentarent, bella geſſiſſe videantur. Et primus videndum ſe præbet.

Aod ἀμφιδέξιος, de quo Iudicum tertio cap. *Suſcitauit Dominus Saluatorem vocabulo* Aod, *qui vtraque manu pro dextera vtebatur.* Hic fecit ſibi gladium ancipitem, profectuſque ad Eglon tyrannum, oppreſſorem populi Iſraëlitici, dixit: *Verbum ſecretum habeo ad Te, ô Rex*, Quo audito Rex iuſſit exire omnes: tum iterum Aod: *Verbum* Dei *habeo ad Te.* Ad quod ſurrexit de throno Eglon, extenditque Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextero femore, infixitque eam in ventrem pinguiſſimi Eglonis. Quo cæſo, Aod clauſis fortiter oſtijs, per poſticū egreſſus inſonuit buccinâ in monte Ephraim, congregatoque exercitu, clamauit: ſequimini me: percuſſitque Moabitas, & iugum ſeruitutis abſtulit ab Iſraële. Quæ omnia bellè quadrant in Christvm Salvatorem Mvndi, & Iudicem generis humani Tyrannum truculentiſſimum, nouo in Paſſione ſuâ ſtratagemate inuadentem.

Aod, ſi nomen ſpectes, idem eſt, quod *Confitens, laudans,* aut *laus:* [a] vel, vt recentiores quidam interpretantur, *Glorioſus*, aut in abſtracto, *Gloria.* Quid Chriſtus? totus Devm Patrem confitens, laudans, glorificans: totus DEI confeſſio, laudatio, glorificatio. Eglon, ſiue vocabulum, ſiue perſonam attendas, imago fuit Diaboli, Mundi, Carnis, impiorumque omnium. Nomen vel *Vitulum*, vel *Vitulinum* ſonat: quamuis à rotæ orbita deduci poſſit, vt exiſtimat Origenes. Per *Vitulum* autem rectè ſignificatur laſciuus homo & petulans, inſtar vituli. Lxx. ta Interpretes vertunt ἀςεῖος, id eſt *feſtiuus*: nimirum, ſolent pingues eſſe feſtiui, hilares, petulci, Ioui ales; nec minus rectè deſignatur omnis laſciuiæ petulantiæque magiſter Dæmon, qui ſuos in rotam agit: quamuis enim omnes impij, laſciui tamen potiſſimùm gyrantur, & in circuitu ambulant: ſunt ijdem inconſtantes, & rotæ inſtar, mutabiles.

(a) *Origen. hom. 4. in Iud.*

Omnia

Omnia vertuntur, certè vertuntur amores

Vinceris, aut vincis, hæc in amore ROTA eſt.

canebat ille.

Iiſdem conuenit craſſities. Erat Eglon *craſſus nimis* habet textus: Græca quædam interpretatiõ *Σατικὸς*, *Obeſus.* Pinguedine autem corporis, qua obſitus erat craſſus Eglon ſignificarur interior ad omnem mollitiem nequitiamque promptitudo & pronitas. Conſtat enim pinguedinem & aruinam, niſi fortè ſit naturalis ac ingenita, qualis adſcribitur Thomæ Aquinati, & pauculis alijs ſummæ doctrinæ viris, ad laſciuiam, carniſque petulantiam facit plurimum: nempe, cùm illam gignat lautior copioſiorque cibatus, potus, torpor, ſomnus, deſidia, curarum, ſtudiorumque, & honeſtarum occupationum vacuitas. Quò ſpectat paræmia de craſsâ pinguique Minerua. Et quod inculcat ſuo Nepotiano S. Hieronymus: *Pulchrè dicitur apud Græcos, & neſcio, an apud nos æquè reſonet: Pinguis venter non gignit mentem tenuem.* Adhæc, minæ Propheticæ: Amos IV. *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis dominis veſtris, Afferte, & bibemus.* Denique, cauſſam idololatriæ iſthinc accerſit ſapientiſſimus legiſlator Moſes, Deuter. XXXII. 15 *Incraſſatus eſt Dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit* DEVM *factorem ſuum, & receſſit à* DEO *ſalutari ſuo.* Mundus ergo, Voluptas, dæmõ, hoſtes Chriſti, ab eoq; debellandi, optimè, vt Vitulus laſciuiens, & pinguiſſimus Eglon concipitur.

AD hunc interimendum verus AOD vtraq; manu vtens pro dexterâ (fuit enim Chriſtus humana diuinaque natura, rurſumque vita ſanctiſſima, ac morte innocentiſſima *Ambidexter*) fecit ſibi *Gladium ancipitem*, ſeu duorum mucronum & acierum. Qualis gladius eſt CRVX: enſis ad proſpera æquè & aduerſa accommodatus. Niſi Gladium hunc dicere lubet, eius VERBVM *pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum.* Hebræo. IV. Certè vtroque Eglonem deuicit, & interemit, & omnes eius euadens cuſtodias, feliciter in montibus Ephraim, vbi ſuperbia, luxuria, vanitas, omniſque vigebat impietas Euangelij Tubam inflauit, ad ſe quàm plurimos adduxit, exemplo præiuit, voceq; acclamauit canora, quæ longè lateque exaudiri poſſet, SEQVIMINI ME. [a] Hinc Moabitarum infernalium ſtrages, vadornm Iordanis, quæ ſunt fluxæ Mundi huius opes, dignitates, voluptatumque illecebræ occupatio: demum, perfecta verorum Iſraelitarum liberatio, ac ſaluatio.

ANTEQVAM Aod facem ponè prementi veſtigia tradat audiatur Chorus Ethicus, qui graui & per ſpondæos lentiſſimi tractus concentu harmonico monet, vt ad Chriſti imitationem eſſe velimus; nam poſſumus diuinis adiuti præſidijs, ſi velimus; Aodes. Qui & DEVM ipſi confiteamur ac laudemus, vtque alij confiteantur & laudent enixè ſtudeamus. Vt clam & palam, verbis & factis, omni quo poſſumus modo & arte pinguiſſi-

(a) *Matt.* IX. 9. *Marci* 2. 14. *Lucæ* v. 27. *Ioan.* I. 43.

guiſſimo Egloni, Mundo, Carni, Cacodæmoni exitium machinemur: nobis verò ipſis, ac veris Iſraëlitis omnibus ſalutem. Vt enitamur eſſe Ambidexteri: doctrinæ coniungamus pietatem: contemplationi actionem: litterarum ſtudio deuotionem: in proſperis non eleuemur, in aduerſis non concidamus: perfecti ſimus ad omne opus bonum inſtructi, vt monet Paulus 2. ad Timoth. 3. Non ſimus autem Ἀμφαρίστεροι, Ambilæui, quales ſunt, qui & in animo finem malum, & in opere habent actionem malam: qui neque in DEVM neque in proximum caritate feruntur: nec ſibi boni, nec alijs fructuoſi: oneroſi omnibus. Denique monet, vt fabricemus nobis Gladium ancipitem: CRVCEM CHRISTI meditatione aſsiduâ noſtram faciamus, atque ea vtamur, vt Enſe, qui ſemper & in lætis, & triſtibus; in laudibus & vituperationibus, in abundantiâ & egeſtate ſit acutus & vibretur; atque eo obeſum craſsiſsimumque Eglon, Mundum, Carnem, Dæmonem, animas tam diu vaſtantem, & populum DEO gratum tyrannide prementem inuadamus, vt CRVCIS, ac in eo Affixi virtute trucidato; libertatem tranquillitatemque nobis reſtituamus. Vtinam perſuadeatur omnibus, quod à vobis tantoperè expetimus!

MEMBRVM IV.

SAMGAR FILIVS ANATH

Percutiens de Philiſthiim ſexcentos viros Vomere,

IMAGO

CHRISTI FILII DEI

Percutientis de Tartareis cohortibus innumeros Cruce Vna.

ECaueâ ſe proripit Aod, in eandem ſuccidit SAMGAR, tertius in Hebræorum Republica Iudex, vir agriculturæ aſſuetus, agricola natus, è rure ad Imperium euectus, ſtrenuiſsimus deinde Bellator, Vomere terribilis quo ſexcentos aduerſarios trucidauit, pulcherrima imago Chriſti in Paſsione bellantis. Vocabulum perpende. SAMGAR idem eſt, quod *Aduena*, vel *Bellator nominis*, Hebraica phraſi id eſt, nominatus Aduena aut Bellator. Vtrumque CHRISTO conuenit, qui in omni vitâ, ſed Paſsione ſuâ potiſsimùm, fuit habitus, vt Aduena & Peregrinus, nominatiſsimus tamen Bellator, manus conſerere ac pugnare artificioſiſsimè gnarus. Filius *Anath.* quod ſignificat, miſeriæ & calamitatis; vel, humilitatis & demiſsionis. Vt CHRISTVS toto vitæ tempore dictus fuerat *Filius hominis*, ita in Paſsione appellari poterat *Filius Anath* calamitatis & miſeriæ, deſtinatus ad miſeriam, obnoxius ærumnis, condemnatus ad miſerias. *Nouiſſimus Virorum*, Iſa. LV. filius mortis. Hic Agricola

natus

natus propriâ confeſsione, *Pater meus agricola eſt*, Ioan. xv. & ab animorum agricultura, quã toto vitæ tempore exercuit ſtrenuè arrepto Vomere [nec enim vllum inſtrumentum ruſticum commodius CRVCEM exprimit nam figura ipſa in Crucis modum aliquatenus conformatur] ſexcentos, id eſt, aduerſariorum multitudinem innumerabilem: nam finitus ille numerus pro infinito ſumitur, percuſsit, & defendit Iſraël. Vomerem quendam laureatum & Aratorem triumphalem alicubi celebrat Plinius.[a] Profectò, hactenus neque Vomer vllus magis laureatus quàm CRVX CHRISTI, neque Arator magis Triumphalis, quàm CRVCIFIXVS Dominus, qui eo Vomere terram mentium noſtrarum inſcidit, excoluit, & hoſtem profligauit, eſt inuentus, neque vnquam inuenietur.

PROPERAT SAMGAR iamque ſe noſtris eripuiſſet obtutibus, niſi Chorus ſuauiter ad moralitatem compoſitus, ſtitiſſet paullulum. Excipiatur Chorus, cuius hæc eſt Parenæſis. In agrum veſtrũ, qui vobis ad excolendum à ſummo Agricola eſt adſignatus: nimirum, in Intellectum, Memoriam, Voluntatem, vno verbo, Mentem, excurrunt ſæpe Philiſtæi, id eſt, animæ hoſtes deterrimi, ſub Ductore Cacodæmone, occaſionum prauarum, vitiorumque agmina, & mox prædatrices manus iniciunt: conantur vos in infidelitatis, commeſſationum, ebrietatum, libidinum ſeruitutem abripere Si victores eſſe velitis, & latrunculos delere, Vomerem arripite, ſed Vomerem laureatum Nimirum, CRVCEM D.N. IESV CHRISTI: illam tractate recordatione, meditatione, ſignatione frontis, oris, pectoris. Nam ſincerè, nullum ego reperio inſtrumentum accommodatius in Armamentario DEI, ad ſexcentos Philiſthæos, id eſt, animæ hoſtes omnes momento profligandos, & delendos, quàm CRVCEM D.N.I. CHRISTI, in quo eſt *Vita, Salus*, *Reſurrectio*, & *Victoria* noſtra.

(a) *Plin. lib. xviii. cap. 3.*

MEMBRVM V.

GEDEON.

Madianitarum Debellator, Debellatoris Cacodæmonum CHRISTI IN PASSIONE ICON.

EXCESSIT Samgar. Sed ecce trecentis ſtipatus viris irrumpit alius, inſolenti ad bellum paratura. Profectò, niſi ex galea Milites augurarer, dicerem hiſtriones ludicrum dare velle ſpectaculum in theatro. Habent ſinguli Tubam, Lagenam fictilem, in eâque deliteſcentem Lampadem ardentem; & lagenam quidem duram ac conſtantem, qualis eſt cerea, oleagina, picea. Cõploſis confractiſque lagenis, en ardent in altum elatæ tedæ omninò trecentæ. inſonant Milites, it clamor cælo: turbantur hoſtes, irruunt tubicines tediferi: fugiunt quà data porta aduerſarij: ſequuntur buccinatores, premunt, mactant, ad vnũ om-

omnes contrucidant. Hoc apparatu & bellandi genere nobiliſſimam de Madianitis victoriam reportauit fortiſſimus Imperator GEDEON.

IN quâ virtutem CRVCIS CHRISTI in Caluario pugnantis conſiderant Patres. Et quidem in Numero S. Auguſtinus, qui, *Trecenti in Græca littera* T. inquit, *ſimilitudinem* CRVCIS *oſtendunt*. Item, *Trecenti ſecundum Græcum computum*, CRVCEM faciunt. B. Iſidorus in caput quintum Iudicum ſcribens, monet notandum, quod iſte trecentorum militum numerus contineatur in Littera T. quæ CRVCIS ſpeciem tenet. Non malè etiam contemplaberis, ſi lagunculam fictam in manu Gedeonis concipias, tanquam humanam Chriſti carnem, quæ poſtquam in CRVCE dimicanti contra Madianitas infernales eſt confracta: ſaccus videlicet corporis in CRVCIS ligno conſciſſus, lampas apparuit Diuinitatis, & Amor, totus ignis, quo Mundus incenſus, infernus debellatus, hoſtes ad vnũ omnes deleti, clamauit voce vniuerſorum Centurio: *Verè filius* DEI *erat iſte*, Pollẽs, Potẽs, Inuictus. TRIVMPHATOR.

SED, dum hoſtem, Tubâ ſonans, inſequitur GEDEON, nobis ſuum aſpectum ſubtrahit; at relinquit ſui deſiderium, quod ſoletur Chorus militibus immiſtus, qui hæc videtur ſuauiſſimè occinere aures arrigire. *Fortis eſt vt Mors Dilectio: dura ſicut infernus æmulatio. Lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem: neque flumina obruent illam*, Canticorum VIII. Sequimini commilitones, non Typicum & vmbratilem, ſed verum Gedeonem. GEDEON idem eſt quod *Conterens*, conteret CHRISTVS Satanan ſub pedibus ſuis, &c. ſi illum ſequaris tuis. Chriſtus *Abſciſſio* eſt iniquitatis, quod *Gedeon* Syris, & Hebræis ſignificat. Ab impugnatis Idolis Gedeoni nomen *Ierobaal* eſt inditum. Chriſtus Dæmones in Idolis latitantes non impugnauit modò, ſed expugnauit. *Gedeon*, vt quidam haud malè interpretantur, idem ſonat, quod *Succiſor iniquitatis*, & *Idoli*, itẽ, *Succiſor doloris*: hic enim comitatur iniquitatem, ſicut lictor reum. Chriſtus ſuccidit ex ſuorum cordibus omnes iniquitates, noxiaſque cupiditates, quæ ſunt idola & aræ Baal, quibus ſucciſis mox Madianitæ: nẽpe Cacodæmones facilè ſuperantur & abigũtur.

GEDEON, inquit S. Gregorius, lib. 30. Moral. cap. 17. *interpretatur*, circumiens in vtero. *Dominus enim noſter per Maieſtatis potentiam omnia complectitur; & tamen per diſpenſationis gratiam intra vterum Virginis humilitatem ſumens venit. Quis eſt ergo* Circumiens in vtero, *niſi Omnipotens* DEVS *ſuâ diſpenſatione nos redimens, Diuinitate cuncta complectens, & Humanitatem intra vterum ſumens? in quo vtero & incarnatus eſt, & clauſus non eſt; quia & intra vterum fuit per infirmitatis ſubſtantiam, & extra mundum per potentiam Maieſtatis.* Madian verò *interpretatur*, De iudicio. *Vt enim hoſtes eius repellendi deſtruendiq; eſſent, non de vitio repellentis, ſed de iudicio iuſtè iudicantis.* GEDEON præceſſit ſuos, exclamans: *Quod me facere videritis; hoc facite: me Tubâ clangente, clangitote & vos*: me clamante, clamatote & vos: me lagenam meam frangente frangitote & vos veſtras: me læua manu lampadem

padem tenente, tenete & vos: me manu dextera tubam tenente, eamque inflante, tenete ſimiliter & inflatote vos: denique, me meo in loco ſtante, ſtare vos in veſtro. Quid IESVS noſter? *Caput facere & docere?* (a) *Diſcite à me, quia mitisſum & humilis corde.* (b) *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* (c) *Exultauit vt gigas ad currendam viam:* (d) Clamauit, Tuba cecinit: ex lagenâ teſtacea corporis ſui confracta lucem Diuinitatis ſparſit, hoſtes terruit, fugauit, interfecit, libertatem populo reſtituit.

IMITATI ſunt eius Milites, Diſcipuli, Martyres. Confeſſores, (e) qui vel miraculorum, vel bonorum operum faces præ ſe tulerunt, & prædicationis Tubam ſpiritu caritatis inflarunt, & lagenas terreas corporis ſui diſciplinâ mortificationis, Cruce, cataſta, patibulo, gladio confregerunt, aut, vt confringerentur à Tyrannis, paſſi ſunt, ſicque ſpirituales Madianitas, Carnem, Mundum, Diabolum, Gentiliſmum, Hæreſim, Impietatem profligarunt, proſtrauerun tque. LAGENÆ, inquit Rupertus Abbas, (f) ſunt fragilia & quaſi teſtea Martyrum corpora, quibus per mortem fractis, cæperunt coruſcare miracula, per quæ in fugam acti ſunt perſequutores, & conuerſi ad Chriſtum infideles

Præclarè S. Gregorius. (g) *Inuſitatus fuit ordo prælIandi: cecinerunt tubis, & ſiniſtris lagenæ tenebantur: intra lagenas autem erant lampades: confractis verò lagenis, lampades oſtenſæ ſunt, quarum coruſcante luce hoſtes territi in fugam vertuntur.* Deſignatur itaque in Tubis " clamor prædicantium: in Lampadi- " bus claritas miraculorum: in Lagenis " fragilitas corporum. Tales quippe ſe- " cum Dux noſter in Prædicationis " prælium duxit, qui deſpectâ ſalute " corporum, hoſtes ſuos moriendo " proſternerent, eorumque gladios, " non armis, non gladijs, ſed patientiâ " ſuperarent. Armati enim venerunt " ſub Duce ſuo ad prælium Martyres " noſtri, ſed Tubis, ſed lagenis, ſed lam- " padibus. Qui ſonuerunt tubis, cùm " prædicarunt: confregerunt lagenas " dum ſoluenda in paſſione ſua corpo- " ra hoſtilibus gladijs ſuppoſuerunt: re- " ſplenduerunt lampadibus, dum poſt " ſolutionem corporum miraculis co- " ruſcarunt. Moxque hoſtes in fugam " conuerſi ſunt, quia dum mortuorum " Martyrum corpora miraculis coruſ- " care conſpiciunt, luce veritatis fracti, " quod impugnauerunt, crediderunt. " Cecinerunt ergo Tubis, vt Lagenæ " frangerentur; lagenæ fractæ ſunt, vt " lampades apparerent; apparuerunt " lampades, vt hoſtes in fugam verte- " rentur: id eſt, prædicauerunt Martyres " donec eorum corpora in morte ſol- " uerentur: corpora eorum in morte " ſoluta ſunt, vt miraculis coruſcarent: " coruſcauerunt miraculis, vt hoſtes " ſuos ex diuina luce proſternerẽt: qua- " tenus nequaquam DEO erecti reſiſte- " rent, ſed eum ſubditi formidarent. Et "

NOTANDVM *quod ſteterũt hoſtes aut* " *lagenas fregerunt ante lampades; quia* " *nimirum perſequutores Eccleſiæ ſancta* "

(a) *Actu.* 1. 1. (b) *Matt.* xi. 19. (c) *Ioan.* XIII. 14. (d) *Pſal.* xvIII 6. (e) *S. Aug. ſer.* 103. *de Temp.* (f) *Rup. in lib. Iud. S. Ambroſ. lib. de Sp. S.* 1. *cap.* 16. (g) *Lib. xxx. in Iob, cap.* 17 *ali.* 33.

Prædicatoribus fidei adhuc in corpore poſitis reſtiterunt, poſt ſolutionem verò corporum; apparentibus miraculis in fugam verſi ſunt, quia pauore perterriti à fidelium perſequutione ceſſauerũt. Prædicatione ſe Tubarum, fractis Lagenis corporũ, viſis timuerunt lampadibus miraculorum. Intuendum etiam id, quod in dexterâ Tubas, in ſiniſtrâ autẽ Lagenas tenuerint. Quia Chriſti Martyres pro magno habent Prædicationis gratiam; còrporũ verò vtilitatem pro minimo. Quiſquis enim plus facit vtilitatem corporis, in ſiniſtra tubam, & in dextera lagenã tenet. Hinc Dominus in Euangelio ait: *Neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrũ.* In modio enim commodũ temporale: in lucernâ autem lux prædicationis accipitur. Lucernã ergo ſub modio ponere, eſt propter temporale commodũ gratiã Prædicationis abſcondere: quod nemo Electorum facit.

GREGORIO Papa antiquior Origenes Adamãtius, ita de eadẽ Pugnâ ad mores ac Militiam Chriſtianam accommodatè diſſerit: Vide, quia electi Milites DEI cũ Lampadibus pugnant. Sic enim eos Chriſtus armauerat, dicens: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ veſtræ ardẽtes.* Et iterum: *Sic fulgeat lux veſtra coram hominibus, vt videãt opera veſtra bona & glorificẽt Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Talibus ergo lampadibus accẽſis pugnare decet Milites CHRISTI luce operum refulgentes, & ſplendore geſtorum.

QVÆ ſunt autem *Buccinæ corneæ*, in quibus tuba canũt? qui de cæleſtib' loquitur, qui de ſpiritualibus diſſerit, qui myſteria Regni cœlorũ reuelat, ille *Buccina* cõcinit, ille de *tubâ* loquitur, qui de magnis & maximis loquitur, qui ſciẽtiã Chriſti humanis auribus pãdit. Sed cur & *cornea* dicitur *Buccina*? Quia & de Sancto dicitur: *Cornu eius exaltabitur in gloria.* Vnde & vniuſcuiuſq. *Buccina* dicitur *cornea* in eo, quod multiplicẽ ſcientiã Chriſti, & CRVCIS eius, quæ in Cornu deſignatur, diſſerit ſacramenta. Cũ hac ergo *Buccina* militantes, & cũ hac pugnantes vincimus alienigenas, & hoſtes in fugã vertimus etiãſi fuerit multitudo eorũ, ſicut locuſtæ. Locuſtis autẽ cõparata eſt Dæmonũ multitudo, quibus neq; in cælo neque in terris eſt ſedes. Præcedat ergo & nos hoc bello operũ lux, ſcientiæ virtus, diuini Verbi Prædicatio.

BONVS etiã Auctor in Operibus S. Bernardi, qui ſcriptã reliquit Homiliam de Virginibus: Exierũt, inquit, cũ lampadibus, lũbos habẽtes præcinctos, & lucernas in manibus ardentes, vt & caſtitatis cingulũ aſtringatur in corpore, & ad vtilitatẽ proximi & gloriã Patris lux exempli clareat in operatione, Sic GEDEON in laguncul is lãpades occultans; ſed in horâ certaminis, fractis vaſculis demonſtrans, repentinâ luce hoſtes terruit, & vertit in fugã. Terrẽtur enim participes tenebrarũ viſa luce bonorum operũ quia ſtare ante lucẽ tenebræ nõ poſſunt. Eodẽ excẽplo vtitur Iſaias Abbas vt inſtiget Militẽ Chriſtianũ ad contẽptũ cõmoditatũ corporearũ, immò, vitæ longioris deſideriũ. Si quidẽ *qui corporis timet infirmitatẽ*, inquit *ad id quod ſecũdũ naturã eſt, nõ perueniet; qui ſupplex ad* DEVM *cõfugit, in eo*

quie-

quietem inueniet. Ni Gedeon hydrias confregiſſet, non aſpexiſſet lampadum ſplendorem. Itidem homo, niſi corpus contempſerit, Diuinitatis lumen non intuebitur.

AT Madianitis aduerſarijs noſtris, Mundo, Carni Cacodæmoni ſunt etiam ſuæ lampades ignis atque flammarum: eſt lampas prauarum cupiditatum, ignis laſciuuæ, flammæ voluptatis carnalis. At non terretur his Miles Chriſtianus, cùm ſciat lampades illas eſſe quidem ardentes, ſed non lucentes, eſſe ignem obſcurum, nigrum, fumoſum, eſſe flammas imbecilles & euanidas, quas vnica gratiæ diuinæ & caritatis Chriſtianæ guttula valeat extinguere. At lampades quas nobis Dux noſter IESVS Saluator in manibus tradidit, & in corde deuoto ſub fictilibus corporum hydrijs accendit, in quarum medio radios Diuinitatis iacit CHRISTVS CRVCIFIXVS, ſi quotidianâ Paſſionis Dominicæ meditatione, tanquam oleo iniecto foueantur, multæ aquæ non poterunt extinguere, nec flumina obruent illas. Fouete, Dilecti, in animis veſtris, amoris ex Paſſionis Dominicæ memoriâ ac contemplatione conceptam flammam, & hoſtes veſtros omnes facilè fugabitis ac delebitis. Gedeon abit è proſcenio, iucundam tamen, tã ſui, quàm cuius eſt Icon, CHRISTI; in Paſſione mirandum in modum concertantis recordationem relinquit. QVAM firmat eius VIRGA, de quâ ludicum VI. aut potius Virga Angeli, qua tetigit *carnes & panes azymos aſcenditq; ignis de petra, & carnes azymoſq; panes conſumpſit*, cum Gedeon ſacrificaturus ſtaret ſub arbore. Sed Angelus Sacerdotis officio functus eſt, Gedeon Miniſtri. (*a*) Quod autem Angelus extendit Virgam, & tetigit Petram, de qua exiuit ignis, oſtendit, quod caro CHRISTI repleta ſpiritu cæleſti igneque diuino in Paſſione ſuâ peccata omnium hominum exureret. Iam tunc, inquit S. Ambroſius in Myſterio declaratum eſt; quia Do- “
minus IESVS in carne ſuâ totius mû- “
di peccata CRVCIFIXVS aboleret: “
nec ſolùm delicta factorum, ſed etiam “
cupiditates animorum. Caro enim “
hædi ad culpam facti refertur, ius ad “
illecebras cupiditatum: ſicut ſcriptum “
eſt: Quia concupiuit populus cupidi- “
tatem peſſimam & dixerunt, quis nos “
cibabit carne? Quod igitur extendit “
Angelus Virgam & tetigit Petram de “
quâ ignis exiuit, oſtendit, quo caro “
Domini ſpiritu repleta peccata om- “
nia humanæ conditionis exureret. “
Vnde & Dominus ait: *Ignem vem* “
mittere in terram Et S. Auguſtinus, *b* Arborem ſub quâ ſteiit Gedeon, & Virgam quam tenuit, CRVCEM ſignificare manifeſtum eſt. Quod Angelus virga ſua tetigit petram, & exijt ignis, & conſumpſit hædum, CRVX tetigit CHRISTVM, & de Petrâ, quæ erat Chriſtus, ignis exiuit caritatis, qui humani generis peccata conſumpſit. Audiatur etiam Papa Gregorius, (*c*) qui myſticam tropologicamque illam conſiderationem ita illuſtrat: Angelus “
occidi hædum præcipit, id eſt, omnem “
appetitû carnis noſtræ immolari, car- “

 neſ-

(a) *Theodor. Æbulens. Lyra. Dionyſ. S. Ambr. Præm. lib. 1. de Spirit. S.* (b) *Serm. 108. de Tem.* (c) *Lib. 3. Moral. cap. 17.*

neſque ſupra petram poni, & ius carnium deſuper fundi. Quem alium ſignat Petra niſi eum, de quo per Paulum dicitur: *Petra autem erat Chriſtus*. Carnes ergo ſuper petram ponimus, cum Corpus noſtrum in Chriſti imitatione cruciamus. Ius etiam carnium deſuper fundit, qui in conuerſatione Chriſti ipſas etiam à ſe carnales delectationes exinanit. Quaſi enim ius ex carne liquidum in petram funditur, quandò mens à cogitationum carnalium fluxu vacuatur. Quæ tamen mox Angelus virgâ tangit, quia intentionem noſtram nequaquam poteſtas diuini adiutorij deſerit. De petra autem ignis exijt, & ius carneſque conſumit, quia afflatus à Redemptore ſpiritus, tantâ cor noſtrum flamma compunctionis concremat, vt omne, quod in eo illicitum eſt, & operis, & cogitationis exurat.

MEMBRVM VI.

SAMSON

Philiſthæorum terror, Inferorum Domitoris

CHRISTI CRVCIFIXI VMBRA.

AT, quis ille procul veniens ſolitarius, & agmen ante ſe agens, gannientium vulpium caudis arctè colligatarum, & faces accenſas motitantium? Ingens eſt homo, totus in morem ſyluicolæ hiſpidus, longâ in humeros defluente cæſarie, dependente ad vmbilicum hircino barbitio, rugoſâ frõte, pelle leoninâ tectus, & non niſi aſini armatus mandibulâ. Lupercale ludricũ hic pueris dare velle videtur. Quod-nam enim hoc ad homines terrendos, & inuadendos Inſtrumentum? quæ-nam iſtæ copiæ? Profectò, non pueros territat ſed viros. En mille conficit, homines omnes robuſtos, & non alio armorum genere, quam *Aſini mandibula*. Samſonem agnoſco ipſiſſimus eſt, de quo hæc habetur hiſtoria in libro de Iudicibus Hebraicis, Cap. XV. *Irruit Spiritus Domini in* SAMSON, *inuentamq; maxillam, id eſt, mandibulum aſini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.* Res mira.

Pro populo ſolus, nullo mucrone, nec armis,
Os retinens aſini proſtrauit corpora mille.

Vbi-nam in vlla hiſtoria legitur quid ſimile? Vbi-nam auditum, vnum hominem in hoſtium ferociſſimorum medio, armatis cinctum vndique, inter millia plurima; hominem in poteſtate inimicorum, manibus conſtrictis, brachijs fortiſſimè ligatum, vincula diſrumpere, irruere in hoſtes, non gladio, non haſta, non claua inſtructum, ſed viliſſima, cadaueroſa, humente, ſtillantoq; animalis de-

(a) *Tertullianus lib. 3. in Marcion.*

deſpicatiſſimi mandibulâ, caſu reperta, numeroſas hoſtium copias ferire, fundere, proſternere?

O Iesv Saluatoris, Crvce ſuos aduerſarios debellantis magnum Sacramentum! Ad quod alludebat fortaſſe Magnus Rex cùm cantaret: *Percuſſiſti omnes inimicos meos ſine cauſſa*, Pſalmo tertio, vbi Hebraizantes legunt, *in maxilla* (a) Res ſanè vilis eſt maxilla aſini, quæ Crvcis vilitatem refert commodè, cum eo cruciario inſtrumento, nullum fuerit magis abiectum: infame, contemptibile. *Maledictus enim qui pendet in ligno.* Deuteronomij xxi. Hic Samſonem vt Typum Saluatoris celebrat S. Auguſtinus, quippe qui à ciuibus ſuis Iudæis ligatus ac traditur fuit Pilato & Romanis, vt ab ijs Crucifigeretur; ſed ipſe ſolutis vinculis Crvcem, tanquam *Aſini Mandibulam*, humentem, taboque fluentem arripuit, & hoſtes ſuos interemit. Tum verò, vt exiſtimant multi ſacri Interpretes, Samſon cantauit Deo in gratiarum actionem carmen: *In maxilla aſini, & mandibula pulli aſinarum deleui eos*, addiditque *Benedictus Dominus* Devs *meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*, & quæ ſepuuntur, & iterauit tanquam intercalare: *In maxilla aſini: in mandibula pulli aſinarum deleui eos.*

Sed alio quoque ſtratagemate Samson hoſtes ſuos interficiens, Christvm in Crvce prælianțem, repræſentauit. Conueniunt Principes Philiſthinorum, vt illudant capto Samſoni: Principes populi, vt Chriſto. Congregantur omnes in ſano Dagon: Phariſæi in domo Caiphæ. Educitur Samſon è carcere: Chriſtus ex vrbe in Caluariūm. Feceruntque ſtare Samſonem inter duas columnas: Chriſtum inter duo ligna, ex quibus Crvx &c. inter duos malefactores. Samſon apprehendēs duas columnas *concuſſit vtramque. & cecidit domus ſuper omnes principes, & ceteram multitudinem: multoq; plures interfecit moriens, quàm ante viuus occiderat.* Iudicum xvi. Iam hic, inquit S. Auguſtinus, (b) *Imaginem* Crvcis *attendite: expanſas enim manus ad duas columnas, quaſi ad duo ligna* Crvcis *extendit; ſed aduerſarios interceptos oppreſsit: & illius Paſsio Interfectio facta eſt perſequentium. Typum Saluatoris tenuit Samſon* ait Hieronymus, (c) *quod multo plures hoſtium moriens, quàm viuus occiderit.* Fuſius idem myſterium euoluit B. Paulinus hunc ferè in modum: in Samſonis cæcitate, & in morte diuini Sacramenta Myſterij prælineata mirabimur: quia quod ſcriptum eſt, plures illum hoſtes ſtrauiſſe morientem, quàm toto prius vitæ ſuæ tempore, ad vim Dominicæ Passionis eſt referendum. Siquidem in ea virtutem exerente ſuam Crvcifixo, Zabuli domus cecidit, & regnum mortis ſolutum eſt. Hoc regnū diſpoſitis in ordinem ſuum ſeculis, ab Adam ad Moſem, & ab hoc ad Chriſtum viuentem ſteterat, & peccato prædominante creuerat. At Rex Regum, & diſpenſator temporum Dei Filius Passione ſua diuiſit illud, immò diruit. Devs factus ſub lege, vt ſubiugatos legis ſolueret: factus per mulierem, ſed mu-

(a) Franc. Georg To. 1. Sect. 8. problo. 431 & 432 qui omninò legi vult maxilla, Gal. 3. 13. (b) Aug. de Temp. 107. (c) S. Hieron. lib. 1 aduer. Iouinian. S. Paulin. epiſt. 4.

mulierem ſexu, virginem partu, vt ſanctificaret vtrumque ſexum Creator vtri uſque, ſuſcipiendo virum naſcendo per fœminam. Itaque *Mortem ipſam moriendo deſtruxit, ſoluens, vt* ſcriptum eſt, *inimicitias in carne ſua, & faciens vtrumque, vnum, id eſt, hominem & DEVM, quem in ſe ipſo connexuit* DEVS & HOMO CHRISTVS IESVS.

Breuius recentior Eccleſiaſtes haud ignobilis Sermone de Paſſione: (a) *Dominus noſter* IESVS CHRISTVS *ſæpius peccati odium oſtenderat; ſed tunc maximè ac ſupra modum, cùm animam ſuam poſuit contra peccatum, vt peccata omnia deleret*, Nimirum Samſon *multò plures interfecit moriens quàm viuus occiderat.* Siquidem occidit moriens omnes Principes Philiſthinorum, & tria millia è populo, vt quidam computant; (b) vt Philo Biblicus aſſerit, quadraginta millia hoſtium. Sed quantulus iſte eſt numerus ad millia millium, ad decies centena millia millium, ad arenas littoris marini, & Oceani guttulas, quæ non adæquant numerum eorum, quos Chriſtus moriẽs ſubegit, & interemit? quia CRVCE ſuâ profligauit copias Cacodæmonis, concidit agmina peccati, interfecit Mortis ſatellites, & à iugo hoſtium ſine numero nobis inſidiantum humanum genus liberauit.

SED iam SAMSON abijt, quò plures; chorum tamen moralemque concentũ reliquit in orcheſtrâ, quem benignè proniſque auribus & animis excipiamus. Samſon aſini mandibula hoſtes ſuos deleuit. Chriſtus CRVCE, cuius illa fuit figura. Eia agite CRVCIS & CRVCIFIXI Amatores, Chriſti ſequaces, Samſonis veri aſſeclæ, Mandibulam aſini accipite, CRVCEM CHRISTI tollite. Spondeo in Mandibula aſini mille interficietis viros: numerum finitum pro infinitò pono. Mandibulam aſini interpretor ſui contemptum, voluptatum abrenunciationem, paupertatis ſtudium. His mille aduerſariorum non capita tantùm, ſed acies delentur. Per *Maxillam*, ſiue *Mandibulam* aſini, D. Ambroſius intelligit Patientiam, omnium vt aduerſitatum, ita aduerſariorum victricem. *Inuictus* Samſon, ait, *atque ita inſuperabilis, vt in* Maxilla aſini *viros mille percuteret: ita plenus gratia cæleſtis, vt etiam aquam in maxilla aſini ſitiens reperiret: ſiue hoc ad miraculum conferas, ſiue ad miraculum vertas, quod in populi foret humilitate gentilis, & requies & triumphus, iuxta quod ſcriptum eſt:* Qui te percuſſerit in maxillam, præbe ei & alteram. *Per hanc enim iniuriarum Patientiam, quam erudiunt Sacramenta Baptiſmatis, de ſtimulis iracundiæ triumphamus, vt morte obita reſurrectionis requiem conſequamur.*

ET quoniam Patientiâ excellere debent Verbi diuini Præcones, S. Gregorius Papa, Prædicatores Euangelij, vt Maxillas conſiderat, vtili ad inſtructionem noſtram commentatione. MAXILLA, inquit, *Eccleſiæ Sancti Prædicatores ſunt, ſicut ſub Iudeæ ſpecie per Ieremiam dicitur:* Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius: *quia in aduerſitate Eccleſiæ illi amplius plangunt, qui vitam carnalium confringere prædicando nouerunt. Per ipſos quippe Sancta Eccleſia inimicos à vitijs conterit, & quaſi* glu-

(a) *Sanchez Diſcurſu 3. de Paſſ.* (b) *Cornel. Iud. xvi.*

glutiens in ſua membra conuertit. Vnde ipſi ſuoq; Primo Prædicatori, *velut* Maxiliæ Eccleſiæ, *dicitur*: Occide & manduca. *Hinc eſt etiam quod* Samſon Maxillam aſini tenuit *& hoſtes peremit, quia Redemptor noſter Simplicitatem atque Patientiam Prædicantium ſua manu vir. tute tenens à vitijs ſuis carnales interfecit.* Et Maxilla *in terram proiecta poſtmodum aquas effudit quia morti data poſtmodum Prædicatorum corpora magna populis monſtrauêre miracula.* Quo factum, vt & ipſi plures moriendo, quàm viuendo mactauerunt hoſtes. Nempe, illos Diabolo ſubducentes, & Chriſto ſubdentes mortificando ſecundum carnem viuificando ſecundum ſpiritum. Sic S. Martyr. BABYLAS *mortuus, velut redivinus contra Gentiles pugnas aggreſſus eſt maiores. Nam more* Samſonis *oſſibus pugnans in fugam vertit Philiſthæos*, inquit eius encomiaſtes Cæſar Baronius. (*a*) Sic EDMVNDVS CAMPIANVS Angliæ SAMSON, qui primus è Societate IESV pro orthodoxâ fide glorioſè ea in inſula occubuit, plures conuertit moriendo ſuâ pietate, modeſtiâ, fortitudine hilaritate, quàm viuens prædicando, vt Angeli ipſi, teſtes oculati, immò, tunc ab eo conuerſi narrarunt (*b*) Sic Martyres plurimi, modò centum, modò trecentos, modò mille, immò, plura millia moriendo generosè ad Chriſtum conuerterunt Nimirum, *Sanguis Martyrum eſt ſemen Chriſtianorum*; ſed multo magis CHRISTI veri SAMSONIS.

AT iam iterum nobis canit Chorus. Si mors oppetenda, glorioſam eligite, cadite, vt *Samſon*, extenſis brachijs duo inter ligna, columnas concutientes domus Dagon. Modulatur ſuauiſſimè Paulinus: aures arrigite. *Illam ſpeciem, quæ in* Samſone *vel recrinito, vel moriente retexitur, in omnem Chriſti famulum conuenire arbitror. Homo enim qui præuentus fuerit in aliquo peccato, & ſalubriter pænitendo, ad inſtaurationem gratiæ, quaſi capillis renaſcentibus, reuertitur, ponens vt arcum æreum, brachia ſua, id eſt, fidem ſpei verâ, & ſpem fidei non fictam: exercens idem ad prælium manus ſuas operibus pietatis: cuius exercitatio ad omnia vtilis eſt: tùm, vt quibuſdam bona conſcientia & fidei firma lacertis valens audebit inuadere, & poterit vertere inimicorum columnas. Quæ quidem ſunt* Columnæ *hoſtilis domus, quibus innititur, in quâ veluti noſtri victor epulatur, illudens captis, ſi membris noſtris, vt armis iniquitatis vtatur.* Idololatriæ Columnæ ſunt, *Inſcitia* & *Voluptas*: Veneris Columnæ, *Ceres* & *Bacchus*; *Ocium* & *Saturitas*: Hæreſeos: *Superbia* & *Contumacia*: Improbitatis, *Amor carnis*, *Obliuio cæli.* Has magna ſpiritus vi ac robore, verbo & exemplo, quaſſate, diruite, ſubuertite. Tum CRVCEM amplexantes Dominicam, læti occumbite: nam in ea êſt *Vita, Reſurrectio, & Victoria noſtra.*

(a) *Baron. Martyr. 24. Febr.* (b) *Cornel. Iud. xvi. Tertull. in Apol. S. Paulin. epiſt. 4.*

MEMBRVM VII.

Vxor Haber Cinæi Siſaram Clauo interficiens

Chriſti hoſtem Cruce interimentis Forma.

CHORVM Samſonicum excipit in Amphitheatro PASSIONIS, formoſiſſima Virago, eademque fortiſſima, ſupra armatam Palladem, galeatam Bellonam, bellatricē Pentheſilæam, magnanimā Thamirim, ductricē copiarum Camillam, peltatas Amazones pugnatrix atq; inuictiſſima Triūphatrix. At manu geſtat *Caluum* & *Malleum* Feſtiuum ſanè ſpectaculum! Viraginē inuadere audere exercitum hoſtilem & ſuperare Clauo vno & Malleo. Id tamen fecit IAHEL: benedicta inter mulieres Iahel vxor Haber Cinæi Iahel, animoſiſſima Iael. Cuius hoc fuit ſtratagema. (*a*)

——— maximus ille
Forma gigantea quem fecerat horrida molis
Conſpicuum; immenſamq; humani verticis arcem
Siſara Rex geſtans ———

Iſraëlem oppugnabat; fugatus, ad Iahelis tentorium vt ad aſylum confugit. Inuitat illum Iahel, lactat, ſopit: ſopiti tēporibus apponit *Clauum*, ſiue ferreum, ſiue ut alij volunt, ligneum, & caput terræ connectit,

Tempora transfixo penetrans immania clauo.
Olli dura quies oculos; & ferreus vrget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Ita victus proſtratusque à fæmina hoſtium Princeps iacuit. Magnum myſterium! Generoſiſſima Bellatrix HVMANITAS VERBO Diuino indiſſolubili coniugij nexu copulata inſuperabilem eatenus generis humani hoſtem ridiculis humana ſapientibus inſtrumentis, *Malleo* & *Clauo*, id eſt, CRVCE, cuius ſymbolum *Clauus* & *Malleus*, ſuperauit Si ligneus fuit Clauus expreſſior eſt Typus Crucis Chriſti, quæ fuit ex ligno. Si è ferro Typus fuit, immò, idea clauorum ferreorum, quibus CHRISTVS fixus in Cruce, in eadem confixit Siſaram, id eſt, Diabolum, omnes ei vires adimendo. Certè, in Malleo & Clauo Crucem Domini contemplantur, Origenes, S. Auguſtinus. Rupertus alijq; Patres ſanctiſſimi IAHEL ciro pede tranſit. Sed benè habet, quod Chorum poſt ſe relinquat, qui mores informet Audiatur imprimis concentus Origenis Adamantij (*a*) IAHEL, canit ille, mulier alienige-“
na, de quâ Prophetia dixit, quod in “
Manu mulieris fuit victoria, figuram “
tenet Eccleſiæ, quæ ex alienis Gen- “
tibus congregata eſt. Interpretatur “
autem IAHEL *Aſcenſio*, quia reuera “
non eſt alia *Aſcenſio*, quâ aſcendatur “
ad

(a) *Alcimus lib. 6. capite 5 Iudicum 4. & 5* (b) *Hom. xv. in Iud.*

ad cælum, niſi per Eccleſiam multi- " formis Sapientiæ DEI. Ipſa eſt ergo, " quæ dum à corporalibus ad ſpiri- " tualia, & à terrenis aſcendit ad cæ- " leſtia, interfecit *Siſaram*, qui carnali " um vitiorum, & animalis, vel ſto- " lidi hominis tenet figuram. Nam " Siſara interpretatur *Viſio equi*, de quo in Pſalmo: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*, Pſalmo XXXI Palo igitur (*paxillo, ſiue clauo*) eum " interfecit, ideſt, LIGNI CRVCIS " acumine, & virtute eum proſtrauit. " Neque ſine cauſſa Maxillam Palo " transfixiſſe ſcribitur. Illud enim os, " quod de carnalibus loquebatur, & " illa doctrina, quæ carnis gloriam " præferebat, quia in delicijs, & vo- " luptate viuendum ſapientibus ſecu- " li perſuadebat, & humanum ge- " nus luxuriæ adoratione deceperat; " illud, inquam, os LIGNO CRV- " CIS confoditur, & terebratur. Si- " quidem illam viam, quam Philoſo- " phia profana latam & ſpacioſam " prædicauerat voluptatis; hanc no- " bis Chriſtus arctam & anguſtam o- " ſtendit ſalutis. Quid Auguſtinus (*a*) " ſemper ſuauiter modulans? interrogat, & reſpondet. *Quæ eſt illa Mulier plena fiducia, hoſtis tempora ligno transfigens? niſi fides Eccleſiæ* CRVCE CHRISTI *regna Diaboli perimens?*

PAVLO copioſius B. Petrus Damianus Cardinalis (b) *Tota vniuerſalis Eccleſia*, virtutum armis ac- " cincta contra Diabolum, per to- " tum mortalis vitæ huius excurſum " in CHRISTO dimicat: in Chri- " ſto ſemper, non ſua, ſed eius virtu- " te triumphat. IAHEL alienigena " Siſaræ ad ſe confugienti, ſitienti- " que lactis vterem aperuit & potum " dedit, deinde Clauum in cerebrum " eius per tempus vtrumque defixit, " ſicque in hominis ſpecie peruerſo- " rum omnium Caput Diabolum in- " terfecit. Quid enim IAHEL, quæ " *Aſcenſio* interpretatur, niſi Sanctam " deſignat Eccleſiam, per quam ſo- " lam ad cæleſtem beatitudinem aſcen- " ditur? Hæc Mulier alienigena fuit, " quia Sancta Eccleſia de gentilitate " proceſſit. Hæc Iſraëlitarum hoſtem, " prius lacte potauit, poſteà palum " capiti eius infixit; quia humani ge- " neris inimicum, quem Sancta prius " Eccleſia carnaliter viuendo lactauit, " poſtmodum ſpiritualiter conuerſan- " do quodam acumine ac virtute CRV- " CIS extinxit, & pænitentiæ munita " præſidio LIGNO transfixit. Sic " quem Iſraëlitica plebs ſuperare non " potuit, Mulier peregrina, id eſt gen- " tilis Eccleſia ſolo CRVCIS LIGNO " proſtrauit. Accinit his Rupertus " Abbas, ad mores Chriſto Crucifixo conformandos accommodatè. *Clauus tabernaculi*, inquit, *ipſum eſt* STIGMA PASSIONIS CHRISTI. *Clauum tulit, quia iuſſa mortificare membra ſua ſuper terram*, CRVCEM *ſuam baiulauit, crucifigens carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs. Hoc tunc validè fit,* quan-

(a) *Lib. XII. contra Fauſt. cap. 32.* (b) *Damia ſer. XL. quæ eſt de S. Caſſiano. Ruper. in cap. VII. Iud.*

Quando non pro vanitate humanæ laudis, ſed pro gloria aſſumitur DEI , *afflictio carnis*:non,inquam, in ambitione auræ popularis,ſed in timoreDomini.Idcirco Pſalmiſta poſtulat : *Confige timore tuo carnes meas,*(a)Pſal cxviii. O CHRISTIANE, vis tentatorem inſidiatoremque infernalem,Mundi maligni Principem,in tuæ carnis tentorio proditoriè latitantem gloriosè conficere? Fac quod *Iahel.* Clauum arripe, CRVCEM Domini Noſtri IESV , eamque meditationis ſacræ malleo,per carnem oſſibus infige. vt nõ poſſit extrahi. & de hoſte domeſtico facilè triumphabis. Nam in CRVCE & CRVCIFIXO eſt *Vita*, *Spes*, *Reſurrectio*, *Victoria* & TRIVMPHVS Chriſtianorũ. Iam proripuit ſe Iahel ex orcheſtrâ,nec prodit alius vel alia , quæ cum pompa tranſeat ad ſpectatorum fructuoſam oblectationem.

MEMBRVM VIII.

IOB

Chriſti in Paſſione ſua Patientiæ armis Duellantis ſpecies.

AT in orientali Amphitheatri noſtri parte magnam inconditamque turbam conſpicor , genus omne homines : vtrumque ſexum, conditionis cuiuslibet & ætatis. Sedet in fimeto , cataſtæ in modum eleuato Vir miſerorum , vt apparet , miſerrimus,certè miſerabilis : totus ſanie diffluens , beſtiolárum pabulum fætidarum. Quas ille ridente penè vultu, nunc è corporis ſcrobibus euocat, nunc iterum in foraminoſam carnem , ludibundus,vt proprium pecus, immittit. Is luditur,ridetur,vexatur, conſpuitur. Sed idem qui ſemper fuit.permanet.

Integer vitæ ſcelerisq; purus.

Tonat,ningit,fulminat Hæret ipſe DEO fidens, immotus. *Si fractus illabatur orbis* , haud mutandus. Deſcripſi ſatis,aut depinxi , quid opus nomen adponere tabulæ , & capitalibus elementis,IOBVM?intellexiſtis , & haud dubiè piæ oculis vobis verſatur,quẽ nominare volui.Hunc ferunt fortiter præliantẽ in ſterquilinio : nec enim alium ſibi campũ fortiſſimus heros delegerat , vt CHRISTI in Caluario Duellantis figuram exprimeret IOB Patiens , *per ea* , *quæ pertulit*, vt commentatur S Gregorius Papa, (b) *quæ paſſurus eſſet Redemptor, oſtendit* ; *tantoq; verius* PASSIONIS *illius Sacramenta prædiceret*, *quanto hæc non loquendo tantũmodò*. *ſed etiã patiẽdo prophetaret*. Et ſanè nihil ferè eſt in Iobi hiſtoria, quod CHRISTVM Dominum non exprimat : Paſſionem autem eius plurima,quæ accuratè colligit,& connexuit nobilis Interpres , ex quo paucula compendio

CVM de ſe IOB aſſerit confidenter, & haud dubiè veraciter, quod non comederit buccellam ſuam ſolus , (c) ſed come-

(a) *Præfat.in Iob.*(b)*Ioan.Pineda Præf.in Iob.cap 7.*(c) *Iob xxxi.17.*

mederit quoque pupillus ex ea: quia ab infantia creuerit ſecum miſericordia & miſeratio; quid aliud videtur ſuis conuiuis dicere, quàm illud: *Deſiderio deſideraui Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.* (*b*) Cùm verò Chriſtus IESVS cœnâ vltimâ ſuos Diſcipulos excipit lætus & gaudens illud dicit: *In circuitu pueri mei.* &, *Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius, vt ſaturemur?* (*c*) Cùm IOB extra ciuitatem ſub dio pernoctat, mærentibus amicis, & ad tanti doloris conſpectum obmuteſcentibus, in mentem veniunt tres Chriſti IESV Socij orantes in horto noctis ſilentio ſilentes, & dormitabundi: *Erant enim oculi eorum grauati præ triſtitia*, Marci XIV. Cùm verò dormiunt tres Apoſtoli, orante ac vigilante Chriſto, video impletum, quod eſt Iobi ſecundo: *Sederunt cum eo in terrâ, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem.* Cùm IOB permittitur poteſtati Satanæ, & alijs ſæuiſſimis tortoribus, dicere potuit: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*, Lucæ XXII. Cùm verò comprehenditur Chriſtus, Satanæ quoque dictum eſt: *Ecce in manu tua eſt*, Iobi ſecundo. Cùm ſedentem in ſterquilinio amici procul adhuc ſtantes non agnoſcebant, dixiſſe viſi ſunt, quod apud Iſaiam cap. LVIII. de Chriſto quidam: *Vidimus eum & non erat aſpectus: Virum dolorum, & ſcientem infirmitatem.* Cùm verò Pilatus nudum & flagellatum DEVM produxit ad Iudæos, dicens: *Ecce homo*, Ioan XIX. vtique cæci illi non agnoſcebant. Quid aliud ſtulta Iobi vxor importuno illo & improbo illo conſilio: *Benedic* DEO. *& morere*, Iob 2. ſuggeſſiſſe videtur, quàm, *blaſphemauit: dignus eſt morte.* Quid porrò Synagoga, & Synagogæ Princeps Caiphas, Chriſto IESV, quem præſentem habebat niſi illud oggerebant, Iob. XV. *Docuit iniquitas tua os tuum: & imitaris linguam blaſphemantium: condemnabit te os tuum.*

IOB per ſummam iniuriam ab amicis, ſeruis & familiaribus irriſum & gratis odio habitum, prætereuntes quoque *blaſphemabant mouentes capita ſua & dicentes, Vah!* (*d*) Hæc verò imago fuit CHRISTI in CRVCE pendentis, atque dicentis: *Nunc in eorum canticum verſus ſum: & factus ſum eis in prouerbium.* (*e*) Potatur felle & aceto, vt illud poſſit dicere. (*f*) Animæ eſurienti amara etiam dulcia eſſe videntur. *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.* Latus lancea perfoditur vt illud quoque repetatur memoria: *Concidit me vulnere ſuper vulnus.* Iob XVI. 15.

Nudus vterque, CHRISTVS in CRVCE pendens, IOB ſedens in ſterquilinio, vt non ſemel contemplatur S. Chryſoſtomus. (*h*) Iob pro amicis ſupplicat: Chriſtus, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt*, Luc. XXIII. 34. Amicis quoquoque Iobi illa conuenire potuerunt: *Percutientes pectora ſua dicentes: Filius DEI erat iſte.* Æternus verò Pater reſpiciens in faciem Chriſti ſui ſeipſu[m] immaculatum offerentis pronunciat: *Faciē eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtu*[ltitia]

(b) *Lucæ* XXII. 15. (c) *Iob* XXIX. 5. (d) *Iob* XXXI. 31. (e) *Matt.* XXVII. 26. (f) *Iob.* XXX. 9. (g) *Prouer.* XXVII. 7. (h) *Iob* VI. 7. (i) *Hom.* IV. *ad Antioc.* & *in Catena.*

ſtultitia, Iob. XLII. 3.

AT, pugnantem Iobum non exhibes, dicit Quiſpiam, vt CHRISTVM in PASSIONE Militem, vel Pugilem repræſentet. Benè habet. Quæ dicta ſunt præmittere placuit. nunc conceptionē meā percipite. Finge tibi IOBVM in ſterquilinio tanquam SAGITTARIVM, arcu, ſpiculiſque inſtructum, & cum oppoſitis ſibi depugnantem. Tres autem illi opponuntur, primâ fronte amici, reuerâ, illuſores: *Eliphaz* Themanites, *Baldad* Suhites, *Sophar* Naamathites. De quibus dicere poterat: *Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Pſalmo X. Hi, quot in innocentiſſimum iocos, quot dicteria, quot ſarcaſmos & lædorias, tot vibrabant ſagittas, quæ in ſcutum Patientiæ ſaxeum inuolantes repercuſſu velocius, ferociuſque in auctorum remittebantur capita. Interim Iob, ob hoc vnum exiſtimans labia tantùm circa dentes ſibi eſſe relicta, ore, vt arcu, linguâ vt neruo, retorquebat in illos ipſos, doctrinæ, religionis, humanitatiſque tela, quibus in bono malum ſuperare geſtiebat, & vincere. An non hæc eſt imago Chriſti in CRVCE SAGITTARII inimicos ſagittis ſe impetentes fortiter ſuperantem?

CERTE, CHRISTVM in CRVCE contemplor, vt ſagittas maleuolentiæ excipientem, ita beneuolentiæ miſſilia iaculantem. Si vllus, Chriſtus verè dicere potuit: *Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerūt ſagittas ſuas in pharetrâ vt ſagittent in obſcuro rectum corde.*

Excipit en moriens blaſphema ſpicula linguæ,
Omnis nempe mali tunc ſcopus vnus erat.

A tribus autem impetabatur maximè, quorum perſonas ſuſtinebant, Pontifices, Phariſæi, Vulgus: nempe, à Mundo, Diabolo, Peccato. Ab his proficiſcebantur ſeptem blaſphemiæ, quas CRVCIFIXVS excepit. Prima fuit contra Humanitatem: *Vah! qui deſtruis templum* DEI, *& in triduo reædificas illud.* Secunda, in Diuinitatem: *Si Filius DEI es, deſcende de CRVCE.* Tertia, in ſupremam Poteſtatem: *Alios ſaluos fecit: ſeipſum ſaluare non poteſt.* Quarta, in Mediatoris dignitatem: *Si Tu es Chriſtus ſaluum fac temetipſum.* Quinta, in filialem CHRISTI erga Patrem pietatem: *Confidit in* DEVM, *liberet eum.* Sexta, in Regiam Domini Maieſtatem: *Si Rex Iſraël eſt deſcendat nunc de CRVCE.* Septima, in Chriſti Diuinam hereditatem: *Si Filius DEI es, mitte Te deorſum.* Hæ omnes ſagittæ fuerunt acutæ, tela ignea, iacula veneno illita; ſed contorquebantur in clypeum è Petrâ illâ, cuius duritie ferrum omne retunditur: mittebantur in ſolem, ſed nulla ſagitta in Solem cadit: incurrebant in rupem, quæ non eſt iaculo penetrabilis.

CHRISTVS interim aliud exhibebat ſagittarum ſpectaculum. Intendebat linguæ ſuæ chordam, & vibrabat acutiſſimum amoris telum in pectus paternum vt illud humano generi iure infenſiſſimum, partâ victoriâ, ad ſuas partes, victoris iure pertraheret: *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.* Porrò, pectus Patris, quamuis adamante durius, tamen telo hircini ſanguinis aſpergine purpurati percuſſum, ceſſit, vt cera mollis,

lis, non alia ſagitta penetrabile. Eadem arte Matris cor terebrauit: *Mulier ecce filius tuus*. Eadem Latronem in tormentis ſocium confecit: *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Eadem, & Centurionem ſuperauit: *Verè, Filius DEI eſt hic*; & Infernum, Mundum, ac Cacodæmonem deuicit. Superati enim ſunt, & deleti, vt Spiritus poſſint, à Chriſto CRVCIFIXO ſagittis illos impetente. Sanè, Patres plurimi, Doctoreſque Eccleſiæ CHRISTI brachia in CRVCE diſtenta, quaſi Arcum concipiunt, Cruce tanquam neruo vtrimque ligata vt contrahi, extendique poſſint. Hoc ſchemate S. Ambroſius [a] in Arcu fæderis poſito in nubibus CHRISTVM CRVCIFIXVM conſiderat. Quod etiam faciunt S. Gregorius. [b] Beda, [c] Rupertus Abbas, [d] alij: dum exponunt myſticè, quod à DEO promittitur. Geneſis IX. ARCVM *meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram. Cumq́; obduxero nubibus cælum, apparebit Arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum omni anima viuente* Hunc enim Arcum vt CHRISTI Saluatoris figurã interpretantur. Quod iucundam habet declaratione: Si Nubes dicatur ſignificare Corpus Chriſti: triplex color triplicem eius ſubſtantiam, Carnem, Animam, Diuinitatem: vel triplicem eius ſupremam dignitatem, quæ prædixit Iſaias, Regis, Iudicis, Legislatoris.

B. Laurentius Iuſtinianus lib. de Agone triumphali cap 20. in Arcu CHRISTVM CRVCIFIXVM intelligit, ſic Milites Chriſtianos alloquens. Confixus in ſtipite CHRISTVS, tanquam Propitiator optimus in nubibus eleuatus eſt, quemad- " modum Noë ſancto repromiſerat, di- " cẽs, *Arcum meum ponam in nubibus,* " *& erit ſignũ fœderis inter me, & inter* " *terram.* Benè Chriſti Brachia vt Arcus æreus concipiuntur, quæ dum in Cruce tenduntur, Crux apprehẽdatur vt chorda, quæ Arcus extremitates, ac ſemi circulum intendit. Sagitta in hoc Arcu fuit Anima CRVCIFIXI, quæ ſtatim, vt emiſſa fuit, hoſtes confecit, vicit Diabolum, Mortem occidit, ſpoliauit Infernum, ditauit Paradiſum. Ad imitationem facit, quod habet Didymus, [e] figuratè Brachia, Arcum æreum interpretãs: *Saluator noſter homo factus, cùm pro nobis decertaſſet, docuit nos, quomodo repugnantes vires infringeremus, & extenſis in precando manibus* (vt Sagittarij) hoſtes ſuperaremus.

INGENIOSVS Quiſpiam, & ad conceptiones militares pronus, hîc fingere poſſet, Bombardam, globum, iaculationem, ſicque in CRVCE victoriam reportatam. Fiſtula ænea, ſeu bombarda militaris, vt loquimur, turrium quaſſatrix, murorum demolitrix, exercituum diſſipatrix, ſulphureo nitroſoque plena puluere, ſumma vi ferream pilam euomit, ſi pila in quidpiam obuium, quod ſit durum ſolidumque, vt perfringere illud non poſſit impingat, ad latus ſcopi, quò tendebat, fertur, ac eo maiore impetu reſilit, quo vi maiore impellebatur. Corpus Chriſti in Cruce, tanquam ſubiecto pegmate tenſum, haud abſimile vide-

(a) *Amb. lib. de Noe. cap. 27.* (b) *Hom. 8 in Ezech.* (c) *in cap. 9. Gen.* (d) *lib. 4. de oper. Trinit. Gen. 36.* (f) *Didym. in Cate. Pſal. 17.*

videtur huic Machinæ, ſiue formam ſpectes exteriorem: nam Bombarda maior, ſeu tormentū bellicū in ſuo pegmate hominem Crucifixum refert: ſiue affectum. Anima illius, ſiue ſpiritus, ſimilis pilæ ferreæ fuiſſe concipiatur. Anima enim humana ferè vt ſphæra imaginationi obijcitur: & quia nullam habet, rotunda illi figura adfingitur ſymbolicè. Dotes Chriſti, virtuteſque præclaræ, numero infinitæ, copioſi inſtar pulueris, ex ſale, nitro, ſulphure, menti obuerſentur. Huic flammam iniecit ingenioſus Amor, Diuinus Amor: & eiaculari voluit in Patris æterni Manum, ſit e Potentiam.

PATER *in manus tuas commendo ſpiritum meum* Lucæ xxiii.46. Hic ſcopus erat, in quem pulueris illius infinita vis pilam eam collimabat. Sed pila, quaſi ad latus, in Patris voluntatem, Decreto immutabili, de ſuperando Mundo, ſubigēda Carne, de prædando Limbo, ſpoliando Inferno, induratam atque impenetrabilem impegit. Quare, cùm tanta eius eſſet ſoliditas firmitaſque vt nihil poſſet perrumpere, Pila, non minori, quàm miſſa fuerat, impetu, reſilijt; & peruaſit momēto Limbum, illumque exhauſit; penetrauit Infernum, quaſſauit eius muros, deiecit turres, confregit vectes ferreos, portas æneas aperuit, ingreſſa, vi virtuteque celerrima concuſſit omnia: deinde ſaltu facto in corpus ſuum redijt, illud exilire fecit, & reſurgere. O ingenioſa, potens, inuicta Bellatoris ſummi iaculatio!

VVLTIS aliam? Concipite Animam Chriſti, vt Bombardam; Amorem illius planè igneum, ceu pilam ferream; deſideria ſalutis humanæ, velut puluerem nitrosum. Hoc explodi amorem in Cor paternum, moueri flectique neſcium: hinc reſilire tanto impetu, vt globus ille igneus in minutiſſimas diuiſus partes ad inferiora delatus fuerit, & tandem in Pentecoſte fidelium pectora inflammarit, per Eccleſiam vniuerſam diſperſus. Faxit inuictiſſimus IACVLATOR è CRVCE CHRISTVS, vt quam ſemel miſit in cor paternum amoris pilam, repercuſſu ad nos quoque delapſa ſuperbiæ molem deijciat, frangat tuitim pertinaciæ, ſternat Peccati propugnaculum, noſque vnà in terram virtute ſua deiectos ſibi penitus ſubijciat, non aliud ingeminantes, quàm cum Paulo proſtrato: *Domine, quid nos vis facere?*

NOTÆ.

§. IOSVE.] IESVS *Naue*, inquit S. Hieronymus Epiſt. ad Paulinum) *Typum Domini non tantum geſtis, ſed & nomine præfert: Iordanem tranſit, hoſtium regna ſubuertit, diuidit terrā victori populo, & per ſingulas vrbes, viculos, mōtes, flumina, torrentes atque confinia, Eccleſiæ (allegoricè) cæleſtiſque Ieruſalē (anagogicè) ſpiritualia regna deſcribit. Legendus* Nicolaus Serarius, *quo nemo copioſius & magis eruditè ſcripſit de* I[illegible] ſue *tomis duobus, quē* [illegible] Cornelius de lapide *compendio penè* [illegible] *tradit. Idem cōſulendi de Iudicibus Hebræorum qu*[illegible] *ordine nominamus. Præter quos,* Schanus, Toruiellus, Maſius.

§. I. AOD Ambidexter] Iuxta ἀμφοτεροδέξιος. *Sed quia in Hebræo eſt* itter, ad iemino, *Hebraizantes,* vatablus, Arias, Pagninus, *vertunt* clauſus, *vel* captus manu dexte-

[illegible]ras

ta: quaſi dexteram habuerit mancam, aut, contractam, & impotentē, ideoq́ʒ ſiniſtra pro dextera vteretur: qualem Latini vocant Scæuam. Sed Ambidexter dici potuit, clauſus, id eſt, ſeptus, condiſſus, aut cinctus manu dexterâ, quia vtraque manu vtens pro dextera, vndique ab vtroque latere, dextero, quaſi propugnatrice cingitur & protegitur. Idem rectè dicitur Apertus dexterâ, quia dexterā ex vtroque latere habet apertam & expeditam ad pugnā: ſiue quia tam ſiniſtrâ, quàm dextera præliatur. Lege quæ diximus de Ambidextris, tū naturaliter, tum moraliter in ſuperioribus.

§.II. SAMGAR cum VONERE]Vomis, vel Vomer, dens vncus Poëta, eſt ferrum, ſiue cuſpis aratri; quo terra finditur & proſcinditur, quodq́ʒ liras facit, & vtrimque terram ſubruendo, quaſi Vomit, vnde inſtrumento illi nomen. Prouerbium eſt vetus: Infige plagam ab aratro: ſiue, Impinge vomerem; dici ſolitum, cùm quis iubet ſtrenuè pugnare, licet ſine arte. Eius originem recenſet Pauſanias lib. Elic. 2. Glancus quidam Cariſtius, cùm terram aratro proſcindenti, forte fortunâ vomer excidiſſet ab aratro, ſublatum aptauit manu vice mallei. Quod vbi conſpexiſſet pater Demylus, iuuenem produxit in Olympia ad pugilum certamen. Verùm, vbi iam artis imperitus plagis afflictus penè deficeret, pater acclamauit. Impinge Vomerem, admonens, vt ſic peteret hoſtem, ſicut vomere ſolebat vulnerare terram. Hac voce rediijt animus iuueni, vicitq́ʒ. Idem poſteà bis vicit Pythia, octies Nemenia, item octies Iſthmia. Nobis frequenter acclamandum, ſiue alijs, ſiue nobis ipſis, vt animemur & animemus Impinge Vomerem: nempe CRVCEM D.N.I.C. Sic enim myſticè Vomerem interpretati ſumus. Quamuis non deſint aliæ ſignificationes ad mores & pietatem accommodatæ.

I. Vomer eſt confeſſio, inquit Gloſſa, quia ſicut vomere aperitur ſcinditurq́ʒ terra, vt ſemen recipiat, & fructificet: ſic Confeſſione reſcinditur terra cordis noſtri, vt ſemen Verbi & gratiæ DEI recipiat, per illudq́ʒ fructus bonorum operum producat. Hac ergo percutiuntur Philiſthæi, id eſt cadentes; nempe, peccata & vitia, quæ nos cadere faciunt in profundum inferni.

II. Vomer Origeni ſignificat ſimplicem monitionem, quæ etiam conuertit animas.

III. Vomer deſignat vim verbi DEI in anima, quo eradicātur ſpinæ vitiorū, & ſordis duritia mollitur. Sic S. Hieronymus in Iſaia c. 2.

IV. Vomer denotat linguam Prædicantiū. Iſaiæ ſecundo, 4. Conflabunt gladios ſuos in in Vomeres, & lanceas ſuas in falces. Vomeres ergo DEI ſunt Prædicatores, viriq́ʒ Zeloſi, qui agrum Domini operibus caritatis, verboq́ʒ & exemplo ſcindunt, & arant; quiq́ʒ, vt ait Tertull. lib. IV. contra Marcion. 1. c. ſunt bonæ frugis operarii.

V. Vomer exprimit affectum geminæ caritatis, vel, ſenſum & animum probum. Ita Tertullian. loco allegato.

VI. Vomer ingerit ſignificationem ſtudij pacis, modeſtiæ concordiæ: vomere enim terra aratur tempore pacis, non belli. Quod indicat Iſaias loco citato, & obſeruat Tertullianus lib. tertio contra Marcionem cap. 21.

SAMGAR itaque non tantùm fuit Typus Chriſti, quia Vomere, id eſt, CRVCE hoſtes trucidauit: ſed etiā, quia vomere prædicationis Euāgelicæ percuſſit Philiſthæos, id eſt, Dæmones, idololatras, & impios, dum idololatriā & impietatem ex mentibus hominū ſuſtulit.

AD Militiam Chriſtianam etiam pertinet, quod ſuggerit Samgaris hiſtoria: optimos Milites eſſe ſub Chriſto, qui optimi fuerint, ſuntq́ʒ in agro Dominico operarij, qui agrum Domini excolunt ſtrenuè: qui aratrum tractant ſedulò, ſed aratrum Euangelicum: qui Vomere prædicationis terram animarum proſcindunt. Valet hic ſimilitudo à Militia profana. Ab aratro & Vomere vocati fuerunt fortiſſimi Romanorum Duces ad Dictaturam, Camillus, Curius, Cincinnatus, Fabritius, alij, qui Romam à Gallis, Samnitibus, ſimilibusq́ʒ hoſtibus liberarunt. Plinius lib. XVIII. cap. 1. Fortiſsimi viri, & Milites ſtrenuiſsimi ex agricolis gignun-

gnuntur, minimèq; malè cogitantes. *Maximus Tyrius orat.* XXIV. Agricola continuo labore exercetur, ſub dio degit, amicus Soli, domēſticus niuibus, compactis membris diſcalceatus, manu promptus, peruigil, pedibus pernix, ad ferendū robuſtus; quem ſi pugnare oporteat, Militem videas exercitatum in laboribus veris, quales expertus eſt Darius in Marathonia pugna.

§.III. GEDEON] *Multiplex fuit analogia inter CHRISTVM & GEDEONEM eius figuram. Sedecim profert Cornelius Iſaiæ* IX. 4. *ad illa prædicta de Chriſto*: Sceptrum Exactoris eius, *id eſt, Imperium Dæmonis*, ſuperaſti, ſicut in die Madian, *ſicut Gedeon confregit Madianitas famoſa illa victoria & die, quæ ab omnibus celebratur. Colliguntur ex* Origene *hom.*8. *&* 9. *in lib. Iudic.* Auguſtino *ſer.*108. *de Temp.* Theodor. *q.*14. *&* 15. *in libr. Iudicum ex quibus multa* Serarius *&* Salian.

I. Gedeon *hebraicè ſignificat eum, qui conterit, confringit, ſiue exſcindit iniquitatem: vt fecit Dux ille fortiſſimus qui deſtruxit aram Baal, & lucum ſuccidit, atque altare* Domino *extruxit. Haud ſecus Chriſtus Synagogā ſubuertit, idola deſtruxit, Eccleſiam & verum altare ædificauit, iuxta dictum Ieremiæ* I. 10. Conſtitui Te, vt euellas, & deſtruas, ædifices & plantes.

II. Gedeon *purgabat frumenta in torculari. In Chriſti manu eſt ventilabrum vt purget aream ſuā; idq; facit in torculari afflictionum & CRVCIS, ſicut & ipſe illud calcauit ſolus.*

III. Gedeon *obtulit Sacrificiū ex carnibus hædi & farina. Chriſtus obtulit ſe hædum immaculatum, per ſe in CRVCE, & ſub ſpecie panis ac vini in Euchariſtia.*

IV. Gedeon *venit in ſubſidium populo* DEI, *quando Madianitæ grauabant illum ſeruitute. Chriſtus cum aduerſariæ poteſtates genus humanum opprimebant. Madian Hebræis idem eſt, quod litigans, ſiue iurgator. Cum quibus litigatur à bonis? nonne cum Principibus tenebrarum, cum ſpiritualibus nequitijs ac poteſtatibus? cum Dæmone, Mundo, & Carne? Chriſtus etiam aduerſarios habuit rixatores, de quibus Pſal. ſecundo*: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius?

V. Gedeon *conuocauit ad opem ſibi ferendam domum Abiezer, id eſt, patris mei auxilium. Chriſtus ſolitus eſt inuocare, & orare Patrem æternum, & eius in cunctis auxilio niti.*

VI. Gedeon *collegit copias ex Aſer, Nephthalim, & Zabulō, qui & occurrerūt. Nōne ex ijſdē tribubus acceſſerunt ad Chriſtum primi eius Milites ac Duces, nempe Apoſtoli?*

VII. Gedeon *Vellus in area poſuit, vt rorem acciperet. Ros, vt exponit Auguſtinus fides eſt, & Verbum* DEI: *hæc primùm fuêre penes Iudæos tantùm, qui ſunt iſtud vellus. In area poſuit Gedeon vellus, quia illic frumenta triturantur. Hæc area eſt Eccleſia, in quâ meſſis multa, operarij pauci: & in ea vult Chriſtus triturari frumentum ſanæ doctrinæ. Expreſſit rorem in Concham Gedeon. Chriſtus in vltima cœna ſordes Apoſtolorum ablaturus aquam in peluim miſit, & quotidie idfacit expreſſo rore in Baptiſmi fonte. Vide plura in Opuſculo* Sandæi, *MARIA Patrona, Oratione tertia, quæ inſcribitur,* Vellus Gedeonis, *dicta in feſto Annunciationis.*

VIII. *Sicco Vellere ros in totam aream migrauit. Verbum* DEI *& fides tranſijt in gentium populum.*

IX. Gedeon *multos dimiſit de exercitu.* I. *Omnes formidoloſos & timidos. Chriſtus repudiat, vt ignauos milites, & indignos* Diſcipulos, *eos, qui non tollunt* CRVCEM *ſuam, qui parentes, & animam non oderunt, qui omnibus non renunciant.* 2. *Eos qui curuato genu bibebant. Chriſtus reijcit eos, qui animo remiſſo tentationi ſuccumbunt.* 3. *Paucos retinet Gedeon, eosq; qui more canum tantum lambuerant aquas. Nonne à Chriſto multi vocati, pauci electi? videlicet ij ſolùm, qui canibus comparari me-*

rentur. Quod animal eſt vigilantiſſimum, mirè velox, domino ſuo gratiſſimum & fidiſſimum: & qui manu haurientes aquam lingua lambuerunt: qui nec ſtrati, nec proni ob peccati ſitim, vitijs indulſerunt: verùm flecti neſcij ad terrena deſideria, & fiducia Domini ſuccincti, ſtantes audacter pronunciant illud: Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me præliũ, in hoc ego ſperabo. Dominus eſt ſalus mea, quem timebo? Dominus protectio mea, à quo trepidabo? *Ita ſtantes hauriunt aquam manu, & lambunt linguâ, quando verbo & opere militant: quando faciunt ipſi iuſſa DEO, & docent alios eadem facere.*

X. Gedeon *habuit Milites* ccc. *Quo numero, 1. indicatur fructus centenus, per Chriſtum triplicandus; & perfectio virtutum omnium TRINITATIS beneficio exhibenda. 2. denotatur* CRVCIS *myſterium: nam littera T. trecentorum nota exprimit Crucis formam. Nimirum Crucis tropheo hoſtes Chriſtus ſubegit, & ſic Gentes, quæ Græcorum nomine in Nouo Teſt. ſolent deſignari ad fidem attraxit. Ita ferè S. Auguſt. cap. 37. in lib. Iudic. Addit, hunc* CCC. *numerum, etiam in vernaculis Abrahæ conſignari, adiunctis x. & viii. vt ſingulis temporibus Senarium tribuentes, tertio tempore, quod eſt tempus gratiæ id impletum intelligamus. Similia habet* S. Ambr. *lib. de Noë & Arca cap. penul. & libro de Ioſeph cap. 13. & lib. de Abraham, cap. 3. Vide ſuperius Comment. de Monomachia Chriſti expreſſa in Abrahamo.*

XI. Gedeon *deſcendit ſpeculaturus in caſtra hoſtium cum pueto ſuo* Phara, *ſiue* Pura. *Hoc torcular ſignificat, quod Dominus Chriſtus ſolus calcauit.* Phara *diuiſionem, nempe, diuiſis per orbem Apoſtolis, Chriſtus ſpirituales Madianitas ſubiugauit: & Apoſtoli in hoc torculari fiduciam habentes, intrepidè caſtra verterunt exterorum.*

XII. *Quidam vidit Panem ſubcinericium volui, & caſtra hoſtium ſubuertere. Quid hæc torta panis eſt aliud, quàm SS. Eucharistia, quæ ſub humili Humanitatis cinere, in ardentiſſimo Amoris clibano (PASSIONEM Dominicam intellige) excocta fuit, & ſubruit quotidie omnes acies infernales, omnesq; exercitus hoſtium Eccleſiam DEI impugnantium.*

XIII. Gedeonis *Militibus dantur lampades ardentes in vaſis teſtaceis. Apoſtoli Milites Chriſti, vt de ſe ſcribit D. Paulus theſaurum luminis Euangelici in vaſis fictilibus habuerunt, quibus per martyrium fractis, perſequutores ſuos vicerunt. Nos etiã iubet Chriſtus ſtare ſuccinctos, habentes lucernas ardentes in manibus, & luce operum fulgere cùm tempus eſt, vt qui nos viderint, laudent Patrem noſtrum, qui in cælis eſt.*

Adhæc. *Lagena fictilis, quæ intus continet ſplendorem ardentis lucernæ, optimum eſt ſymbolum Emmanuelis, qui cùm tectam Diuinitatem abſconderet in carne mortali, vbi ea per Paſſionem colliſa, atque confracta eſt, Diuinitas emicuit in Reſurrectione; atque etiam ipſa eius Morte obſcurato Sole, concuſſa terra, & petrarum crepitu fracta ſunt vires Madian, id eſt, Diaboli & Tartari.*

XIV. Gedeonis *Milites Buccinas ſiue Tubas tenebant in manu læua, inermes cetera. Apoſtoli de rebus diuinis ſemper diſſerebant. At, cur in Græco hæ Tubæ dicuntur corneæ? Fortè, quia de Chriſto & Sanctis dicitur,* Cornu eius exaltabitur in gloria. *Hoc accidit, quando Apoſtoli ediſſeruerunt Sacramenta ſcientiæ Chriſti: Myſterium ſanè* CRVCIS *cornibus ſolet deſignari Abacuc.* III. 4. Cornua in manib° eius: ibi abſcõdita eſt fortitudo eius

Conſiderandum & illud, quod in Gedeonis victoria, vbi ſine vlla opera hominum deleti ſunt hoſtes, palam apparuit DEI brachium. Quid enim habebat Gedeon, *præter inanem ſtrepitũ lagenarũ, quo vix mures abigi potuiſſent? Adhæc, trecentos habebat* Milites, *quos tot millibus hoſtium oppoſuit, quibus pro armis dedit hoc inane ſtrepitus terriculamentũ.*

Hh h 2 Illn-

Illuſtris ſpecies victoria Chriſti Ducis,qui inimicorum exercitus ſolo nutu verboq; ſuo profligabit,& interficiet,2.ad Theſſ.2. 8.

XV. Gedeonis *hoſtes* Madianitæ *ſua ſe cæde truncarunt. Hoſtes Chriſti Iudæi potius inteſtina diſcordia,& ſeditionibus,quam Romanorum armis perierunt. Philoſophorum ſectæ altercationibus , & contentionibus inuicem deſtruxêre. Hæretici , vt Cadmæi fraterculi, mutuis ſe diſſidijs , & vulneribus conficiunt. Hinc victoria Eccleſiæ.* Hæreticorum compugnatio noſtra eſt victoria,inquit Hieronym *in Ezech.*Et Hilar.*lib.7.de* Trin. Bellum hæreticorum pax eſt Eccleſiæ.

XVI.Gedeon *Madianitas obiecit iugulandos Ephraimitis.Chriſtus & Apoſtoli reliquerunt Iudæos incredulos & contentioſos Romanis delendos.*

§.SAMSON.] *Typus fuit Chriſti & Religioſorum.Lege Hieronym.Platum lib.2. de Bono ſtatus religioſi c.* 19.Samſon*Hebr.idem eſt, quod* Sol Iuſtitiæ;*vel* Sol paruus , Soliculus, Solillus , *quem DEVS oriri fecit Hebræis ſedentibus in tenebris , ſicut Chriſtus fuit ortus vt magnus Iuſtitiæ Sol ſedentibus in tenebris & vmbra mortis Lucæ* 1. *Ita ferè* Auguſt. Beda, Serarius. *At Arias interpretatur etiam Sol* diruens,*vaſtans,populans,ſcilicet Philiſthæos*

§. IV.IAHEL.] *Typus fuit Humanitatis Chriſti,vt oſtendimus in textu.Præterea Matris Chriſti de qua Canticorum* VIII. 5. Quæ eſt iſta,quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens , innixa ſuper Dilectum ſuum? *Ipſa contriuit caput ſerpentis : de qua* Bernard. *ſerm.ſuper* Miſſus : *Cui hæc ſeruata victoria, niſi MARIAE ? Item allegoricè repræſentat Eccleſiam,vt declaramus in textu. Denique, tropologicè, Animam ſanctam, fortem , pro DEO zelantem, ſicut Siſara* Diabolum,*quem lacte ideſt, oratione ſopit , & clauo Crucis eneruat,ideſt,interimit.*

§.V.IOB.] *Iobi cum Chriſto collationem deducit Ioannes Pineda fuſius.*

SAGITTARIVS. De DEO & Chriſto , quà Iudice, vtente Sagittis, actum eſt lib.1.Comm. 3 §.4.*& Comment.7. De Chriſto quà Equite dictum lib.3. habente Arcum. De Sagittario legatur* Sandæi *Artifex Euangelicus vbi ſunt* 88.*ſymbola. ARCVS IRIS. Legatur Centuria* 3.Sandæi *de Crucifixo honorato , Decade* 2. *num.*1.

Mirum fortaſſe videatur , quod cum Chriſtus in Cruce extenſus Arcus ſit, ipſe tamen à Ioanne Apocalyps. VI. videatur Arcum manu tenens,vt in ipſo exeat vincens , vt vincat.At Arcum quem tenet Chriſtus CRVX eſt ; cuius cornua in manibus eius,ſicq; exit vincens , vt vincat:vincit autem in ſe & in membris.

BOMBARDARIVS , FISTVLATOR. *Contemplare Chriſtum in horto Gethzemani orantem , concipe eius Animam bombardæ, ſeu fiſtulæ æneæ perſimilem:Oratio illius ſit pilæ inſtar ferreæ;obedientia, miſericordia,charitas,tanquam puluis nitroſus. Eiaculatur pilam ſeu globum orans :* Pater,ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. *Scopus erat Patris æterni voluntas decreto ſtabili firmata , in quē pulueris iſtius infinita vis pilā collineabat:at vt in tam ſolidum & impenetrabilem impegit ſcopum,cuius tanta ſoliditas , vt nihil ei poſſit reſiſtere,ingenti impetu reſiliſt , fecitq; exclamare Chriſtum :* Non mea,ſed tua voluntas fiat. *Alia modo vtitur comparatione bombardæ & amoris Chriſti,* Martinus Delrius , *Lectione ſecunda de Paſſione Domini.Legatur etiam* Daniel Mallonius *l.de S. ſigmat. cap.* 15.

LIBER

LIBER VI.

MILITIA CHRISTIANA DVELLATRIX.

ARS

Et Exercitium Duellandi

ECCLESIÆ MILITANTIS.

COMMENTATIO I.

DVELLVM DAVIDIS CVM GOLIATH

Litteraliter. Allegoricè. Myſticè, Tropologicè.

Præualuit David aduerſus Philiſthæum in Fundâ, & lapide. 1. Regum XVII.
Benedictus Dominus Deus meus, qui docet Manus meas ad prælium, & Digitos meos ad bellum. Pſalmo CXLIII. 1.

MEMBRVM I.

Superatur Mammon Cacodæmon à Milite Chriſtiano Fundâ & Lapide.

Academici Chriſtiani.

QVOMODO erudiri poſſint Digiti ad bellum ſatis fusè in ſuperioribus declarauimus, quádo auté & quo pacto ijs potiſſimùm ſit vtendum cùm exponeremus, indicatum fuit. Digitorum in congreſſu cum hoſte vſum magnum eſſe in rotandâ fundâ, quam peritiſſimè tractauit David contra Philiſthæum. Itaque, vt intelligatis, quomodo fundę applicare Digitos, quo-

 modo

modo diſtringere, quomodo rotare ac circumferre, quomodo ad certum ictũ deſtinare, denique quomodo illius iactu hoſtem inuadere, illumque proſternere poſſitis, docebo vos varium inſtrumenti illius bellici vſum. Qui præcipuè valet contra hoſtem illum, quem CHRISTUS Dominus nomine MAMMON ſignauit apud Matthæum. Capite VI. Quamuis enim *Mammon* Chaldaicè, & *Mammona* Syriacè, Diuitiæ dicantur, vt D. Hieronymus docet, & ex Hebræis Elias in Thisbi: quibus fauent Pœni: nam voce Punica, quæ Hebraicæ, Chaldaicæque affinis eſt, lucrum vocatur Mammon, vt D. Auguſtini teſtimonio conſtat (a) tamen cũ Chriſtus in Euangelio *Mammon* opponat DEO: *Non poteſtis* DEO *ſeruire & Mammonæ*; vt ſit oppoſitio magis congrua & directa, per *Mammon*, Spiritum aliquem malignum, fortunis per fas & nefas augendis præpoſitum, & auaritiæ, ac cupiditatis cuiuslibet indomitæ præſidem, ſeu *Diabolum* intelligamus Contra quem & omnes eius phalanges, quomodò ſit rotanda FVNDA ſpiritualis & myſtica, docere aggredior.

(a) *S. Aug. lib. 2. de Sermo Domini & ſer. 35. de verb. D. ſecund. Luc.*

MEMBRVM II.

HISTORIA DVELLI DAVIDICI.

HOc vt fiat commodiùs, reuocate in memoriam narrationem ſingularis certaminis, inter Dauidem adoleſcentem ruſum, & Goliath Gigantem Philiſthæum, quæ habetur lib. 1. Regum, cap. XVII. In eâ DAVID Typus fuit CHRISTI, ac conſequenter, *Militis Chriſtiani*: (a) Goliath repræſentabat *Mammona*, & quemlibet eius ſatellitem animæ DEO deuotæ inſidiatorem & oppugnatorem. Superbiſſimus *Goliath* confiſus vaſtitate corporis, erat enim molis prodigioſæ, inſtar turris, prouocauerat ſuperbè aliquem ex agminibus Iſraël, Omnibus alijs territis, ac ſe ſubducentibus, paſtorculus Dauid, ætatis teneræ, corpore delicato nec procero, formoſiſſimâ facie, gregi cuſtodiendo aſſuetus, veniens. Pſal. LXXVII. 70. *de poſt fœtantes*, vt ipſe deinde cecinit, offert ſeſe, pugnaturum ſe ſpondet, arma poſtulat: ſua illi donat Saul Rex: reſpuit Dauid, vt minus ſibi conuenientia: *Fundam* ſuam aptat: *Lapides* quinque limpidiſſimos ex torrente ſelegerat, & in perâ paſtorali repoſuerat, ex ijs vnum foramini fundæ accommodat; fundam artificiosè in gyrum circa caput agit, iacit, frontem Gigantis ferit: cadit turris carnea: accurrit Dauid, iacentis caput gladio ipſiuſmet demetit, & illud cincinnis Meduſæis arreptum, tanquam lætiſſimum trophæum in altum ſiniſtrâ eleuat, dextrâ acinacem oſtentans, ſicque Sauli, eiuſque copijs expectatione ſuſpenſis occurrens.

TVNC cecinit DAVID citharam ſuam ſuauiſſimè digitorum argutijs percurrens, Pſalmum CXLIII. *Benedictus Dominu-*

minus DEVS meus, qui docet manus ad prælium, & digitos meos ad bellum. Cuius idcirco inſcriptio, titulus, & argumentum eſt: *Pſalmus Dauid aduerſus Goliath*:ſeu,vt legit Hilarius, *in Goliam*: aut,vt Pſalteria quædam, & Enarratores antiqui habent,*ad Goliam*,ſiue *Goliath*. Nam eſt gratiarum actio, vt Euthymius, ac Nicephorus docent, poſt trophæum de Gigante Duello deportatum. Inter laudes autem Dauidis, hanc etiam ex præcipuis recitat Auctor in Biblijs dictus *Eccleſiaſticus*,narrans capite XLVII. Quod *inuocauit Dominum Omnipotentem*:nimirum, depoſitâ omni diffidentiâ, quam virium imbecillitas ingerere poterat,&anxia ſolicitudine excuſſa:nec præſumens de viribus ſuis, vt loquitur S. Auguſtinus.Homilia XXXI. ſed D[illegible] o fidens, qui volatilibus cæli, nec ſerentibus,nec metentibus, nec congregantibus in horrea,pabulum offert, & à morte tuetur, quique lilia agri ſine cura veſtit;denique,qui in ſe confidentibus, dat victoriam proceſſerit: ideoque, DEVS *dedit in dexterâ eius tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis ſuæ.* Hoc animatus exemplo Iudas Machabæus, aduerſus exercitum virorum electorum ſexaginta millium, & equitum quinque millium non dubitauit inire certamen cum ſolis decem millibus virorum,ſic orans: *Benedictus es Saluator Iſraël,qui contriuiſti impetum potentis in manu Serui tui Dauid.* 1. Machabæor. IV.

MEMBRVM III.

FVNDÆ VSVS IN DVELLO.

PORRO, non eſt quod quis arbitretur, contemnendam planè peritiam vtendi *Fundâ*, quod illius nulla amplius in bellis videatur fieri mentio,& vbique inter homines militares eius exoleuerit vſus. Siquidem contingere poteſt, vt neceſſarium ſit, illud quoque vſurpare armorum genus, &, vt ex imperitia illud tractandi, exitium aliquis ſibi accerſat.Referam hic vobis opportunè, quod nuper Adoleſcens nobilis ſcripſit ex aula magni Principis,ad quam ſe contulerat, vt inter illius Palatinos cenſeretur, gratiamque aucuparet. Epiſtola ſic ſe habet.

ASCANIVS DRVSO Salutem.

INVENI, mi frater, quod in aulis paſſim contingit,inſidiatorem occultum, hominem potentem, & apud Dominum oppidò gratioſum, ac popularibus carum. Hunc & ego artibus aulicis inſtructus, quaſi ignarus quid contra me

agi-

ſtultitia, Iob. XLII. 3.

AT, pugnantem Iobum non exhibes, dicit Quiſpiam, vt CHRISTVM in PASSIONE Militem, vel Pugilem repræſentet. Benè habet. Quæ dicta ſunt præmittere placuit: nunc conceptionē meā percipite. Finge tibi IOBVM in ſterquilinio tanquam SAGITTARIVM, arcu, ſpiculiſque inſtructum, & cum oppoſitis ſibi depugnantem. Tres autem illi opponuntur, prima fronte amici, reuerà, illuſores: *Eliphaz* Themanites, *Baldad* Suhites, *Sophar* Naamathites. De quibus dicere poterat: *Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Pſalmo X. Hi, quot in innocentiſſimum iocos, quot dicteria, quot ſarcaſmos & lædorias, tot vibrabant ſagittas, quæ in ſcutum Patientiæ ſaxeum inuolantes repercuſſu velocius, ferociuſque in auctorum remittebantur capita. Interim Iob, ob hoc vnum exiſtimans labia tantùm circa dentes ſibi eſſe relicta, ore, vt arcu, linguâ vt neruo, retorquebat in illos ipſos, doctrinæ, religionis, humanitatiſque tela, quibus in bono malum ſuperare geſtiebat, & vincere. An non hæc eſt imago Chriſti in CRVCE SAGITTARII inimicos ſagittis ſe impetentes fortiter ſuperantem?

CERTE, CHRISTVM in CRVCE contemplor, vt ſagittas maleuolentiæ excipientem, ita beneuolentiæ miſſilia iaculantem. Si vllus, Chriſtus verè dicere potuit: *Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerūt ſagittas ſuas in pharetrā vt ſagittent in obſcuro rectum corde.*

Excipit en moriens blaſphema ſpicula linguæ,
Omnis nempe mali tunc ſcopus vnus erat.

A tribus autem impetabatur maximè, quorum perſonas ſuſtinebant, Pontifices, Phariſæi, Vulgus: nempe, à Mundo, Diabolo, Peccato. Ab his proficiſcebantur ſeptem blaſphemiæ, quas CRVCIFIXVS excepit. Prima fuit contra Humanitatem: *Vah! qui deſtruis templum* DEI, *& in triduo reædificas illud.* Secunda, in Diuinitatem: *Si Filius DEI es, deſcende de CRVCE.* Tertia, in ſupremam Poteſtatem: *Alios ſaluos fecit: ſeipſum ſaluare non poteſt.* Quarta, in Mediatoris dignitatem: *Si Tu es Chriſtus ſaluum fac temetipſum.* Quinta, in filialem CHRISTI erga Patrem pietatem: *Confidit in* DEVM, *liberet eum.* Sexta, in Regiam Domini Maieſtatem: *Si Rex Iſraël eſt deſcendat nunc de CRVCE.* Septima, in Chriſti Diuinam hereditatem: *Si Filius DEI es, mitte Te deorſum.* Hæ omnes, ſagittæ fuerunt acutæ, tela ignea, iacula veneno illita; ſed contorquebantur in clypeum è Petrâ illâ, cuius duritie ferrum omne retunditur: mittebantur in ſolem, ſed nulla ſagitta in Solem cadit: incurrebant in rupem, quæ non eſt iaculo penetrabilis.

CHRISTVS interim aliud exhibebat ſagittarum ſpectaculum. Intendebat linguæ ſuæ chordam, & vibrabat acutiſſimum amoris telum in pectus paternum vt illud humano generi iure infenſiſſimum, partâ victoriâ, ad ſuas partes, victoris iure pertraheret: *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.* Porrò, pectus Patris, quamuis adamante durius, tamen telo hircini ſanguinis aſpergine purpurati percuſſum, ceſſit, vt cera mollis,

lis, non alia ſagitta penetrabile. Eadem arte Matris cor terebrauit: *Mulier ecce filius tuus.* Eadem Latronem in tormentis ſocium confecit: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Eadem, & Centurionem ſuperauit: *Verè, Filius DEI eſt hic*; & Infernum, Mundum, ac Cacodæmonem deuicit. Superati enim ſunt, & deleti, vt Spiritus poſſunt, à CHRISTO CRVCIFIXO ſagittis illos impetente. Sanè, Patres plurimi, Doctoreſque Eccleſiæ CHRISTI brachia in CRVCE diſtenta, quaſi Arcum concipiunt, Cruce tanquam neruo vtrimque ligata vt contrahi, extendique poſſint. Hoc ſchemate S. Ambroſius [a] in Arcu fæderis poſito in nubibus CHRISTVM CRVCIFIXVM conſiderat. Quod etiam faciunt S. Gregorius. [b] Beda, [c] Rupertus Abbas, [d] alij: dum exponunt myſticè, quod à DEO promittitur. Geneſis IX. ARCVM *meum ponam in nubibus, & erit ſignum fæderis inter me & inter terram. Cùmq; obduxero nubibus cœlum, apparebit Arcus meus in nubibus, & recordabor fæderis mei vobiſcum, & cum omni anima viuente* Hunc enim Arcum vt CHRISTI Saluatoris figurã interpretantur. Quod iucundam habet declarationẽ: Si Nubes dicatur ſignificare Corpus Chriſti: triplex color triplicem eius ſubſtantiam, Carnem, Animam, Diuinitatem: vel triplicem eius ſupremam dignitatem, quæ prædixit Iſaias, Regis, Iudicis, Legiſlatoris.

B. Laurentius Iuſtinianus lib. de Agone triumphali cap 20. in Arcu CHRISTVM CRVCIFIXVM intelligit, ſic Milites Chriſtianos alloquens. Confixus in ſtipite CHRISTVS, tanquam Propitiator optimus in nubibus eleuatus eſt. quemadmodum Noë ſancto repromiſerat, di- cẽs, *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignũ fæderis inter me, & inter terram.* Benè Chriſti Brachia vt Arcus æreus concipiuntur, quæ dum in Cruce tenduntur, Crux apprehẽdatur vt chorda, quæ Arcus extremitates, ac ſemi circulum intendit. Sagitta in hoc Arcu fuit Anima CRVCIFIXI, quæ ſtatim, vt emiſſa fuit, hoſtes confecit, vicit Diabolum, Mortem occidit, ſpoliauit Infernum, ditauit Paradiſum. Ad imitationem facit, quod habet Didymus, [e] figuratè Brachia, Arcum æreum interpretãs: *Saluator noſter homo factus, cùm pro nobis decertaſſet, docuit nos, quomodo repugnantes vires infringeremus, & extenſis in precando manibus* (vt Sagittarij) hoſtes ſuperaremus.

INGENIOSVS Quiſpiam, & ad conceptiones militares pronus, hîc fingere poſſet, Bombardam, globum, iaculationem, ſicque in CRVCE victoriam reportatam. Fiſtula ænea, ſeu bombarda militaris, vt loquimur, turrium quaſſatrix, murorum demolitrix, exercituum diſſipatrix, ſulphureo nitroſoque plena puluere, ſumma vi ferream pilam euomit; ſi pila in quidpiam obuium, quod ſit durum ſolidumque, vt perfringere illud non poſſit impingat, ad latus ſcopi, quò tendebat, fertur, ac eo maiore impetu reſilit, quo vi maiore impellebatur. Corpus Chriſti in Cruce, tanquam ſubiecto pegmate tenſum, haud abſimile vide-

(a) *Amb. lib. de Noe. cap. 27.* (b) *Hom. 8. in Ezech.* (c) *in cap. 9. Gen.* (d) *lib. 4. de oper. Trinit. Gen. 36.* (f) *Didym. in Cate. Pſal. 17.*

videtur huic Machinæ, ſiue formam ſpe-ctes exteriorem: nam Bombarda maior, ſeu tormentũ bellicũ in ſuo pegmate ho-minem Crucifixum refert: ſiue affectum. Anima illius, ſiue ſpiritus, ſimilis pilæ fer-reæ fuiſſe concipiatur. Anima enim hu-mana ferè vt ſphæra imaginationi obij-citur: & quia nullam habet, rotunda illi figura adfingitur ſymbolicè. Dotes Chri-ſti, virtuteſque præclaræ, numero infini-tæ, copioſi inſtar pulueris, ex ſale, nitro, ſulphure, menti obuerſentur. Huic flam-mam iniecit ingenioſus Amor, Diuinus Amor: & eiaculari voluit in Patris æter-ni Manum, ſiue Potentiam.

PATER *in manus tuas commendo ſpi-ritum meum* Lucæ XXIII. 46. Hic ſcopus erat, in quem pulueris illius infinita vis pilam eam collimabat. Sed pila, quaſi ad latus, in Patris voluntatem, Decreto im-mutabili, de ſuperando Mundo, ſubigẽ-da Carne, de prædando Limbo, ſpolian-do Inferno, induratam atque impenetrabi-lem impegit. Quare, cùm tanta eius eſſet ſoliditas firmitaſque vt nihil poſſet per-rumpere, Pila, non minori, quàm miſſa fuerat, impetu, reſilijt; & peruaſit momẽ-to Limbum, illumque exhauſit; penetra-uit Infernum, quaſſauit eius muros, deiecit turres, confregit vectes ferreos, por-tas æneas aperuit, ingreſſa, vi virtuteque celerrima concuſſit omnia: deinde ſaltu facto in corpus ſuum redijt, illud exi-lire fecit, & reſurgere. O ingenioſa, potens, inuicta Bellatoris ſummi iacu-latio!

VULTIS aliam? Concipite Animam Chriſti, vt Bombardam; Amorem illius planè igneum, ceu pilam ferream; deſi-deria ſalutis humanæ, velut puluerem ni-trorum. Hoc explodi amorem in Cor paternum, moueri flectique neſcium: hinc reſilire tanto impetu, vt globus ille igneus in minutiſſimas diuiſus partes ad inferiora delatus fuerit, & tandem in Pentecoſte fidelium pectora inflamma-rit, per Eccleſiam vniuerſam diſperſus. Faxit inuictiſſimus IACULATOR è CRUCE CHRISTUS, vt quam ſemel mi-ſit in cor paternum amoris pilam, reper-cuſſu ad nos quoque delapſa ſuperbiæ molem deijciat, frangat turtim pertina-ciæ, ſternat Peccati propugnaculum, noſ-que vnà in terram virtute ſua deiectos ſibi penitus ſubijciat, non aliud ingemi-nantes, quàm cum Paulo proſtrato: *Do-mine, quid nos vis facere?*

NOTÆ.

§. IOSVE.] IESVS *Naue*, inquit S. Hiero-nymus Epiſt. ad Paulinum) *Typum Domini non tantum geſtis, ſed & nomine præfert: Ior-danem tranſit, hoſtium regna ſubuertit; diui-dit terrã victori populo; & per ſingulas vrbes, viculos, mõtes, flumina, torrentes atq; cõfinia, Eccleſiæ* (allegoricè) *cæleſtisq; Ieruſalẽ* (ana-gogicè) *ſpiritualia regna deſcribit. Legendus* Nicolaus Serarius, *quo nemo copioſius & ma-gis eruditè ſcripſit de Ioſue tomis duobus, quẽ ſequutus* Cornelius de lapide *compendio pe-ne eadem tradit. Idem cõſulendi de Iudicibus Hebræorum quos hic ordine nominamus. Præ-ter quos,* Schanus, Toruiellus, Maſius.

§. I. AOD Ambidexter] Iuxta ἀμφοτε-ροδέξιος. *Sed quia in Hebræo eſt* itter, ad ie-mino, *Hebraizantes*, vatablus, Arias, Pagni-nus, *vertunt* clauſus, *vel* captus manu dexte-

ra: quaſi dexteram habuerit mancam, aut, cõtractam, & impotentẽ, ideoq; ſiniſtra pro dextera vteretur: qualem Latini vocant Scæuam. *Sed Ambidexter dici potuit, clauſus, id eſt, ſeptus, condiſſus, aut cinctus manu dexterâ, quia vtraque manu vtens pro dextera, vndique ab vtroque latere, dextero, quaſi propugnatrice cingitur & protegitur. Idem rectè dicitur A-*pertus dexterâ, *quia dexterã ex vtroque latere habet apertam & expeditam ad pugnã: ſiue quia tam ſiniſtrâ, quàm dextera præliatur. Lege quæ diximus de Ambidextris, tũ naturaliter, tum moraliter in ſuperioribus.*

§. II. SAMGAR cum VOMERE] Vomis, *vel* Vomer, *dens vncus Poëtæ, eſt ferrum, ſiue cuſpis aratri; quo terra ſinditur & proſcinditur, quodq; liras facit, & vtrimque terram ſubruendo, quaſi Vomit, vnde inſtrumento illi nomen. Prouerbium eſt vetus:* Infige plagam ab aratro: *ſiue,* Impinge vomerem; *dici ſolitum, cùm quis iubet ſtrenuè pugnare, licet ſine arte. Eius originem recenſet Pauſanias lib. Eliac. 2. Glaucus quidam Cariſtius, cùm terram aratro proſcindenti, forte fortunâ vomer excidiſſet ab aratro, ſublatum aptauit manu vice mallei. Quod vbi conſpexiſſet pater Demylus, iuuenem produxit in Olympia ad pugilum certamen. Verùm, vbi iam artis imperitus plagis afflictus penè deficeret, pater acclamauit.* Impinge Vomerem, *admonens, vt ſic peteret hoſtem, ſicut vomere ſolebat vulnerare terram. Hac voce rediit animus iuueni, vicitq; Idem poſteà bis vicit Pythia, octies Nemenia, item octies Iſthmia. Nobis frequenter acclamandum, ſiue alijs, ſiue nobis ipſis, vt animemur & animemus* Impinge Vomerem: *nempe* CRVCEM D. N. I. C. *Sic enim myſticè Vomerem interpretati ſumus. Quamuis non deſint aliæ ſignificationes ad mores & pietatem accommodatæ.*

I. Vomer *eſt confeſſio, inquit Gloſſa, quia ſicut vomere aperitur ſcinditurq; terra, vt ſemen recipiat, & fructificet: ſic Confeſſione reſcinditur terra cordis noſtri, vt ſemen Verbi & gratiæ DEI recipiat, per illudq; fructus bonorum operum producat. Hac ergo percutiuntur Philiſthæi, id eſt cadentes; nempe, peccata & vitia, quæ nos cadere faciunt in profundum inferni.*

II. Vomer Origeni *ſignificat ſimplicem monitionem, quæ etiam conuertit animas.*

III. Vomer *deſignat vim verbi DEI in anima, quo eradicãtur ſpinæ vitiorũ, & cordis duritia mollitur. Sic* S. Hieronymus *in Iſaia c. 2.*

IV. Vomer *denotat linguam Prædicantiũ. Iſaiæ ſecundo, 4.* Conflabunt gladios ſuos in in Vomeres, & lanceas ſuas in falces. *Vomeres ergo DEI ſunt Prædicatores, viriq; Zeloſi, qui agrum Domini operibus caritatis, verboq; & exemplo ſcindunt, & arant; quiq; vt ait* Tertull. *lib. IV. contra Marcion.* 1. *c. ſunt bonæ frugis operarii.*

V. Vomer *exprimit affectum geminæ caritatis, vel, ſenſum & animum probum. Ita* Tertullian. *loco allegato.*

VI. Vomer *ingerit ſignificationem ſtudij pacis, modeſtiæ concordiæ: vomere enim terra aratur tempore pacis, non belli. Quod indicat Iſaias loco citato, & obſeruat* Tertullianus *lib. tertio contra Marcionem cap. 21.*

SAMGAR itaque non tantùm fuit Typus Chriſti, quia Vomere, id eſt, CRVCE *hoſtes trucidauit: ſed etiã, quia vomere prædicationis Euãgelicæ percuſſit Philiſthæos, id eſt, Dæmones, idololatras, & impios, dum idololatriã & impietatem ex mentibus hominũ ſuſtulit.*

AD Militiam Chriſtianam etiam pertinet, quod ſuggerit Samgaris hiſtoria: optimos Milites eſſe ſub Chriſto, qui optimi fuerint, ſuntq; in agro Dominico operarij, qui agrum Domini excolunt ſtrenuè: qui aratrum tractant ſedulo, ſed aratrum Euangelicum: qui Vomere prædicationis terram animarum proſcindunt. Valet hic ſimilitudo à Militia profana. Ab aratro & Vomere vocati fuerunt fortiſſimi Romanorum Duces ad Dictaturam, Camillus, Curius, Cincinnatus, Fabritius, *alij, qui Romam à Gallis, Samnitibus, ſimilibusq; hoſtibus liberarunt. Plinius lib. XVII. cap. 1.* Fortiſsimi viri, & Milites ſtrenuiſsimi ex agricolis gi-

gnuntur, minimèq; malè cogitantes. *Maximus Tyrius orat.* xxiv. Agricola continuo labore exercetur, ſub dio degit, amicus Soli, domeſticus niuibus, compactis membris diſcalceatus, manu promptus, peruigil, pedibus pernix, ad ferendū robuſtus; quem ſi pugnare oporteat, Militem videas exercitatum in laboribus veris, quales expertus eſt Darius in Marathonia pugna.

§.III. GEDEON] *Multiplex fuit analogia inter* CHRISTVM *&* GEDEONEM *eius figuram. Sedecim profert Cornelius Iſaia* ix. 4. *ad illa prædicta de Chriſto:* Sceptrum Exactoris eius, *id eſt, Imperium Dæmonis*, ſuperaſti, ſicut in die Madian, *ſicut Gedeon confregit Madianitas famoſa illa victoria & die, quæ ab omnibus celebratur. Colliguntur ex* Origene *hom.* 8. *&* 9. *in lib. Iudic.* Auguſtino *ſer.* 108. *de Temp.* Theodor. q. 14. *&* 15. *in libr. Iudicum ex quibus multa* Serarius *&* Salian.

I. Gedeon *hebraicè ſignificat eum, qui conterit, confringit, ſiue exſcindit iniquitatem: vt fecit Dux ille fortiſſimus qui deſtruxit aram Baal, & lucum ſuccidit, atque altare* Domino *extruxit. Haud ſecus Chriſtus Synagogā ſubuertit, idola deſtruxit, Eccleſiam & verum altare ædificauit, iuxta dictum Ieremiæ* 1. 10. Conſtitui Te, vt euellas, & deſtruas, ædifices & plantes.

II. Gedeon *purgabat frumenta in torculari. In Chriſti manu eſt ventilabrum vt purget aream ſuā; idq; facit in torculari afflictionum &* CRVCIS, *ſicut & ipſe illud calcauit ſolus.*

III. Gedeon *obtulit Sacrificiū ex carnibus hædi & farina. Chriſtus obtulit ſe hædum immaculatum, per ſe in* CRVCE, *& ſub ſpecie panis ac vini in Euchariſtia.*

IV. Gedeon *venit in ſubſidium populo* DEI, *quando Madianitæ grauabant illum ſeruitute. Chriſtus cum aduerſariæ poteſtates genus humanum opprimebant. Madian Hebraïs idem eſt, quod litigans, ſiue iurgator. Cum quibus litigatur à bonis? nonne cum Principibus tenebrarum, cum ſpiritualibus nequitijs ac poteſtatibus? cum Dæmone, Mundo, & Carne? Chriſtus etiam aduerſarios habuit rixatores, de quibus* Pſal. *ſecundo:* Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius?

V. Gedeon *conuocauit ad opem ſibi ferendam domum Abiezer, id eſt, patris mei auxilium. Chriſtus ſolitus eſt inuocare, & orare Patrem æternum, & eius in cunctis auxilio niti.*

VI. Gedeon *collegit copias ex Aſer, Nephthalim, & Zabulō, qui & occurrerūt. Nōne ex iiſdē tribubus acceſſerunt ad Chriſtum primi eius Milites ac Duces, nempe Apoſtoli?*

VII. Gedeon *Vellus in area poſuit, vt rorem acciperet. Ros, vt exponit Auguſtinus fides eſt, & Verbum* DEI: *hæc primùm fuêre penes Iudæos tantùm, qui ſunt iſtud vellus. In area poſuit Gedeon vellus, quia illic frumenta triturantur. Hæc area eſt Eccleſia, in quā meſſis multa, operarij pauci: & in ea vult Chriſtus triturari frumentum ſanæ doctrinæ. Expreſſit rorem in Concham Gedeon. Chriſtus in vltima cœna ſordes Apoſtolorum abluturus aquam in peluim miſit, & quotidie idfacit expreſſo rore in Baptiſmi fonte. Vide plura in Opuſculo* Sandæi, MARIA *Patrona, Oratione tertia, quæ inſcribitur,* Vellus Gedeonis, *dicta in feſto Annunciationis.*

VIII. *Sicco Vellere ros in totam aream migrauit. Verbum* DEI *& fides tranſijt in gentium populum.*

IX. Gedeon *multos dimiſit de exercitu. I. Omnes formidoloſos & timidos. Chriſtus repudiat, vt ignauos milites, & indignos* Diſcipulos, *eos, qui non tollunt* CRVCEM *ſuam, qui parentes, & animam non oderunt, qui omnibus non renunciant.* 2. *Eos qui curuato genu bibebant. Chriſtus reijcit eos, qui animo remiſſo tentationi ſuccumbunt.* 3. *Paucos retinet Gedeon, eoſq; qui more canum tantum lambuerant aquas. Nonne à Chriſto multi vocati, pauci electi? videlicet ij ſolùm, qui canibus comparati men-*

tem-

rentur. Quod animal eſt vigilantiſſimum, mirè velox, domino ſuo gratiſſimum & fidiſſimum: & qui manu haurientes aquam lingua lambuerunt: qui nec ſtrati, nec proni ob peccati ſitim, vitijs indulſerunt: verùm flecti neſcij ad terrena deſideria, & fiducia Domini ſuccincti, ſtantes audacter pronunciant illud: Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Dominus eſt ſalus mea, quem timebo? Dominus protectio mea, à quo trepidabo? *Ita ſtantes hauriunt aquam manu, & lambunt linguâ, quando verbo & opere militant: quando faciunt ipſi iuſſa DEO, & docent alios eadem facere.*

X. Gedeon *habuit Milites* ccc. *Quo numero, 1. indicatur fructus centenus, per Chriſtum triplicandus; & perfectio virtutum omnium TRINITATIS beneficio exhibenda. 2. denotatur* CRVCIS *myſterium: nam littera T. trecentorum nota exprimit Crucis formam. Nimirum Crucis trophæo hoſtes Chriſtus ſubegit, & ſic Gentes, quæ Græcorum nomine in Nouo Teſt. ſolent deſignari ad fidem attraxit. Ita ferè S. Auguſt. cap. 37. in lib. Iudic. Addit, hunc* CCC. *numerum, etiam in vernaculis Abrahæ conſignari, adiunctis x. & VIII. vt ſingulis temporibus Senarium tribuentes, tertio tempore, quod eſt tempus gratiæ id impletum intelligamus. Similia habet* S. Ambr. *lib. de Noë & Arca cap. penul. & libro de Ioſeph cap. 13. & lib. de Abraham, cap. 3. Vide ſuperius Comment. de Monomachia Chriſti expreſſa in Abrahamo.*

XI. Gedeon *deſcendit ſpeculaturus in caſtra hoſtium cum puero ſuo* Phara, *ſiue* Pura. *Hoc torcular ſignificat, quod Dominus Chriſtus ſolus calcauit.* Phara *diuiſionem, nempe, diuiſis per orbem Apoſtolis, Chriſtus ſpirituales Madianitas ſubiugauit: & Apoſtoli in hoc torculari fiduciam habentes, intrepidè caſtra verterunt exterorum.*

XII. *Quidam vidit Panem ſubcinericium volui, & caſtra hoſtium ſubuertere. Quid hac torta panis eſt aliud, quàm SS. Eucharistia, quæ ſub humili Humanitatis cinere, in ardentiſſimo Amoris clibano (PASSIONEM Dominicam intellige) excocta fuit, & ſubruit quotidie omnes acies infernales, omnesq; exercitus hoſtium Eccleſiam DEI impugnantium.*

XIII. Gedeonis *Militibus dantur lampades ardentes in vaſis teſtaceis. Apoſtoli Milites Chriſti, vt de ſe ſcribit* D. Paulus *theſaurum luminis Euangelici in vaſis fictilibus habuerunt, quibus per martyrium fractis, perſequutores ſuos vicerunt. Nos etiã iubet Chriſtus ſtare ſuccinctos, habentes lucernas ardentes in manibus, & luce operum fulgere cùm tempus eſt, vt qui nos viderint, laudent Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt.*

Adhæc. *Lagena fictilis, quæ intus continet ſplendorem ardentis lucernæ, optimum eſt ſymbolum Emmanuelis, qui cùm tectam Diuinitatem abſconderet in carne mortali, vbi ea per Paſſionem colliſa, atque confracta eſt, Diuinitas emicuit in Reſurrectione; atque etiam ipſa eius Morte obſcurato Sole, concuſſa terra, & petrarum crepitu fractæ ſunt vires Madian, id eſt, Diaboli & Tartari.*

XIV. Gedeonis *Milites Buccinas ſiue Tubas tenebant in manu læua, inermes cætera. Apoſtoli de rebus diuinis ſemper diſſerebant. At, cur in Græco hæ Tubæ dicuntur corneæ? Fortè, quia de Chriſto & Sanctis dicitur,* Cornu eius exaltabitur in gloria. *Hoc accidit, quando Apoſtoli ediſſeruerunt Sacramenta ſcientiæ Chriſti: Myſterium ſanè* CRVCIS *cornibus ſolet deſignari Abacuc.* III. 4. Cornua in manib' eius: ibi abſcõdita eſt fortitudo eius.

Conſiderandum & illud, quod in Gedeonis victoria, vbi ſine vlla opera hominum deleti ſunt hoſtes, palam apparuit DEI brachium. Quid enim habebat Gedeon, *præter inanem ſtrepitũ lagenarũ, quo vix mures abigi potuiſſent? Adhæc, trecentos habebat* Milites, *quos tot millibus hoſtium oppoſuit, quibus pro armis dedit hoc inane ſtrepitus terriculamentũ.*

Illuſtris ſpecies victoria Chriſti Ducis, qui inimicorum exercitus ſolo nutu verboq; ſuo profligabit, & interficiet, 2. ad Theſſ. 2. 8.

XV. Gedeonis *hoſtes* Madianitæ *ſua ſe cade truncarunt. Hoſtes Chriſti Iudæi potius inteſtina diſcordia, & ſeditionibus, quam Romanorum armis perierunt. Philoſophorum ſecta altercationibus, & contentionibus inuicem deſtruxère. Heretici, vt Cadmai fraterculi, mutuis ſe diſſidijs, & vulneribus conficiunt. Hinc victoria Eccleſia.* Hæreticorum compugnatio noſtra eſt victoria, inquit Hieronym *in Ezech. Et* Hilar. *lib. 7. de Trin.* Bellum hæreticorum pax eſt Eccleſiæ.

XVI. Gedeon *Madianitas obiecit iugulandos Ephraimitis. Chriſtus & Apoſtoli reliquerunt Iudæos incredulos & contentioſos Romanis delendos.*

§. SAMSON.] *Typus fuit Chriſti & Religioſorum. Lege Hieronym. Platum lib. 2. de Bono ſtatus religioſi c. 19.* Samſon *Hebr. idem eſt, quod* Sol Iuſtitiæ; *vel* Sol paruus, Soliculus, Solillus, *quem DEVS oriri fecit Hebræis ſedentibus in tenebris, ſicut Chriſtus fuit ortus vt magnus Iuſtitiæ Sol ſedentibus in tenebris & vmbra mortis Luca 1. Ita ferè* Auguſt. Beda, Serarius. *At Arias interpretatur etiam Sol* diruens, *vaſtans, populans, ſcilicet Philiſthæos*

§. IV. IAHEL.] *Typus fuit Humanitatis Chriſti, vt oſtendimus in textu. Præterea Matris Chriſti de qua Canticorum* VIII. 5: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens, innixa ſuper Dilectum ſuum? *Ipſa contriuit caput ſerpentis: de qua* Bernard. *ſerm. ſuper* Miſſus: *Cui hæc ſeruata victoria, niſi MARIAE? Item allegoricè repræſentat Eccleſiam, vt declaramus in textu. Denique, tropologicè, Animam ſanctam, fortem, pro DEO zelantem, ſicut Siſara* Diabolum, *quem lacte ideſt, oratione ſopit, & clauo Crucis enecat, ideſt, interimit.*

§. V. IOB.] *Iobi cum Chriſto collationem deducit Ioannes Pineda fuſius.*

SAGITTARIVS. *De DEO & Chriſto, quà Iudice, vtente Sagittis, actum eſt lib. 1. Comm. 3 §. 4. & Comment. 7. De Chriſto quà Equite dictum lib. 3. habente Arcum. De Sagittario legatur* Sandæi *Artifex Euangelicus vbi ſunt* 88. *ſymbola. ARCVS IRIS. Legatur Centuria* 3. Sandæi *de Crucifixo honorato, Decade 2. num. 1.*

Mirum fortaſſe videatur, quod cum Chriſtus in Cruce extenſus Arcus ſit, ipſe tamen à Ioanne Apocalyps. VI. videatur Arcum manu tenens, vt in ipſo exeat vincens, vt vincat. At Arcum quem tenet Chriſtus CRVX eſt; cuius cornua in manibus eius, ſicq; exit vincens, vt vincat: vincit autem in ſe & in membris.

BOMBARDARIVS, FISTVLATOR. *Contemplare Chriſtum in horto Gethſemani orantem, concipe eius Animam bombarda, ſeu fiſtula ænea perſimilem: Oratio illius ſit pila inſtar ferrea; obedientia, miſericordia, charitas, tanquam puluis nitroſus. Eiaculatur pilam ſeu globum orans:* Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. *Scopus erat Patris æterni voluntas decreto ſtabili firmata, in quē pulueris iſtius infinita vis pilā collineabat: at vt in tam ſolidum & impenetrabilem impegit ſcopum, cuius tanta ſoliditas, vt nihil ei poſſit reſiſtere, ingenti impetu reſilijt, fecitq; exclamare Chriſtum:* Non mea, ſed tua voluntas fiat. *Alia modo vtitur comparatione bombarda & amoris Chriſti,* Martinus Delrius, *Lectione ſecunda de Paſſione Domini. Legatur etiam* Daniel Mallonius *l. de S. ſigmat. cap. 15.*

LIBER VI.

MILITIA CHRISTIANA DVELLATRIX.

ARS

Et Exercitium Duellandi

ECCLESIÆ MILITANTIS.

COMMENTATIO I.

DVELLVM DAVIDIS CVM GOLIATH

Litteraliter. Allegoricè. Myſticè. Tropologicè.

Præualuit Dauid aduerſus Philiſthæum in Fundâ, & lapide. 1. Regum XVII.
Benedictus Dominus Deus meus, qui docet Manus meas ad prælium, & Digitos meos ad bellum. Pſalmo CXLIII. 1.

MEMBRVM I.

Superatur Mammon Cacodæmon à Milite Chriſtiano Fundâ & Lapide.

Academici Chriſtiani.

QVOMODO erudiri poſſint Digiti ad bellum ſatis fuſè in ſuperioribus declarauimus, quãdo autẽ & quo pacto ijs potiſſimùm ſit vtendum cùm exponeremus, indicatum fuit. Digitorum in congreſſu cum hoſte vſum magnum eſſe in rotandâ fundâ, quam peritiſſimè tractauit Dauid contra Philiſthæum. Itaque, vt intelligatis, quomodo fundę applicare Digitos, quo-

modo diſtringere, quomodo rotare ac circumferre, quomodo ad certum ictũ deſtinare, denique quomodo illius iactu hoſtem inuadere, illumque proſternere poſſitis, docebo vos varium inſtrumenti illius bellici vſum. Qui præcipuè valet contra hoſtem illum, quem Chriſtus Dominus nomine MAMMON ſignauit apud Matthæum. Capite VI. Quamuis enim *Mammon* Chaldaicè, & *Mammona* Syriacè, Diuitiæ dicantur, vt D. Hieronymus docet, & ex Hebræis Elias in Thisbi: quibus fauent Pæni: nam voce Punica, quæ Hebraicæ, Chaldaicæque affinis eſt, lucrum vocatur Mammon, vt D. Auguſtini teſtimonio conſtat (*a*) tamen cũ Chriſtus in Euangelio *Mammon* opponat DEO: *Non poteſtis* DEO *ſeruire & Mammonæ*; vt ſit oppoſito magis congrua & directa, per *Mammon*, Spiritum aliquem malignum, fortunis per fas & nefas augendis præpoſitum, & auaritiæ, ac cupiditatis cuiuslibet indomitæ præſidem, ſeu *Diabolum* intelligamus. Contra quem & omnes eius phalanges, quomodò ſit rotanda FVNDA ſpiritualis & myſtica, docere aggredior.

(a) *S. Aug. lib. 2. de Serm. Domini & ſer. 35. de verb. D. ſecund. Luc.*

MEMBRVM II.
HISTORIA DVELLI DAVIDICI.

HOc vt fiat commodius, reuocate in memoriam narrationem ſingularis certaminis, inter Dauidem adoleſcentem rufum, & Goliath Gigantem Philiſthæum, quæ habetur lib. I. Regum, cap. XVII. In eâ DAVID Typus fuit CHRISTI, ac conſequenter, *Militis Chriſtiani*: (a) Goliath repræſentabat *Mammona*, & quemlibet eius ſatellitem animæ DEO deuotæ inſidiatorem & oppugnatorem. Superbiſſimus *Goliath* confiſus vaſtitate corporis, erat enim molis prodigioſæ, inſtar turris, prouocauerat ſuperbè aliquem ex agminibus Iſraël. Omnibus alijs territis, ac ſe ſubducentibus, paſtorculus Dauid, ætatis teneræ, corpore delicato nec procero, formoſiſſimâ facie, gregi cuſtodiendo aſſuetus, veniens. Pſal. LXXVII. 70. *de poſt fætantes*, vt ipſe deinde cecinit, offert ſeſe, pugnaturum ſe ſpondet, arma poſtulat: ſua illi donat Saul Rex: reſpuit Dauid, vt minus ſibi conuenientia: *Fundam* ſuam aptat: *Lapides* quinque limpidiſſimos ex torrente ſelegerat, & in perâ paſtorali repoſuerat, ex ijs vnum foramini fundæ accommodat; fundam artificioſè in gyrum circa caput agit, iacit, frontem Gigantis ferit: cadit turris carnea: accurrit Dauid, iacentis caput gladio ipſiuſmet demetit, & illud cincinnis Meduſæis arreptum, tanquam lætiſſimum trophæum in altum ſiniſtrâ eleuat, dextrâ acinacem oſtentans, ſicque Sauli, eiuſque copijs exſpectatione ſuſpenſis occurrens.

TVNC cecinit DAVID citharam ſuam ſuauiſſimè digitorum argutijs percurrens, Pſalmum CXLIII. *Benedictus Dominu-*

minus DEVS meus , qui docet manus ad prælium , & digitos meos ad bellum. Cuius idcirco inſcriptio, titulus, & argumentum eſt : *Pſalmus Dauid aduerſus Goliath*:ſeu,vt legit Hilarius, *in Goliam*: aut,vt Pſalteria quædam, & Enarratores antiqui habent,*ad Goliam*,ſiue *Goliath*. Nam eſt gratiarum actio, vt Euthymius, ac Nicephorus docent, poſt trophæum de Gigante Duello deportatum. Inter laudes autem Dauidis , hanc etiam ex præcipuis recitat Auctor in Biblijs dictus *Eccleſiaſticus*,narrans capite XLVII. Quod *inuocauit Dominum Omnipotentem*:nimirum , depoſitâ omni diffidentiâ , quam virium imbecillitas ingerere poterat,&anxia ſolicitudine excuſſa:nec præſumens de viribus ſuis. vt loquitur S. Auguſtinus.Homilia XXXI. ſed D[illegible] o fidens, qui volatilibus cæli , nec ſerentibus,nec metentibus, nec congregantibus in horrea,pabulum offert, & à morte tuetur , quique lilia agri ſine cura veſtit;denique,qui in ſe confidentibus, dat victoriam proceſſerit: ideoque , DEVS *dedit in dexterâ eius tollere hominem fortem in bello , & exaltare cornu gentis ſuæ.* Hoc animatus exemplo Iudas Machabæus , aduerſus exercitum virorum electorum ſexaginta millium , & equitum quinque millium non dubitauit inire certamen cum ſolis decem millibus virorum,ſic orans: *Benedictus es Saluator Iſraël,qui contriuiſti impetum potentis in manu Serui tui Dauid.* I. Machabæor. IV.

MEMBRVM III.
FVNDÆ VSVS IN DVELLO.

PORRO,non eſt.quod quis arbitretur, contemnendam planè peritiam vtendi *Fundâ*, quod illius nulla amplius in bellis videatur fieri mentio,& vbique inter homines militares eius exoleuerit vſus. Siquidem contingere poteſt, vt neceſſarium ſit , illud quoque vſurpare armorum genus, & , vt ex imperitia illud tractandi,exitium aliquis ſibi accerſat.Referam hic vobis opportunè , quod nuper Adoleſcens nobilis ſcripſit ex aula magni Principis,ad quam ſe contulerat , vt inter illius Palatinos cenſeretur. gratiamque aucuparet. Epiſtola ſic ſe habet.

ASCANIVS DRVSO
Salutem.

INVENI, mi frater, quod in aulis paſſim contingit,inſidiatorem occultum, hominem potentem , & apud Dominum oppidò gratioſum , ac popularibus carum. Hunc & ego artibus aulicis inſtructus , quaſi ignarus quid contra me agi-

agitaret animo, colere perrexi. Ille furenter ſæpe iraſcebatur: quo enim plura à me in illum officia proficiſcebantur, eo grauius ſimulatione, qua me vti non dubitabat, offendebatur. Obtegendi tamē ſui callidus, odia, ne vindictam perderet, premebat. Hic non multo poſt, virum quendam nobilem ex hac gente corpore prævalidum, omni genere armorum exercitatum, formidabilem, & multorū ſanguine oblitum; duellatorem occultè in me concitat. Eius ego irriſus & contumelias, cùm ferocius exciperem, ad duellum prouocor. Et quamquam nullā ſpe victoriæ, viribus & armorum ſcientiā impar, diem tamen dico fatali ſuperbiā, magis nomen meticuloſi, quàm improbi veritus. Lege ferali ſancitum erat, vt prouocatus arma eligeret. Pridie igitur quàm pugnaremus, mortis inſtrumēta domum meam, non ſine pompa, vt hic mos eſt, deferebantur: gladij, arcus, ſariſſæ, pila, bipennes, clauæ, cæſtus, ſclopi, bombardulæ. Quid non tentatum ab amicis, vt pugna impediretur? ſed fruſtra exacerbatis vtrimque animis, ac regi neſcijs. Nocte, quam ſupremam arbitrabar, me mæſtum ſomnus occupat: viſus adeſſe mihi quidam, cui fidebam plurimū, ac monere, imparem me eſſe prouocatori, victorem tamen me fore, ſi reiectis aduerſarij armis, FVNDA pugnarem. Id mihi gratum: nam eo inſtrumento, deſtinata nunquam errante dexterā, feriebam, à ſeruo quodam Arabe edoctus artificioſè digitis *Fundam* tractare.

LÆTVS igitur ſtrato me corripio: *Fundas* binas apparo, globoſque è plumbo, atque alijs armis, quæ curru impoſueram, adijcio. Matutinus cum ſocijs adeſt prouocator, deſignantur arbitri, vt in duello ſolent, arma cum euehuntur. Atque ita compoſiti ſimul egredimur, effuſā ciuitate, manifeſta erga me miſeratione, erga illum odio. Cum in arenam ventum eſt, ego meos, ille ſuos amplexus vltimum valediximus. Deinde, ex more ſæuitiæ gladiatoriæ, nos quoque ante vulnera, amicitiæ imitamenta iunctis pectoribus peragimus. Quod dum faceremus, orta eſt comploratio toto campo, cùm homo robuſtus, & grandis, dum me complectitur, toto vertice ſupereminere cernitur. Solabar me tamen fauore populi, & ſi caderem, pompa funeris, quam fieri pecunia curaram feſtiuiſſimam, cum omnium, quæ in vrbe ſunt, campanarum compulſatione, & exploſione bombardarum militari. Hoc meum erat futurum decus: hoc ſolatium extremum. Sic itur ad Orcum. Ab inimico amplexu digreſſus arma ſingula contuor, purpuraque, qua intecta erant euoluo. FVNDAS & peras plumbo graues ante pedes mirantis proijcio: alterutram vt eligat, iubeo. Ille exalbeſcere, longèque recuſare: non illa arma virorum, ſed ludicra puerorum eſſe. Ad ſeriam pugnam ſe, cruentamque veniſſe, quā virium & virtutis decus cerneretur. Ad me, inquiebam, quod attinet, nulla arma recuſo, ſed hæc elegi modò iure meo, quippe prouocatus. Atque me ego Æthiopum, Arabum, etiam Romanorū exemplo tueor, apud quos pars caſtrorū ſunt, *Fundibularij*. Beniaminæos, & DAVIDEM quoque memorabam, FVNDA cum Goliatho gigante congredientem. Arbitri pro me iudicarūt, & ingenti clamore ſpectatores plaudebant.

EXVI-

EXVIMVR igitur veſtes, & ſeminudi pugnamus. Lentè ille, ac inſcientei *Fundam* vibrabat: nullus mihi in irritum cadebat ictus: nec vitalia tamen tangere animus erat: crura, brachia, humeros feriebam. Tandem ille dolore ardens, iráque gladio arrepto, contra legem duelli me aggreditur, verùm tardiore greſſu, contuſis tibijs, tum longiore me ſpacio ſubduco, totiſque viribus habenam contorqueo: ex longinquo autem inardeſcere metallum, & lique factum in vulnere ſæuire. Itaque horrendum clamans concidit; delatusque domum, inter curationes obijt, me æquæui ſodales domum reduxêre. Aulæ ſupremus Præfectus reducem conuiuio excepit: nec vllum beneuolentiæ ſignum, quod aſtu aulico fingi potuit, omiſit. Ita ferè reperi ſcriptum ex Aulâ Æthiopicâ à nobiliſſimo iuuene. Siue autem ſit hiſtoria, ſiue parabolica narratio, duo ex ea colligo. Vnũ, referre plurimum, vt Adoleſcens nobilis ac generoſus, militiæ, vel au'is deſtinatus, tum in omni alio armorum genere tractando, tum in vtendâ *fundâ* ſit expeditus. Alterum, quod vni accidit in Aulâ Æthiopicâ, multis alijs, & tibi accidere poſſe in aula Europæâ.

MEMBRVM IV.

DVELLVM DAVIDIS CVM GOLIATHO

Figura fuit certaminis Singularis

CHRISTI CVM LVCIFERO.

Senſu peculiari S. Auguſtini.

VERVM, quod dicimus, de Fundæ vſu in congreſſu cum prouocatore, multo magis locum habet in conflictu ſpiritualia, vbi frequentiſſimè FVNDA SPIRITVALIS, ſpiritualimodo eſt vſurpanda. Quod ſibi perſuaſum habuerunt Scripturæ Diuinæ Interpretes, & antiqui Eccleſiæ Doctores, qui dum enarrant hiſtoriam Regum, aut commentantur in Pſalmum CXLIIIum, Monomachiam Dauidis cum Goliath applicant CHRISTO Domino certanti cum Cacodæmone Lucifero. Nam in illo ſingulari certamine typus CHRISTI fuit DAVID, figura Diaboli. Gigas Goliath D. Auguſtini(*a*) præ ceteris accurata & vtilis eſt iſta commentatio. Cùm aduerſus po- " pulum DEI alienigenæ dimicarent, " prouocauit vnus vnum, Goliath Da- " uid. In quo certamine voluntas DEI " pro cuiuſque partis victoria probare- " tur. Sed quid de victoria ſatagimus, " quando prouocantem prouocatum- " que cernimus? Prouocauit Impietas " Pietatem: prouocauit Superbia Hu- " militatem: poſtremò, prouocauit " Diabolus Chriſtum. Quid miramini " Dia-

(a) *Enarratione in Pſalmum* 143.

Diabolum victum? Ille erat grandis " ſtatura corporis: iſte autē ſtaturâ par- " uus,ſed fide magnus: multo ſcilicet " Homerico Tydeo laudatior. Accepit " arma bellica S. Dauid vt aduerſus Go- " liam procederet. Hæc arma per ætatem, " & paruam ſtaturā corporis portare non valuit: abiecit onerantia, non " adiuuantia. Accepit quinque lapides " de flumine, & poſuit in vaſe paſtorali. " His armatus corporaliter, nomine " autem DEI ſpiritualiter proceſſit, & " vicit. Hoc quidem ille Dauid, ſed myſteria perſcrutemur. Omnia enim hæc " ex Apoſtoli ſententia in figura contingebant illis, 1. Corinth. x. "

IN DAVID CHRISTVS, ſed Chriſtus, quà Caput, & quà Corpus. Non " ergo hîc audiatis aliquid ex perſona " Chriſti, quaſi ad vos non pertineat, " qui eſtis membra Chriſti. Noſtis multis ſacramentis viſibilibus, & corporalibus oneratum fuiſſe populum primū " (Hebraicum) Circumciſione, negocioſo Sacerdotio, templo figuris pleno, multiplicibus holocauſtorum, ſacrificiorumque generibus. Hæc Dauid noſter, tanquam arma prementia, " non adiuuantia poſuit. Si enim data " eſſet Lex, quæ poſſet viuificare, verè ex " lege eſſet Iuſtitia. Vt quid ergo Lex? " Sequitur. Scriptura omnia ſub peccato concluſit, vt promiſſio ex fide IESV Chriſti daretur credentibus, ad " Galatas tertio. Denique iſte Dauid " ſcilicet Chriſtus, Caput, & Corpus " tempore reuelationis Noui Teſtamenti, tempore miſericordiæ, & cō- " mendandæ DEI quid fecit? Arma " poſuit: Quinque lapides tulit. Arma, " vt diximus onerantia poſuit. Ergo illa " Sacramenta legis, quæ non ſunt impoſita Gentibus, poſuit, quæ non obſeruamus. Meminiſtis enim quanta in " Veteri Lege legamus, & non obſeruemus. Sed tamem ad aliquam ſignificationem præmiſſa, & propoſita eſſe intelligamus; non, vt abijciamus legem DEI, ſed vt Sacramenta promittentia, impletâ promiſſione, non celebremus. Quod enim promittebant, " venit. Gratia enim Noui Teſtamenti " in lege velabatur: in Euangelio reuelabatur. Velum remouimus: quod velabatur agnouimus. Agnouimus autem in gratia gratiam Domini Noſtri " IESV CHRISTI, Capitis & Saluatoris " Noſtri, qui pro nobis CRVCIFIXVS eſt. " Quo Crucifixo etiam velum templi " conſciſſum eſt. Denique, Arma ille " poſuit, tanquam onera Sacramentorum Veteris Legis, & ipſam Legem " accepit. "

QVINQVE enim LAPIDES, quinque libros Moſis ſignificant. Tulit " ergo illos Quinque lapides de flumine. Noſtis, quid ſit fluuius. Labitur enim mortale ſeculum: prætetfluit " quicquid venit in mundum. Erant ergo in flumine, tanquam in populo illo " primo lapides: illic erant inutiles: vacabant, nihil proderant, tranſibant " ſuper fluuios. Quid fecit Dauid, vt " lex ipſa vtilis eſſet? Accepit gratiam. " Lex enim ſine gratiâ impleri non poteſt. *Plenitudo enim legis eſt Caritas.* " ad Rom. XIII. Et vnde eſt iſta caritas? " Vide ſi non ex gratiâ. *Caritas*, inquit " DEI *diffuſa eſt in cordibus noſtris per* " *Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis* "

ad

ad Rom.v. Quia ergo Gratia fecit im- " pleri Legem: ſignificatur autem Gra- " tia lacte. Hoc enim eſt in carne gra- " tuitum, vbi mater non quærit accipe- " re,ſed ſatagit dare. Hoc mater gratis " dat,& contriſtatur, ſi deſit,qui acci- " piat. Quomodo ergo Dauid oſtendit " legem Gratia operari non poſſe, niſi " cum illos lapides quinque, quibus ſi- " gnificabatur lex in libris quinque cō- " iungere volens gratiæ, poſuit in vaſe " paſtorali, in quo lac mulgere conſue- " uerat? His armatus, Gratia vtique ar- " matus, & ideò præſumens non de ſe, " ſed de Domino ſuo, præceſſit aduer- " ſus Goliam ſuperbum ſe iactantem, " de ſe præſumentem. Tulit vnum lapi- " dem, iecit: inimicum in fronte per- " cuſſit: cecidit ex eo loco corporis, ſi- " gnum Chriſti non habuit. Hoc quo- " que licet attendas: Quinque lapides " poſuit,unum miſit. Libri quinque le- " cti ſunt,ſed vnitas vicit. *Plenitudo enim* " *legis Caritas* ad Rom.XIII. Et Apoſto- " lus ait: *Sufferentes inuicem in dilectione* " *ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritus in* " *vinculo pacis.* Deinde, illo percuſſo, " atque deiecto, Gladium eius abſtulit, " & inde caput eius abſcidit. Et hoc fe- " cit noſter Dauid. Deiecit Diabolum de " ſuis. Quando autem credunt magni " eius,quos ille in manu habebat,& qui- " bus,tanquam Gladijs ceteros trucida- " bat, conuertunt linguas ſuas contra " Diabolum,tum Goliæ gladio proprio " caput inciditur. Itaque ſenſu D. Auguſti- ni: FVNDA eſt *Codex ſacer*, ſeu *Biblia*, quatenus continent *Vetus Teſtamentū*, quod habet in ſe *Pentateuchum*, ſeu libros quinque Moſis, tanquam *lapides*; quorum tota vis eſt in vno Caritatis, ſeu Gratiæ, quo petitur frons non ſignata CRVCE FIDEI, ideoque cadit monſtrū *Goliath*, qui Gladio accinctus Potentum huius ſeculi, ijs ad Chriſtum conuerſis, vt proprio enſe trucidatur.

MEMBRVM V.

MONOMACHIA DAVIDIS CVM GOLIATH.

Repræſentat Duellum Chriſti cum Satanâ Monte Caluariæ.

ALIA conſideratione ſpectatur CHRISTVS in Monte Caluariæ inſtar Dauidis cum Diabolo ſingulari certamine congredi progrediens cum baculo paſtorali, id eſt, CRVCE, & manibus extenſis, digitiſque diſcapedinatis FVNDAM ſpiritualem ligni tractans,& ex eâ QVINQVE VVLNERVM ſuorum lapides in aduerſarij ſui frontem conijciens,ſicque eum deijciens. Quæ eſt etiam conſideratio S. Patris Auguſtini, qui diuerſis locis,(*a*) myſticè per Goliath, Diabolum nobis reuelatum intelligi debere docet,ſicut & Theodoretus, (*b*) Expreſſius autem Sermone CXCVII. S. Auguſtinus: De manu, ait, ſpiritualis Goliæ, id eſt de Diaboli poteſtate per CRVCIS *Baculum* nos liberauit Chriſtus: Leo-

(a) *Serm.* 88. *& in Pſal.* CXVIII. (b) *Quæſtio* XL.

Leonem & vrſum ſtrangulauit, quando ad interna deſcendens, omnes de eorum faucibus liberauit. Percuſſit Goliam in fronte, vbi Crucis ſignaculum non habebat. Et quoniam, vt idem Homil. xxxi ſcribit, omnis ſuperbia habet impudentiam frontis in ipſa fronte, Lapide veniente, deiectus eſt. Vicit frons, quæ habebat humilitatem CRVCIS CHRISTI Propterea, & nos CRVCIS ſignum in fronte portamus. Arma Goliæ repoſita fuère in tabernaculo Dauid, dum nos facti ſumus Templum Chriſti, qui eramus arma Diaboli.

IN Monte Caluariæ dum Chriſtus duellauit contra ſpiritualem Goliath, verum fuit ſenſu accommodatitio, quod eſt apud Iobum cap. XLI, demptâ negatione, Behemothum *fugauit vir ſagittarius*: nec *in ſtipulam ei verſi ſunt lapides funda* (Behemoth Diaboli eſt imago) ſed vnum lapidem infixit in fronte eius, ac humi ſtrauit Vultis aliud *Duellum*, cuius typus fuit certamen Dauidis cum Goliath, pergite iterum ad Montem Caluariæ, in quo, ſpectante DEO, Angelis & hominibus, indignante cælo, mugiente Tartaro, blaſphemante Iudæo, anhelante ad ſalutem Gentili, exhorreſcente Natura, exſpectante Gratia, trepidante Terra, complorante Sole, ingemiſcente Luna, cadentibus Aſtris,

Mors & Vita duello
Conflixere mirando,
Dux vitæ mortuus
Regnat viuus.

In hoc *Duello*, qui cecidit, victor fuit; vt nos in fatali cum Morte Duello, quod nobis infallibiter ſuſcipiendum, & committendum eſt, cadentes corpore, ſurgentes animo; deuictos carne, victores ſpiritu; mortuos peccato, viuentes gratia Victorioſus ipſe in beatam inuehat, quã omnibus precor, Immortalitatem.

NOTÆ

§. I. MONOMACHIAE Dauidicæ hiſtoria & allegoria.] *S. Auguſtini ſermo* xx. *de diuerſis*, *inſcribitur*, De Monomachiâ Goliæ & Dauid *in quo ita diſſerit: Golias ingens ſtatura corporis, armis inſtructus viribus etiam exercitatus elatus iactantia ſuperbè prouocabat ad monomachiam aduerſarium populum, hoc eſt, vt vnus inde electus ab ipſis procederet aduerſus eum, vt duobus pugnantibus examen totius belli in medio verſaretur, pacto & placito addito, vt ſiquis illorum duorum viciſſet, vniuerſa parti, vnde ſteterat, tribueretur victoria.*

Rex populi Iudæorum erat Saul, angebatur, æſtuabat, quærebat in vniuerſo exercitu parem illi, verùm non inueniebat, nec forma corporis, nec audacia prouocationis. Cùm ergo æſtuaret auſus eſt puer iſte Dauid, non præſumens de viribus ſuis, ſed in nomine DEI ſui procedere aduerſus eum. Nunciatum eſt Regi, non audacia pueritia, ſed fiducia pietatis: nec Rex abnuit: non recuſauit. Intellexit, cùm videret audentem puerum, aliquid Diuinitatis in illo eſſe, nec illam teneram ætatem, ſine diuino inſtinctu, talia poſſe præſumère. Libenter accepit: proceſſit aduerſus Goliam. Plura ſunt in eodem ſermone valdè accommodata.

Eſt eiuſdem S. Auguſtini ſermo CXLVIII. *de tempore Dominica I. poſt Trinitatis de*

Dauid

Dauid & Golia.Item Domin IV. poſt Pente. Vbi,Quadraginta dies, *inquit*, ſtant Iſraelitæ contra Palæſtinos , propter quattuor tempora & quattuor partes orbis terræ: dum illi (*dies*) vitam præſentem ſignificant, in qua contra Goliath vel eius exercitum, id eſt , contra Diabolum & Angelos eius, Chriſtianorũ populus pugnare non deſinit.

Legatur etiam S. Auguſtinus in Pſal. CXXXIV.*Serm.4.de verb.Apoſt.;in Pſal.*XXXIII. *S Chryſoſtom.homil.*XLVI.*in Geneſ. S. Ambroſ.lib.1.off.capite* XXXV.*Sermone* LXXXVIII. *in Pſal*, CXVIII.*ſer.*XVIII.*vbi myſticè per Goliath Diabolum deſignari aſſerit. Theodoretus quæſt.40.Nazianzen.orat.*XL. *Cyrillus hom. tertia contra Ioannem Neſtorianum.S. Hieronymus inter Epiſtol. S. Auguſtini,Epiſtola* XI.*vbi cum ex cap.* VI. *ad Epheſios attuliſſet* Gladium ſpiritus, Galeamque ſalutis: Cum his *ait* , telis armatus Rex Dauid procedebat ad prælium , & quinque lapides de torrente tulit. *Digna ſunt lectu & conſideratione verba S.Chryſoſtomi in PſalmLmum.*

*Conſulendi Interpretes SSræ,in lib.1. Reg. cap.*XVII.*vbi Nicolaus Serarius:in Pſ.*CXLIII *vbi accuratè punctim multa Ioan. Lorinus.Egregiè Iacobus Pintus lib. De Chriſto Crucifixo lib.*IV.*Tit.1. Metro celebrant Dauidis generoſitatem Prudentius in Pſychomachia: & Paulinus metro natali Vto.*

*S.Brigitta lib.*VI.*cap.*41.Nunquid non Paſtor Dauid vicit Gigantem ?Sed quomodo? nunquid potentia & ſapientia? *S. Maximus Sermone* XXVIII.Cùm lapide Golias petitur,Chriſti virtute proſternitur.*S.Maximus benè,nec male S.*Macarius *homil Lma: Non ait Dauid* ἀθενὴς τὶν τῶ σώματι *potuiſſet Gigantem proſternere,ſed* DEVS *fecit. Deiecit Goliathum Dauid , non tribus lapidibus impactis,vt Gloſſa quædam habet Matthæi* IX. *Sed vnico,vt textus indicat.* Ioſephus hiſtor. & Auguſtin.*homil* XXXI.*& Orat. de quinque hæreſibus. Cecidit Goliath non ſupinus, ſed pronus,quia,vt ait* Pantaleon , *de S. Michaele:*Iſte Archangelus perculsit eum ponè.*tom.5.f.*415.

§.II.PERA,FVNDA.] *Peram paſtoralem* 1.*Reg.*XVII.*ver.*40 LXX*ta* κάδιον *vertunt. S.Chryſoſtomi Interpres*, Situlam S. Auguſt. *homil:*XXXI. *vas paſtorale, in quo lac mulgeri ſolet.*

FVNDA eſt inſtrumentum factum vel ex lino,vel ſetis,vel funiculis,quo funduntur,hoc eſt , iactantur lapides. Hoc tempore Fundâ *conſtat duobus funiculis , qui connectuntur inferius corio palmari, in quo paruum eſt foramen,cui imponitur lapis,vel globulus plumbeus. A* Funda *dicitur* Funditor , *qui fundâ dimicat.Fundarum genera lege apud Strabonem,vbi tria inuenies fol.* 116. *De lapidibus ſua leuitate ad fundam aptis conſule Pagninum.*

§.III. DVELLVM Chriſti in Monte Caluariæ.] CHRISTVS *caput noſtrum in deſerto variè tentatus Duellum iniit cum Satanâ,& victoriam reportauit: deinde in Monte Caluariæ cum Principe Mundi ſingulari certamine congreſſus,contrito eius Capite,ſua ſibi, & ſuos ſuo ſanguine extorſit,ac Cacum illum ſpeluncarium pro meritis tractauit. Expediuit tunc ſane vnum hominem mori pro populo,vt non tota gens periret.*Vnum pro multis.
detur caput.*canebat Poeta.*

COMMENTATIO II.
DVELLVM
DAVIDIS CVM GOLIATH
Quà permiſſo, conceſſo, licito, laudabili.

ET VNIVERSE

Duellorum permiſſio, conceſſio, iuſtitia, laus. *Itemq́;* Iniuſtitia & vituperium.

MEMBRVM I.
DAVID DVELLANS CVM GOLIATH TYPVS CHRISTI PATIENTIS
Et cum Morte confligentis

MORS & VITA DVELLO
Conflixere mirando

QVID geſtum ſit in valle Therebinthi, ab Adoleſcēte Hebræo, duellante cum Philiſthæo, enarrabo iterum hiſtoricè, paullò, quàm anteà factum eſt, vberiùs, adiunctis aliquot conſideratione dignis circumſtantijs. ACADEMICI CHRISTIANI Excipite.

ANNO orbis fundati, vt exiſtimat nobilis Chronographus, (*a*) bis milleſimo, nongenteſimo ſeptuageſimo primo, regni Saulis XII. bellum fuit atrox & pertinax inter Iſraëlitas & Philiſthæos, quorum dum caſtra eſſent inuicem oppoſita, venit Dauid, Adoleſcens pulcher & ruſulus, annorum viginti duorum, vt exiſtimo, haud friuolis coniecturis ductus. Miſſus is erat à patre ſuo ad inuiſendos fratres in caſtris regijs: in quibus murmur erat, & frequens ſermocinatio in circulis, de Philiſthæo Goliatho, viro proceritatis giganteæ, altitudine ſex cubitorum & palmi: cui caſſis erat ærea ſuper caput, & lorica ſquamea induebatur, cuius pondus quinque millia ſiclo-

(a) *Auguſtin. Torniell. Anno Mundi* 1971.

ſiclorum æris: ocreaſque æreas habebat in cruribus,& clypeus æreus tegebat humeros:haſtile autem haſtæ erat quaſi liciatorium texentium : & ferrum haſtæ ſexcentos ſiclos habebat ferri. Hic quotidie, armigero comitante præcedebat prouocans Hebræos, vt eligerent virũ, qui condiceret, iniretque ſecum ſingulare certamen, eâ conditione, vt ſi ipſe eſſet in duello ſuperior, Hebræi omnes ſeruirent Philiſthæis:ſin,contrà, Philiſthæi eſſent ſerui Hebræorum. Prouocatio hæc grauis eſt viſa & ignominioſa Hebræis,quod nemo eſſet; qui monomachiæ leges auderet ſuſcipere, licet Saul proclamari iuſſiſſet: *Qui percuſſerit Philiſthæum, ditabit eum Rex diuitijs magnis,& filiam ſuam dabit ei, & domum patris eius faciet ſine tributo in Iſrael.*

AVDIEBAT hæc Dauid, & æſtuabat generoſum pectus:cui flammas addidit aſpectus & ſuperbia glorioſi illius Militis itaque non ſine ſtomacho ceteris trepidantibus:*Quis eſt hic Philiſthæus*, dixit,militibus turmatim coeuntibus, *incircumciſus, qui exprobrauit acies DEI viuentis? Quid dabitur Viro, qui percuſſerit Philiſthæum hunc, & tulerit opprobrium de Iſrael.* Dixerat Dauid, & iam ſciebat Saul.Longæ ſunt aures Regibus. Accerſitus igitur, coram Rege intrepidus mentem ſuam aperuit,pugnare cum Philiſthæo certus, periculi ſecurus, victoriæ ſpe, an etiam prænotione clarâ, & anticipato oraculo? pleniſſimus? Vt vt res fuerit, quo Sauli diffidentiam demeret,narrauit facundiâ ſingulari, quã dexteritate vrſos leoneſque interemiſſet, ſperare ſe auxilio Numinis ſibi præſentis ſuperbum Goliathum, feris haud ferociorem ceſſurum,contra quem procedere iam ſit animus, bonâ Regis venia. Placuit Sauli adoleſcentis generoſitas:quam vt foueret, arma illi ſua tradidit Res noua,ſed huic propria hiſtoriæ: poſtquam Saulis galeam,loricam, gladium.fuiſſet intuitus, ſibique circumponi paſſus fuiſſet, reiecit, teſtatus ſibi minimè conuenire.Itaque baculo, ſeu pedo paſtoritio inſtructus,elegit quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram ſuam, *Fundam* autem volubilem manu tulit. Hoc apparatu perrexit ad Goliathum, qui Dauidem,velut Tityrum aliquem aut ruſticanum Menaleam ridiculè excipiebat, dicebatque non ſine ſarcaſmo: *Nunquid ego canis ſum,quod tu venis ad me cum baculo: ego carnes tuas dabo volatilibus cœli, & beſtijs terræ.* Riſit, exiſtimatione mea, Dauid, & reſponſum dedit milite pio ſimulque intrepido dignum. *Tu venis ad me cum gladio,haſta,ac clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini Exercituum,DEI agminum Iſrael, quibus tu exprobraſti.* Tuas hodie carnes altilibus proijciam.

NEC mora miſſo in *Fundam Lapide*, inuocatoque DEO Iſraëlitum circumductâ artificioſè *Fundâ*, & librata in frontem Gigantis, lapidem, fortaſſe triangularem,excuſſit,& DEO Exercituum Domino auxiliante,ictumque dirigente, *præualuit* Dauid *in fundâ & lapide*; percuſſumque Philiſthæum ſtrauit, & proprio eiuſdem gladio vt falce caput illi demeſſuit,inſpectantibus vtrimque duobus exercitibus,Iſraëlitico, ac Philiſthinorum Statim autem, vt viderunt Philiſthæi

liſtbæi fortiſſimum è ſuis cecidiſſe, conſternati, fractique animis, in fugam acti ſunt. Contrà, Iſraëlitæ arreptis armis in hoſtilem inſurgentes exercitum, non citius inſequendi finem fecerunt, quàm vel profligaſſent, vel deleuiſſent quoſcumque aſſequi potuerunt. Audiuiſtis celeberrimam nobiliſſimamque ab hominum memoriâ *Monomachiam*, Typum illius certaminis ſingularis, quo DEI Filius in lacrymarum miſſus vallem, ad fratres ſuos, DEI filios, adoptiuos quidem, filios tamen, inuiſendos, generis, noſtri iuratum aduerſarium, nullis partibus Goliatho inferiorem, ſuperiorem multis, ſtupendo in Paſſione ſuâ prælio proſtrauit, & poteſtatem nocendi omnem, velut caput, abſtulit, quando.

MORS & VITA DVELLO
conflixêre mirando.

MEMBRVM III.

DVELLI DAVIDICI IVSTITIA.

SED heus dicit nonnemo, ſingula quæ hic adferuntur in medium perſcrutare ſolitus, quî fieri poteſt, vt Dauid imaginem Chriſti Domini geſſerit, eo in certamine, quod non niſi flagitioſum eſſe potuit, ſi verum eſt, quod toties à Theologis, conſcientiarum quæſitoribus Confeſſarijs, & Scholarum moderatoribus, Concionatoribus etiam nõ indoctiſſimis occinitur nobis adoleſcentibus, Martij ſanguinis & animi, DVELLVM quodcumque, legibus, quà DEI, quà Principum vetitum eſſe; adeò, vt ne ſpectare quidem modò, Pontificum decretis ſeuerè interdicentibus, liceat: nec permitti magis, quàm fornices & proſtibula, Veneris palæſtras. Hæc remora eſt, Dilecti, quæ non ſtatim ad vberiorem certaminis iſtius illuſtrationem, & magni ſacramenti euolutionem venire nos ſinit: complananda namque prius eſt via: exponendum, quale Dauidis, quale Chriſti Duellum? &, an à nobis quoque poſſit ſuſcipi? quodnam ſit licitum? quod vetitum? QVÆ volens-lubens tractanda ſuſcipio. Tum quia nemo, ſiue Theologorum quando conſcientiæ quæſtiones euoluit; ſiue Interpretum Scripturæ-Sacræ, quando hiſtoriam Dauidis duellantis enarrat, diſquiſitiones iſtas, velut alienas omittit. Tum, quia expedit, vt Adoleſcentes audiant (vtinam! etiam menti imprimerent, & frequenter eſſent memores) quid in re tanti momenti, in quâ tam frequens eſt lapſus, & longè perículoſiſſimus totius orbis ſapientes ſtatuant. Tum, quia ingemiſcere ſæpe ſoleo miſerrimum & lacrymis deplorandum interitum quorumdam iuuenum, quos aliquando, vel hic notos, vel alibi verſatos mecum non ignorant è vobis aliqui, qui deinde vix in patriam reuerſi, aut alibi commorantes, iuuenili ardore prouocatione admiſſâ, vel oblatâ, aduerſarij manu in ipſo pugnæ feruore infeliciſſimè ſublati ſunt.

Ita-

Itaque ab ouo incipiamus, primiſque initijs, ſicut, dum quidpiam ſeriò explicandum ſumimus in Theologicis, ſolemus.

MEMBRVM IV.

DVELLI NOTIO DESCRIPTIO DIVISIO.

ANTIQVIS idem fuit DVELLVM, quod BELLVM. Vnde perduelles, hoſtes, & *Bellona*, *Duellona* dicta, vt auctor in VI. de lingua latina eſt Varro, qui omne bellum *Duellum* vocat. Sed preſſius, *Duellum* Latinis, Μονομαχία Græcis, eſt pugna paucorum. Strictiſſimè autem duorum tantùm, ex condicto & pacto. Paullò latius ſumebatur apud Latinos, pro pugna, qua à duabus partibus pro victoria dimicabatur. Vnde illud:

Græcia Barbaricè lento colliſa duello.

DIVISIO *Duelli* maximè latè patens, eſt in *Corporeum*, quando congrediuntur membris & inſtrumentis corporeis duo homines, & *Spirituale*, quod ſpiritualiter peragitur inter hominem & ſpiritum, aut ſuſcipitur ab homine contra affectũ aliquem peculiarem, vnumque aliquod vitium, aut peccatum ſingulare, de quo agetur inferius. Hic in Corporeo ſiſtimus, quod iterum diſtinguitur. Nam aliud eſt *Cruentum*, cui propoſitus eſt interitus aduerſarij, aut mutilatio, aut effuſio ſanguinis cum odio, vel ſimultate, accedente iracundiâ pugnantium, pugilum-ue iniuſtitia. Aliud voco *Incruentum* ex propoſito: quod neque mortem intendit, neque vulnus, & ſuſcipitur vel exercitationis, vel virium probandarum cauſſâ; & nonnunquam inter ciues interque propinquos & amicos ac ſodales: immò, inter fratres iniri ſolet, nullo veriſimili imminente mortis periculo.

MEMBRVM V.

DVELLVM CORPOREVM

Sit ne aliquod licitum? Sententiarum varietas.

DE Duello corporeo multorum agitatum eſt diſputationibus, An quodlibet ſit vetitum? An verò aliquod ſuapte naturâ licitum? Quam controuerſiam pertractant Doctores veteres multi, nec pauciores ex recentioribus. Vt certa ab incertis ac dubijs ſeiungantur, Aio, *Duellum* illud corporeum incruentum, quod paullò ante deſcripſimus, refertur que ad exercitationem, vel recreationem, & ſimul ad adquirendam congrediendi, & pugillandi peritiam, vel ſimilem cauſſam honeſtâ, reprehendi non poſſe, cum illud à vir-

tute ſit, nec vitioſum. Quare in omnibus Repub. probatur tanquam exercitium neceſſarium ad armorum tractationem, quæ deinde ad tuendam patriam refertur. Et ſanè, ad fortitudinem & politicam diſciplinam ſpectat, ciues habere arte dimicandi, vſuque armorum inſtructos. Et eum in finem gymnaſia excitantur, magiſtri conducuntur, periti ſalarijs honorantur, & exercitatiſſimi præmijs alliciuntur, vt operam ſuam ad id conferre velint. Quare illam Duelli ſpeciem, ſi tamen Duellum appellari debeat, in quo duelli ratio vix cernitur, nemo improbat, ſed laudant potius Doctores, tam ſacri, quàm profani. Itaque agitur de Cruento quod non ſemper eſſe criminoſum quidam aſſerunt, ac proinde non omne eſſe vetitum, ſed quod dam ſecundum prudentiæ, etiam Chriſtanæ regulam licitum. Quod tuetur Nicolaus Lyranus ſat notus Scripturæ Diuinæ Interpres: Is explanans illa primi Regum XVII. verſu 31. *Audita ſunt autem verba, quæ loquutus eſt Dauid:* nempe, cum ſe offerret ad Monomachiam, hunc in modum, ex propria ſenſu diſtinguit.

DUELLUM poteſt accipi dupliciter. PRIMO, propriè, & ſic Duellum eſt ſingularis pugna duorum; vt per victoriam vnius appareat eius iuſtitia, & alterius iniuſtitia, tanquam per diuinum iudicium. Et ſic, ſecundum omnes Doctores, *Duellum* eſt illicitum; tam ex parte appellantis, quàm etiam recipientis: immò, & iudicantium, & conſulentium, & fauorem præſtantium. Quia in eo eſt manifeſta tentatio DEI. Atque hoc modo loqui videntur Iura duellum prohibentia, 3. q. 5. cap. *Monomachiam* & Extra *de purgatione vulgari.* Secundò, accipi poteſt *Duellum* largè, prout eſt bellum ſingulare vnius cum vno, abſque expectatione diuini iudicij, ſed, vt per virtutem, aut fortunam, aut per vtramque, aliqua controuerſia inter certantes criminalis, vel ciuilis terminetur. Secundum hanc duelli notionem minus arctam, pronunciat Lyranus, non omne *Duellum*, neque ſemper quodlibet eſſe illicitum, vt abſque crimine non poſſit admitti. Huius ſententiæ mitioris aſſertores, præter Lyrannm, ſunt non pauci, tum ex antiquioribus, tum recentioribus Theologis, ac Iuris peritis. Aliquos nomino. Maior in 4. diſt. XV. quæſt. 16. Caietanus 22. quæſt. XCV. articulo poſtremo. Viguerius in Inſtitutionibus Theologicis cap. XII. §. 3. ver. 9. Armilla, ver. *Duellum.* Angelus in Summa ver. *Duellum.* Cardinal. Toletus in Summa lib. V. cap. 6. Nauarrus in Summa cap. II. num. 39.

Ex horum ſenſu, ſunt quædam tempora, in quibus Duellum abſque flagitio ſuſcipi poteſt, & adminiſtrari. I. Secundum Lyranum, cùm quis cauſſa caderet in iudicio, ſeu capitalium controuerſiarum, ſeu ciuilium, niſi ad duellum perfugeret, nullaque alia ratione vitam, aut res ſuas tueri poſſet. II. Eiuſdem opinatione, quàndo legitima iudicum, aut Principum auctoritate, aut permitteretur, aut concederetur duellum ad maiora mala auertenda. Quod à S. Ludouico, Carolo M. aliiſque Monarchis factitatum adfirmat. III. Caietano in vno caſu licitum videtur acceptare *Duellum.* Quando ſcilicet accuſator euidenter calumniatur, & præualet contra innocentem ad mortem, vel mutilationem. Tūc enim,

enim, quia calumniator impetit innocentem iudicis gladio, iniuſtiſſimè, ſine dubio, ſi præualeat, occidet innocentem Ergo is non habens aliud perfugium, habet iuſtum bellum offenſiuum contra illum: & propterea ſi calumniator offert duellum, acceptare illud poteſt innocens, conſenſu Principis, ac ſe tueri meliori modo, quo poteſt. Idem admittit Maios, in 4. diſt. 15. quæſt. 16. cùm de vita alicuius eſt actum, niſi ad ſingulare certamen deſcendat. IV. Angelus concedit *Duellum*; quando ſine illo, quis aut vitam, aut res ſuas retinere non poteſt. Itaque putat *Duellum* iuſtum & licitum, aut famæ, aut honoris, aut aliarum rerum cauſſa ſuſceptum. Quod negant alij.

Altera, plurimorum omni doctrinâ & pietate excellentium virorum abſoluta eſt ſententia, qui ſine ambagibus enunciant: *Duellum* omne cruentum, quod aut ad necem, aut vulnerationem ſpectat, eſſe malum, criminoſum, prohibitum, deteſtandum. Quod quidem auctoritate grauiſſimâ corroboratur, & rationibus firmiſſimis nititur. Ex antiquioribus Scholaſticis Alexander Alenſis in 4 p. q. 11 memb. 2. art. 2. §. 4. diſputationem ſuam ita terminat: *Nullo caſu licet Duellum offerre, neque illatum, vel oblatum ſuſcipere, cùm Monomachia ſit in lege ciuili prohibita, & eius prohibitio in Canone approbata.* Henricus Gandauenſis, Quodl. 5. q. 32. cum latè diſſeruiſſet de iuſtitia & iniuſtitia Duelli, ſic tandem concludit: Vnde nec pro re " vllâ temporali, nec etiam pro propria " vita ſuſtinenda, debet quis conſentire " duello, ſed potius ſe deberet permittere ſuſpendi. Quicumque autem in duello pugnant, & quicumque eis auctoritatem, cõſilium, auxilium, fauorem, " aut permiſſionem præſtant, cùm poſ- " ſint impedire, participes ſunt homici- " dij, & mortaliter peccant. Horum " Theologorum ſententiam ita probat Ioannes à Turre cremata Canoniſta celeberrimus, vt verba quoque eorundem tranſcribat. Tum omni iure damnatum Duellum demonſtrat, *Monomachiam*, 2 q. 5. Iure diuino, Iure gentium, Iure ciuili, Iure Canonico: nullumque tempus excipit, quo duellum poſſit eſſe licitum. Idem fusè confirmat Abulenſis, Commentationibus in lib. 1. Regum cap. 17. q. 45. argumenta Lyrani diſſoluens. Addit quidpiam notatu dignum, Gabriel Biel in 4. diſt 9. q 2. art. 3. dub. 3. ex Alexandro & Richardo: duellantibus non eſſe dandam Euchariſtiam, neque vllum excipit duello congredientem. Dominicus Sotus in hunc modum diſputationem ſuam de hac re ſignat, lib. 5. de Iuſt. & iure q. 1. art. 8. *Ideò, qui exit in duellum non repellit vim vi, ſed cooperatur ad iniuſtitiam, qua alter ipſum prouocauit. Præſertim, cùm ſecundum rei veritatem, & ſapientum iudicio, non exire, non ſit dedecus: quia vbi virtus non defenditur, nullus eſt honor: quippe, qui eius eſt præmium. Ob idque cum exire ad occidendum priuata auctoritate non ſit virtus, ſit, vt neque ſit honor, niſi ſecundum vulgus: & nomine vulgi intelliguntur quicumque non ſecundum rei naturam, ſed ſecundum popularem opinionem de rebus iudicant.*

In eadem ſententiâ fuiſſe S. Thomã, multi exiſtimant, quod is 22 q. 95. art. 8. ad 3.

tibus 2.q 5 III. Ad declarandam veritatem & iuſtitiam cauſſæ vti medio ſuapte natura fallaci, & quod ſæpe palam falſitati ac iniuſtitiæ ſuffragatur eſt malum & illicitum. *Duellum* autem priuatū, cauſſæ deteriori non minus, quàm meliori patrocinatur, cum innocens in eo non rarò occidatur. IV. Tentare DEVM nunquam licet, vt docet S. Thomas, 22.q.97. art. 2. & 4 & ratio eſt euidens. Quoniam qui tentat DEVM verbis aut factis proteſtatur dubitationem de diuina excellentia. Quod dum exponit Caietanus, notat, formale tentationis DEI interpretatiuæ conſiſtere in hoc, quod abſque neceſſitate, vel vtilitate reſpuat homo cauſſas ſecundas. Quod ſemper accidit in *Duello*, de quo loquimur, vt argumentatur Turrecremata: *Cap. Monomachiam 2.q.5.* quia congredientes, & remedia legum, & auctoritatem Magiſtratus iuſtam contemnunt: in pugnando autem æqualitatem virium, & ſcientiæ armorum reſpiciunt. Itaque peccatur in *Duello* contra legem Diuinam, Deuteronomij vi & Matthæi iv. *Non tentabis Dominum DEVM tuum.* Tentat enim DEVM, qui ab illo temerè expectat, ad quod conſequendum alia ſunt deſtinata media.

V. PRIVATA auctoritate occidere hominem nunquam licet, niſi cùm fortè quiſpiam inuadit alium iniuſtè, ſed non excondicto ad pugnam prouocans. At ineuntes *Duellum*, de quo loquimur, auctoritatem nullam aliunde accipiunt, cùm ſit contra legem DEI, Eccleſiæ, & naturæ, vitam alteri eripiendi, & trucidandi proximum. VI. Innocentem occidere, aut ad illud iuuando concurrere, nullo iure licet. At in Duello deſignato, ſemper reperitur in vno voluntas interimendi innocentem; in altero cooperatio, certè approbatio per concurſum illicitum VII. Ius naturæ ac gentium præſcribit, vt innocens abſoluatur, nocens condemnetur ac puniatur. Hoc ius violat, qui duello ſe committit, quo innocenti ſæpe vita eripitur, & nocenti criminoſoque protrahitur. VIII. Duella ſunt materia ſchiſmatis potius & iurgiorum, inquit Ioannes Maior, ſuperius inter Doctores nominatus. Ergo genere ſuo, & per ſe mala. IX. Vt ſit iuſta hominis interfectio tria concurrere debent. I. Iuſta cauſſa nempe, vt mereatur mortem qui eſt interficiendus. II. Ordo, ſcilicet, vt polleat poteſtate publica, qui interficit. III. iuſtus animus, nimirum, vt amore iuſtitiæ, non libidine vindictæ, vel pœnæ cupiditate id faciat Ita ferè Alexander Alenſis, 3 p.q.34. in 2. Nihil horum cernitur in duello, de quo nobis eſt ſermo. X. Iura omnia concedunt quidem, vt quis vim illatam repellat, ſed nequaquam, vt vim inferat, & aggrediatur alterum. In duello autem vterque pugnans eſt aggreſſor, ac vim infert: vterque alterius necem optat, intendit, procurat: vterque mente ſaltem homicidium committit.

***

MEMBRVM VII.

SANCTIONES ECCLESIÆ CONTRA DVELLVM.

HVC ſpectant Conciliorum, ac Pontificum Romanorum decreta plurima: pauca excipite. *Concilium Tridentinum*, ſeſſione xxv. Cap. 19. Duellorum vſum deteſtabilem appellat, & fabricante Diabolo introductum. IVLIVS II. in Conſtitutione, cuius eſt initium, *Regis Pacifici*, Purgationes vulgares à noſtræ Religionis pietate damnari pronunciat. In Purgationibus autem illis numerantur Duella, *Extra* de *Purgatione vulgari* cap. 1. vbi vniuersè à Cæleſtino Papa *Duella* improbantur. Idem Pontifex *Iulius*, cruenta ſpectacula, loquens de duellis, à ſacris Canonibus, & legibus Imperatorijs prohibita eſſe teſtatur. Idem in Conſtitutione eadem, Duella etiam legibus pern iſſa, & ex quacumque cauſſa excommunicationi ſubijcit. Ex quo rectè inferas, nullum patere effugium, ſiue cauſſam ſpectes, ſiue tempus ab arctiſſima inhibitione ſingularis iſtius modi certaminis. Iſtam Iulij II. Conſtitutionem confirmarunt Pontifices, *Leo* X. *Clemens* VII. *Pius* IV. & noſtro tempore *Clemens* VIII. Eſt autem obſeruatione dignum, quod *Leo* X. in Conſtitutione ſua, quæ incipit: *Quàm* DEO *& hominibus*, ſcribit, pugnantes in duello iura Diuina ac humana deteſtari: *Duellum* ſcelus eſſe deteſtabile: canonica, & ciuili lege prohibitum quid clarius? *Gregorius* XIII in Conſtitutione, cuius exordium: *Ad tollendum*, loquens de duello, ait, non minus eſſe cruentum, quàm animæ & corpori noxium. *Clemens* VIII. in Conſtitutione cuius initium, *Illius vices licet immeriti*, generatim damnat omnia *Duella*, eaque vocat nefaria arma Diaboli, & inter enormia ac exitialia peccata recenſet.

MEMBRVM VIII.

POENÆ DVELLANTIBVS DECRETÆ.

SENTENTIAM hactenus probatam roborant pœnæ grauiſſimæ, quæ duello certantibus ſancitæ ſunt legibus, &c. vel infliguntur vbi ſeruatur earum rigor, vel infligi poſſent à magiſtratu ſupremo. *Concilium Tridentinum* ſeſſ. xxv. cap. 19. cupiens ex orbe Chriſtiano duellorum corruptelam, & immunitatem exterminare, quinque hominum genera excommunicationi ſubijcit. *Primum* eſt, Imperatorum, Regum, & quorumcumque Principum ac Dominorũ, qui in terris ſuis inter Chriſtianos locum ad Monomachiam concedunt. Iis ipſis prætereà alia pœna à Concilio imponitur. Nam ſi locus, in quo, vel apud quem pugnatum eſt, ſit ab Eccleſia conceſſus, ſtatim amittitur. Quod ſi ſit feudalis, ſtatim

tim directis dominis adquiritur. *Secundum*, committentium ipſum *Duellum*. Hi præter excommunicationem, proſcriptionis bonorum omnium, perpetuæ infamiæ, & homicidarum pœnam ſubeunt. Quod ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuo carent ſepulturâ Eccleſiaſticâ. *Tertium*, Patrinorum. *Quartum*, eorum, qui in cauſſa Duelli conſilium, tam in iure, quàm in facto dederint, aut quacumque ratione ad id ſuaſerint. *Quintum* eſt ſpectatorum. Quéadmodum autem quinque ſunt genera perſonarum, quæ ob relationem aliquã ad Duellum excommunicantur, ita totidem notare licet actiones, ob quas excommunicantur. *Prima* eſt loci conceſſio certantibus. *Secunda*, congreſſio. *Tertia*, patrocinium, quo vel patrini conſtituuntur, vel decertantium partes ſuſcipiunt. *Quarta*, ſuaſio pugnæ, aut conſilium ad illam. *Quinta*, ſpectare duello certantes.

HAS Concilii œcumenici pœnas, Pontifices, qui ſubſequuti ſunt, vel confirmarunt, vel extenderunt, vel clauſulis arctarunt. Et quidem, *Gregorius* XIII. in ſanctione, cuus eſt proœmium, *Ad tollendum* & quæ ſequuntur, edita anno M.D.LXXXII. pœnas Synodi Tridentinæ omnes deriuat etiam in Duellum, non ſolùm priuatum, ſenſu hactenus explicato, ſed quatenus ſignificat occultum, ſi fiat ex condicto, ſtatuto tempore, & deſignato à certantibus loco. *Condicere* autem eſt, quando duo plures ne inter ſe aliquid denunciant: & *condictum*, cum aliquid eſt in commune dictum, conuentum, ſeu promiſſum, vt Feſtus Grammaticus tradit. *Clemens* VIII. legem tulit, anno M.D.XC.II. qua Decretum Concilij Tridentini, & Pontificum antecedentium Conſtitutiones contra duella adprobat, innouat, confirmat, iiſq; adſtringit & obligat cunctas orbis Chriſtiani prouincias ac nationes. Conſtitutio Clementis, quæ incipit, *Illius vices licet immeriti*, multis conſtat capitibus, eſtque alicubi valdè obſcura, proindeque negocium faceſſit Theologis & Canoniſtis. In ea autem primum genus perſonarum in Duelli cauſſa peccantium, nominatur Militis, qui alterum in aduerſariorum exercitu militantem, ob priuatam ſimultatem ex condicto elicit, & prouocat. Vocat etiam ad eandem pœnam glorioſos quoſdam & præfidentes, qui aliquid ita eſſe, vel non eſſe, armis, aut inito certamine cuius ſe probaturos eſſe iactant. Iſtud tandem eſt repetitione dignum. Qui alterum in Duello interficiunt pœnis teneri homicidarum. Item, notari infamia ſempiterna, ex Concilio Tridentino, & Clemento VIII. Adhæc, Eccleſiaſtica in perpetuũ priuari ſepultura: quod ab iiſdem eſt ſancitum.

(?)

(*)

MEM-

MEMBRVM IX.

DVELLVM PERMISSVM: NON CONCESSVM.

An quia Duella alicubi, & à quibuſdam Permiſſa *dici idcircò poſſint Conceſſa?*

AT, Duella, inquis, priuata aliquando Principes iuſti, boníque permiſerunt ac conceſſerunt. Itaque non eſt veriſimile iure omni eſſe prohibita, ac damnata Fallimur ſæpe ex ignorantia ſignificationis vocabulorum Iuris tum ciuilis tum Theologici. Aliud eſt apud Iuris peritos, *Concedere* & conceſſus, aut *Conceſſio*; aliud *permittere*, & *permiſſio:* quamuis apud Grammaticos nõnunquam confundantur. Quocirca ridere ſoleo aliquando, dum audeo dici ab adoleſcentum patronis vel aduocatis, ad eorum excuſationem, Magiſter, Confeſſarius, pater, mater, pædagogus illis hoc concedit. Itane? CVR quidam rarò veniunt ad concionem matutinam diebus Dominicis? dicuntur aliqui vix videri toto menſe, alij ab eſſe continenter diutius, ad indignationem conſodalium, & vicinorum ſcandalum. Scis, Pater, quæ ſit cauſſa? Sunt quidam complexionis delicatioris, indigent ſomno longiore, non poſſunt ſugere tam maturè; concedit Magiſter indulgens, vt die Dominico dormiant aliqui diutius, modò ante octauam è ſtrato ſe eripiant: præſertim, ſi tota hebdomade ſurrexerint circa ſextam, vt non venirent tardius ad lectionem profanam. Erras ignare. Non hoc concedit Magiſter ſuis diſcipulis: permittit fortaſſe aliquibus: conniuet, non punit: diſſimulat: benè, ac ſecus, ipſe viderit: DEO rationem dabit. Quare aliqui ordinariè tardius veniunt ad ſacram lectionem, vel manent foris ſtantes, quaſi Cubicularij extra portam, vt fabulari poſſint ſecurius; vel ingreſſi hanc exedram, turbant quietem ceterorum, qui circumſpicere coguntur, cum nollent, ac ſæpe ipſi Eccleſiaſtæ, vt volitantes circa oculos male affectos muſcæ, ſunt moleſti. Pater, ne mireris, nec indigneris. Præceptor noſter admodum bonus hoc ijs concedit. Quid dicis adoleſcens? Nullus hoc Præceptorum concedit: fortaſſe aliquis permittit. Nam ſi ſemel quibuſdam benè notis ab hoc titulo paullulum vellicaretur auricula, cauerent in poſterum.

CVR in quibuſdam Adoleſcentibus litterarum ſtudio dicatis, tam incompoſiti ſunt crines, tam ingentes pilorum nidi, tam denſa capitis ſilua, in qua fortaſſe haud pauciores, quàm in Hercinia ſtabulantur beſtiolæ? Cur tanta vanitas in temporum cincinnulis, frontis antijs, occipitis dependentibus floccis? cur in humeris volitant capillorum radij, vt leonem iubæ? Cur admittitur à viris, quod olim propudioſum in mulierculis, coma adoptiua, aſſcititia, ſubtile capillamentum, cæſaries Abſalonis? Non loquor de honeſtè ac decenter comatis, vt multi Adoleſcentes ſtudioſi ac pij, vt Clerici, vt Religioſi, qui prolixum capillum

pillum alunt; ſed de ijs, qui ex vanitate, exceſſu peccant, Faunis Satyris, ac Meduſis quàm Palladis, Mineruæ, aut Sapientiæ alumnis ſimiliores. Qui tanquam Sirenes, & Bacchicæ Nymphæ, non erubeſcunt geſtare, vt loquitur Apuleius, (a) crines & antependulos & retropendulos molliter demiſſos, ac defluentes, nũc eoſdem oſtentant criſpatos; & remotè vndantes, nunc per colla diſpoſitos, ſenſimque ſinuato patagio reſidentes, & paulliſper ad finem cõglobatos. Et, quod hîc nondum animaduerti; quia maiorum eſt ſumptuum, odoribus affluentes, cinnama flagrantes, balſamaque rorantes. Cur in veſtibus tanta profanitas? muliebritas? fœditas? in toto corpore tam laſciua & procax compoſitio? Conceduntne hæc ſuis Scholaribus Patres religioſi ad omnem modeſtiam ex inſtituto compoſiti? Qui paſſim auditores ſuos hortantur ad veſtitus decentiam, ad honeſtam motuum geſtuumque conformationem, ad ſigna humilitatis in dictis, factiſque edenda, denique, ad ea, quæ ædificationis ſunt, non offenſionis, deſtructionis, ſcandali. Abſit, vt hoc concedant: permittunt in aliquibus, vt animaduerto, ob iuuentutis fortaſſe huius temporis peruicaciam, frontis duritiem, animi obſtinationem. Fuit tempus, quãdo ne permittebant quidem; & melius ſuccedebant omnia. Olim neque admittebatur ad gymnaſij ſcholas niſi honeſtè tonſus, iudicio Gymnaſiarchæ; neque ad examen pro claſſe ſuperiore, niſi eodem modo crinitus; neque ad gradum Baccalaureatus & Magiſterij accipiebat placitum, niſi modeſtè capillatus, Præfecti cenſura.

Cvr adoleſcentes in tali contubernio ſunt reliquis immodeſtiores? cur immorigeri? garruli? contentioſi? Pater, tibi dicam candidè Pædagogus in eâ domo, qui fidei ſuæ commiſſos deberet inſtruere, monere, continere, præire verbo & exemplo, facem præferre ad modeſtiam, diligentiam, pietatem: idcirco enim accipit ſtipendium: hoc eius eſt officium: cum in finem parentes illum conducunt pueris & adoleſcentibus ſuis concedit omnia: coram illo faciunt quidlibet: non magis eum curant, quàm quemlibet ſibi æqualem. Tace audacule: hæ ſunt malæ notæ Moderatoris iuuentæ. Si quis talis eſſet pædotriba, is quam primum deponi deberet, redigi in ordinem, & in eodem pædagogio cum pueris ſub ferulâ collocari. Non concedit, quæ tu narras, bonus Pædagogus; ſed permittit fortaſſe timidior, nimis lenis, mollis, puerilis: metuit, ne te tuique ſimiles offendat; ne conqueraris, ne apud parentem illi detrahas, ne apud matrem de ſeueritate illum accuſes. Ideò diſſimulat. O paſtor! ô idolum! ô vmbra pædagogi! non pædagogus. Cur tam liberè frequentant quidam tabernam vinariam? cur ludunt chartis pictis? verſant aleam damnoſam? potitant, ſaltitant, graſſantur per plateas? Pater, habent iſti parentes tam faciles, benignos, ſuaues, vt concedant filijs ſuis omnia. Malè loqueris. Nulli parentes Chriſtiani, qui filios ſaluos eſſe volunt, hæc concedunt. Fortaſſe permittũt aliqui, quod nulli deberent, niſi inferno ſuos conſecrare velint: necatores animarum in filijs, quos Diabolo tranſcribunt. Mi Adoleſcens, cur in templo ſub officio diui-

(a) *Apuleius lib. 1. & 2. de Arm.*

diuino, ſpectante DEO præſente, & comminante, indignantibus Angelis, contubernalibus etiam moleſtè ferentibus, fabularis, rides, ſocium brachio trudis, idemque petulanter te geris? Pater, ille meus, qui videt hæc quotidie mihi diuiti, nobili, generoſo iſtiuſmodi concedit. Non credo equidem. Si adeſſet, diceret in os tibi: parcis veritati, puer: permiſi quidem aliquando ad vitanda maiora mala: nam monitus iraſci, excandeſcere, excuſare, mentiri, peierare, blaſphemare ſoles: nunquam conceſſi. Quare non ſolùm inter adoleſcentes & iuuenes, ſed etiam inter pueros tanta viget erga ſeniores, erga Eccleſiaſticos, erga DEI Sacerdotes, erga Prælatos & Magnates irreuerentia? immò, erga Præceptores, & Patres reuerendos Occurrentibus & tranſeuntibus non detegitur caput: nullum reuerentiæ ſignum exhibetur, irreuerentiæ multa; cum externorum, qui in hanc vrbem confluxerunt ſcandalo graui, & cum multorum indignatione. Concedunt-ne hoc Ordinis noſtri Patres? non: de quo certus ſum. Audiui dolentes, & conquerentes grauiter quoſdam: monêtes etiam, atque indignè ferentes ipſos Magiſtros. Sed permittunt fortaſſe plus quàm oporteret, ne ipſi honorem ſuum quærere aut promouere videantur. Quod tamen facere non deberent, memores, honorem exhibitum eſſe in honorante, non in honorato. Docendi ſunt pueri, adoleſcentes, iuuenes, & aſſuefaciendi, vt maioribus, & Eccleſiaſticis potiſſimùm, maximè autem ſuperioribus ſuis, ſed imprimis parentibus honorem deferant.

CVR per plateas paſſim audiuntur blaſphemiæ, præter iuramenta per fidê, DEVM, Sacramenta, Cacodæmonem? Cur proferuntur diræ, deuotiones tartareæ, execrationes horrendæ? Cur Diabolus toties nominatur, cumque vnus alteri, immò, ſibi ipſi imprecatur? Pater, hæc concedit Magiſtratus. Falleris. Non concedit hoc vllus Magiſtratus Chriſtianus: contrarium intellexi, & ex ore excepi Capitum Magiſtratus noſtri, qui dolent, proteſtantur, negant ſuo id conceſſu fieri. Sed *permittunt* fortaſſe laxius, quàm oporteret: non rapiunt ad cataſtam aliquando, quod expediret, dum in flagranti deprehenduntur blaſphematores ſcelerati; & non collocant illos in foro, ibique linguam illorum non perforant, per Carnificem: quod faciebat S. Ludouicus. Id ſi per vnam ſeptimanam cotidie aliquibus fieret, purgaretur ab iſtiuſmodi peſtibus Reſpublica, purgarentur Gymnaſia, ſi nemo impunè abſque flagris, blaſphemare permitteretur. Omnes profectò permiſſione, quamuis non concedatur, peiores fiunt.

AT cur non concedunt hactenus enumerata, & iſtiuſmodi ſexcenta Magiſtratus, Magiſtri, parentes? Conſule leges, ff. de Verb. ſignif. more Theologico impoſitis. Quoniam *Conceſſus* eſt rei honeſtæ ac iuſtæ, ideòque laudabilis: *Permiſſus* non item. Ob quam cauſſam, ad grauiora mala euitanda, aut prohibenda, aut quia inhibendi non fuit facultas, potuerunt aliquando permitti duella, quemadmodum meretricum diuerſaria, ganeo, proſtibulum, lupanar: concedi nunquam potuerunt, certè non debuerunt. Verùm, poſt Conſtitutiones recentes Eccleſiaſticas, monendi ſunt

Prin-

Principes, ne inconſulto Romano Pontifice, duella etiam permittant; quia in permittentes quoque, & non prohibentes excommunicationis cenſurâ animaduertunt.

SED enim S. Rex LVDOVICVS & CAROLVS *Magnus* Imperator pientiſſimus, pluresque alij Principes, quos religionis ac ſanctitatis titulo veneratur Ecclesia, Duella nonnunquam & ſuſtinuiſſe, & conceſſiſſe ſcribuntur; vt obijcit Nicolaus Lyranus. S. *Ludouicum* conceſſiſſe vnquam Duella negat ſimpliciter Turrecremata: At, Abulenſis bifariam occurrit. Nam vel hoc ipſo peccaſſe aſſerit: neque enim Principes boni, pijq; ſine culpâ vitam traducunt vel vt famâ illibatam tueatis Diuorum, dic, eos reuelante, & impellente DEO conceſſiſſe, aut ſuſcepiſſe. Adde, fortaſſe bonos aliquos Principes probaſſe Monomachiam, & conceſſiſſe interdum ex ignorantiâ: nam multa ignotanter faciunt ipſi quæ ſcienter omitterent. Tandem veriſimile eſt, dici *Conceſſa Duella*; quæ nonniſi *Permiſſa* Laudem in hoc genere immortalem meritus eſt LVDOVICVS XIII S. Ludouici heres, hoc tempore in Galliâ regnans, qui, cùm libido duellandi totum regnum peruaſiſſet, & plurimi ex flore iuuentutis quotannis conciderent, edixit ſeriò ac ſeuerè, vt qui ex condicto monomahia certaſſent, & vnus periret gladio, alter ſuperſtes laqueo in patibulo vitam finiret. Quod aliquoties, nullo perſonarum diſcrimine, mandatum exequutioni flammam illam exſtinxit. VERVM ENIMVERO Leges ciuiles nonnunquam Duella concedunt, Ioannes Maior obijcit ſibi in hac materiâ *L. Fredericus* §. *Si quis hominem.* C *de pace tuenda, & eius violatoribus*. l. 11. Reſpondet autem idem Theologus, legem ciuilem contra ius naturale, Diuinum & Canonicum, Duellum concedentem, non eſſe legem, ſed errorem: addatur, eſſe corruptelam. Turrecremata ſibi opponit *L. Qua actione* 1. §. *Si in colluctatione*. ff. ad L. Aquiliam. Reſpondet autem, legem loqui de ijs, qui non luctantur gladijs. Haud ſecus legem interpretatur Gloſſa, ad verſum, *Si in colluctatione*: inquiens: *dum ſimul colluctabantur pugnis vel calcibus*. Et quoniam ad Imperatorias Leges eſt prouocatio, clariſſimè lege ſua ſuſtulit *Duella cruenta* Conſtantinus, C. de Gladiatoribus L. vnica L. 11. hiſce verbis: *Cruenta ſpectacula in ocio ciuili, & domeſtica quiete non placent. Quapropter omninò gladiatores eſſe, prohibemus.* In quam legem ſcribit Gloſſa: *Eſt hic argumentum, quod Duella non admittuntur.*

MEMBRVM X.

DVELLA PVBLICA, PRIVATA.

An Duella cruenta, Publica æquè ſint vetita ac Priuata.

HÆC ſi vera ſunt, quomodo Duellum Dauidis cum Goliatho defenditur, tanquam licitum, immò, vt laudabile? Quod neceſſariò aſſerendum,

ſi in eo Chriſti duellantis perſonam typo præſentauit Huic ſiue difficultati, ſiue dubitationi vt occurratur, pronunciant cum Iuris conſultis Theologi: dum iuſtum bellum geritur, quale fuit Hebræorum cum Philiſthinis, poſſe eam partem bellantium, quæ iuſtitiam fouet ac propugnat, Monomachias ac cruenta Duella ſuſcipere ac poſcere. Tum quia tunc Duellum iuſti belli rationem induit. Tum quia eſt ipſius iuſti belli pars, & adhibetur tanquam medium ad obtinendam victoriam. Sic oſtenditur animoſitas exercitus in bona cauſſâ: ſic terrentur aduerſarij: ſic tota belli moles ad vnius vel paucorum periculum reuocatur, qui ſe bonæ cauſſæ fiducia pro Repub. aut patria deuouent. Diſertè Caietanus, Scholaſticè rem hanc examinans: 22. q. 95. Fateor, quod in caſu, quo pars habens iuſtum bellum cognoſcit vires ſuas, & quod oportet, aut confligere, & ſuccumbere, aut acceptare *Duellum*, quod licitè acceptat *Duellum*. Transfert enim quaſi certum caſum in dubium, & in ſpem victoriæ vtendo omnibus ſuis viribus. Nec ſolùm licitum eſt tali parti in prædicto neceſſitatis articulo conſtitutæ acceptare, ſed etiam prouocare tale *Duellum*, reſoluendo bellum in *Duellum*. Maior quoque in 4. diſt. 15. q. 16. probat, vt licitum *Duellum*, quando cõtrouerſia inter duos exercitus dirimenda eſt: & ex parte, inquit, duellantis cauſſa eſt iuſta, vel ambigua. Idemque admittunt Doctores nominati, Viguerius, Auctor Armillæ, Nauarrus, Toletus & Nicolaus Serarius exponens hiſtoriam duelli Dauidici I. Regum cap. XVII. Ex quo conſtat, potuiſſe Duellum Dauidis eſſe figuram Duelli, quod Chriſtus acceptauit cum Morte & Cacodæmone: fuit enim illud in cauſſâ publicâ, cum ijs circumſtantijs ſuſceptum, quibus licet: placetque quod ſcribit Henricus Gandauenſis(*a*) & Lyranus, (*b*) diuino impulſu & iuſſu à Dauide ſingulari illo certamine pugnatum: idque ſentire Catholicos Doctores omnes, vt typo inuolueretur certamen illud, quo

(a) *Quodl. 5. q. 32.* (b) *1. Reg. cap. 17.*

MORS & VITA DVELLO
Conflixère mirando.

NOTÆ

§. I. DVELLVM *Dauidis.*] *Cùm bonum licitumq́; fuerit, figura eſſe potuit Duelli in Cruce à Domino pugnati. Quamuis autem vetitum criminoſumq́; fuiſſet, potuiſſet fortaſſe in eo agnoſci myſterium. Nam S. Chryſoſt. hom. 1. in Matth. etiam in Dauidis adulterio, quidpiam inuenit, quod typum rei ſacræ gerat. In ipſo, inquit, peccato ſuo peſſimo Chriſti & Eccleſiæ myſterium fuit. Quod non probant noſtri Scholaſtici. Legatur Pineda de rebus Salomonis lib. 1. cap. 3.*

§. II. DVELLVM vniuerſè.] *Ad inanimata etiam extenditur. Vnde* Duellum *elementorum. De quo Ouid. in Meta.*

Fri-

Frigida pugnabant calidis: humentia ſiccis
Mollia cum duris; ſine pondera habentia
pondus.

Ecclesti xxx.III. Contra malum bonum. Et contra mortem vita. Sic & contra virum iuſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſsimi. Duo & duo: & vnum contra vnum. *Gracè*: Bina bina: vnum contra vnum. *Tigurina*. In omnibus operibus Altiſſimi bina quæque videas, quorum vnum repugnat alteri. *Vide Cornelium, qui multa in hanc rem ſuppeditat.*

§.III. *Duellum* Naturæ & Mortis.] *Hoc argumentum egregiè exequitur* Gabriel Inchinus, *Concione de IV. Nouiſſ. I.*

§.IV. ARGVMENTVM pro Duello priuato. [Vim vi repellere licet.] *Pro meâ ſalute ac rerum mearum conſeruatione poſſum eum, qui me adoritur, occidere, cur eadem de cauſsâ non potero idem facere in Duello? Cauſſæ ſunt.*

I. Quia in Duello *ambo, qui manus conſerunt ſunt aggreſſores. At omnis priuata aggrediens alium auctoritate, per ſcelus iniurriamq́ aggreditur II. Quia in* Duello, *ambo, qui manus conſerunt, ita ſunt animati, vt quilibet alterius optet interitum. At in defenſione, qua vis vi propulſatur, non niſi per accidens mors alterius expetitur. Nam qui ſe tuetur, ſuæ tantum vitæ proſpicere intendit, quā ſi poteſt ſine alterius nece retinere, alteri necem offerre, aut adferre non licet. III. In* Duello, *cùm vnuſquiſque victoriæ gloriam concupiſcat, quæ niſi proſtrato aduerſario ferè reportari non ſolet, huius exitium neceſſe eſt directè quæri ad victoriam conſequendam: quod in ſui defenſionè cum vis vi repellitur, cum moderamine inculpatæ tutelæ, non contingit. IV. In vi repellenda vtimur publicâ legis auctoritate. At in ſuſcipiendo committendoq́* Duello, *contra legem agimus, noſtra freti auctoritate. V. In vi repellenda non ſit poteſtas nocenti innocentem occidendi. At iure* Duelli, *vbi æqua eſt vtriuſque decertantis conditio, ſit poteſtas nocenti innocentem interficiendi.*

Quod quis non videt, quàm ſit rationi & legibus bonis contrarium?

OBIECTIO. *Sint duo rei ſuis criminibus, & capitis condemnati, vterque ſuſpendendi: ambobus vitam hac conditione polliceatur Iudex, vt illam* Duelli *periculo offerant: cur hi ſontes periclitatione duelli iuſtè ſaluti ſuæ conſulere non poterunt?* RESP. *Quia non poteſt Iudex, quem ſcelerum iuſtum vindicem eſſe oportet, noxios à patibulo in gladiatoriam pugnam deducere, iiſq́ impunitatem dare, quorum vitam certo ſupplicio auctoritas legū deſponderet. Adrianus Quodlibeto* I. *art.* 3. Malorum punitio eſt de neceſſitâte vitæ, & eſt medicina ad cohibenda peccata. *Per vitam videtur etiam intelligere vitam gratiæ diuinæ. Caietanus in ſumma, Verbo, Iudex.* Magnum nocumentum communiter Reip. infertur, cùm mali impunè euadunt, quia creſcunt mali, aut ad malum proni, audent perturbare, vulnerare, occidere. Nec excuſat commutatio pœnæ in pecuniariam, nec pax à parte habita: quoniam Princepes eſt cuſtos iuſti. Ita quod abſque rationabili cauſſa vtens huiuſmodi vocatis clementijs, peccatum mortaliſſimum incurrit: immò, reus eſt homicidiorum, & ceterorum conſequentium.

INSTANTIA. *Principi in cuius poteſtate eſt nex, ac vita ſontium, de duobus illis liceret eligere vnum, qui alterius eſſet carnifex, carnifici ſpe vitæ oblata. Cur ergo ſi extra* Duellum, *alter alterum poteſt occidere, idem non poterit pugnando efficere? Item. Si aduerſus ambos iſtos ſontes morti adiudicatos poteſtatem necis poteſt cuilibet Princeps tribuere, cur iiſdem contra ſe ipſos concedere non poſſet in ſingulari certamine?*

RESP. *I. Poſſe eſſe vnum alterius carnificē. 2. Poſſe ambos à quouis auctoritate Principis interfici. 3 Non poſſe vnum aduerſus alterum armari in* Duello *à Principe: cùm id ei non liceat, Ratio diſparitatis. Quia carnifex & is, qui, tanquam miniſter legis, & Principis, reū occidit, bono conſulit publico, iuſtitiæ ſatisfa-*

 cit,

ci:,neque alteri, occidendi ſui facit poteſtatem. At, qui in Duello *depugnat,cùm ſit morte dignus,non pro iuſtitia, ſed potius pro iniuſtitia pugnat: non pro communi cauſſa atque vtilitate,ſed pro ſua duntaxat vita, priuatoq́ bono pugnat, quo non parum publicum lædit bonum. Et qui in* Duello *vult occidere, alteri poteſtatem facit, viciſſim ſe occidendi. Adde In hac forma* Duelli *fieri poſſe, vt nequior,& qui magis pernicioſus Reipub. futurus eſt,vitam retineat, minus noxio ſublato: quod nec ius,nec ratio vlla permittere poteſt.* Denique *qualis Iudicis aut Principis eſſe dicas,homines morti adiudicatos, quo tempore æternæ ſalutis, ac vitæ conſilia inire debent, ſuaq́ ſcelera deteſtari,atque illorum veniam ſupplici à* DEO *prece impetrare, tanquam laniſtas ad mutuam cædem cohortari?*

QVAESITVM. Facit Turnus vim AEneæ,armata manu, certamen & mortem denunciat niſi ſecum Duello *confligat. An non licebit ſingulari certamine AEneæ, ſi non vitam, ſaltem ſpem vitæ dubiam redimere?*

RESP. *nequaquam, ob tot rationes ſuperius allatas. Quas fuſius exponit Paulus Comitolus lib.VI.Reſponſorum Moral. q. 16. vbi poſt multa,etiam de duello cauſſa publica auctoritateq́ ſuſcepto, ſic concludit numer.14.* Maneat:nunquam accidere poſſe, aut potuiſſe,vt *iuſtè* Duellum committi poſsit. *Ex quo illud itèm neceſſariò colligitur:his temporibus, quodlibet Duellum excommunicationi eſſe ſubiectum.*

AVCTORES,præter nominatos in contextu Sermonis, qui de Duello *ſcripſerunt, ſunt alij.* Anton.Bernard. Mirandula. *Diſput. de ſingulari certam.edit.Baſileæ 15.62.* Camerarius *Centur.2.cap.19.20.21.* Philippus Boſquier,*Tom.1.lib. 2. Vegetij Chriſtiani,qui ſic vniuerſe:Canones Eccleſiaſtici,Leges,Regesq́ ſeriò ac meritò Duella vetare videntur; ſed priuatorum inter ſe,non publicorum hoſtium, cùm hoſtibus publicis,priuata cauſſa aut commodo,non Reipubl.ſponte ac libidine, non poteſtatis,imperio;aut caſu ac neceſsitate.*

Laurentius Beyerlinck *Theatr. Vitæ Human.Verb.*Duellum, *ita pronunciat. Plures eſſe cauſſas* Duelli *conſtat ex hiſtorijs, non omnes tamen ſufficientes ſunt,vt illud committatur abſque* DEI *offenſa.Tunc verò licitum omnes adfirmant. 1. Si iniuſtè inuaſus,aliter mutilationem aut mortem euadere non poteſt 2.Si duo ad mortem à Iudice condemnati, ab eodem cogantur certare duello, hac lege,vt victor viuat. 3. Quando Princeps iuſtè bellum hoſti potentiori inferens duello rebus ſuis conſulere debet. Exempla ſunt ibidem omnis generis,Sacra,Profana,antiqua,recentia. Ibidem reperies Imperatorum Edicta.Conſule idem Theatrum Vitæ Tit.* Gladiatores. Petrus Gregor.Toloſan.*lib.48.Syntagm.cap.16.*Martin.Delrio *lib.4.Diſquiſ.mag.cap.4.q.4.ſect.2.* Ioan.Baptiſta Suſius *lib. de iniuſtitia Duelli.* Vrrea *Hiſpanus lib.de* Duello.Beliſarius Neritinorum Dux *lib.de Duello.*

Ioann. de Lignano *Tract. de Duello.*

Ventura de Valentijs *I. Cus Veronenſis in Parthenio litigioſo lib. 2. cap.2.*

COMMENTATIO III.

DVELLVM DAVIDIS CVM GOLIATH

Quatenus deſignat diuerſi generis Duella.

ALLEGORICA. PHYSICA. FATALIA.

Præualuit Dauid aduerſus Philiſthæum in fundâ & lapide. 1. Regum XVII.

MEMBRVM I.

CHRISTVS DVELLANS CVM SATANA.

Vtitur Eccleſia, tanquam Fundâ.

DISCEPTATIONEM de *Duello*, ſiue *Monomachia*, ſeu ſingulari certamine, tot eſſe implicitam difficultatibus; tum ob varias Pontificum Romanorum Conſtitutiones, quibus in duellantes, eorumq́; fautores patrinos, ſpectatores grauiſſimæ pænæ, & Excommunicatio varia fulminantur; tum propter Iuris Ciuilis in hac materiâ obſcuritatem; vt Diuini quoque humaniſque Iuris gnari interdũ hærere cogantur, ſatis ſuperque in ſuperiore Commentatione demonſtrauimus. Ex qua etiam liquet, nihil ex ijs quæ contra *Duella* adferuntur obeſſe *Monomachiæ Dauidicæ* cum Goliatho, quæ cum adflatu, mandatoque DEI, vitæ ac mortis Domini fuerit ſuſcepta, cenſeri debet bona, iuſta, legitima. Quomodo autem *Duellum* iſtud Hiſtoricum repræſentet, velut in imagine, *Duellum* Allegoricum CHRISTI Principis Militiæ noſtræ cum Diabolo in Monte Caluariæ ſuperius declarauimus. Sed plura alia ſuperſunt Duella eius generis, cuius figura fuit Dauidicum.

IMPRIMIS, *Duellum* committit CHRISTVS quotidie cum Gigante Diabolo, habens in manu *Fundam*, ſicut Dauid; *Baculum* paſtoralem, *Crucem*; *Lapides*, fidei ſuæ propugnatores. *Eccleſiam* Chriſtianam, vt *Fundam* contemplatur D. Bonauentura, quia volubilitate temporum, ac per circuitum tribulationum ducitur, & rotatur. Addit, quod huc ſpectat, *Lapidem* à CHRISTO ex hac *fundâ* iaci, quando fortis de Eccleſiâ fidei Do-

ctor & defenſor,ad reſiſtendum inimicis emittitur.

Talis Lapis fuit Chriſti digitis ad bellum doctis è *Fundâ* Eccleſiæ vibratus Auguſtinus,lapis durus, fortis, quadratus,cubicus,lapis precioſus, in frontem ſuperbam,induratam,meretriciam,neſciam erubeſcere,Fauſti, Donati,Pelagij, aliorumque hæreticæ prauitatis Magiſtrorum,qui eo *lapide* percuſſi in terram corruerunt, & proprio infidelitatis,ac improbitatis enſe ſunt iugulati. Tales *Lapides* fuerunt,Anaſtaſius in Arium, Hieronymus in Vigilantium, Baſilius in Valentem,Leo in Monothelitas, tot alij Doctores in ſui æui hæreſiarchas, & noſtra ſeculo in Lutherum, Caluinum, Zvvinglium,alioſque innumeros, Catechiſtæ Eccleſiaſtæ, Magiſtri religionis Catholicæ indefeſſi.

MEMBRVM II.

DVELLANTVR MINISTRI BAPTISMI

Vtentes Fundâ & Lapidibus.

HAVD abſurdum eſt, conſiderare CHRISTVM docentem manus ad prælium,& digitos ad bellum omnes Sacramenti Baptiſmi Miniſtros, dum iuſſit baptizare. *In nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti.* Tunc enim *Duellum* ſuſcipitur cum Cacodæmone, qui fugatur ex animæ campo, & modo,quo poteſt,trucidatur. Eſtque *Duellum* ſimile Dauidico,in quo *Funda* eſt lingua,*Lapides*,Perſonæ diuinæ voce prolatæ. Sed vnitas in natura, velut lapis vnus frontem infernalis Goliath ferit,& interimit. Quod ſuggerit D. Nazianzenus oratione prima,& quarta; cuius Scholiaſtes eruditus Elias myſticos lapides à Nazianzeno appellatos interpretatur, propter myſterium TRINITATIS.

Nec ineptè *Tres Lapides* ſumuntur, tanquam ſymbolum SS. TRINITATIS, cùm ipſa ſuper benedicta TRIAS aliquando ternos lapides elegerit ad myſterij illius profunditatem inſcrutabilem manifeſtandam. Spectantur etiamnum in Italia tres lapides cordis B. Claræ Falconiæ, quorum trium tantum eſt pondus,quantum vnius,& vnius, quantum duorum ac trium: quæ eſt illuſtris myſterij altiſſimi repræſentatio.

MEMBRVM III.

DVELLVM PHYSICVM & FATALE.

Vtendum cuilibet Militi Chriſtiano Fundâ & Lapide,quando duellandum eſt in fine vitæ,cum Morte,tanquam cum Gigante Goliathe.

NON eſt vllum *Duellum* magis infallibiliter ſuſcipiendum ac committendum ab omnibus, quàm quod quilibet in lectulo fatali prouocatus acce-

cepta,

ceptabit volens nolens, & inibit, tanquā Dauid cum Goliatho. Quod idcirco vocari poteſt Duellum *Phyſicum* ac *Fatale*, cum non ſit purè *Allegoricum*. Certè, ſi vllum eſt in diuinis tabulis Symbolum Mortis, quod quam plurimas illius qualitates repræſentat, eſt ſanè perquam accommodatum. Goliath *de Geth vir ſpurius, altitudinis ſex cubitorum, & palmi*, vt habet Codex ſacer. *Goliath* ſi nomē ſpectes, idem eſt, quod *Transſmigratio*. Variè quidem *Mors* definitur aut deſcribitur à ſapientibus, ſed breuiſſimè, & ingenioſiſſimè dici poteſt, *Tranſmigratio animæ*. Quod ſignificatum reor à Poëtis illis antiquis, qui Charontem introduxerunt, malè compactâ cymbâ defunctorum animas per tria flumina, Acherontem, Stygem, Cocytum ad aliam ripam tranſuehentem. Nimirū, ſignificare erat in animo, dum quis mori dicitur, tranſmigrare animam. Eſt itaque *Mors, Tranſmigratio*, *Goliath*. Cuius conditiones aliæ, quomodo Mortem exprimant, declaraui integra Commentatione quæ eſt xix. in libro I. de *Symbolis Mortis*, quam huc transferre, cùm proprio legi poſſit loco, non eſt viſum operæ pretium.

COMMENTATIO IV.

DVELLVM SPIRITVALE

Cum quolibet Peccato peculiari, tanquam cum Goliatho Gigante, quotidie Militem Chriſtianum infeſtante, & ad pugnam alliciente.

Benedictus Dominus DEVS meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Pſal. CXLIII. 1.

Docebo Vos ego hodie, quomodo ſingulari certamine, quod *Duellum*, quaſi duorum bellum, & *Monomachia* vocatur à Græcis, congredi poſſitis cum hoſte quolibet infenſiſſimo. Id & vtile erit, vt ſpero, & iucundum. Quemadmodum enim caſus accidere poteſt, quo expediens ſit, verſatum eſſe in rotandâ fundâ, quod nuperrimè exemplo Dauidis eſt demonſtratum, ita poteſt euenire, vt certare oporteat, cum vno aliquo, vel prouocante, vel palam, aut clam inuadente, vt einſdem fundibularij cum Goliatho congredientis facto ſatis conſtat. Loquimur autem hic de *Duello* non corporeo, ſed ſpirituali, moralique.

MEMBRVM I.

DVELLVM SPIRITVALE

Per Examen conſcientiæ particulare.

EST quoddam genus *Duelli ſpiritualis* quod ad mores refertur, quo nullum eſt vtilius in *Militiâ Chriſtianâ*, ad hoſtem quemlibet in caſtris Cacodæmonis, ſub vitiorum vexillis, quorum ſunt ſeptem, militantem, animosè iuuadendum, & feliciter ſuperandum. Vocatur, ne vos ſuſpenſos teneam duitius, EXAMEN CONSCIENTIÆ PARTICVLARE. Cuius iſta eſt praxis. Deſignatur è toto Vitiorum, ſiue Peccatorũ exercitu, in quo etiam ſunt Occaſiones peccandi, proximæ, ac remotæ: Irritamenta ad peccandum: Oblectamenta ſenſuum, & ſimiles armigeri, aut propudia, vnum aliquod, à quo frequentius infeſtamur, aut etiam vincimur, vel victi ſumus: quod inſtar *Goliath* nobis exprobrat virium noſtrarum imbecillitatem, vel ignauiam. Illud Miles Chriſti ad ſingulare certamen vocat, cum eoque tam diu congreditur, donec non ſolùm ſubegerit, in terram coniecerit, pede gulam preſſerit, pugionem pectori appoſuerit; ſed omninò, nulla ſpe veniæ, trucidauerit: id eſt, exſtirpauerit, vt loquuntur in hac re Magiſtri ſpirituales, vel extinxerit. Vno per *Monomachiam* ſuperato, aliud è toto numero euocat è fortiſſimis & maximè metuendis; cum quo ſimili modo pugnam init. Ad cetera deinde progreditur. Sic tandem totus vitiorum exercitus deletur. Quâ non eſt alia expeditior ratio ad hoſtes omnes animæ truculentiores penitus penitusque delendos. Iis deuictis, gemino pugnandi genere, hoſtes minus validos, vt ſunt Paſſiones animi, Affectus, Perturbationesue aggreditur, & vnum poſt alterum conficit. Atque ita in homine, tanquam in ampliſſimâ Republicâ pax ſtabilitur.

Hoc eſt, quod docent vitæ emendandæ ac emendatæ formatores Aſcetæ, plurimum ad vitiorum ac perturbationum omnium eradicationem valere *Examen particulare*. Quod vt ritè inſtituatur, & cum fructu, conſiderandum eſt prius diligenter & inueſtigandum ſagaciter, quod nam ſit *Peccatum*, à quo quis frequentius ſit ſuperatus: contra quod mandatum, diuinum aut humanum agat facilius: quo affectu perturbetur vehementius, quibus occaſionibus abripiatur ſæpius: quibus illecebris irretiatur citius: quarum nam voluptatum laqueis impedicetur arctius. Cuius rei gratiâ.

(***)

MEM-

MEMBRVM II.

PECCATVM FAMILIARE.

Domeſticum. Sociale. Aliorum origo.

OBSERVO, quod animaduerſione diligenti Virorum ſpiritualium habetur exploratum. In quouis homine, vnum, aut alterum *vitium*, ſiue *Peccatum* eſſe ſolere præcipuum, & quod in eo ſit, quaſi cauſſa & radix aliorum. In vno libido carnalis, è quâ pullulant ſexcenta alia. In altero Gula, ebrietas, intemperantia. In aliquo mentiendi, iurandi, blaſphemandi pronitas ac cupido. In hoc ludendi deſiderium. In iſto iræ aut inuidiæ furor. In Euclione auaritia. In Herode Superbia. In Epulone crudelitas. In Phariſæo faſtus, ſuperſtitio, hypocriſis. Explico id paullò vberius. Eſt adoleſcens, iuuenis, vir, qui, vel natalibus illuſtris, vel opinione ſui inflatus altiſſimos gerit ſpiritus, quos prodit verbo, geſtu, habitu, ſuperbus, arrogans, faſtuoſus, aliorum contemptor, ſui laudator, ſuorum admirator, æſtimator ſuarũ virium, opum, roboris, pulchritudinis, ſcientiæ. In hoc ſcaturigo vitiorum eſt *Superbia*, quâ contemnit alios, dedignatur agere cum tenuioris fortunæ hominibus, faſtidit pauperes, ſpernit æquales, deſpicit inferiores, captat contra Chriſti monitum in Euangelio, primas ſedes, honoratiores recubitus, locum vbique primarium: cùm tamen Chriſtus dicat: *Quando vocatus fueris, vade, recumbe in nouiſſimo loco* Lucæ XIV. Sed meminerit, qui eſt talis: quod *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, &, qui ſe humiliat, exaltabitur.*

EST alius, quem non vexat faſtus, ſed inſaturabilis vorandi & potandi libido: comeſſari ac potitare, vna illi videtur voluptas, vna felicitas. In hunc finem omnes explorat occaſiones viſitandi tabernas, celebrandi ſympoſia, adeundi ganeas. Hoc vitium Gulæ, ſeu intemperantiæ, Gaſtrimagiam vocat Caſſianus, plurimorum ſcatebram. Nonnemo oppugnatur incredibili ludendi appetitu, qui illud habere videtur pro gnome honoraria: *Ede, Bibe, Lude.* Nullam diei, aut noctis partem, dum à ſomno vacat, tranſmitteret ſine luſu, ſi haberet colluſorem. Ad verſandum chartas, iaciendũ aleam, rotandum taxillos, tam expeditus, vt noctu, dum dormit, ſopitis ſenſibus, videatur ludere. Hæc illi votorum ſumma. In patribus familias, & adoleſcentibus fons criminum. Hinc temporis precioſi dilapidatio, ſtudiorum neglectus, curarum domeſticarum tædium, contentiones in ardore ludendi, iuramenta, blaſphemiæ, diræ imprecationes. In iunioribus furta ad corradendos nũmos ludentibus neceſſarios: parentum ac maiorum deceptio: multorum ſcandalum. Quidam impetitur continuò à *Luxuriæ ſpiritu* qui illum ſine intermiſſione exagitat: ſuadet mollia, offert laſciua, inuitat ad obſcæna: incitat ſenſualita-

tatem ad illicita, membra carnis ad turpia, ſenſus ad vetita, denique, deijcit corpus, vt voluretur, tanquam ſus in volutabro luti. Quod ſeminarium eſt grauiſſimorum ſcelerum. Eſt quiſpiam, in quo prædominatur *Iracundia*, furor, rancor, amaritudo. Ad quodlibet verbum, ſibi, vt apprehendit, contrarium irritatur, inflammatur, clamat, ſaltitat, conuitiatur. Inde oriuntur innumera alia delicta. Quorundam proprium eſt vitium *Hypocriſis*, inuidentia, doloſitas, vt Phariſæorum in Euangelio, qui idcircò obſeruabant Chriſtum, tentabant Chriſtũ, accuſabant Chriſtum, ſed perperam & falsò: nam conuincere non poterant. Dicebat ille ſecurè: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. VIII.

Integer vitæ, ſcelerisq; purus.

At ipſi vitia ſua vera occultabant: alij falſa adfingebant. Quàm multi hodie tales!

NONNULLI premuntur, & vincuntur à *Superſtitione*, quam arguit Dominus in Legiſperitis & Phariſæis, qui ex ſuperſtitione merâ, accedente malignitate, negabant curari poſſe aut debere Sabbato. Lucæ XIV. Sic quiſpiam poſſet ſibi ducere religioni, ſpuere die dominico. Ridet hos Chriſtus, & quærit, an aliquis ſit tam delirus, vt ſi aſinus, aut bos, quem cuſtodit, in puteum cadat, non extrahat illum continuò die Sabbathi? Et tamen magis inſaniebant quidam: nam ſi vel ipſi incidiſſent, nolebant vt extraherentur. Certè narrat auctor fide dignus (a) de Iudæo, qui delapſus in cloacam die Sabbathi, noluerit ob temporis ſanctitudinem, eo die extrahi: itaque manſit collotenus in delicijs illis Cloacinæ. At ſequenti die cauit Chriſtianus territorij Dominus ne extraheretur, prætexens Dominicæ diei, quæ apud nos Sabbatho ſucceſſit, ſanctitatem & reuerentiam. Manſit igitur, vſque ad diei illius occaſum Iudæus in illo porcellorum roſeto. Antiquior alterius Iudæi ſuperſtitio væſana deſcribitur ab oculato teſte Syneſio. (b) Is nauta erat in oneraria, quæ multos vehebat. Vt ſol reliquit terram die veneris veſperi, in paraſceue, relicto illico nauis clauo, proſtrauit ſe, ne violaret Sabbathum, atque ſe cuiuis calcandum, protrudendum, pulſandum potius exhibebat, quàm vt quidpiam operaretur. Neque ad opus redijt, quàmuis adacto gladio minitarentur mortem, niſi poſt dimidium noctis, quod ex ſtellis ſcrutabatur, elapſo Sabbatho. Tantum apud iſtum potuit ſuperſtitio, quæ in eo dominabatur. In alijs, vti diximus, ſunt alia vitia peculiara, cum quibus quomodo ſit certandum Monomachiâ ex condicto mox docebimus.

***

(a) *Valateran. lib. 3. Geogra.* (b) *Epiſt. ad Euodium.*

MEM.

MEMBRVM IV.
DVELLVM SPIRITVALE
Per Examen particulare tria complectitur tempora.

VT *Duellum* hoc ſecurè ac cum certa victoriæ ſpe ſuſcipiatur, PRIMO, Miles Chriſtianus, dum à ſomno ſurgit, proponat diligenter ſui cuſtodiam circa Peccatum aut vitium illud peculiare, quod ſibi aduerſarium obſeruauit, & à quo infeſtatur vehementius, à quo proinde emendari, illud delendo, cupit. Quamuis autem animaduerteret plura eſſe iſtiuſmodi, expedit tamen, vt vnum deſignetur, quod tanquã hoſtem capitalem ad *Duellum* vocet, & ad quod profligandum, immò, delendum totus incumbat: vt illo ſuperato, ad aliud & aliud deinceps, peculiarem hunc conatum ac ſtudium certandi transferat. Itaque

SECVNDO, tempore pomeridiano inuocandus eſt DEVS Auxiliator, & petenda ab eo gratia, vt reminiſci poſſit *Duellator*, quoties à Goliatho ſuo ſuperatus retrocedere coactus fuerit: hoc eſt, vt ſimpliciter dicam quoties in Peccatũ iſtud, ſeu Delictum inciderit: & vt in poſterum caueat. Deinde diſcuſſionem aggrediatur cogitabundus, exigens ab anima ſuâ rationem de Peccato, ſeu Vitio deſignato. Et ſingulas diei partes prætcritas percurrens, ab ea hora, qua ſurrexit vſque ad præſentem, quoties lapſus ſit, ſeu illud commiſerit, notet: & in libello ad id parato, aut in pugillaribus, lineis ac punctulis in eum finem ductis ac impreſſis ſignet. Quibus peractis, denuò proponat, per ſpacium diei reliquum fortius, conſtantiusque certare, & nunquam ſuccumbere.

TERTIO. Sub noctem inſtituenda diſcuſſio poſtrema, percurſis itidem horis ab examine priore vſque ad præſens lapſis & eodem modo rememoratis, enumeratiſque vicibus, quibus ab hoſte ictus, vulnus accepit, hoc eſt, deliquit: ſignis autem notandus erit lapſuum numerus. Quod etiam fieri poteſt abſque eiuſmodi ſenſibilibus notarum impreſſionibus, ad hibitâ ſolummodò memoriæ tabulâ. Nam moleſtum haud dubiè eſſet multis, quod ſcribit Ioannes Climacus Gradu 4. feciſſe olim quoſdam, deferre à cingulo pendentem breuem libellum, in eoque ſtilum ad notas imprimendas figere.

MEMBRVM IV.
S. IGNATIVS LOYOLA DVELLATOR
Exercitatiſſimus per Examen particulare.

DIci ſatis non poteſt, quantoperè conferat ad hoſtium omnium ſpiritualium profligationem, deletionemque, ſiue ſint *Peccata*, ſiue *Vitia*, ſiue

Paſſiones animi, & *Affectus*, atque ad plenam de quacumque particulari aduerſario, tam manifeſto, quàm occulto reportandam victoriam, eſſe in *Duello* hactenus deſcripto exercitatum. Quod expertus eſt, ſi quis alius, in Militiâ Chriſtianâ Dux egregius IGNATIVS LOYOLA. De quo, dum ingenioſè, floridè, piè etiam & ſpiritualiter diſſerunt Encomiaſtæ plurimi (quæ eſt illius Sancti felicitas rara, cui non inuideamus) cenſent, non æſtimanda eius apud DEVM promerita, & eximiam ſanctitatem, quæ Canonizationem Pontificalem meruit, ex vitæ totius auſteritate, quæ in hominum oculos incurrit, & admirationem parit. Non legitur in eius Vitâ, tot linguis expreſſa, & toties typis cuſa, ac recuſa, quod poſtquam Societatis Religionem condidit, & inter ſuos agebat, fuerit ſacco hiſpidus, nudipedalibus viſendus, inediâ longâ exſuccus: quod flagris ſe horrendùm, ad ſanguinis profuſionem ceciderit, quod in ſtramine, vel paleâ, aut nudâ humo dormiuerit, quod pænitentijs enormibus ſeſe emaciauerit. (quamuis quædam ex ijs, ſuo loco & tempore, ſecundum prudentiam religioſam, haud omiſerit, vt planè mihi perſuadeo. Sed æſtimandam volunt, Viri illius, quem DEVS multorum Magiſtrum deſtinârat, perfectionem in vitâ ſpirituali, [illegible] Sanctimoniam, ex animi puritate, & TENORE quodam PERPETVO viuendi ſecundum officia iuſtitiæ Chriſtianæ, & Diſciplinæ religioſæ. Ad quod obtinendum præcipuum illius adminiculum fuit DVELLVM ſpirituale, quod *Examine Conſcientiæ particulari* perfici diximus.

NEMO bona faciet, niſi à malo prius declinauerit. Ad hoc autem neceſſarium eſt, vt animus à vitijs perpurgetur: quod non fit, niſi ſingula ſuperentur, & exſcindantur: hoc autem obtinetur *Examinis* illius *Duello*. In quo tam exercitatus fuit *Ignatius*, vt interdiu pariter ac noctu, præter breues quietis inducias, ſingulis horis, horologij ſonitu admonitus, ſeueram ſecum quæſtionem exerceret, cogitata, dicta, facta in iudicium vocans. Tum verò, penſatis diligenter omnibus animæ hoſtibus, vnum ſibi è moleſtiſſimis & grauiſſimis adſumebat, cum quo, tanquam ſingulari certamine dimicaret. Aduerſus quem, vbi primùm è ſomno excitabatur, erectus in ſui cuſtodiam, in eaque toto die perſiſtens, ſi fortè laberetur, ſtatim animo dolens, admotaque manu pectori, vel alio edito ſigno, quod pro monitore ſibi eſſet, ac, ſi qui intereſſent, falleret. Sub meridiem ac veſperam imploratâ ad reminiſcendum ope diuinâ exactas diei ſingillatim excutiebat horas, numeroque inito lapſuum, & notato, ac proponens emendationem, intenſiorem vigiliam, conferebat pomeridianum tempus cum matutino; diem inſtantem cum heſterno; hebdomadam cum hebdomada: menſem cum menſe, attenti ritu negociatoris, lucri momenta ad calculum identidem reuocantis, inquit Hiſtoricus Noſter: dixerim ego, inſtar *Duellatoris* induſtrij, ſingulas agreſſiones, impreſſiones, circumuentiones, ictus, & conatum aduerſarij, ſuamque repreſſionem, & conatum contrarium attentè penſantis, & ad cautelam in poſterum, expendentis.

Nicol. Orlandin. Tom. 1. hiſt. lib. 16. num. 1[illegible]

Ad

ADHÆC, ne quis fortè ſubter fugeret ſagaciſſimum *Duellatorem* hoſtis alicubi latens, ſingillatim Præcepta Domini, atque Eccleſiæ, & ſeptem criminum Capita ſcrutabatur. proprio quodam exercitationis genere, conſiderationem ſemper cum precatione conſocians. Eodem modo, ne qua ſiue exterioris; ſiue interioris hominis pars neglecta, atque inculta maneret, vbi mala pullularent germina, ſub quibus deliteſceſceret hoſtis domeſticus, à quo improuisò occuparetur, ſeſe circumſpectans totum, ſingulas animæ Facultates ſeparatim recognoſcebat: ſingulos excutiebat corporis Senſus, cum ſingulis duellare paratus ſi obſiſtere perfectæ virtuti præſumptuosè auderent, nec ſe reprimerent. Reprimebat autem ipſe animosè ipſorum inſolentes motus, imitandum ſibi CHRISTVM Ducem, ac Reginam Militiæ cæleſtis proponens. Quoniam autem Senſus, præterquam quod vno intuitu ſint hoſtes domeſtici, qui ex inſidijs prorumpunt, & aggrediuntur; altero autem ſunt veluti portæ, per quas hoſtes exteri ingrediuntur, qui vel ipſi armati ſe ſiſtunt; vel pabulum Perturbationibus inuehunt ideoque permagni momenti eſt illas ita occluſas tenere vt nihil admittant, niſi quod ſalutare eſt, & ad victoriam contra hoſtem Tartareum conducit. Id verò aſſequabatur, vel repagulo Timoris Domini claudendo, vel patulis obijciendo vi cogitationis, vitæ Chriſti Myſteria. Quo fiebat, vt nonniſi admittere, ſentire & amare ſpiritualia, eorumque affici guſtu conſueſcerent, eſſentq; ſemper ſub Rationis & Pietatis imperio.

HAC intentâ curâ, primùm ſui notitiam maximam: dein, vitiorum, prauarumque conſuetudinum amotionem: tum procliuitatum, motionumque animi tranquillitatē: adhæc, mirum illum linguæ dominatum: toto prætereà moris & corporis habitu, ſingulíſque membris ac motibus compoſitionem atque modeſtiam: denique, abſolutam in genere omni mortificationem, ſuique victoriam adeptus eſt, quam perrarò in hominibus, quantumuis virtute præſtantibus omni ex parte videas.

QVOCIRCA monebat ſuos IGNATIVS, (a) vt contra quotidianas Dæmonũ inſidias, ne circumuenti repentè in fraudem inducerentur, vel inſtructo, quod aiunt, agmine ſemper incederent; vel certè diſſipatis in varias curas, & negocia viribus animi, tanquam receptui canerent ſtatis horis diei, & in ſemetipſi deſcenderent, ſuaque omnia dicta, facta cogitata, coram DEO quàm diligentiſſimè reputarent, adhibito etiam monitore, ſi opus eſſet, vel memoriæ, vel etiam notitiæ cauſſâ. Denique omnia probè contemplati, contra id vitium maximè pugnam capeſſerent, quo Vitio ſe præcipuè vrgeri, & laborare ſentirent: nec ante deſiſterent, quàm DEO Duce, debellatum eſſet ſingulari certamine. Hoc duellandi genere immanis *Goliath* ſternitur, ſimulque totus Philiſtinorum exercitus, qui non eſt alius, ſenſu ſpirituali, quam Peccatorum, & vitiorum, profligatur, immò, penitus conſcinditur. Porro, quot ſunt Vitia præcipua, tot licet conſiderare Gigantes, inſtar *Goliathi*, quibuſcum animosè nobis fortiterque eſt

(a) *Maffeius lib. 3. vitæ cap. 1.*

eſt per interualla dimicandum duello ſpirituali, Quod habet aliqua cum *Duello* corporeo, quod armis ad vitam eripiendam idoneis committitur, cõmunia, aliqua etiam cum illo non conuenientia: quæ ignorare non oportet.

MEMBRVM V.

DVELLVM SPIRITVALE. TROPOLOGICVM.

Hominibus omnibus licitum, & ſuadendum eſt.

IMPRIMIS, Duellum corporeum, ad congredientium exitium inſtitutum, eſt deteſtandum, & Chriſtianis omnibus lege diuina & humana ſeueriſſimè prohibitum, vt nuper demonſtrauimus. At *Duellum Spirituale* illud cum prouocatione Vitij peculiaris, cum quo certandum, omnibus licet, omnibus, nullo perſonarum, nulla ſexus, nullo ſtatus, aut conditionis alterius diſcrimine, non cõceſſum modò eſt, ſed perſuadendum eſſet, cum omnibus ſit conueniens & per quam vtile: immò, ſi poſſet imperandum eſſet cunctis fidelibus, tanta inde oriuntur commoda. In quibuſdam Religionibus militaribus ſtatutum olim fuiſſe tradit Martinus Nauarrus, vt nemo ad eas habilis conſeretur, qui prouocatus abnuiſſet *ſingulare certamen*. Quod optimus ille Canoniſta impium cenſet, & benè. Sed vtinam talis lex eſſet de *Duello* morali & ſpirituali, de quo nobis ſermo: vt nemo admitteretur ad Gymnaſium Sapientiæ, nemo ad vllum adoleſcentũ ſtudioſorum contubernium, nemo ad Sodalitatem Marianorum, nemo ad vllam Religioſorum cum hoſtibus Tartareis pugnantium, DEOque militantium familiam, ſicut nullus admittitur ad noſtram, qui detrectaret hoc *Singulare certamen*, immò qui in vſu quotidiano habere non percuperet. Quanta inde vbique morum in melius commutatio?

MVLIERIBVS quondam ſignatè *Duellum* erat prohitum. Reperiebantur enim Amazones quædam irritabiles ad duellandum viris promptiores. Certè, ſub Alexandro Seuero certamen mulierum fuit inſtitutum, ad quod tanta hominum confluxit multitudo, vt verbis nequeat repræſentari. Iſto in certamine cùm mulieres pertinaciſſimè pugnaſſent eſſentque ob id inſectatæ nobiliſſimas fœminas, tandem lege cautum fuit, ne qua mulier ita digladiaretur. (a) Ad *Duellum* autem *ſpirituale*, maximè *Examinis particularis*, inuitandæ eſſent, aut mulieres DEO deuotæ, aut, quoniam illæ non negligunt, adoleſcentes ac viri, vt mulierculæ, delicati, vani, effæminati. Non eſt ſiquidem efficacius remedium, ad ſpernendam & abigendam vanitatẽ in crinibus, veſtibus, cultu corporis; ad profligandam procacitatem, & laſciuiam; ad eradicandam hærentem in viſceribus ſenſualitatis Luxuriem, quàm ſit hoc *Duellum*. Pugnate vel vna hebdomade ſecundũ praxim ſuperius expoſitã, contra

(a) *Hippolytus à Cellibus lib. de incremen. vrbi.*

contra Vanitatem, ſenſualitatem, libidinem *Duellatrices* calidiſſimas, vix elabetur octiduum; & quilibet è vobis erit alius, felici metamorphoſi mutatus, ex leuiculo in grauem, ex molli in ſeuerum, ex laſciuo in caſtum, ex effæminato in virilis animi & morum ſenilium iuuenem.

MEMBRVM VI.

DVELLI SPIRITVALIS CVM CORPOREO

Comparatio ex Cauſſis. Effectibus. Vſu.

ANTIQVISSIMVS vſus eſt, vt ex *Duello* coniectura fiat euentus bellici. Germani, vt auctor eſt Tacitus, Libello de moribus German. ſi quando bellum gerebant vnum aliquem hoſtem intercipiebant, captumque cum electo aliquo popularium patrijs quemque armis committebant: victoriam huius, vel illius, pro coniectura & augurio ſequuturæ victoriæ accipientes. Ita plures Reges ac Principes ſingulari prælio ante pugnam exercitus totius decertarunt frequenter. Magnum nobis ac continuum eſt bellum, cum potentiſſimo aduerſario Cacodæmone, qui copioſiſſimum educit in campum exercitum, ex omnibus *Vitijs, Peccatis, Cupiditatibus* conflatum: cum illo de ſummâ rei certandum eſt: agendum non de ſtillicidijs, non de tribus capellis, non de terminis fundi priuati, ſed de æternitate, non de pileo, ſed de ſempiterna pænâ, aut perpetua ſalute & gloria Si ſuperemur, ſpes omnis decollauit, ſumus profligatiſſimi. Si victoriam reportemus, manet nos triumphus, Romanis omnibus ſplendidior, diuturnior mortalitate, barbarico quolibet illuſtrior. Sed plurimum refert coniecturam feciſſe euentus bellici, quæ nulla è re capitur certius, quàm ex *ſingulari certamine* cum vno aliquo Vitio, per *Examen particulare*. In eo enim ſi ſuperiores fuerimus, ſemel, bis, ter, penè moralem certitudinem conſequimur de victoriâ vniuerſali contra totum hoſtium quorumcumque exercitum.

IAM verò, finis *Duelli* eſt iſte quoque, vt ante conflictum capitalem animetur, tum, qui pugnaturus eſt, tum eiuſdem factionis milites alij. Hunc & ſuperiorem habebat præ oculis *Alexander Magnus*, vt in eius vita refert Plutarchus. Siquidē *Duellum* ille ſuos inſtituere volebat, ludicrum quidem, ſed ad alacritatem bellicam incitatiuum, ac penè diuinatorium. Eligebat pars quælibet Ducem: hic *Alexander*, ille *Darius* appellabatur. Congrediebantur deinde: primùm globis, mox lapidibus, denique fuſtibus pertinaciter decertabant. Quo peracto, *Alexander* iubebat ipſos Duces *Duello* cōgredi: & ipſe Alexandrum perſonatum, Darium Philotas, eius ex aulicis præcipuus armabat. Fit certamen. ſpectat *Alexander* Duellum circumfuſo milite, tum, vt eius exitum in omen euentus ſequuturi trahat; tum, vt ſe ſuoſque animet. Vincitur *Darius* ſuppoſititius, victor eua-

euadit, & acclamatur *Alexander* ei oppoſitus, qui pagos XII. & amictum Perſi cum præmij loco, à vero Alexandro accipiebat. Cauſſa, cur plurimi vincantur in ſpirituali cum Vitijs certamine, eſt animi deiectio, quæ vocari ſolet Puſillanimitas, & Diffidentia, quæ oritur ex intuitu, aut apprehenſione tam copioſi exercitus, contra quem pugnandum. Videt quiſpiam ſe obſideri à ſuperbia, gula, laſciuia, iracundia, inuidia, acedia, & quæ his adnexa ſunt Vitijs. Quæ nam, inquit, ſpes victoriæ? hoſtes tot ſunt, quot arenulæ in littore maris. Vis animum ſumere virilem? vis ſpiritus Heroë dignos? erigere. quid iaces? præmitte pugnæ vniuerſali *Duellum*. Certa cum vno aliquo, quem prouoces, ex toto Peccatorum exercitu: eo per *Examen particulare* ſuperato, non ſolùm felix tibi omen inde ſumes capitalis victoriæ, ſed mirum in modum, ad inuadendum quantumuis numeroſas copias, animaberis, victor futurus ſingulorum & omnium.

PRÆTEREA, facit *Duellum* ad terrorem hoſtium, ſi in eo ſuperior euadas. Illuſtre eius exemplum eſt in Philiſthæis. Poſtquam enim præualuit Dauid aduerſus Goliath in funda & lapide, ac interfecit eum, præciditq́; caput eius, videntes Philiſthijm tam malè ceſſiſſe vni ex ſuis commilitonibus in duello præambulo, non auſi fuerunt mouere exercitũ contra Iſraëlitas, ſed fugerunt. Quos perſequutus Iſraël, cecîdit ex eis plurimos, deinde, caſtra eorum inuaſit, ac plenam conſequutus eſt victoriam. Ineas Tu animosè certamen cum aliquo ex tuis Vitijs, aut vitioſis affectibus, cum ira, odio, inuidia, laſciuia. Si in primo Duello ſis ſuperior crede mihi, timorem incuties reliquis, & in fugam ages: vel ſi non omninò fuges, reddes tamen Tibi minus terribiles, minuſque infeſtas perturbationes alias. Id experimur quotidie. Nam qui auſu heroico opponit ſe luxuriæ V. C. illamque perfectè ſuperat, ſentit ſe minus infeſtari ab ira, rancore, ſuperbia, audacia, deſperatione, ſimilibuſque animæ hoſtibus.

QVID quod duellis deleri poſſit aduerſariorum exercitus omnis, licet numeroſiſſimus? Quod effatum fundatur in eo, quia exercitus eſt ens aliquod vnũ per accidens, ſicut aceruus lapidum: quare non continet niſi certum numerum militantium; quemadmodum ens collectiuum non habet niſi eos, qui in tali collectione conueniunt, ſiue homines, ſiue ſpiritus, ſiue res alias. Quod ſi ex eo tollatur vnus poſt alterum, tandem exhauritur collectio, & deſinit ac interit exercitus. Fac ergo, vel concipe, copias eſſe decem millium, tollantur primò *Duellis* aliquot robuſtiſſimi quique, tandem tota belli moles ad paucos reuocabitur: & hi Duellis intereant, totus exercitus cõcidet. Iam finge Te habere mille Vitia, vel etiam plura: nam non habes infinita: in ijs non valet iſtud, ſemper remanent aliquot poſt omnem ſumptionem determinatam, quæ carptim fiat. Euoca ergo ad certamen ſingulare vnum poſt alterum, ſolo *Duello* iterato interimendo ſingula Vitia, tandem delebis omnia.

DICES fortaſſe, quid ſi certem alacriter, & me fatigem, toties inquirendo in conſcientiam, pugnandoque cum affectibus meis ac vitijs, contingere poterit, vt quamuis non vincas ego, tamen

non

non euadam ſuperior. Nam id aliquando in duello factum legere me memini. Tempore Alphonſi Regis, qui fuit Petri Regis Caſtellæ pater, duo nobiles Hiſpani, *Ruy Paez de viedma*, & *Pay Rodriquez de Auila* grauiſſimam habuêre cõtentionem. Nam ille hunc proditionis accuſabat; hic illum ſceleris grauioris viciſſim recriminatione pulſabat. (*a*) Cùm ventum eſſet ad *Duellum*, tribus continuis diebus, ab ortu ſolis vſque ad occaſum pugnarunt, multiſque ſe vulneribus affecerunt. Dubia autem prorſus, nec in vnum alterum-ue inclinante victoriâ, vtrumque Rex innocentem pronunciauit: & æquali virtute præditos, amicos eſſe voluit: aſſerens eos animoſitate potius, quàm veritate ſe mutuo criminis apud Regem accuſaſſe. Poteſt id contingere in *Duello* corporeo, & ſæpius fortaſſe accidit. At in *Duello* morali cum vitijs locum non habet. Si enim, vti ſuperius eſt præſcriptum, diuina fretus gratia, ita Vitium aliquod aggrediaris, vt mane, meredie, veſperi illud laceſſas. & nullam quietis partem illi relinquas, certè, ab hoſte illo nunquam ſuperaberis, ſemper autem *Duello* victor redibis.

(a) *Petrus Moxia ſylua Var. lect. pag. 2. cap. 10 Martin. Delrio To. 1. Mag. diſq. lib. 4. cap. 4. quæſt. 4.*

MEMBRVM I.

A DEO APPROBATIO. CONCESSIO. IVSSIO.

Duelli Spiritualis. Myſtici. Tropologici.

CONSENTIVNT in eo Doctores Canoniſtæ cum Theologis, poſſe acceptari, & procurari DVELLVM, etiam corporeum, & exitiale, ſinè vllo flagitio; immò ad illud prouocare, ſi DEVS illud ſuadeat: quid ſi ad illud impellat? quid ſi iubeat, & imperet? Omitto exemplum Dauidis. Accidit in hoc genere quidpiam admirabile, dignumque memoria. Anno Domini M. CCC. XXV. Gulielmo III. Comite Hannoniæ Verpa quidam ſe finxerat ſincero animo Chriſtianis ſacris baptiſmo initiari. Suſcepit ex fonte Comes, & *Gulielmum* filiolum nominauit: & Apparitorem Curiæ Montenſis eſſe iuſſit. Non diu poſt, homo impius ingreſſus ædem Monaſterij Cambronenſis, actus furijs, blaſphemias in Imaginem DEIPARÆ multas effudit, &, horrendum, venabulo quinque plagas inflixit. Vnde ſanguinis ſtatim riui manarunt. Viderunt faber aſciarius quidam, & Monachus laicus, Matthæus lobius. Faber aſcia Iudæo caput findere parabat, ſed à Monacho fuit prohibitus. Rem igitur detulerunt ad Abbatem, Ioannem de Montibus Is ad Comitem. Iudæus pertinaciter tormenta eluſit: ſic dimiſſus. Quadriennio exacto, ab Angelo apparente quidam ſenex, nomine *Ioannes Flander*, Eſtinnenſis, & ſeptennio iam ex paralyſi clinicus iubetur Iudæum accuſare, & duello prouocare. Bis monitus, Parochi iuſſu, ſenex

rem adhuc differebat. Tertiùm, illa ipſa Virgo quinque illis plagis ſauciata ſe videndam præbuit, & imperat monomachiam cum ſcelerato. Plenus ſpe ac fide ſenex adit Cambronem, cernit in Imagine Vulnera, quæ invìſa erant. Accedit Comitem: accuſat recutitum: dies pugnæ dicitur. Arma, ſudes, fuſtes, ac ſcuta lignea quæ ſuperſūt etiā hodie. Iudæus agilis corpore, ferox viribus, tibiales faſcias tintinnabulis cinxerat, & ſic ſenem Marianum ridebat. Sed iuuit athletam ſuum DEVS & DEIPARA. Tam impar commiſſus, æger ſanum, debilis fortem, ſenex iuuenem proſtrauit, & horrendè blaſphemantem, conuictum ſed non pænitentem. Comes, æquiſſimus iudex, iuſſit caudæ equinæ alligatum trahi ad patibulum: & capite deorſum, ad latera duobus moloſſis eum rabidè dilaniantibus. Narrat fusè Robertus Hauportius. duobus ea de re libris carmine conſcriptis. Et eſt memoria celebris in Monaſterio Cambronenſi.

Hoc autem tam illuſtri exemplo confirmatur, quod diximus: ſi DEVS iubeat ſiue per ſe, ſiue per voluntatis ſuæ interpretes, & iuſſionis adminiſtros, iuſtè, ac legitimè ad duellum fieri prouocationē, illudque acceptari. Quid autem vnquam DEVS clarius, quid frequentius, quid ſeuerius imperauit, quàm, vt duello Peccatum, Gigantem illum Goliatho vaſtiorem tumidioremque, aggrediamur, Peccato caput auferamus. Hoc autem fit expeditiſſimè *Duello* quod appellauimus *Examen conſcientiæ*, præſertim, cum eſt *Particulare*; quod inſtinctu DEI didiciſſe IGNATIVM, & in familiam ad quam ordinandam ducendamque illum ſupremum Numen elegerat, dubitari non debet. Sed longè ante *Ignatium*, id Paulo Apoſtolo inſpirauerat Dominus. Vnde ſuadens ille hoc *Duellum*, ſcribebat Corinthijs: *Quod ſi nosmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur* 1. Corinth. XI. 31. id eſt, ſi de nobis ipſis iudicium, & examen conſcientiæ inſtitueremus quotidie, non opus haberemus, terribili Iudice extremo. Siquidem hoc inſtituetur ob peccata, quibus *Duello Examinis* deletis, ab illo eſſemus liberi. Probè hoc intellexit Eremicolarum parens *Antonius*, de quo ſic in eius vita D. Athanaſius adhortantem inducens: *Diiudicate vos met ipſos & probate, rationem diei noctiſq; facientes. Quodſi delictum aliquod in vobis deprehendiſtis, peccare deſiſtite.* Nempe, Peccatum, tanquam hoſtem capitalem duello deuictum interimite. Ad *Duellum* etiam *Examinis* reſpexiſſe putatur Dauid, cùm moneret fideles: Pſalmo IV. *Iraſcimini & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.* Nam cubiculum, ſecretum eſt arena huius ſingularis certaminis, & tempus veſpertinum aptiſſimum ad hanc pugnam. Qua de cauſſa fortaſſe Pſalmus iſte quotidie in Eccleſia ad Completorium cantatur.

COMMENTATIO V.

CAVSSÆ DVELLI SPIRITVALIS IVSTISSIMÆ

Contra Cacodæmonem, Mundum, Peccatum, per analogiam ad cauſſas, quæ excitant Duellum corporale inter profanos.

MEMBRVM I.

CAVSSA DVELLI

Manus violentæ patri ſuo illata.

PVTATVR ſat magna cauſſa *Duelli* corporalis, ſi quis parenti prouocantis manus violentas intulit, maximè, ſi mors intentata fuerit, & ſequuta. Ita cenſent, qui mundana ſapiunt, ſibique vindictam, quæ DEO Iudici iuſto tranſcribenda eſſet, arrogant: exiſtimant enim non pauci, cetera haud peſſimi, licere prouocare interfectorem patris; immò, hoc pietatem erga parentes exigere. Exemplum huius rei occurrit recentiſſimum.

Cùm Ambroſius Spinola Philippi IV. Regis Catholici auſpicijs, & Iſabellæ Infantis Hiſpaniæ ductu obſideret Bredam (*a*) initio obſidionis, buccinator quidam Gallus, per occaſionem rei perditæ in caſtra Hiſpanorum ad Ioannem Comitem Naſſauium miſſus, Gallicæ nobilitatis nomine, eum inuitauit experiundæ cum ijs fortunæ cauſsâ. Comes poſtridie ad certam horam adfuturum ſe tribus cum ſocijs promiſit, gladio, ſclopisque duobus inſtructum, cetera inermem. Poſtridiè, vti conuenerat, ad dictam horam, vnà cum centurione Steenhuſio, & Pro-præfectis duobus duorum equeſtrium Præfectorum, Grobendonckij iunioris, atque Berbergij ſub caſtris hoſtium conſtitit. Prodière ex Batauorum caſtris equites quaterni, alijs eminus ad ſex decim ſubſequutis, trecentis hoſtium ſpectantibus è principijs caſtrorum. Erat inter quaternos adoleſcens Briautæus, illius filius, quem olim ſingulari certamine cæſum, Grobendonckij iuni-

(a) *Herman. Hugo in obſidione Bredana pag. 39. Theatr. vitæ ver. Duellum pag. 424.*

oris pater ſuperauerat. Is in paternæ necis vltionem educatus, miſſo nuper ad Spinolam tubicine, poteſtatem ſibi fieri flagitarat, experiundæ pugnæ cum filio, patrij vt vocabat, percuſſoris, quaſi ſerò alioqui periturus. Quam cùm ei Spinola recuſaſſet (filio Baronis Grobendonckij ne euaderet, cuſtodito) Briantæus occaſionem vltrò quærebat, iuuenis animo ferox. Comes Naſſauius aduerſariorum quempiam in certamine nactus, cùm plumbeam eius glandem antica ephippij parte excepiſſet ceruicem ei fiſtulæ flamma aduſſit. Briantæus manu voceq; audax Me, me, inquit, pete quiſquis es: en Briantæum: hic dies paternæ necis culpam expiabit. Quæ cùm dixiſſet, equo calcaribus incenſo Grobendonckij iunioris Pro-præfectum ſclopo nequicquam laceſſens, ipſe eius glande traiectus, ephippij capulo ſemimortua manu prehenſo, mox ad terram exſanguis delabitur. Ita duorum Grobendonckiorum laceſſita virtus, Briantæos duos, patrem & filium ſuperauit.

MAIOR ſanè, ac iuſtior nobis eſt cauſſa prouocandi ad ſingulare certamen Peccatum quolibet mortale, ſi Patri amantiſſimo vis illata ſpectetur. Nam *Peccatum* hoſtis eſt ille capitalis, qui DEO Parenti Opt. Max honorem detraxit, iniuriam incomparabilem intulit, blaſphemijs dedecorare ſemper, & vbique conatur, bonis exterioribus, vbicumq; poteſt, ſpoliare nititur. *Peccatum* Patris æterni Filium vnigenum, omni contumeliarum genere affecit, in crucem egit, vitam illi abſtulit. *Peccatum* in ipſum illum Patrem inſurrexit, in illius quoque caput conſpirauit, illum interficere, ſi potuiſſet propoſuit: an poſſet, attentauit. Eſt enim vt pij quidam Theologi docent. *Peccatum* omne mortale DEICIDIVM: certè, illius habet quadam æſtimatione, malitiam. *Peccatum*, vt alij diſſerunt, eſt vnicum virus, vnicus pugio, ſclopus vnicus, quo DEVS è medio tolli poſſet, ſi quid eſſet, quod inexhauſtum vitæ & eſſentiæ pelagus auferre, aut exſiccare valeret. *Peccatum* eſt alterius noſtri parentis ſimul, & Seruatoris Chriſti percuſſor crudelis. Quis enim Chriſtum Dominum ſpecioſiſſimum mortalium, inſtar leproſi deformauit? flagellis concidit? ſpinis coronauit, crucifixit, occidit? *Peccatum*.

MEMBRVM II.

DVELLVM

Ob commiſſum adulterium.

PRÆTER homicidium, inter cauſſas, quas Mundus venditat, vt ſufficientes ad *Duellum*, eſt coniugi illatum vitium. Nam thori alieni inſeſſorem, eo nomine prouocatum interimere glorioſum putatur. Memoria dignum eſt ſingulare certamen, quod Pariſijs, regnante Carolo VI. duos inter proce-

res, Iaquetum Griſum, & Ioannem Carongium accidit (a) Cauſſa erat adulterium à laqueto cum vxore Carongij cõmiſſum, dum is peregrinationis cauſſa abeſſet. Itaque detecto ſcelere, reduci marito ab vxore ſtuprum inuitè paſſa, ad Ducem Alenconium, cui vterque familiaris erat, crimen eſt delatum. Petit iniuriam paſſus maritus, aut adulterium puniri, aut in ſingulare certamen deſcendendo pugnæ ſortem experiri. Conſultus, vt ritè omnia fieri putarentur, Senatus regius Dies certamini præfigitur. Carolo Rege ſpectante, certamen initur: vxore, quæ aduenerat, Ioannis adulterium teſtante, & maritum in adulterum incitante. Itaque irruitur vtrimque. Carongius equeſtri congreſſu in femore ſauciatur. Nec ideò ſegnior factus, equo deſilit, adulterum proſternit, & trucidat. Victorem Rex mille Francis, & annuo ducentorum Francorum honorario donat.

Hæc, ſi vlla alia cauſſa, valet pro iuſtitia *Duelli moralis* contra *Peccatum*. Siquidem per quodlibet mortale *Adulterium* committur cum Anima DEO in matrimonium per fidem, & gratiæ deſponſationem data. Hinc grauiſſima illa DEI querela de Anima peccatrice Ezechielis XVI. *Fornicata es, quaſi mulier adultera, quæ ſuper virum ſuum inducit alienos.* Nam Anima dum peccat lethaliter, velut adultera, Voluptatibus ſe proſtituit; atque omnes ſuos ſpiritus, potentias, ac vires, quas à DEO, & ſponſo, & legitimo marito accepit, exhaurit, & Cacodæmoni, tanquam nouo Amaſio, vel *Peccato* ipſum repræſentanti offert, vt Origenes in Ezechielem, explicans fornicationem ſpiritualem, diſſerit. Itaque *Peccatum* inſidiatur Animæ tuæ, *Peccatum* eam decipere conatur, à marito auertere, ad ſe attrahere. *Peccatum* eſt corruptor Animæ tuæ: *Peccatum* eſt violator thori tui: Peccatum eſt ſubſeſſor matrimonij tui. Comprehenſus eſt in flagranti inuerecundus hic mæchus. Eia, arma expedi, prouoca, quod licet, adulterum in arenam protrahe, ad ſingulare certamen poſce. Congredere per *Examen particulare*, ictus multiplica, proſterne Gigantem: ne dubites modicæ fidei, trucidabis.

(a) *Gagninus hiſtor. Gall. Franc. lib* 1x.

MEMBRVM X.

DVELLVM

Ob Irriſionem. Conuitium. Contumeliam.

LEGIMVS multos ad Duellum adductos ob conuitium aliquod, ob contumeliam, ob verbum minus honorificum. Cuiuſdam memini (a) *monomachia* inter Gallum & Italum, ſub Carolo VIII. Rege Chriſtianiſſimo initæ, quod initiũ ſumpſit à dicterio, quo Gallus, vt pote, paruo corpore, ab Italo maio-

(a) *Ferronus lib.* 1. *de geſtis Francor.*

maioris ſtaturæ, *Nanus* fuerat appellatus. Retorſerat enim ille: At hic *Nanus* Herculi clauam extorquebit. Igitur, ſpectante Rege, ad locum ſpectaculi & certaminis coëunt, pugnam gladijs ineunt, magno alacrique animo: neuter cedere paratus. Tandem impacto per viſcera gladio, transfigitur Italus, ac in vicinum tentorium defertur. Victori Rex aureos quingentos donauit, præmium fortitudinis.

Non eſt vllus conuitiator tam mordax, nullus ſannio tam dentatus irriſor, nullus ſcurra tam ridiculus exprobator, nullus morio tam aculeatus calumniator, quàm ſit *Peccatum*. Agit primùm blandè, immò, adulatur, vt ei conſentias. Iura Adoleſcens, peiera, pota, lude, vide, concupiſce, ingredere, exhauri, fruere, quid moraris? Vix commiſiſti, & occurrit, ridet, cachinnatur, linguam ſitientis inſtar canis, exerit, infamem in te digitum torquet, ciconiam, non poſt tergū, ſed ante oculos tibi pinſit. Vocat te bardum, blennum, ſtupidum, ſtultum, quod tam ſtolidè ab eo ſis paſſus tibi imponi. Quod profectò ignominioſius tibi eſt, quàm ſi vocareris *Nanus*. Nam & Druſulus noſter penè nanus eſt, qui tamen ſi ſic vocetur, non offenditur, ſciens, plus ſapientiæ ac roboris fuiſſe in vno nano Dauide, quàm in decem turrium inſtar, vaſtiſſimis Goliathis. At *Peccatum*, per conuitium, cum ante conſenſum, appellaſſet te, Domine, nobilis, illuſtris; poſt commiſſum ſcelus, te tuiſat, vocat ſuum pediſſequum, ſeruum, mancipium. Hæc Tu pateris, nobiliſſime Adoleſcens, ſanguis generoſe? non patere. Arma tibi ſunt, quæ ſuppeditat Chriſtianæ Militiæ armamentarium. Ad *Duellum* prouoca *Peccatum*, conuitiatorem manifeſtum: pugna alacriter: victoriam ſpondeo, &, non quingentorum aureorum, ſed theſauri cæleſtis donatiuum.

Membrvm IV.

DVELLVM

Pro bonorum recuperatione.

Nondvm cauſſas omnes Duellorum recenſuimus: nam præter allatas, reperio vnam ſanè vulgarem, quæ ad magna etiam Capita aliquando extenditur: eſtque recuperatio bonorum per iniuriam ablatorum, ſiue communia illa ſint, ſiue priuata. Exemplum ſuppeditat Ioannes Dubrauius(a) in hiſtoria Bohemica. Radiſlaus Gurimenſis Princeps, Miſſibogij filius, per iniuriam inuaſerat Bohemiæ fines. Coactus à ſuis tandem optimus Wenceslavs Bohemorum Rex militem collegit: Cùm iam dimicaturæ eſſent acies, ſi aliter exclamat *Wenceslaus*, niſi prælio res componi nequit, cur non potius, ſine inſontium ſanguine, ipſi inter nos ſingulari certamine decernimus? Nulla ſit mora.

(a) *Dubria lib. 1 v. hiſtor. Bohem. Bellarmin. in vita S. Wenceslai.*

mota. Loriculam ſupra cilicinam veſtem indutus, & paruo ſuccinctus enſe, Wenceslaus in arenam prodit. At Radislaus cataphractus haſtatusque cum ingenti machæra ſe infert. Wenceslaus ſigno Crvcis frontem pingens ſubitò Angelos videt, vox que audita eſt, velut ab homine prolata: *Ne feri.* Et repentè Ladislaus humi procumbens, veniam audaciæ popoſcit, ſeque poteſtati victoris permiſit. Alleuans proſtratum *Wenceslaus* monuit, datâ veniâ, & dignitate ei reſtitutâ, vt contumaciam in debitum obſequium verteret, ne poſt grauius ab irato Numine plecteretur.

Godefridi Bullionæi quod narrat Gulielmus Tyrius lib. ix. belli ſacri cap. 7. Paſſus eſt vir egregius à quodam nobili, ac potente, qui de numero erat Principum, & eius dicebatur conſanguineus, in curiâ D. Imperatoris, ſuper quibuſdam ingentibus prædijs, & latè diffuſo patrimonio quæſtionem. Super quâ cùm vtrique parti experiendi gratiâ dies eſſet præfixus, eo adueniente, præſentes ſe exhibuerunt, tam reus, quàm actor in Curiâ Imperiali. Vbi lite conteſtatâ, cum prædictus vir nobilis rei proponeret vendicationem, Dux autem, quantum poterat, reniteretur, ſecundum leges patriæ, adiudicata eſt inter eos *Monomachia*. Cùmque Imperij maiores Principes adhoc ſummis elaborarent viribus, ne tam inſignes viri ſpectaculum de ſe populo præſtarent indignum, ſeque tanto vellent ſubijcere diſcrimini, in quo alterutrius opinionis integritas poſſet periclitari, & non proficerent, mandata eſt exequutioni Imperialis ſententia, & vulgi ſtante coronâ, Principibus de more circumpoſitis, locum ingreſſi ſunt certamini deputatum. Dum autem in eo conflictu à viris illis illuſtribus ſtrenuè nimium decertaretur, & viriliter, caſu contigit, quod vibrato in aduerſum clypeum ictu Ducis confractus eſt gladius, ita vt ſupra capulum vix ad ſemipedalem quantitatem in manu eius fieret reſiduum.

Qvod videntes qui adſtabant Principes, quod Ducis conditio multo eſſet facta deterior, indictâ pace, Imperatorem adeunt, & ſupplicantes impetrant, vt de compoſitione inter tam egregios Principes tractare liceat. Vnde dum inter eos tractaretur diligentius, eos, quæ ad pacem erant rogantes, Dux omninò repulit, & irreuocabiliter perſeuerans, agonem reſtaurat. Cùmque eius aduerſarius ob integritatem gladij ſibi quaſi ſuperior factus videretur, inſtat proteruius Duci negans requiem, quouſque Dux ad ſolitam recurrens virtutem, qua ſingulariter præeminebat, & ira ſuccenſus, irruens, capulo, quem geſtabat in manu, tanta circa tempus læuum virtute percuſſit aduerſarium, quod eum quaſi ſeminecem ſolo deiecit proſtratum, vt penè vita videretur omninò deſtitutus. Tunc verò proprij fragmento gladij, & hoſtis proſtrati gladium manu tenens Principes ad ſe vocat, qui eum prius de compoſitione conuenerant, & rogat, attentius monens, vt de pace tractantes, Virum inſignem, qui iam defecerat, tam ignominioſæ morti ſubtraherent. Qui admirantes Ducis virtutem egregiam, & miſericordiam incomparabilem, pace impetratâ, controuerſiam tam honeſto fine ſopiuerunt, vt tamen Dux victor, & im-

immortalitati dignus gloria haberetur. Notandum illud, quod præmittit Tyrius. Singulare certamen Bullionius multum inuitus ſubijt. Sed tamen iuxta regionis conſuetudinem ſalua opinionis ſuæ integritate declinare non poterat.

NVLLVS apud Ethnicos glorioſius *Duellum* inijt,ac confecit, ad bonu ſua recuperanda, quàm *Tydeus*,τυδεὺς, filius Oenei Regis Calidoniæ,& Eurybææ(*a*) qui miſſis legatus ad Eteoclem Regem Thebarum,vt pacti memor fratri regnũ redderet;cùm Eteocles negaret ſe regno ceſſurum,Tydeus vehementer commotus,non eſt veritus & hoſtis& ſolusThebanorum omnes , quotquot cum Rege in conuiuio erant ad quodlibet certaminis genus prouocare. Atque vt animosè prouocauit,ita omnes glorioſè vicit. Quamobrem Thebani dolore ac indignatione accenſi , reuerſuro inſidias tetenderunt,collocatis ad opportunum locum , quò Thydeus tranſiturus erat, quinquaginta iuuenibus cum duobus ducibus. Quos Tydeus in ſe impetum facientes trucidauit: vni tantum ducum parcens, quem acceptæ cladis nuncium ad Eteoclem miſit. Tandem & ipſe in bello Thebano lethaliter vulneratus occubuit.

(a) *Statius in Thebaid.*

MVLTA furunculi ſæpo ſubducunt per fraudem è priuatorum ædibus; multa fures exercitati extrahunt per aſtum è Principum palatijs; multa latrones tapiunt per vim à viatoribus; multa denique extorquent tyranni per prauas artes à ſubditis. Sed nullus hactenus , neque ſimul omnes fures,latrones, tyranni, tantum intulerunt damnum in facultatibus, agris, pecunijs, quantum tibi inuehit vel vnum *Peccatum* mortale in bonis fortunæ,naturæ, gratiæ: nam omnibus ſpoliat *Peccatum*, vniuerſalis prædo. Et Tu cunctaris , cum vnico Duello reſtitui poſſis in integrum, ſingulari certamine,pro tot bonorum recuperatione, cum rapaciſſimo latrone decernere?

MEMBRVM V.

DVELLVM
Ad finiendum bellum.

DENIQVE belli finiendi gratiâ *Monomachiam* ſuſceptam aliquando à mageis Ducibus, ipſiſque Regibus , aut ad id delectis alijs Principibus,vt parcatur multorum ſanguini, ex variarum gentium hiſtorijs habemus. Sic apud Virgilium, *Æneas* & *Turnus Duello* congrediuntur. Apud Homerum Iliad. γ. inducitur *Agamemnon* colloquens cum *Hectore*. Inter eos autem conuenit, vt qui è prælio ſuperior diſceſſerit,ſiue *Menelaus* ſiue *Paris* (qui ſingulare certamen inituri erant) *Helenam*, & cum eâ , res aſportatas auferat habeatque. *Alexander Mag.* cum *Poro* ſingulari certamine,vt hoc modo finem bello

bello imponeret, definiretque vter fieret Magnæ Indiæ Dominus, eſt congreſſus. *Romulus* ab *Acrone* Ceninenſium Rege ad dimicandum hunc in finem prouocatus, non refugit, atque *Acronem* occidit, laudatus à ſuis.

NE Chriſtianorum exempla omnia ſileam, ſunt autem plurima: *Gulielmus Tyri Archiepiſcopus*, Scriptor belli ſacri, narrat Libro VI. cap. 15. communi Principum Chriſtianorum Antiochiæ obſeſſorum decreto, miſſum Petrum Eremitam, cum ſocio Herluino ad Satrapam Perſarum Corbagat, Ducem obſidentium, qui duorum alterum ei proponeret: *Quod aut cedat* (verba ſunt Tyrij) *vrbem noſtris perpetuò poſſidendam relinquens, ſicut iuris eorum ab initio fuerat & nunc, auctore Domino in idipſum eſt reuerſa, aut ad pugnam ſe præparet, gladij iudicium ſubiturus. Cum ſubdiuiſione tamen hac; vt ſi pugnam præligere inueniretur, eſſet in eius optione, vtrum ſingulariter ipſe cum vno ex* Principibus *ex periri vellet: an certum numerum ſuorum noſtrorum totidem opponere: an ſimul hinc inde vniuerſos confligere exercitus, & legiones vna nimiter ad pugnam conuenire.*

EDMVNDVS Angliæ Rex XV. mortuo patre à Londinenſibus Rex ſalutatus & agnitus, cum *Carnuto* coëlecto & competitore, ſeu riuali ſuo eſt congreſſus. Cariuitum autem deuictum à ſe conſortem fecit Imperij. In eodem regno HENRICVS *Lencaſtrius* Rex *Ludouico Aurelianenſi* Caroli V. Francorum Regis filio, hoſtilitatem perſonalem ac *Monomachiam* ipſi indicenti, ſed in gratiam Heroinarum: non rem, ſed cauſſam ac finem illum repudiauit, Duellum autem cum eo ratum gratumq; habuit, ſi quod honori, incremento, ac conſeruationi Regnorum ac dominiorum vtriuſque poſſet prodeſſe, vt multorum ſanguini parceretur. Sic etiam ferunt CAROLVM V. Imp. miſertum aliquando tot populi ſui cladium, alicui vni Regi aduerſus ipſum tunc bellanti *Duellum* obtuliſſe, his ferè Poëtæ verbis

——— *Noſtro dirimatur ſanguine bellũ.*

Hoc quoque ſpectabat CONSTANTINI M. in ponte Miliuo cum Maxentio certamen, ſi tamen fuit ſingulare. Denique per DAVIDIS cum Goliatho *Duellum*, quid fuit quæſitum, quid votis omnium expetitum magis, quàm longioris belli terminatio?

NEQVE à nobis vnquam finis imponetur bello, quod eſt continuum hominibus, quàm diu viuunt mortales, cum Cacodæmone, & Peccato, niſi Duello, vel ſæpius repetito Examinis, vel vnico in vitæ fine, à quo dependet, ſiue in felix, quam à vobis auertat, ſiue felix, quam vobis donet precor,

DEO OPT. MAX.

ÆTERNITAS.

***

NOTÆ

§.I. EXAMEN conſcientiæ.] *Eſt duplex:* Particulare, *reſpiciens vnum aliquod vitium, & Quotidianum, totius diei. Vtriuſque praxis traditur in Libello Exercitiorum Hebdomada prima Et in Directorio Exercitiorum explicatur cap.* XIII. *Legendus,* Ludouicus de Palma *in praxi vitæ ſpiritualis,* Chriſtianus Mayer, *in Induſtrijs, Iacobus Aluarez de paz, alijq́ Magiſtri rerum ſpiritualium.*

§. II. DVELLVM terminat Bellum.] *Ridiculum videri poſſet, quod ſcribit Quidam, Galloram gallinaceoram gloria animalium, & bellandi exemplarium lites, ac zelotypiæ, non acie multorum, ſed* DVELLO *terminantur.*

COMMENTATIO VI.

DVELLVM DAVIDIS CVM GOLIATH

Militis Chriſtianī cum Superbia

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus ad prælium: & digitos meos ad bellum. Pſal. CXLIII. I.

MEMBRVM I.

SVPERBIA VT GOLIATH

Vitiorum caput ſuperanda eſt Duello valenter in funda & lapide.

Præualuit Dauid aduerſus Philiſthæum in fundâ & lapide. I. Reg. XVII.

DVELLVM Dauidis cum Goliath in quo gigantem Dauid, *Fundâ* iaciendo *lapidem* proſtrauit, & gladio eius proprio caput illi abſtulit, refert, velut in typo Duellum tropologicum, ſiue morale, quod nobis eſt cum Vitijs & Peccatis committendum. Inter ea autem cùm emineat magis quàm Goliath inter Philiſthæos, licet eſſet Altitudinis ſex cubitorum & palmi, peccatum illud, quod inter capitalia eſt primum & maximum, SVPERBIA, cùm hoc imprimis eſt congre-

grediendum. Quod quomodo fieri poſſit exemplo duellantis Dauidis, egregiè declarat exercitatiſſimus in *Duellis* ſpiritualibus Bernardus Claræuallenſis, qui hunc ferè in modum diſſerit, Dom. 4. poſt Pentecoſt. prælecta hiſtoria de duello Dauid, quæ habetur lib. 1. Regum Audiuimus *Goliam* virum proceræ ſtaturæ, præſumentem ſuper multa fortitudine, & magnitudine corporis ſui; vociferantem aduerſus phalanges Iſraël, & prouocantem eas ad ſingulare certamen Audiuimus etiam à DEO ſuſcitatum ſpiritum *Pueri iunioris*, vt indignè ferret virum ſpurium, & incircumciſum caſtris Iſraël, & DEI ſummi exprobantem agminibus. Spectauimus procedentem Adoleſcentulum in *fundâ & lapide* aduerſus monſtroſæ magnitudinis hominem loricatum, & clypeo protectum ac galeâ, ceteriſque terribilem militaribus armis. Si qua in nobis erant viſcera pietatis, non potuimus non timere ſic ineunti conflictum, non congaudere vincenti. Laudauimus magnanimitatem *Paruuli*, quod comederet animam eius zelus domus DEI, & opprobria exprobrantium ei non duceret aliena; ſed tanquam ad propriam moueretur iniuriam, & doleret ſuper contritione Ioſeph. Mirati ſumus tantam in Adoleſcente fiduciam, quanta non inueniretur in vniuerſo Iſraele. Collatam denique cælitus victoriam, & Diuina manifeſtè patratam virtute, tam læti ſuſcepimus, quàm ſoliciti certamen ſpectauimus armati fide *Paruuli*, & gloriantis propriâ in virtute *Gigantis*.

IAM, ſi ſpiritualem ſecundum Apoſtoli teſtimonium legem eſſe non ignoramus, & ſcriptam eſſe propter nos non ſolùm exterioris ſuperficiei oblectandos aſpectu, ſed interiorum quoque ſenſuum guſtu, tanquam medullâ tritici ſatiandos, conſiderandum nobis eſt, quis-nam videatur iſte *Golias*, qui populo DEI iam repromiſſionis terram ingreſſo, iamque multis ex hoſtibus triumphanti ſolus exprobare præſumit, elatus, & inflatus ſpiritu carnis ſuæ. Credo enim non incongruè in ſuperbo homine SVPERBIÆ vitium deſignari. Ipſum namque eſt peccatum maximum, quod DEI populo magis inſultat, & inſurgit ſpecialiter aduerſus eos, qui cetera iam videantur viciſſe peccata. Hinc eſt, quod prouocat ad ſingulare certamen, tanquam ceteris iam ſubactis. Nam & Philiſthæi illo tempore timebant omninò aduerſus Iſraël inire conflictum, niſi quod de Golia enormis magnitudinis viro eorũ fiducia tota pendebat. Vnde enim eiuſmodi Animam *Superbia* tenet, quam ſibi ſubiugauit Inuidia, ſeu Tepiditas ea, quæ ſolet DEO vomitum prouocare; aut Pigritia, quæ facit, vt boum ſtercoribus lapidetur? (aut dignus ſit lapidari) Vnde, inquam ei *Superbia*? vnde extollentia oculorum, cui adeò cetera vitia dominantur, vt diiudicari ſe ab vniuerſis tanquam malè ſibi conſcius arbitretur? Quis denique niſi manu fortis, qui cetera iam ſibi potenti virtute Vitia ſubiugauit, aduerſus nequiſſimum Superbiæ vitium dimicaturus accedat?

PROCEDAT, inquam, *Dauid*, manu fortis, quoniam non eſt vincere tantum hoſtem, niſi in manu forti. Armetur ille contra *Goliam*, qui & vrſum vicerit, & leonem. Videat ſanè, vtrũ Saulis ei arma poſſint

poſſint prodeſſe. Vtrum ſeculari ſapientiâ, & Philoſophicis traditionibus, ſeu etiam Diuinarum ſuperficie Scripturarũ, quam nimirum *Occidentem literam* vocat Apoſtolus; 2. Corinth. 3. videar, inquam, vtrum his armis debellare Superbiam; vtrum hac viâ apprehendere Humilitatem poſſit: vt onerari ſe magis quã roborari ſentiens, huiuſmodi arma atq; impedimenta proijciens, iactet omninò cogitatum ſuum in Domino, & de propropriâ penitus deſperans induſtriâ, ſola fide armatus, non reputet *Goliæ* proceritatem, ne fortè magnitudinis eius mole prematur, ſed potius pſallat ſpiritu, pſallat & mente: *Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium in hoc ego ſperabo.* Pſalmo XXVI. Nam & Petrus, dum nec ventorum violentiam, nec maris profundum, corporiſque pondus conſideraret, in verbo Domini iactans ſemetipſum nec perire potuit, nec timere. At vbi vidit ventum validum venientem timuit, ipſoq; timore protinus mergi cæpit. Matthæi XIV. Simile aliquid etiam nunc Athletæ noſtro Rex Saul ſuadere tentat. *Non potes*, inquiens, *reſiſtere Philiſthæo, nec pugnare aduerſus eum quoniam puer es: hic autem vir bellator ab adoleſcentia ſua.* Verùm non adquieuit ille, tale aliquid meditari, ſed præſumens de virtute eius, cuius auxilio priora certamina iam viciſſet, accedit intrepidus.

MEMBRVM II.

TROPOLOGIA

Lapidum. Fundæ. Gladij. Peræ.

COLLIGIT igitur *Dauid* abiectis armis Saulis *Quinque lapides* de torrente. Quos nimirum, cùm leuia quæque tolleret, leuigare torrens potuit, ſed non etiam tollere ſecum. *Torrẽs* quippe, quem pertranſeat anima noſtra, *Seculum* præſens eſt, Scripturâ teſte: quoniam *Generatio aduenit, & generatio præterit*; Eccl. I. tanquam tumens vnda vndam impellens. Quia ergo *omnis caro fœnum* Iſa. XLI. & omnis gloria eius tanquam flos agri, huiuſmodi leuia facile ſecum trahit torrens inundans: *Verbum* autem *Domini* nullis fluctibus cedens *manet in æternum*. Arbitror proinde nõ incongruè *Quinque lapidibus* iſtis Quinque partitum Verbum intelligi, *Comminationis, Promiſſionis, Dilectionis, Imitationis, Orationis*. Horum quippe Verborum latèpatens copia in Diuinarum reperitur ſerie Scripturarum. Et fortè ipſa ſunt *Quinque Verba*, quorum meminit Paulus, I Cor. VII, malens *Quinque verba loqui in ſenſu, quàm decem millia in lingua*. Præterit enim *figura huius mundi* Et iuxta aliud teſtimonium: *Mundus tranſit & concupiſcentia eius*. Hæc autem verba, tranſeunte Mundo, non modò manent, verùm etiam leuigantur magis, dum pertranſeuntibus pluribus, multiplex

tiplex eſt ſcientia.

IAM verò collectos illos lapides contra Superbiæ Spiritum dimicaturus, Goliathum ſuperaturus Dauid in vaſe memoriæ ſuæ (quæ eſt *pera paſtoralis*, capax tenaxque illorum Verborum, ceu lapidum) reponat. Conſiderans, quanta nobis COMMINETVR DEVS: quanta PROMITTAT: quantam nobis exhibeat Caritatem: quàm multa nobis ſanctitatis Exempla proponat: quemadmodum denique Orationum nobis vbique commendet inſtantiam. Hos, inquam, lapides ſecum tollat, quiſquis Superbiæ vitium debellare feſtinat. Vt quoties venenatum audet erigere caput, quibuslibet ex his lapidibus Manu Cogitationis ei occurrat: percuſſus in fronte *Golias* deijciatur opertus confuſione. In quo ſanè conflictu FVNDA quoque neceſſaria eſt, ***longanimitatis*** formam habens, quam huic maximè certamini, nulla ratione deeſſe neceſſe eſt. Quoties ergo vanitatis cogitatio mentem pulſat, ſi intimo cordis affectu diuinas expaueſcere cæperis *Commitationes*, ſeu *promiſſiones* eius deſiderare non ſuſtinet Golias vtriuſque lapidis ictum; ſed reprimitur illico timor omnis. Quod ſi venerit in mẽtem *Dilectio* illa ineffabilis, quam tibi DEVS Maieſtatis exhibuit, an non illicò mardeſcens ad Caritatem prorſus abominari incipis, & abijcere vanitatem? Sic & *Exempla Sanctorum*, ſi diligenti tibi conſideratione proponas, erit ſine dubio ad reprimendam Elationem, cogitatio illa perutilis Iam verò, ſi fortè inſurgente ſubitò Elatione, nihil ex his, quæ diximus apprehendere quiuerit manus tua, toto feruore ad eam conuertere, quæ ſola reſtat, *Orationem*, & continuò, quem eleuatum videras & exaltatum, ſicut Cedrum Libani, ſubuerſus Impius non erit.

SED quæras fortaſſe, quem admodum ſuo ipſius Gladio Goliæ poſſis abſcindere caput? Id enim tanto iucundius tibi, quanto moleſtius hoſti. Dico breuiter, quoniam expertis loquor, & qui facile capiant, & aduertant ſine mora quod in ſemetipſis crebrò ſentiunt agitari Quoties te prouocante vanitate ad recordationem Comminationis Diuinæ, ſeu Promiſſionis, aut ceterorum, quæ ſupra diximus confundi cæperis & erubeſcere, deuictus eſt quidem *Golias*, ſed forſitan adhuc viuit. Accede igitur propius, ne fortè reſurgat; & ſtans ſuper eum, mucrone proprio caput eius abſcinde: de ea ipſa, quæ te appetit vanitate perimens vanitatem Elatã ſiquidem cogitatione pulſatus, ſi ex ea ipſa materiam, & occaſionem ſumas humilitatis, quo nimirum humilius deinceps, & abiectius, tanquã de ſuperbo homine ſenties de te ipſo, Goliam vtique Goliæ gladio interemiſti.

NOTÆ.

Debetur hæc pia ac ingenioſa Duelli Dauidici expoſitio S. Bernardo, cuius extat homilia, De Dauid & Golia ac Quinque lapidibus; *quam exſcripſi penè ad verbum, eodem iure, quo S. Bonauentura, tacito quamuis nomine, dum commentatur in Pſalmum* CXLIII

Eius

Eius hoc eſt ad memoriam ſtabiliendam compendium. Proponitur velut Gigas Goliath *SVPEREIA, quæ non Saulis armis vincatur, id eſt, non ſeculari ſapientia, & Philoſophicis traditionibus; vel etiam Diuinarum ſuperficie ſcripturarum, ſiue litterâ occidenti; ſed à Da*uide, *qui ſignificat manu fortem, nimirum à fide ac fiducia in DEVM: &,* Quinque lapidibus, *hoc eſt, verbo* Quintuplici, *Comminationis, Promiſſionis, Dilectionis, Imitationis, Orationis, Quæ cenſeri poſſunt* Quinque verba, *quæ Paulus malebat* loqui in ſenſu ſuo, quam decem millia in lingua ſua. *In Fundâ longanimitatem conſidera. In* Gladio, *quo ipſemet* Goliath *perimitur Occaſionem, quam quis humilitatis accipit, ex Vanitate, vt humilius deinceps, & abiectius, tanquam de homine arrogante ſentiat de ſe ipſo.*

COMMENTATIO VII.

MONOMACHIA CHRISTI IN CRVCE.

MORS & VITA DVELLO Conflixêre mirando.

MEMBRVM I.

DVELLVM CHRISTI CRVCIFIXI Ad vindicandam iniuriam Deo illatam.

ANIMO verſans *Duellum Dauidis* cum *Goliatho*, illudque conferens, vt typum, cum *Duello Christi*, vitæ Auctoris in Cruce, cum *Morte*, & eius parente ac auctore, Peccato, & Diabolo fortiter ac victorioſè peracto, contemplabar, in illo quod Chriſtus ſuſcepit, omnes illas cauſſas, ob quas *Monomachia* indici ſolet vel acceptari, licitè quidem, & cum laude, ſi reuelatione diuinitus facta de mandato DEI impellatur ad certamen, dimicaturus; aut interueniat legitima auctoritas, ratioue ad publicas in bello controuerſias, vnius alteriuſque capite, vel alterutrius finiendas. PRIMVS autem, iſque maximè religioſus duellorum finis eſt, Iniuriæ DEO Cælitibus-ue illatæ per blaſphemos vindicatio. Ob quam DEVS interdum admirabili ratione *Duellum* imperauit. Reuocate in memoriam *Cambronenſe* illud *Duellum* ſuperius narratum, inter perfidum Iudæum, qui Imaginem Glorioſæ Dominæ Noſtræ blaſphemans læſerat venabulo; & ſenem paralyticum ab Angelo monitum, vt ad monomachiam prouocaret

ſce-

celeſtum: quod fecit, proſtratumq́ue, & horrendè blaſphemantem confecit. Hic igitur duellum fuit ſuſceptum, ad iniuriam Deo, eiuſq́ue ſanctiſſimæ Matri illatam à blaſphemo vindicandam. Idem fuit finis Dauidi, qui cùm audiſſet Goliath blaſphemantem, zelo Dei æſtuans, exclamauit: *Quis eſt iſte Philiſthæus incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui* Dei *viuentis*? 1. Reg. XVII. 36. Eandem cauſſam dare licet in Duello ſuſcepto à Christo. Iam tot annorum centurijs *Mors*, & eius parens *peccatum*, nec non auus *Cacodæmon*, Deo maledixerant, cælo bellum intulerant, *Meſſiæ* virtutem depreſſerant, ignominiosè Chriſtum tractauerant: pænas omnes alias facillimè eludebant. Itaque ad ſingulare certamen prouocat Christvs, locus nominatur *Mons Caluariæ*, vbi cum eorum quolibet crudo congreſſus *Duello*, confirentem victoriam, & nihilominus blaſphemantem aduerſarium deuicit.

Mors & vita Duello conflixere mirando.
Dux Vitæ mortuus Regnat viuus.

Membrvm II.
DVELLVM CHRISTI
Pro Principatu. Regno. Imperio.

Dvellandi cauſſa, eaque frequentiſſima ſolebat eſſe inter Principes pro Regno vel Imperio. Ob hunc finem depugnarunt certamine ſingulari, *Artaxerxes* & *Cyrus* apud Diodorum Siculum (*a*) *Menelaus & Paris* apud Homerum (*b*) *Corben & Orſuan* Hiſpani apud Liuium (*c*) *Egmūdus* Anglorum & *Canutus* Danorum Reges, apud Polydorum Virgilium (*d*) *Hundingus* Saxoniæ, & *Robens* Daniæ Reges apud Cranzium (*e*) *Petrus Aragonius* & *Carolus Andegauenſis* apud Antoninum, & Riccium (*f*) *Abolus* Sueciæ & *Frovvinus* Iuliæ, apud Cranzium (*g*) *Carolus* IX. Sueciæ, & *Chriſtianus* IV. Daniæ Duellum offerens coram Othone apud eundem. Et ſuperiori ſeculo ad duellum prouocarunt ſeſe duo potentiſſimi orbis Chriſtiani Monarchæ, *Carolus V.* Auſtrius Imperator, & *Franciſcus* I. Galliæ.

Non poteſt vos latere, Imperium ſibi in homines vſurpare voluiſſe ſtatim ab Orbe condito. *Peccatum*, *Mortem*, *Diabolum*, cùm tamen illud omni iure, ſiue patriam poteſtatem, ſiue dominij titulum, ſiue ſucceſſionem, ſiue electionem ſpectemus, Deo debeatur eiuſque Filio Christo. Et ſanè. *Mors* paullatim, tam prima quàm ſecunda, tam animæ, quàm corporis ſingulos inuadendo, omnes paullatim ſubijciebat; eratq́ue periculum, ne tyrannidem ſemel occupatam ad

(a) *Lib.* 14 (b) *Iliady.* (c) *Lib.* 28. (d) *Lib.* 7 *hiſt. Angl.* (e) *Lib.* 1. *cap.* 21. & 22 (f) 3. *p. tit.* 20. *cap.* 4. §. 8. *lib.* 3. *hiſt. Neap.* (g) *Lib.* 1. *Sax.*

ad mundi finem, per omnes orbis, quà latè patet vniuerſi, partes propagaret. Venit Chriſtus, ſui eum non receperunt à Tyranno præoccupati. Cum itaque alia non eſſet vindicandi Imperij commoditas, niſi ſanguinem omnium profundere vellet, quamuis nec vniuerſorum ſanguine quicquam fuiſſet effectū, Tyrannum ipſe ad ſingulare vocauit certamen. Dicta eſt dies xxv. Martij. Itum eſt ad locum huic pugnæ deſtinatum, Caluariæ planitiem: ventum ad manus.

Mors & vita Duello conflixère mirando.

Dux vitæ mortuus Regnat Viuus.

Huc ſpectat *Duellum* optimi Regis *Wenceslai*, nuper fuſius enarratum, qui, cùm ſibi oppoſiti exercitus iam congreſſuri eſſent, vt multorum inſontium ſanguini parceret, ſingulare certamen elegit, qua Ladislaum è Bohemiæ Regno, cuius fines inuaſerat, penitus eiecit. Amantiſſimus ſuorum ſubditorum & commilitonum CHRISTVS Dominus, noluit infinitam eorum multitudinem ſterni, & interire ab iniuſtis inuaſoribus poſſeſſos. Itaque ipſe *Duellum* obtulit *Morti, Peccato, Inferno*: & ſigillatim quemlibet aduerſarium deuicit, & inordinem redegit: ac ne in poſterum vel minimum, ſine ſuâ, aut conceſſione, aut permiſſione agere contra fideles attentaret, edixit. Hoc eſt, quod Chriſtus ad Duellum ſuum properans, de victoriâ certus, pollicebatur: *Nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras.* Ioannis XII. Eodem pertinet parabola fortis Armati, apud Lucam, cap. II. qui cuſtodit atrium ſuum; ſed à fortiori ſuperatus, armis ſpoliatus, vinctus, omniq́ue poteſtate priuatus finem tyrannidis ſuæ accipiet. Quod perfectum, quando

Mors & vita Duello conflixere mirando.
Dux Vitæ mortuus Regnat viuus.

MEMBRVM IV.
DVELLVM CHRISTI
Ad iniuriæ ſibi illatæ depulſionem.

DVELLO contendendi cauſſa finalis eſt infamiæ, iniuriæ-ue depulſio. Vnde frequentiſſima olim fuit *Purgatio Monomachia*; & nulla crebrior, quotieſcumque criminis notitia, vel probatio erat obſcura. Tunc, vel actor reum prouocabat, vel reus ipſe offerebat ſe, aut ſuo loco alium. Fuit autem *Purgatio* iſtiuſmodi maximè in vſu, poſt irruptionem Barbarorum in Italiam apud Longobardos, vt eſt in legibus ipſorum, Titulo, *Qualiter ſe quiſque defendere.* Titulo, *De purgatione Rei.* denique, Titulo, *De homicidio liberi hominis.* Apud Germanos quoque viguit iſta *Purgatio* per *Duellum*, vt conſtat ex Lamberto Scaffnaburgenſi. Item, apud Francos quod docet Guido Papa in ſuis Deciſionibus. Deci. 191. Apud Hiſpanos etiam, quorum varia Duella; ad hunc finem, deſcri-

deſcribit Ioannes Mariana, diuerſis libris de rebus Hiſpaniæ.

VAH! quantam & quoties infamiam in digniſſimam, per ſummam iniuriam, CHRISTO eiuſque integerrimæ vitæ inferre conatus fuerat malorum omnium architectus. Ille per os improborum, Sabbati violatorem, potatorem vini, id eſt, lurconem, aſotum, helluonem, tandem, ſeductorem, qui erat *Princeps pacis*, appellauerat. Diſpunxerat quidem Chriſtus negatione ſeriâ infames illos titulos, & in circulo forenſi popularium ſuorum inimicis, tanquam canibus rabidis circumſtantibus, proteſtatus fuerat prouocaueratque ſingulos: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioa. VIII. At non ceſſabat aduerſarius calumnias, mendaceſque lædorias ſpargere. Itaque viſum tandem CHRISTO ſingulari certamine famam tueri, & iniurias illatas depellere. Mox

Mors & Vita Duello conflixere mirando;
Dux vitæ mortuus Regnat Viuus.

MEMBRVM IV.
DVELLVM CHRISTI
Ad Caſtitatis defenſionem.

QVAMVIS autem omnis infamia, tamen illa potiſſimùm, quæ Virginum, matronarumque pudicarum caſtitati per nefarios inferebatur, *Purgatione Monomachia* emaculari ſolebat. Illuſtre exemplum eſt, apud Aimonium, (*a*) Sigonium, (*b*) Velſerum, (*c*) & Raderum, (*d*) nobiles hiſtoricos de GVNDEBERGA, Theodolindæ filia, Garibaldi Boiorum Regis nepte, Regina Longobardorum. Hæc nupta *Arioaldo* Taurinorum Principi, admirabili gratiâ oris & flore corporis fatigabat oculos procerum Longobardorum. Inter quos Adalulfus auſus etiam illam ad ſtuprum inuitare: quod ipſa tam indignè tulit, vt os impuriſſimum loquentis inſputarit. Quæ res vti Gundebergæ apud omnem poſteritatem gloriam haud vulgarem peperit, ita magnam, & copioſam exercendæ patientiæ ſementem ſparſit. *Adalulfus* enim non ſolùm conſcientia ſceleris exanimatus, ſed etiam contumeliâ Reginæ inflammatus, vt ſcelus ſcelere, qui mos eſt impiorum, tegeret, accuſationem occupat, & Gundebergam apud maritum Arioaldum Regem, de veneficio parato defert. Regnum ab vxore Iaſoni Etruriæ Principi deſponſum, Graues calumniæ pronas alioquin ad ſuſpicionem Regum aures, impulêre Arioaldum, vt Gundebergam vxorem, id eſt, ipſam Caſtimoniam ac Virtutem, velut ream, in vincula daret: in quibus tam diu hæſit, quo ad res publico *Duello*, innocentiæ teſti commiſſa eſt. Producti duo

Ppp 2 Cam-

(a) *Lib. 4. cap.* 10. (b) *Lib. 2. de Regno Ital* (c) *Lib. 4. Boica.* (d) *Bauaria S. Paul. Diacon. lib. 4. hiſt. Longob. cap* 16.

Campiones, vt tunc loquebantur, ſeu pugiles, in arenam: quorum vnus Adalulfi, alter Gundebergæ partes defenderet. Certatum, ſpectante popu'o, vltimis viribus, quoad vicit Innocentia, cecidit adulteri vicarius. Reddita igitur luci & Imperio eſt *Gundeberga*.

AVDIVISSE vos non rarò exiſtimo illud Pauli Apoſtoli: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ: vt illam ſanctificaret: & exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi*, ad Epheſios V. Hanc ſuam Sponſam, quam jam in Apoſtolis domum duxerat, ſibique ſtabili matrimonio iugarat, ad defectionem ſtuprumque ſolicitarat Impietas, aut eius caput procaciſſimus *Cacodæmon*; cùm quibuſdam retrò euntibus, exclamauit Petrus: *Domine ad quē ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, & cognouimus, quia Tu es Chriſtus Filius* DEI, Ioannis VI. Accuſabant nihilominus illam inimici, apud Principes Synagogæ, quaſi adulteraſſet, alium ſequuta: id eſt, quod verum DEI cultum deſeruiſſet, contemnendo Sabbatum, aliaſque Iudæis vſitatas ceremonias. Sciebat etiam Dominus, idem facturos hæreticos, qui poſtquam eam ad adulterium inuitaſſent, vtque fidem ſemel datam falleret, exſtimulaſſent, erant deinde illam veluti de commiſſo adulterio accuſaturi. Itaque dedit ſemetipſum pro dilectâ, puriſſimaque ſua Sponsâ, prouocans aduerſariorum anteſignanum. Is comparuit interritus. Campus deſignatus Mons Caluariæ. Ibi

Mors & Vita Duello conflixere mirando.
Dux vitæ mortuus Regnat Viuus.

MEMBRVM II.

DVELLVM CHRISTI

Ob Homicidium commiſſum cum Homicida.

NON minus frequens fuit olim *Duelli* oblatio & acceptatio in cauſsâ homicidij. Vt conſtat ex cap. *vnico*. §. *Si quis alium*, De Pace. Et hunc finem agnoſco in admirando *Duello* vitæ & Mortis. A mundi incunabulis *Homicidam* egerat *Diabolus*, &, quæ ipſo ducente, in mundum venerat, omnibus æquè infeſta *Mors*, tum corporis, tum animæ. Sed latebat aſtutus Homicida, & ſæpe per cuniculos tantùm, ac blandiendo hominibus inſidiabatur. Non paſſus eſt Chriſtus hanc Furiam diutius occultam agere: itaque pronunciauit clariſſimè, vt ab omnibus exaudiri poſſet. *Ille* Homicida *erat ab initio*, Ioannis VIII. cap. quod de *Diabolo* dictum commentatores ſacri intelligunt: & plurimum ad rem noſtram facit, vt genuinus dicti illius habeatur ſenſus. Siquidem, quod *ab initio Homicida* fuiſſe adfirmetur, non omnes eodē modo exponunt,

nunt. Origenes (*a*) enim S. Auguſtinus, (*b*) V. Beda & Rupertus Abbas, id ad initium hominis referunt: q d. *Homicida erat ab initio*, nempe, ex quo homo eſſe cœpit, quem poſſet occidere. *Ex illo*, inquit Auguſtinus, (*c*) *Homicida, ex quo potuit fieri homicidium. Et ex illo potuit fieri homicidium, ex quo factus eſt homo. Non enim poſſet occidi homo, niſi prius fieret homo.* Alij principium mundi intelligunt. Et ſanè ſacra ſcriptura, mundi originem, abſolutè *Initium* appellare ſolet. Ioannis I *In principio erat Verbum. Quod fuit ab initio*, Epiſtola 1 Ioann 11. Illo autem initio, quo ſuggerente Diabolo, homo peccauit, Diabolus fuit homicida.

AT, quomodo, dicis, Homicida? Diabolum fuiſſe Homicidam, exponunt, S. Auguſtinus, Beda, & Hieronymus (*e*) de homicidio ſpirituali, quo Diabolus primos occidit parẽtes dum eos ad peccandum induxit: peccatum enim eſt mors animæ. Alij interpretantur de vera morte corporis: quorum diuerſæ quoque ſunt ſententiæ. Et quidem Abbas Rupertus putat *Homicidam* appellari, quia iam inde ab initio conatus eſt Chriſtum occidere. Quando enim dixit: *In cælum aſcendam, & ſimilis ero Altiſsimo.* Iſaiæ XIV. iam tunc Filio DEI inuidit, & eum quodammodo cœpit occidere, perfecit autem poſtea per Iudæos eius necẽ. Nonnulli exiſtimant, *Homicidam* vocatum *Diabolum*, quia primùm, capitibus humani generis, per peccatum, deinde hominibus omnibus cauſſa fuit, vt etiam corpore morerentur: & Caim ad necem incitauit. Sic Theodorus Heracleotes, & Euthymius. Eleganter D. Auguſtinus: (*f*) *Non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit: verbum malum ſeminauit, & occidit.* Idemque contra Petilianum agens: *Quærimus*, ait, *vnde Diabolus fuerit homicida ab initio?* & inuenimus, quod primum hominem occiderit, non gladium ſtringendo, aut aliquam vim corporaliter iſfligendo, ſed perſuadendo peccatum, & à Paradiſi felicitate deijciendo. Cùm itaque Chriſto, boniſque omnibus tanto tempore inſidiatus eſſet per Mortem Homicida Diabolus, totque committeret quotidie Mors homicidia, voluit tandem CHRISTVS Seruator finem crudelitati imponere, Homicidâ ad ſingulare certamen prouocato. Quod factum in Caluariæ. Vbi

Mors & Vita Duello conflixere mirando.
Dux vitæ mortuus Regnat Viuus.

(a) *Hom.* (b) *Cap.8. Ioan. lib 2 de Gen. ad lib. cap. 16 Lib. 11. de ciuit. cap. 13.* (c) *Tract. 42. in Ioan* (d) *Io. Maldonat.* (e) *Auctor Commẽt Iob.* (f) *Tract. 42 in Ioan* (g) *Contra liſt. Petil. cap. 13.*

MEMBRVM VI.

DVELLVM CHRISTI

Pro Nuptijs cum Eccleſiâ.

PRO Nuptijs Duella inſtitui ſolita plurimis habetur exemplis; nec improbabile eſt inde ortas, quod ſcribit quidam (*a*) fabulas, omni penè idiomate

(a) *Cranzius lib. 1. Danic. cap. 22. Godelm. l. 3. Mag. Laminar. & venefic. cap 4.*

per orbem ſparſas, Ama diſiacas. Nos nō doctas fabulas ſequuti, ſed veridicas Diuinarum ſcripturarum hiſtorias, ſcimus veniſſe CHRISTVM in mundum, vt Nuptias celebraret, quibus ſtabili ſibi iungeret Sponſam, quam adamarat, coniugio. Sed eandem ſibi deberi riualis contendebat, & iam raptu violentus abduxerat. Quænam illa Sponſa? Eccleſia ex Gentibus, quam ſibi arrogabat oppoſitus Chriſto procus Cacodæmon. Ob hanc cauſſam exiſtimant vetuſtiſſimi Patres, Alienigenam Sampſonis vxorem, eiuſdemque cum Philiſthæâ nuptias, Matrimonium ſignificaſſe Chriſti cum Alienigena, quam ex Philiſthæis & Gentibus accepit. *Samſon*, inquit S. Hieronymus *typum tenet Saluatoris, quod meretricem ex gentibus adamarit Eccleſiam.* Idemque *in cap. I. ad Epheſ Quod Samſon ſanctam comam nutriens, Dalila pauperis dilexit amplexus, & omnia cordis ſui ſecreta confeſſus eſt, Saluatoris & Eccleſia ex gentibus verè pauperis & egena myſterium ſignificabat.* Sed nunquam potuit cum riuali conuenire CHRISTVS niſi lite per *Duellum* compoſita, hoſte pro ſtrato, iuxta Ieroſolymam, vbi in Monte, tanquam in Amphitheatro.

Mors & vita Duello conflixêre mirando.
Dux vitæ mortuus Regnat viuus.

IDEM Chriſti *Duellum* repræſentauit Samſon Iudicum XVI. cùm ad vxorem properanti factus eſt obuiam Leo rabidus & iracundus, cum quo prius ſingulari certamine depugnare oportuit, antequam dilectam ſibi ſponſam copularet. Animaduertit hoc ingenioſè S. Auguſtinus, qui enarratione in Pſalmum LXXX. *Quando fremuerunt Gentes*, inquit, *tunc Leo ille viro forti Samſon venienti ad ducendam de alienigenis vxorē, Chriſto ſcilicet deſcendenti ad habendam Eccleſiam de Gentibus fremens ibat illi obuiam.* Sed quid egit? accepit, tenuit, fregit, diſſipauit Leonem: factus eſt in manibus eius, velut hædus caprarum.

Mors & Vita Duello conflixêre mirando.
Dux vita mortuus Regnat viuus.

Iterum Auguſtinus: Lib. XII. contra Fauſtum cap. 32. *Quis erat in* Samſon *obuium leonem necans, cum petenda vxoris cauſsâ ad alienigenas tenderet, niſi qui Eccleſiam vocaturus ex gentibus dixit: Gaudete, Confidite, quia ego vici mundum?* Ioannis XVI.

Dux vita mortuus Regnat Viuus.

MEMBRVM VII.
DVELLVM CHRISTI
Ad abolendam notam ignauiæ.

QVÆSITVM eſt non rarò à iuuenibus, & viris nobilitate claris, ac corporis & animi vigore florentibus, An *Duellum* acceptare liceat, ne quis habeatur *Ignauus*? Et ita nonnulli diſputant. *(a)* Si aliqua occaſione me pro-

(a) *Leſſius lib. 2. cap. 9. dub. 12 num. 83.*

prouocet Troilus ad Duellum, niſi accepterem, habebor ignauus & meticuloſus, nec potero amplius abſq; rubore in aulâ comparere, vel vllam promotionem militarem ſperare; vt in quibuſdam aulis Principum dicitur vſitatum. Cur tali euentu non poſſim *Duellum* acceptare? maximè, ſi id faciam, non animo prouocantem occidendi, ſed comparendi in loco condicto, ne famam & opinionem ſtrenuitatis, quæ nobilibus æquè eſt cara, ac vita, amittam? Siquidem acceptare Duellum, & comparere tali loco non eſt intrinſecè malum; ſed quoddam adiaphorum, quod benè ac malè fieri poſſit. Ergo ſi iuſta cauſſa ſubſit, poteſt licitè fieri. Conſeruatio autem honoris, quæ tanti æſtimatur, iuſtiſſima videtur cauſſa. Hæc fortaſſe ab aliquibus, vt probabilia ſuſcipiuntur: certè ſunt aulicæ nobilitati plauſibilia. Nihilominus in praxi contrarium eſſe ſequendum docent huius temporis Theologi. Tum ob cauſſas ſuperius expoſitas. Tum quia is, qui Duellum offert, non nititur ſpoliare aulicum, quem prouocat, ſuo honore, ſed ſi honoris amiſſio ſequitur, eſt id ſolùm per accidens, & ex conſequenti; aliaque ratione impediri poteſt: vt, ſi dicat, ſe paratum fore, ſi per Eccleſiæ decreta liceret: vel prouocantem experturum, quo cum negocium habeat, ſi palam, & non proditoriè aggreſſus fuerit.

QVAMVIS hæc ita ſint, conſtat tamen olim, ad eius modi dedecora amolienda, *Duella* ſuſcepta fuiſſe; nec poſt tot Eccleſiæ prohibitiones ceſſari hoc tempore Quod malè haud dubiè fit, ſi de *Duello* corporeo cruento agatur: benè tamen, & cum laude ſi de *Duello* ſpirituali ſit ſermo, quod cum *Morte*, *Peccato*, *Cacodæmone initur*. Prouocat te *Superbia* ad ſingulare certamen: ignominioſum eſt non acceptare. *Duellum* offert Guloſitas: ſine dedecore non detrectabis. *Dæmon* tecum in Orationis campo certare contendit: ignauus cenſeberis, niſi compareas & certes. Laudabilia ſunt ex parte tuâ huiuſmodi *Duella*. Ad quæ ſponte promptèque ſuſcipienda, exemplo præire voluit Imperator CHRISTVS, quem *Lucifer* & *Mors* ad certamen faſtuosè prouocarat: ignaui fuiſſet, non annuere: nec in Patris ſui aulâ manſiſſet illibata ſummi Bellatoris fama. Itaque acceptauit: venit ad locum prior: hoſtem expectauit, excepit, proſtrauit, deuicit.

Mors & Vita Duello conflixere mirando.
Dux vitæ mortuus Regnat Viuus.

MEMBRVM VIII.
DVELLVM CHRISTI
Pro vitâ & fortunis.

EXISTIMANT celebres huius temporis Theologi: Quando neceſſe eſt, ad vitæ defenſionem, nec alia patet via contra iniuſtum inuaſorem, poſſe acceptari *Duellum*; immò etiam offerri: vt ſi inimicus armatus te inermé inue

inueniens,permittat tibi arma,vt miſ ſtatuer te occidat(*a*)vel ſi tu roges,vt arma tibi permittat tunc enim,inquiunt, *Duellum* eſt vera defenſio. Eadem autem videtur ratio in inuaſione fortunarunt vt multi tradunt (*b*) Nam fortunæ ſunt neceſſarium vitæ inſtrumentum,ſubſidium,atque ornamentum.

CHRISTVM vita,fortuniſque omnibus ſpoliare conſtitutum erat Cacodæmoni : hoc fine innocentem toties traduxerat: eandem ob cauſſam perſequutiones ipſe per ſe, perque ſuos excitauerat: extrema Domino minatus erat , & minabatur quotidie. Cùm alia non eſſet ſe tuendi ratio, *Duellum* oblatum acceptauit.

Mors & Vita Duello conflixere mirando.
Dux vita mortuus Regnat Viuus.

(a) *Nauar.cap.11.num.39.& cap.15.num.9.Caietan.Leſſius lib.2.cap.9.dub.8. num.49.*(b) *Angel.ver.Duell.n.2.Lyra.in cap.17.lib.1.Reg.*

MEMBRVM IX.

DVELLVM CHRISTI

Ad bellorum motus componendos.

FVERE *Monamachiæ* olim vſurpatæ non rarò ad auertendas bellorũ clades imminentes , & militares motus componendos. Sic certamine ſingulari *Curiatiorum* & *Horatiorum* diremptum fuit bellum inter *Albanos* & *Romanos* , victis Curiatijs, qui nomine Albanorum cauſſam defendebant , ab Horatio qui pro Romanis vicit ; lege ptiuslatâ,vt victis iſtis , aut vincentibus commilitonibus , victores vel victi haberentur illi, quorum cauſſam defenderent (*a*) Quando etiam Wandali ex patrijs regionibus egreſſi cum Rege Gundarico, Gallijs vaſtatis,in Hiſpaniam irruperunt;& Sueui,id eſt, Alemanni Galæciam occuparunt , orta fuit inter has gentes quæſtio de limitibus,quare collectis exercitibus conſtiterunt, conueneruntque,vt ad multitudinem conſeruandam, diſcrimen duobus pueris duellantibus committeretur. Atque ita puero vtroque in *Duellum* emiſſo,pars Wandalorum victa ſuccubuit, interfectoque illorum puero, Tranſimundus Regni ſucceſſor in locum Gundarici,poſſeſſionem accepit,vt refert Gregorius Turonenſis. Duello etiam Goliathi cum Dauide, illo pro Philiſthæis , hoc pro Iudæis certante , bellum maximum ſolutum eſt, victo Goliatho à Dauide in ſingulari ſuis cum conditionibus pacto certamine.

PERPETVVM quòddam erat inter DEI populum, & Cacodæmonis cateruas bellum , & bellum planè exitiale. Hic in aciem producebat , *Mundum*, *Carnem* , Mortem , *Cohortes infernales* quàm

(a) *Liuius lib.1 Val.Max.lib.6.cap 3.*

quàm plurimas, *Homines* omnis generis. Qui quidem conſpirantes in vnum ſtolidè iactabant, ſe DEVM Cælites omnes ipſumque DEVM inuadere poſſe. A parte DEI ſtabant ex hominibus pauculi, ſed infinitæ pæne Mentium beatarum phalanges, quæ ſi viribus vti ſuis voluiſſent, immenſa aduerſariorum ſequuta fuiſſet ſtrages. At viſum eſt hominum amatori & Seruatori IESV, magis expedire ad bellorum hos motus componendos, vt ab vtraque parte vnus veniret in mediū, & ſingulari ambo certamine concurrerent, eâ conditione, vt penes illos eſſet victoria, quorum Dux *Duello* viciſſit aduerſarium. Sponte ſe Chriſtus obtulit, de quo Pontifex ex afflatu diuino pronunciarat. *Expedit vobis, vt vnus moriatur* HOMO *pro populo, & non tota gens pereat*. Ioan. XI. & XVIII. Ex aduerſa parte proceſſit Mors, ſeu Mortis laruâ tectus Lucifer.

Mors & Vita Duello conflixère mirando.
Dux vitæ mortuus Regnat viuus.

Princeps Mundi eiectus eſt foras: Pacificata ſunt, quæ in cælis, & quæ in terris, vnico *Duello* omnia. Audite Paulum Apoſtolum in huius conſideratione *Duelli* abreptum, deinde ad ſe reuerſum cantantem epinicium. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt Principium, Primogenitus ex mortuis: vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens. Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipſum* PACIFICANS *per Sanguinem* CRVCIS *eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.* Ad Coloſſens. I.

MEMBRVM X.

DVELLVM CHRISTI

Suſceptum proditionis abolendæ cauſſâ.

AD abolendum proditionis crimē nonnunquam *Duellum* condictū inuenio. Celebratur pugna duorū Hiſpanorum nobilium, quę accidit tempore Alfonſi Regis: nomina ſuperius expreſſimus (a) euentumque indicauimus. Sic etiam ſuſceptum fuit certamen à Zamorenſibus, quos proditionis accuſabat Didacus Ordonius de lara: innocentes contendabat t Atiæ Conſuli filij; quorum cùm duos iam Ordonius occidiſſet, tertioque vulnus lethale inflixiſſet, ſaucius cadens, equo habenas aberrante, gladio præſcidit: equus Ordonium inuitum extulit extra monomachiæ ſepta: quod victi indicium: ſic ille non victor, equi culpâ, nec victus propriâ virtute. Iudices *Sibi* non *Liquere* (b) pronunciarunt.

MAGNVM & inuiſum omnibus eſt crimen *Proditio*: hine *Proditores*, proprio epitheto vocantur *Scelerati*. De eo iuſtiſſimè Diabolum accuſabat CHRISTVS: artem enim illam infandam per ſe in paradiſo clandeſtinè exercere inceperat, petrexerat poſtea per ſuos palam: quam-

(a) *Duellum Ray Paez & Pay Rodriquez* (b) *Ioa. Mariana lib. VIII. hiſt. Hiſp. N. L.*

uis fuco infidelitatem malignitatemque tegeret. Quare monuerat ſeriò ſuos Dominus: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Matthæi VII. Diabolus, vt recriminatione contraria Christo occurreret; eum & vt *Samaritanum*, & Dæmonium habentem infamarat, de Regni affectatione, proditorijſque cõuentibus multa in vulgus ſparſerat. Innocentia ſuâ nunquam coram populo ſe purgaſſet, niſi *Monomachia* iuſtiſſimè ſuſceptâ & initâ. Neque detrectauit aduerſarius.

Mors & Vita Duello conflixêre mirando.
Dux vitæ mortuus Regnat Viuus.

MEMBRVM XI.

DVELLVM CHRISTI

Pro gloria, & fortitudinis potentiæque prærogatiua.

Pro Gloriâ, & Fortitudinis, ac Potentiæ prærogatiuâ.

GLORIÆ conſequendæ tuendeque gratiâ, multos Duellum vel obtuliſſe, vel non defugiſſe ſcimus. Exemplum imprimis rarum refert Petrus Bembus in hiſtoria Veneta, idemque habet Iuſtinianus alijque gentis eius ſcriptores. Anno M. CD.LXVIII. cùm Sigiſmundus Auſtriacus, numeroſo exercitu, & auxiliaribus copijs Electorum, & Principum Imperij, Venetis bellum inferret, & Rouerentum ad Atheſim obſideret: è contrario Venetorum exercitus in ſubſidium oppidi veniret, accidit, dum vterque exercitus non procul inde caſtra haberet, vt *Antonius Maria* Sanſeuerinatis copiarum Venetorũ, & exercitus totius Ducis filius, Italus, voce militari prouocaret Germanos, ſi vnus ex illis *Duello* ſecum, fortitudinis ergo, vtra gens bello præſtantior eſſet, dimicare vellet? Accepit hanc conditionem *Ioannes Comes Sonnebergius.* Conuentum itaque eſt, vt victor mille florenos, & equum, atque arma victi, trophæi loco, lucraretur. Locus certaminis in ripâ Atheſis, intra duo caſtra medius deſtinatus eſt: additis campi cuſtodibus[a] vnicuique parti, quattuor viris militaribus: præſcripta pæna ſuſpendij, ſi quis alius, præter octo illos, verbo, nutu, alioue ſigno indicium daret. Acceſſit pactũ, vter ex pugnantibus nomen S. CATHARINÆ exclamaret, vt is pro victo haberetur: & tunc demum cuſtodes illi deſtinati poteſtatem haberent ſuccumbenti ſuccurrendi, atque pecuniam, equum & arma victori tradere tenerentur.

EQVITES ergo armati ambo introgreſſi carceres & ſepta ad pugnam parata, mox haſtis infeſtis concurrerunt. Aberrauit *Sonnebergius*: at *Antonius Maria* in pectore eius cuſpidem haſtæ abſque alſa

(a) *Bembus pag.17. Griſwertbel.*

alia læſione fregit: cuius equus infrenis concitato curſu, in carceres impingens, & cum eo hoc impetu extra eos corruens, nequaquam hoc caſu fuit territus; ſed mox aſſurgens, licet ex equite pedes, intro rurſus ſe recepit. Cui *Sonnebergius* ſtricto gladio in equo occurrit, & contrà Antonium Mariam obuium ſuo cum gladio habuit. Dum igitur impari pugnâ eques cum pedite, paribus tamen armis fortiter pugnant, & Sonnebergij equus ſeſe attolleret, & retrocedens congreſſum veluti ſubterfugeret, ſingulari agilitate ex arte gladiatoriâ, Maria Sonnebergio gladium eripuit. Is erat ex eo genere, quibus punctim vtimur (a) Præter opinionem Sonnebergio hoc accidit; qui ſe tamen ideò non deſeruit, ſed conuerſo equo de illo deſilijt. Intereà, *Antonius Maria* tam ſuum, quàm hoſtis gladium in terram defigit, experiri volens, vtrius lamina firmior & aptior ad inferendos ictus eſſet, mox abiecto ſuo, hoſtis ſui retinuit, eoque fretus, fortiter in illum irruit. Cui non ceſſit *Sonnebergius*, ſed clauâ & pugione ſe defendit. Cùm verò illam tandem abijceret, Germanicus exercitus metu id fieri timens, ad modum exhorruit. At *Sonnebergius* aliquot ictibus hoſtilis gladij pugione excuſſis, vt quæ à gladio minus periculi eſſet, propius ad illum accedens, luctari cum ſuo aduerſario cæpit, qui abiecto gladio eum amplexum magna vi proſternere conatur. Sed viriliter à Comite reſiſtitur, donec ambo laſſi luctando, ſimul corruunt; ita vt Maria collum eius dextro ſuo brachio teneret; ille verò iacentem ſiniſtro femore ſub ſe premeret.

DEINDE reſumptis ex luctâ paulisper viribus, *Sonnebergius* ſiniſtrâ manu diſſimulanter explorans, an luctator ſuus circa nates aliquo modo extantes loricâ armatus eſſet, quam detegere poſſet. Id ſentiens, pugione à tergo ex dextrâ in ſiniſtram translato, ſublata lorica hoſtis ſui, eum in natibus vulnerare cæpit. Qui ex illa corporis parte nudus, ſentiens ictus ingeminari, abſque mora, CATHARINA inclamauit. Audito hoc deditionis ſigno, eius cuſtodes quattuor accurrunt, & Antonium Mariam proſtratum ac vulneratum erigunt, & ſubtrahunt ex pugnâ ne occidatur. Prius tamen *Sonnebergio* dixerat *Antonius*, ſortem ſuam agnoſcens: Vince, quando ita voluit FORTVNA: caſu enim non virtute vincis. Gloriam certaminis hoſti dedit. Sed eũ victor magno apud ſe honore plures dies in exercitu habuit, curatoque vulnere, donis etiam additis ad patrem remiſit. Plura alia referri poſſent, gloriæ parandæ gratiâ, ſuſcepta *Duella*. Vnum ſufficit. Venio ad noſtrum.

SI alia non fuiſſet CHRISTO cauſſa *Duellandi*, intererat publicè ſcire quanta Imperatoris noſtri ſit potentia, quæ illius vires, penes quemnam ſit in vniuerſo pugnarum præliorumque gloria. Itaque cùm fortiſſimo & in viribus ſuis confidentiſſimo certamen inire oportuit. Quem quamue exiſtimatis eſſe hoſtem in omni aduerſariorum genere robuſtiſſimum, fortiſſimum, & ante Chriſti tempora victorioſiſſimum? Quærite vbique à quibuſcumque è qualibet gente occurrentibus vobis, dicent, & iureiurando confirmabunt fidenter, eſſe *Mortem*.

(a) *Triciker Breſſeiſu.*

Mors magnos æquè ac paruos, diuites vt pauperes, doctos & indoctos, nobiles ac ignobiles dominos ac ſeruos inuadit, & punctulo temporis ſternit ac ſuperat. Et ſanè à quo tempore homo eſt conditus, non fuit exercitus, tam numeroſus, robuſtus, inuincibilis, à quo Mors cum ſuo ſatellite victoriam non reportarit. Xerxem, Alexandrum, Cæſarem cum tot militum myriadibus metuendos orbi *Mors* deuicit, æquo pulſans pede

Pauperum tabernas, Regumq; domos. Magnas ego ſemper Amoris eſſe vires ac robur audiui, nihilq; eſſe in rebus humanis ac Diuinis potentius. At enim cum in Sacris paginis fortiſſimus Amor depingitur Morti comparatur, & fortaſſe non per æqualitatem, ſed aliqualem ſimilitudinem: *Fortis eſt, vt Mors, Dilectio*, Canticor. VIII. Itaque qui *Mortem* prouocare ad *Duellum*, & multo magis ſuperare potuit, hunc profectò eſſe oportuit *Dominum Sabaoth*, DEVM *fortitudinis*, præſidium & robur omnium. Ob hanc igitur gloriæ prærogatiuam, cui inimicus inſidiabatur,

Mors & Vita Duello conflixere mirando.
Dux vitæ mortuus Regnat Viuus.

Neſcio ſanè, an hoc myſterium lateat in illa diſputatione, quam habuerunt tres Palatini in Perſide, coram Dario Rege, vt refertur in tertio Eſdræ. Vnus ſcripſit, *Forte eſt vinum:* alius, *Fortior eſt Rex;* tertius, *Fortiores ſunt mulieres:* ſuper omnia autem vincit *Veritas*. Et huic adiudicata eſt victoria. Nam reuera Veritas manet, & inualeſcit in æternum. Quæ Veritas? *Veritas* increata, ſubſtantialis, incarnata, IESVS CHRISTVS DEI FILIVS.

MEMBRVM XII.

DVELLVM CHRISTI

Ad Litem alioquin immortalem ſopiendam.

DVELLVM apud plurimas nationes remedium fuit litium quarũcumque, non capitalium ſolùm aut criminalium, verum etiam ciuilium finiendarum vnde vocabatur *Duellum* ſingulare litium certamen, quo ſecum decertabant ſoli litigantes, extra periculum reliquorum ciuium. Certè, apud Germanos receptum olim fuit, lites armis finire. [a] Cuius rationem dat quidam è ſcriptoribus recentioribus, quod Germani *Belli-potentes* magis, quàm *Sapienti-potentes* eſſe voluerint, vt Ennius de ſuis loquitur. Ita in Moſcouia lites armis finire adhuc vſitatum eſſe refert Bodinus. [b] Nec rarò in *Polonia* idem contingit, maximè inter nobiles. Sanè *Henricus* III. Rex Galliæ & antea etiam Polonorum, miratus quod nobiles Poloni tot militibus ſtipati incederent, cùm quæſiuiſſet cauſſam, illam accepit à nobili, quemlibet potentum ſemunire, vt litibus terminum gladius faciat, & vltimam ſententiam ore

glad

(a) *Alciat. lib. 2. parerg. c. vlt. Camera. 1. vol. 1. c. 9. Schenber. 6. Polit. c. 79* (b) *4. lib. 3. c. de Rep. c. vlt.*

gladij pronunciatam aduerſarius accipiat ac conquieſcat. In *Angliâ* autem conſuetudine inualuit, vt tribus potiſſimùm modis ſententiæ, quæ ſummum litibus finem imponunt, proferantur: nempe, in Parlamentarijs comitijs, in Iuridicis cõuentibus, & in ſingulari certamine, Auctor *Thomas Smithius* [a] de Republica Anglicana. In *Dania* olim Fronto Rex legem tulerat, vt omnes controuerſiæ ac lites Duello terminarentur. Quod ſcribit Saxo Grammaticus in hiſtoria Danica. [b] Qui alibi etiam teſtatur, Suenonem, lites non prudentum iudicio, ſed athletarum robori commiſiſſe.

IAM verò conſtat; lites fuiſſe inter *Genus hominum*, & *Mortem* ac *Cacodæmonem* propè interminabiles, non in criminalibus ſolùm, ſed etiam ciuilibus. Multa nos omnes feceramus nomina, multis rationibus obæratì eramus illi, qui in mundo Princeps dicebatur, tenebrarum Auctori & Domino: immò, nos noſtro illi chirographo in Paradiſo concepto conſcriptoque debitores fatebamur. Hoc *Chirographum* appellabatur *Peccati*. Quotieſcumque Mortem, Dæmonẽ, Mundum apud DEVM iuſtiſſimum Iudicem accuſare tentabamus, proferebat ſyngrapham authenticam, in quâ Generis humani ſigillatim continebantur nomina: ſecundum quam ſi pronunciatum fuiſſet, æternis manſiſſemus innexi vinculis. Vna ſupererat litis multiplicis componendæ ratio, ſi quis *Duello* palam cum hoſte congreſſus, ipſo ſuperato, *Chirographum* abſtuliſſet. Fecit id animoſiſſimè CHRISTVS

Mors & Vita Duello conflixère mirando.
Dux vitæ mortuus Regnat Viuus.

Superato aduerſario *Regnans Viuus*, vt omnibus pateſceret *Chirographum* gladio ſuo infixit, & circumtulit, remiſſione debitorum promulgatâ. Debemus hanc conceptionem Paulo Apoſtolo, qui agens de Chriſti prælio, quo litibus, ob debita noſtra, fuit impoſitus finis, ſic ſcribit ad Coloſſenſes. cap. 2. 14 *Donans vobis omnia delicta: delens, quod aduerſum vos erat* Chirographum *decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud* Cruci: *& exſpolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Vbi dicit, Chriſtum illud Chirographum, in quo ſingulorum erant debita, miro quodam modo CRVCI adfigendo, ſuſtuliſſe è medio, & abrogaſſe.

(a) *Lib. 2 cap. 6. & 8.* (b) *Lib. 14.*

MEMBRVM XIII.
DVELLVM CHRISTI
Ob maximi momenti Cauſſam ſuſceptum, initum, perfectum.

PROPTER alias magni momenti cauſſas *Duella* olim indicebantur. Non fuit autem vnquam maioris momenti cauſſa in iudicium adducta, vel tra-

tractata vſibi, quàm, quæ inter *Carnem* & *Spiritum*; *Mundum* & *Cælum Chriſtum* & *Luciferum*, *Mortem* & *Vitam* in Caluariæ campo agitata eſt: ideoque non niſi Duello finiri potuit. Et ſanè feliciter fuit terminata.

Mors & Vita Duello conflixere mirando.
Dux vitæ mortuus Regnat Viuus.

NOTÆ.

§. I. CALVMNIA.] *Si quis calumniam talem in iudicio inſerat, vnde ſequatur mors innocentis, tunc poſſe innocentem acceptare* Duellum, *immò, prouocare calumniatorem ad* Duellum *exiſtimat* Bannez, *citans* Caietanum: *apud quem ſe id non inuenire ſcribit* Leonardus Leſsius *lib. 2. de Iuſt. cap 9. numero* 47.

§. II. GVNDEBERGA.] Raderus *in Bauaria Sancta.*

Cedite Graiugenæ: Romana Lucretia cede,
Illæſa vicit Boia pudicitia.
Auſa laceſſentis ſpuere os infame Dynaſtæ,
Proque fide lecti perfida vincla pati.
Donec commiſſa eſt iuſto pia cauſſa Duello.
Et vicit caſtus iudice Marte pudor.
Sic regnum famamque ſimul Regina recepit.
Addidit & virtus dona perenne decus.

Eodem euentu pueri pro vxore Henrici III. contra Gigantem Duellum ſuſceperunt, vt narrat Nauclerus *Generat.* 35. *Burchardus etiam contra Conradum iactantem, cum Regis nepte ſe concubuiſſe, anno 950. apud Continuatorem Reginonis.*

§. III. DVELLVM Itali & Germani.] *Hac* Monomachia *diuerſè à diuerſis narratur, prout quiſque erga alterutram partem fauore aut odio affectus fuit. Narratio noſtra deſumpta ferè eſt è Genealogia Germanica proſapia* Thruchſeſiana *VValburgiæ ſtirpis, cuius fuit* Comes Sonnebergius.

§. IV. TERMINATIO Litis.] *Exempla iuris per duella deciſa habet* Cuiatius *ad tit. 4. de feud.* Hotoman. *illuſt. qq. 3.* Berchold. *de Feud cap 7 num. 50.* Tiraquell. *de Iure primogenit. quaſt. 40. Gramm. deciſ. 1. n. 14.* Theatr. *Vita volum. 14. lib. 3.* Bodinus *lib. 5. de Repub. cap. 1. auctor eſt Septentrionales populos vi & armis ſubditos fere in officio continere: Auſtrales religionis ac Numinis metu: ceteros æquitate, ac imperio rationis.*

§. V. NEGOCIA magni momenti.] Bald. *in cap. vnic. de Pace.* Alciat. *&* Aroz. *ad l. ex hoc iure ff. de Iuſt. & Iur.* Iul. Ferret. *Conſil. 6. de duello in principio, & Conſil. 9. numer. 6. Conſil. 11. numero 3. & 4.* Menochi *lib. 1. Illuſt. qq. cap. 49. Anno Domini 624. dum Perſæ Romanos bello inſequerentur, in duello tum facto pro tuitione Imperij diuina protectio adfuiſſe cognita eſt Heraclio Imperatori, vt merito Dauidicum illud ipſi fuerit occinendum:* Obumbraſti ſuper caput meum in die belli.

§. VI. HERACLIVS.] *Cum ad Sarum amnem perueniſſet, Sarbaras Perſarum Dux à Coſroe miſſus aduerſus Romanos, ponte ex funibus & lana contexto Euphratem tranſijt, Romanos inſequens. Imperator Saro tranſmiſſo exercitum quiete refocillat. Venit interim Barbarus ad alteram fluminis partem, cùmque cerneret amnem, pontem, & in eo propugnacula à Romanis occupata, caſtra poſuit. Romani porro agmine incompoſito per pontem excurrentes multos Perſas interfecerunt, nequicquam Imperatori obtemperantes, ne ita abſque ordine vagarentur, atque inſidijs hoſtium ſe exponerent. Itaque haud multo poſt à Perſis*

Perſis per inſidias circumuenti pœnas ſuæ temeritatis & contumaciæ dederunt. Ipſe tunc Imperator ſuis in periculo Conſtitutis opem tulit, ac quendam Giganti ſimilem in medio ponte ſecum congreſſum ferijt, inq; profluentem deturbauit. Ille Duello ſuperatus ab Imperatore metum reliquis incuſſit, qui territi, cùm fugam capeſſerent, obſiſtente pontis anguſtia, alij in amnem coniecti, alij gladijs interfecti ſunt. Imperator paucis ſtipatus ſic pugnam obijt, vt fortitudine, quàm pro hominis natura maiore præditus haberetur. Adeò, vt Barbarus admiratione perculſus dixerit ſibi familiari: videſne Cæſarem (agnoſcebatur is ex inſignibus Imperatorijs) quanta audacia dimicat? ſolus contra tantam multitudinem certat. Nox ſuperueniens prælium diremit. Barbarus ſibi metuens retrò abijt.

Theophanes hiſtoricus anno 15. Heraclij. Cedrenus in Compendio. Baron. tom. 8. Ann. 624.

COMMENTATIO VIII.

DVELLVM DAVIDIS CVM GOLIATH IMAGO

Duelli Militis Chriſtiani Duellantis Roſario, velut Fundâ Lapidibus grauidâ.

Prævaluit David aduerſus Philiſthæum in Fundâ & Lapide 1. Regum XVII.

MEMBRVM I.

ROSARIVM FVNDA.

Funda cum Roſario ſeu Corona è globulis ſphæruli compreſſo ſimilitudo.

MVLTA ſunt Inſtrumenta bellica in Militiæ ſpiritualis armamentario, quæ *Fundæ* rationem habent, & quibus lapides in hoſtium capita iaciuntur, multo certius ac vehementius, quam vnquam flexis fundæ ſtridentis habenis fecerint *Baleares*, quos fundæ inuentores facit Strabo (*a*) quamuis Plinius (*b*) hanc gloriam ad Phœnices referat, ſicut etiam Vegetius, (*c*) Pollux verò ad Ætolos, hiſque vicinos Acarnanas. Ne autem difficilia conſectemur, & quæ non facilè à quolibet pietati dedito haberi poſſunt, quid ſimilius *Fundæ*, quàm *Roſarium Marianum*, quod digitis verſandum, rotandumque eſt, & in hoſtem fortiter con-

(a) *Lib.* 7. (b) *Lib.* 7. *cap.* 56. (c) *Lib.* 1. *cap.* 16.

contorquendum. Formam ſpecta, *Fundam* refert. Conſidera ſphærulas, quibus conſtat, habebis Lapides, quos Cacodæmon non minus, quàm Goliath, illum, quo concidit, ſentire ſolet.

QVINQVE Lapides pro fundâ ſua habuit David. Totum Roſarium conſtat numero quinario, variè multiplicato. Vt enim *Pſalterium*, quod conſtat centum quinquaginta pſalmis, in tres diuiditur *Quinquagenas*; ita *Roſarium* centum quinquaginta Salutationum Angelicarum, totidem habet Quinquagenas: quælibet autem Quinquagena in quinque Decades ſubdiuiditur. Decades verò initium ſumunt à maiore Globo: & ſunt iſtiuſmodi Quinque, qui reſpondent Quinque Orationibus Dominicis. Porrò, *Quinarius* iſte numerus Orationum Dominicarum myſterijs eſt grauidus, & deſignat *Quinque*, *Lapides* hoſti Tartareo, ſi benè iaciantur, fatales. Si quidem Orationes illæ, quæ totidē ſunt, vt vulgo loquimur *Pater noſter*, referuntur ad Quinque Vulnera Corporis Chriſti, quod de Virgine MARIA ſumpſit, quibus nos lauit in ſanguine ſuo: & oſtendit Patri orans pro nobis. Cum autem omnia opera noſtra bona efficaciam habeant ex merito Paſſionis, & Sanguinis Domini, vt maius meritum participent, optimè Quinarius iſte numerus actualiter refertur ad Quinque Vulnera. Cur autem ordiamur ab Oratione Dominica, ac deinde recitentur Salutationes Angelicæ ſeu populariter loquendo, quare prius dicatur vnum *Pater Noſter*, deinde, X. *Aue* MARIA, cauſſa eſſe poteſt, quod volens attingere terminum neceſſe habet pertranſire medium. At Medium perueniendi ad Chriſtum eſt B. Virgo: Mater eſt medium. Filius eſt terminus. Adde, quod finis ſit primus in intentione: finis autem orationis omnis quæ funditur à Chriſtianis ad Sanctos, eſt Chriſtus Saluator. Quocirca cuiuſque Decadis initio intentionem dirigimus ad Chriſtum, antequam ſalutemus Virginem. Per ſubſequentes autem Salutationes virgini commendamus Nos noſtraque omnia, & orationem ad Filium, quaſi in manus illi tradimus, memores illius, quod dicit S. Bernardus: Ser. ſuper Miſſus. *Non eſt accepta illa oratio in conſpectu Saluatoris, quæ non pertranſit manus glorioſæ Virginis.*

QVAMVIS autem Numerus, quà numerus, vim non habeat, ad quippiam vel efficiendum, vel impetrandum, quando tamen ad aliquod ſacrum myſterium, vel ab Eccleſiâ, vel à pijs hominibus refertur, vt ſuperſtitione caret, ita à pietatis affectu, & Eccleſiæ intentione participat peculiarem quendam modum ſupplicationis DEO gratæ, quâ facilius quædam impetrantur, quàm alioqui fieret. Hoc pacto, quando in honorem *Quinque Vulnerum Chriſti*, accendunt Amatores CRVCIFIXI Quinque cereos, eâ ceremonia ſupplicant vulnerato Domino, vt per ſacram Paſſionem ſuam, mentes ipſorum, transfuſis è Quinque lucidiſſimis corporis ſui lucernis illuminationis radijs, gratia peculiari illuſtret, & caritate inflammet. Sic quoque, in *Serto roſaceo*, quo ad globulorum numerum precŭlas adnumeramus. *Quinarius* Orationis Dominicæ Chriſti Quinque vulnera; *Denarius* Salutationis Angelicæ, ad quamlibet Dominicam Orationem, decem

cem præcepta Decalogi; *Quinquagenarius* eiuſdem Salutationis in toto Roſario annum Iubileum, hoc eſt, remiſſionem peccatorum ſignificat. Itaque qui tali precum numero Chriſtum orant, eiuſque Matrem ſalutant, hoc illo orandi modo poſtulant, vt ipſis DEVS, per CHRISTI Paſſionem, Matriſque DEI merita, & interceſſionem gratiam largiatur, qua & plenam remiſſionem omnium peccatorum accipiant, & auxilium ad mandata Diuina ex animo perficienda. Ita ſanè ego puer cùm catecheticas ſcholas frequentarem fui à meis Magiſtris edoctus.

MEMBRVM II.

COMPARATIO QVINQVE ORBICVLORVM ROSARII

Cum Quinque Lapidibus Funda Dauidica.

GLOBOS in Roſario maiores *Quinque*, vt maior ſit ſimilitudo cum Quinque lapidibus ad fundam Dauidicam deſtinatis, quidam nominant lapides, ac diuerſis exornant, depinguntque coloribus, quibus inſinuentur meditationes variæ, quibus nihil efficacius ad animarum hoſtes, agmina Dæmonum ac vitiorum fuganda & interimenda. *Primus* vario pingitur colore, tanquam maculis aſperſus, peccatricis animæ maculoſæ & infames eius notas, ſordeſque repræſentans. *Secundus* eſt coloris pallidi, Mortis memoriam reuocans. *Tertius* coloris flammei, futurum ſeculum per ignem, & terribile iudicium indicans. *Quartus* nigri coloris, infernalium tenebrarum horrorem incutiens. *Quintus*, aurei & fulgurantis coloris, in quo cæleſtium gaudiorum recordatio accipitur. Veriſſimum autem eſt illud Sapientis: *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

IAM igitur, DAVID, id eſt, fidelis, & manu fortis, *Chriſtianus Fundibularius*, qualis imprimis eſſe deberet Sodalis omnis Marianus, accipiat *Quinque globos*, vt totidem *lapides*, ſingulos ſculpturâ referentes *Pater Noſter*, in memoriam *Quinque Vulnerum* CHRISTI CRVCIFIXI illorumque quemlibet vibret deuotione peculiari in frontem infernalis Goliathi. Profectò, ſicut per quinque feneſtras Mors ingreſſa eſt, apud Ieremiam Prophetam: cap. 9. tempore, per quinque ſenſus corporis Peccatum, & eius aſſeclæ omnes; ita per Quinque Vulnera Chriſti, Peccatorum exercitus fugatur, deletur, exterminatur, impactis veluti in frontem *Goliathi* totidem lapidibus. Vt meritò quilibet exclamet cum Bernardo *Peccaui peccatum grande, & turbatur conſcientia mea, ſed non perturbabitur*: nimirum reſpiciens CHRISTVM CRVCIFIXVM, VVLNERATVM, VVLNERA offerentem, & *Fundibularij* munere ſtrenuè vtendo, hoſtem infernalem ſternentem. Certè.

CHRISTVM Dominum in Cruce velut

lut *Fundibularium* conſiderat Abbas Rupertus,ſic ſcribens,Lib 2.cap.5 *Fundam in manu tulit,id eſt per caritatem in CRVCE manus extendit.* Vt hoc ſit, quod Ieſus Sirach dixit de Dauid, Eccleſiaſtici XLVII. *In tollendo manum in Saxo Funda*: id eſt, eleuando manus in CRVCE, vt eleuant & expandunt manus, qui *Funda* lapidem iaciunt. Quare, quod Dauid canit, gratias agens DEO, quod manus ſuas docuerit ad prælium, ac digitos ad bellum, inſinuans artificium vtendi fundâ, S. Hilarius exiſtimat referendum ad ſolum Chriſtum. Et ad hoc dici manus eius edoctas ad bellum, cùm vicit Seculum, prout ipſe dixit Ioannis XVI. *Ego vici mundum.* Cùm autem extenſus in CRVCE, inuictiſſimis Paſſionis armis inſtructus fuit, & manus eius extenſæ fuerunt, & digiti confixi in palmis, quis nõ doctas dicat eius manus ad prælium, & digitos ad bellum? Sed reuera, litteralis ſenſus ac hiſtoricus eſt de Dauide, qui quâ *Fundibularius*, typus fuit CHRISTI. Cuius CRVX aptè concipitur, vt FVNDA, in qua Chriſti Plagæ, ſunt totidem lapides, qui è CRVCE à CRVCIFIXO iaciuntur in aduerſariorum capita, & vnus ſignatè, in quo nomen IESVS, in frontem Luciferi, infernalis Goliathi.

MEMBRVM III.
QVINQVE GLOBORVM MAIORVM
In Roſario diſtinctio & ſignificatio.

QVONIAM *Quinque* globi maiores repræſentant in Roſario Quinque CHRISTI CRVCIFIXI VVLNERA, haud malè vocantur à pijs Sodalibus, *Funda*, ſiue *Chriſtiana*, ſiue *Mariana Lapides*, & variè coloribus inſigniuntur, vt ſuperius eſt explicatum. Verùm, vt ea non ſolùm magis afficiant intellectum piè contemplantem, ſed ad voluptatis affectum ac praxim quotidianam reducantur, ſubiicio exquiſitam quandam, & paucis cognitam, vtiliſſimã tamen *Roſarium Marianum* recitandi rationem, per nouas quaſdam contemplationes, ad Lapides Fundæ Dauidicæ, ſecundum myſticas eorum ſignificationes perquam accommodatas.

PRIMVS *Lapis* verſicolor & maculatus, ſecundum picturam ſuperius propoſitam, deſignet Peccatum mortale quodlibet, ſuo ſub genere conſtitutum. *Primum* ergo *Pater Noſter* recitans, petat ſupplicitur, vt virtute Paſſionis Chriſti, & interceſſione Bmæ. Virginis à peccatis mortalibus liberetur. *Decem minores Lapides* ſubſequentes poſſunt ſignificare *Peccata venialia*. Quæ licet multa ſint ac infinita, commodè tamen ad decem omninò reducuntur. Sunt enim *Decem*, quibus homo ſæpe DEVM venialiter offendit. Nimirum, Quinque Senſus exteriores; & Quinque principalia membra: nempe, Manus duæ, Pedes duo, Cor vnum. In quibus etiam CHRISTVS D

pecu-

peculiariter eſt paſſus.

SECVNDVS *Lapis* è maioribus, eſt Pallidus, & refert illam cuius hoc eſt elogium:

Pallida Mors æquo pulſat pede
Pauperum tabernas, Regumq; domos.
Pallida præteriti ſpacium Mors *occupat ani.*

De huius memoria ſcribit S. Hieronymus: *Facilè contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat moriturum*. Facile ſuper hunc *Lapidem* peccata mortalia interficit mortis memor. Quemadmodum ille Iudicum IX qui *occidit viros* LXXta *ſuper lapidem vnum* Et qui ceciderit per ſeriam conſiderationem ſuper lapidem iſtum Mortis, confringetur contritionis dolore: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum criminum deteſtatione. Secundum igitur *Pater Noſter* deuotè recitando *Fundibularius Chriſtianus*, roget felicē mortis ſuæ horam, vt poſſit aduerſarios omnes ſuos ſuper hunc lapidem confringere, ac caput Luciferi, filijs DEI inſultantis Goliathi comminuere. *Decem* verò *minores lapides* poſſunt denotare impedimenta ſalutis in horâ mortis occurrentia: Scilicet, tria ex parte Diaboli ſuggerentis: *Infidelitas Præſumptio, Deſperatio*. Tria ex parte moriētis: *Difformitas* voluntatis ſuæ cū DEI *Dilatio* Sacramētorum: *Spes* longioris vitæ. Quattuor ex parte aliorum: *Vxor, Filij, Inimici*, quibus non ignoſcit, ac *Bona temporalia*, quibus adhæret.

TERTIVS *Lapis* eſt Rubeus, coloris ignei, denotans Iudicium DEI. De quo dici poteſt, quod eſt Geneſis XXXI *Hic lapis quem erexi, erit inter me & te teſtis.* Ad hunc orandus DEVS ac DEIPARA, vt dent gratiam ad veram confeſſionem vt in illo Iudicio non confundantur, qui peccarunt. *Decem* autem *minores* poſſunt ſignificare varias anguſtias, ac confuſiones, quæ venient ſuper malos in die iræ. *Prima*, indignatio Sanctiſſimæ Trinitatis. *Secunda*. Sentētia damnationis. *Tertia*, accuſatio Angelorum. *Quarta*, terror Dæmonum *Quinta*, remorſus conſcientiæ *Sexta*, obiurgatio Aſſidentium in Iudicio. *Septima*, conſideratio pœnæ ſenſus. *Octaua*, æſtimatio pœnæ damni. *Nona*, horror ſeparationis à DEI conſortio: *Decima*, menſuratio æternitatis.

QVARTVS *Lapis* Niger indicat Damnationem. De quo illud poteſt in medium adduci, quod eſt Geneſis XXXIX. *Os putei grandi claudebatur lapide.* Ad hunc lapidem recitans Orationem Dominicam, roget DEVM, vt puteum illum infernalem ſibi claudat. *Decem minores* obijciant menti decem pœnas principales damnatorum. *Prima*, exæſtuans ignis. *Secunda*, tranſitus à nimio calore ad aquas niuium. *Tertia* priuatio viſionis diuinæ. *Quarta*, priuatio Societatis Beatorum. *Quinta* aſſociatio Dæmonum. *Sexta*, vermis conſcientiæ. *Septima*, mutuum damnatorum odium *Octaua*, fætor intolerabilis. *Nona*, obtenebratio intellectus. *Decima*, obduratio voluntatis, & affectus.

QVINTVS *Lapis* maior Candidus ſuggerit amœnitatem cæleſtis patriæ. De quo illud poteſt dici, quod eſt in Epiſt. ad Epheſ. cap. 2. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarū, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto* IESV Ad hunc recitans Pater N. oret, vt ad illam admittatur. *Decem minores* conti-

nent diuerſitatem cæleſtium gaudiorum quæ decem numerari poſſunt, & multis manſionibus, quæ ſunt in domo Patris Ioannis XIV. ſignificantur. *Primum*, viſionis fruitioniſque DEI. *Secundum* Humanitatis CHRISTI. *Tertium*, Societatis B. Virginis MARIÆ. *quartum*, cognitio Angelorum. *quintum*, Conſortium Beatorum. *Sextum*, familiaritas parentum, ac maiorum. *Septimum*, euaſio damnationis. *Octauum*, glorificatio corporum. *Nonum* congratulatio de beatitudine proximorum. *Decimum*, ſtabilitas ſumma felicitatis æternæ.

OBSERVANDVM etiam eſt iſtud. In quolibet *Roſario* eſſe *quinque Myſteria*, tanquam totidem *Lapides*, meditationis *Fundâ* in hoſtes iacienda, vel, vt abigantur, iaculanda. Et ſanè, cùm difficile videatur ac tædioſum vt mens orantis ad eadem verba toties repetita attendat, ne fructû illa ſuo, & quodam velut deuotionis pabulo careat, piè eſt inſtitutum, vt quodlibet *Roſarium* quinque Myſterijs perficiatur quibus meditandis, dum os verba profert, mens occupetur. *Primo* autem *Roſario* aſſignata ſunt quinque *Gandia* SS. mæ Matris quinque Decadibus accõmodata, quibus illa ex his, quæ circa Chriſti naturam humana contigerunt affecta fuit. Sunt autem iſta.

1. *Annunciatio* Incarnationis.

2. *Viſitatio* Elizabethæ.

3. *Natiuitas* Domini.

4. *Oblatio Chriſti* in templo.

5 *Inuentio* pueri IESV inter Doctores.

In *Secundo Roſario* memoria colitur quinque Myſteriorum Paſſionis Chriſti, quæ ſunt.

1. *Oratio*, & *Captiuitas* Domini in horto

2. *Flagellatio*

3. *Coronatio*

4. *Baiulatio Crucis*.

5. *Dolores in ligno Crucis tolerati*

In *Tertio Roſario* proponuntur quinque Myſteria Glorioſa: nimirum.

1. *Reſurrectio* Domini.

2. *Aſcenſio* Chriſti in Cælos.

3 *Aduentus Spiritus Sancti* in Diſcipulos.

4. *Aſſumptio* B V. MARIÆ

5. *Gaudium vitæ cæleſtis*. ſeu *Coronatio*.

Hæc aſpirationibus ita ſigillatim efferũtur, cum peruentum fuerit in Salutatione Anglica ad nomen IESVS.

1. *Annuncatus*.	1. *Captus*.	1. *Reſurgens*.
2. *Viſitans*.	2. *Flagellatus*.	2. *Aſcendens*.
3. *Natus*	3. *Coronatus*.	3. *Mittens Paracletum*.
4. *Oblatus*.	4. *Baiulans X*.	4. *Aſſumpta*.
5. *Inuentus*.	5. *Crucifixus*.	5. *Coronata*.

MEMBRVM IV.
FVNDÆ VSVS DVPLEX. DVPLEX ROSARII.

FVNDAM habetis quauis Balearica magis volubilem, modò non deſit, qui eâ expeditè vtatur. Quod poteſt fieri bifariam. Docent enim artis fundibulariæ, quæ ſpecies eſt quædam iaculatoriæ magiſtri, iactum lapidis fieri poſſe, vel in ipſum hoſtium cuneum, nullo ſibi ſignatè propoſitio capite, in quod collimet is, qui *fundam* verſat, vel in vnum aliquem ex totâ multitudine deſignatũ, in quem lapis certâ deſtinatione feratur. In hoc autem potiſſimùm conſiſtit artificium huius diſciplinæ. Ad quam olim erudiebantur multi, & fiebant peritiſſimi. Certè, memorat Scriptura Sacra, Iudicum xx. cap ſeptingentos ex habitatoribus Gabaa, ita ſiniſtrâ, vt dextra præliantes: & ſic *fundis* lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis ferretur. Crediderim ego exercuiſſe ſe Dauidem penè à puero in iaciendis è *fundâ* lapidibus, vt ſolebant Palæſtini, quemadmodum & in iaculando ac ſagittando. Vnde Rex factus doctuſque, quanti referat in facultate illa excellere, iuſſit filios Iuda doceri arcum, vt ſcribitur lib. II. Regum Cap. I. ſub qua doctrina comprehenditur fundibularia.

VELLEM ego ſane, vt in *Fundibularia Chriſtianâ*, verſandoque Roſario Mariano pueruli noſtri ab ipſis penè incunabulis exercerentur, vt per omnem deinde vitam; eâ expedite, periteque vterentur. Quod fit duobus modis ſuperius indicatis. Quorum prior in eo conſiſtit vt qui Roſarium piè recitat, adhibitis meditatiunculis, ſiue Myſteriorum Chriſti, & Virginis MARIÆ, ſiue de Nouiſſimis hominum, vt ſuperius declarauimus dirigat illud religioſæ pietatis officium ad victoriam contra inimicos ſpirituales, Cacodæmonum ac Vitiorum cateruas; ita in genere, ſeu confusè conceptas, animoque obiectas, vt omnes comprehendantur; deſideretque cunctis eſſe ſuperior, ſingulorum caput conterere, nulli ſe in mancipium tradere amplius. Aut, vt clarius dicam, nullum crimen, aut peccatum, quo DEVS offendatur committere. Quod vtile eſt, & ad victoriam de hoſtibus conſequendam confert ſanè haud parum. Sed vtilior & ad hoſtis ſpiritualis exitium opportunior eſt modus alter, cuius iſta eſt praxis. Deſtinatur ex toto aduerſariorum numero, id eſt, vitiorum agmine, vnum aliquod tibi maximè infeſtum hactenus (*Luxuria, Gula, Inuidia.*) in illud lapides orationis, ac meditationis certo ictu, id eſt, cogitatione ad illud exterminandum directâ, vibrat. Si ſemel, bis, iterum: ſi frequentius id feceris, repetitis *fundæ* tuæ iaculationibus, aduerſario, licet viribus ſuperior ſit Goliatho, cerebrum comminues. Maius quid lapidibus *fundæ* effectum reperio in hiſtoria ſacra Regum, Lib. IV. cap. 3. in quo legitur, Iſraëlitas circumdediſſe fundibularijs ſuis ciuitatem Moabitarũ, & ma-

& magna ex parte eam fuiſſe percuſſam. Eſt tanquam ciuitas hoſtilis OCCASIO peccandi in quâ, velut muro cinctus latitat hoſtis, ac ſe tuetur. Si vis illum, ciuitatemque omnem euertere, circumda illam & *Funda* tuæ lapidibus impete, hoc eſt, dum peccandi inuitat occaſiô, tempus illud voluendo Roſarium tuum viriliter expende, nec dubites de glorioſa victoria.

MEMBRVM V.

VTILIS FREQVENS VSVS FVNDÆ: VTILIOR ROSARII. EXEMPLA.

PLACET mihi in exercitatione *Fundæ* ingenium ac induſtria Balearium. Baleares duæ ſunt inſulæ in mari Hiſpanico, apud quas vſus fundæ repertus exiſtimatur: certè, fuit adeò in ijs celebratus, vt matres filios ſuos altis auibus veſci non paterentur, niſi quas *fundâ* fuiſſent adepti. *Cibum*, inquit Florus, *puer à matre non capit, niſi quid, ipſa mõſtrante percuſſerit.* Hinc Plinius libro 3. *Baleares fundâ bellicoſas Græci Gymnaſias dixêre.* Et communiter idcircò *funda* cognominatur *Balearis*, aut *Hiſpanica* Tam nobis deberet eſſe familiaris vſus *Fundæ Marianæ*, vt omne pabulum ſpirituale, omnem animæ cibum illâ ab alto raperemus: neque matres permittere deberent, vt filij apud ſe veſcerentur, niſi *Roſarij* partem aliquam peruoluiſſent, panem quotidianum & eſcam ea iaculatione meriti. Id enim eſſe Virgini virtutum roſis ſemper vernanti gratiſſimum, quis dubitet? Et habent aliqui Clientes Mariani eius rei vſum, qui nunquam menſæ accumbunt, niſi perſoluto prius DEIPARÆ penſo ſalutationum Angelicarũ Roſarij. Vultis exemplum imitatione dignum? Referam, prout accepi, verbis Scriptoris pij.

QVIDAM Monachus Ordinis Ciſtercienſis in tantum Beatiſſimam Virginem (a) venerabatur, quod quotidie ante refectionem diceret flexis genibus *Quinquagies* AVE MARIA. Cùm autem viſitaret ſuos parentes, recordatus eſt, ſe eo die pietati conſuetæ in orando non ſatisfeciſſe. Repentè ergo ſurgens ingreſſus eſt conclaue, cumque Salutationes more ſolito adnumeraret, apparuit illi Virgo pijſſima mantello pulchro induta in quo per totum ſcriptæ erant aureis litteris Salutationes Angelicæ. Et cum Monachus terreretur, dixit ei Virgo. En omnes Salutationes quibus me honoraſti, ſunt in illo mantello ſcriptæ. Deinde, oſtendit illi partem aliquam vacuam, addens: hanc cùm impleueris, introducam te in regnum dilectiſſimi Filij mei. Quod poſteà factum.

EXEMPLVM aliud eſt longè admirabilius, & adoleſcentibus accommodatum, de Adoleſcente Germano, nobilis proſapiæ, qui licet corporis caſtitatem ſeruaret illibatam, tamen hereditatem omnem

(a) *Dionyſ. Carth. ſer. 1. de Aſſump. B. V. M.*

omnem ſuam aleæ, ac teſſerarum ludo prodegerat: quare miſerè vagabundus oberrabat. Is conſilio patrui ſui, hominis pij, integro anno quotidie DEIPARAM *Quinquaginta* Salutationibus Angelicis venerari cæpit: cumque paullatim in mundi vanitatibus remiſſius haberet, eiuſdem patrui ſuaſu, anno ſequenti, hoc DEIPARÆ obſequium duplicauit, in eoque firmum bona faciendi propoſitū concepit: demum, anno tertio, patrui monito, tertiam adiecit quinquagenam Salutationum. Euoluto anni circulo, patrui opera, cum honeſtâ virgine contrahit, celebratiſque ſponſalibus, apparatur conuiuium nuptiale: cui cùm adeſſent vtriuſque partis cognati, & ſponſus ac ſponſa ad menſam conſediſſent, ex inopinato ſurgit ſponſus, rogat patruum, tantiſper differri iubeat miſſus, quo ad ſolitas DEIPARÆ preces, recitando Roſarium perſolueret, quod eo die, alijs diſtentus negocijs, nondum fecerat. Itaque in cubiculum ſe recipit, magnaque animi pietate conſuetas preces offerre incipit, ac porrò pergit. Cùm autem ſupremam Salutationem tertiæ quinquagenæ iam compleret, ecce Glorioſa Virgo Sole ſplendidior ei apparet, oſtenditque iuueni in ſuâ tunica tres togas: anteriorem vnam, duas verò à latere: Ecce, inquiens, Salutationes tuæ aureis litteris ſcriptæ, quibus in *ternis quinquagenis* me honoraſti. Et quoniam, vanus licet, ac vagus, virginitatem coluiſti, tertia die ad me ſine corruptione peruenies. Ipſe autem rediens ad conuiuas hortabatur, vt hilariter epularentur. Peracto verò conuiuio, ſponſæ, patruo & amicis, quæ audierat à B. Virgine indicat. Mox febre correptus, die tertia moritur, relictâ ſponſa, quæ alterius, quam Agni immaculati nuptias recuſauit, virginitatem ſuam Chriſto cōſecrans. Scribit hæc Thomas Cantipratenſis, lib. 2. Apum cap. 29. p. 16. adijcitq́; ſuo ea tempore contigiſſe, & ſe certa relatione didiciſſe.

MEMBRVM VI.

GLOBI ROSARII IN HOSTES CORPOREOS.

ESSE orbiculos Roſarij, tanquam lapides, qui à recitante, ſeu orante, è Corona, velut funda, in hoſtium capita vibrentur, manifeſto interdum patuit miraculo contra hoſtes corporeos: vnde colligamus, maiores eſſe efficaciæ aduerſus animæ ſpirituales. Eques quidam, nomine, ALANVS à Valle Coloata, in Britannia, propè vrbem Duramium, S. Dominici conſilio, DEIPARÆ Roſarium quotidie flexis genibus recitabat (a) Is ſub Comite Simone Montefortio contra Albigenſes hæreticos in Toloſana regione militabat. Cùm autē aliquando paucis militibus comitatus ab ingenti hæreticorum multitudine circumdatus abſque ſpe euadendi vrgeretur, viſa eſt ab ea DEIPARA *Centum quin-*

(a) *Ferdin. de Caſtiglia 1. p. Chron. S. Domi. lib. 1. cap. 34. Spinell. cap. 39. Thr.*

quinquaginta lapides, quorum numerus Salutationibus Angelicis Roſarij maioris reſpondet, in hoſtes, velut Fvnda iacere, maxima cum eorum ſtrage: ſicque victor ipſe euaſit. Non dedignata eſt Dei Mater aſſumere perſonam *Fundibulariæ* in gratiam ſui Clientis, memor, illum in ſui honorem quotidie ad bellum doctis digitis Fundam Marianam rotare ſolitum. Idem *Alanus* aliquando Ieroſolymam nauigans qua vehebatur naui, tempeſtatis vi effractâ, cùm in magno diſcrimine verſaretur, confeſtim in ipſo mari centum quinquaginta monticuli comparuerunt, per quos incolumis in continentem euaſit. In patriam deinde reuerſus conſtructo ibi cænobio, factus eſt religioſus Ordinis S. Dominici, & per totam Galliam concionabundus deuotionem Roſarij, magno cum auditorum fructu prædicare nunquam deſtitit.

Qvoniam autem contra hoſtes tum corporis tum animæ, inſtar *Fundæ*, eſt Roſarium, multorum tam Militum, quàm Ducum eſt commendanda religio, qui religioni ſibi ducunt, ſi quotidie ad honorem Bellipotentis Dominæ, illud non peruoluant. Et contra hoſtem quoque, dum ſunt in procinctu, tanquam inſtrumento militari Mariani armamentarij vtuntur. Laudem hoc in genere peculiarem meruit Archidux Ernestvs *Auſtrius*, Belgij noſtro tempore, pro Philippo II. Rege Catholico Moderator. Hic antequam Viennâ diſcederet in Belgium, ad eius regimen ſuſcipiendum cōtulit ſe ad B. Virginem Cellenſem, multis inclytam miraculis, vt ei profectionem ſuam commendaret. Ibi poſt exomologeſin, ſacramque menſam, coram Sacerdote Societatis Iesv, qui erat ei à confeſſionibus ſanctè ſpopondit, ſe in omni vita ſua fore humilem Clientulum B.mæ Virginis Mariæ, neque vnquam omiſſurum quotidianam *Roſarij* ad id teſtandum, recitationem.

Membrvm VII.

Ars Fvnditorvm Commendata

Litteraliter & Myſticè

Fvndibvlarii Fortitvdine Inſignes.

Ob cauſſas hactenus deſignatas, curæ eſt Cacodæmoni, vt huius vſum Fundæ ſibi feralis aboleat; & eadem penè ratione, qua Fundam olim in bellis vſitatiſſimam, tandem ſepoſitam, & nullius ferè æſtimationis factam reperio. Qui *Fundam* contemnunt, dicunt, artem iaculandi per arcum, balliſtam, fundam, non fortitudinis apud veteres argumentum fuiſſe, ſed infirmitatis: quia talem exercens artem pugnat eminus, & ad fugam eſt paratus: timidus ac ignauus, non fortis & animoſus. Cognominatus eſt ab Ouidio xiv. Metam. Paris timidus eo, quod Achillem occiderit iaculo, ſimilibuſque epithetis deco-

decorant, alios bellatores Poëtæ & Hiſtorici. Sed his ego non moueor cauillationibus, cùm demonſtrare poſſim tam ex Sacrâ, quam ex profanâ hiſtoriâ, eoſdé qui fundâ peritè ſunt vſi: fuiſſe ſtrenuos, & ad omne genus armorum tractandum idoneos. Imprimis autem Dauidem, qui non minus gladio, quàm fundâ valuit. Cuius cum adoleſcentiam ſpernere videretur Saul, aut illi diffidere antequam ſingulare iniret certamen cum Goliath, referebat ipſe pugnas à ſe pugnatas cum vrſis & leonibus. *Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebatur eos, & percutiebam eruebamq́, de ore eorum: & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam interficiebamq́ eos. Nam & leonem & vrſum interfeci ego ſeruus tuus Erit igitur Philiſthæus hic incircumciſus, quaſi vnus ex eis.* 1. Reg. XVII Quod cum inter elogia Dauidis refert IESVS Sirach auctor Eccleſiaſtici cap. XLVII. addit quidpiam, vt obſeruant Hugo & Dionyſius Scripturæ Interpretes, quod & Dauidicam virtutem ac iuuenile robur, & ſingularem dexteritatem, ſtrenuitatemque indicat. *Cum Leonibus*, inquit, *luſit, quaſi cum agnis; occidit Gigantem: contriuit inimicos vndique: & extirpauit Philiſthijm contrarios. Et exaltauit in æternum Dominus cornu eius.* Nota verbum, *luſit*: Quippe, qui per modum ludentis facili conatu & delectabiliter leonem occiderit, ac ſi agnum interfeciſſet, & in vrſis ſimiliter fecerit ſicut in agnis ouium. Eſt hoc timidi & ignaui, cum ferociſſimis feris certare, apprehenſo mento, rictuque ipſarum, quaſi agnorum? Idem iam Rex, quoniam neruoſiſſimè rotarat *fundam*, agens DEO gratias, dicit, brachia ſua fuiſſe, vt arcum æreum, ac ſi non minus roboris ad *fundæ* artificioſum iactum, quam ad arcus ænei tractationem requiratur. Pſal. XVII. *Qui docet manus meas ad prælium: & poſuiſti, vt arcum æreum brachia mea.* Et libro ſecundo Regum XXII. cap. *Docens manus meas ad prælium: & poſuiſti, vt arcum æreum brachia mea.*

NEQVE habebant, vt timidos, ac ignauos Fundibularios Romani, qui illorum forti, ac fideli vtebantur opera. Quare, vt auctor eſt Vegetius, in quinta acie ponebantur (a) *Carrobaliſtæ*, manubaliſtarij, fuſtibulatores *funditores*. Fuſtibulatores erant; vel, vt alij legunt, *Fundibulatores*, qui fuſtibalis lapides iaciebant. *Fuſtibalus* fuſtis eſt lõgus, pedibus quattuor, cui per medium ligatur *funda* de corio, & vtraque manu impulſus propè ad inſtar onagri, dirigit ſaxa. Quibus ſcuta deerant, ſiue lapidibus manu iactis, ſiue miſſilibus in hoc ordine dimicabant. Erant abſque ſpathis & pilis. Nec enim gladios geſtabant funditores, quia impediebant enſes, ne contorto in caput brachio ſaxa rectè dirigerent. Diodorus Lib. VI. cum tribus fundis præliari ſolitos milites prodit Eorundem in bello vtilium meminit Saluſtius, ac Liuius, Et Saluſtius quidem *Funditorum* ac Sagittariorum delectam manum vocat. Quantum damni inferant hoſtibus indicauit vno epitheto Oneſander in Stratagetico c. 9 vbi inter leuia arma, fundæ pugnam vocat χαλεπωτάτην, ad nocendum præcipuam

(a) *Veg. Lib. 3. de re mil. Stewech. Modius Modeſt.*

pſiam & moleſtiſſimam Quod certum eſt, præſertim, ſi plumbei globuli, ſeu glandes emittantur, qui ob conſimilem aëris colorem oculos fallunt, & improuisò in hoſtes incautos decidunt, eosque graui lapſu vehementer affligunt.

MEMBRVM VIII.
ROSARII MARIANI VSVS

Catholicis probatus. Doctoribus laudatus. Hereticis inuiſus. Orthodoxis commendatus. Ab Eccleſia Chriſti receptus.

VERVM, nunquam ita nocent corporibus *Funda* vulgares, vt ſpiritibus immundis, & infernalibus copijs *lapides Roſarij*, ſi Deuotionis & meditationum piarum habenis vibrentur. Idcircò, vt odioſam faciat iaculationem, ſibi infeſtam Cacodæmon, conatur per aſſeclas ſuos perſuadere, pugnam illam eſſe puerilem: verſare Roſarium eſſe timidorum, imbellium, mulierculárum, non virorum. Omitto veteres Marianæ pietatis hoſtes, *Mariomaſtiges* damnatos In recenti memoriâ ſunt, *Bucerus*, (a) *Pellicanus*, *Franciſcus Lambertus*, (b) & *Bulingerus*, qui tetræ ſuperſtitionis notam inurere conantur huic exercitationi bellicæ pijs tam vſitatæ. Addit *Brentius*, vt exponat nos ſuis ludibrio Salutationem Angelicam à MARIAE mancipijs tam frequenter repeti, vt præ ea nullus penè locus Dominicæ Orationi ſit relictus, quod luculentum eſt mendacium. Bucerum non pudet ſpargere, eos, qui è ſphærulis ac lapillis, tanquam roſulis, *Sertum Roſariumq́;* conficiunt, nefandam committere blaſphemiam, neque aliud, quàm apertiſſimum Satanæ commentum, & Lucifericum dogma ſtabilire, Deoq̀ue, vt Lambertus calumniatur, ac electis odioſam, ideoque deuirandam pijs omnibus ſubmurmurationem.

HISCE hominum impiorum lædorijs, à *Roſarii*, tanquam *Funda* familiaris vſurpatione, non auocantur *Fundibularij Chriſtiani*, memores in Chriſtiana Militia fortiſſimos bellatores, & huius peritia, & aliorum inſtrumentorum tractādorum, imprimiſque Verbi diuini, qui eſt *Gladius* vtraque parte acutus, artificio fuiſſe excellentiſſimos. Inter quos celeberrimum nomen habet S. Ioannes Damaſcenus Virgini Matri perquam addictus, qui hunc in modum Auditores ſuos ad iterandam ſalutationem Angelicam exſtimulat. Serm. de Dormit. B. V. *Cum Gabriele Angelorum anteſignano exclamemus: Aue gratia plena, Dominus tecum* Et Serm. de Annun. B. V. in eundem ſenſum. *Verè piorum labia DEI Genetrici Angeli vocem ſine vlla intermiſſione modulantes, cum exultatione clament: Aue gratia plena, Dominus tecum.* Similia his ingeminat in carmine ſuo Eccleſiaſtico. Sergius verò Hieropolita ſuis circumſtantibus idem ſic inculcabat: Orat.

(a) *Cap. 1. Luca* (b) *Cap. 1. Luca.*

Orat. in Nat. B. V. *Quotquot hic adſumus fideles, cum Gabriele acclamemus Virgini: Aue gratia plena, Dominus tecum.* Sergio vetuſtior Andreas Cretenſis, quẽ Sanctiſſimum Patriarcham appellat Michael Glycas, diſertè aſſerit id faciendum à Chriſtianis, & hortatur: *Omnis lingua choros ducat, & DEIPARÆ occinat, AVE. Hoc Gabriel ſumpſit exordium myſterij.* Et mox: *Nos quoque rurſum oportet hoc tanquam comparatum ad agendum gratias offerre Reginæ generis noſtri:* illi enim conuenit dicere χαῖρε. In eandem ſententiam ſuos alloquebantur Chryſippus & Heſichius Presbyteri Ieroſolymitani ambo, & auctores antiqui.

HORVM veſtigijs inſiſtunt, qui, vt oſtendant ſe puerorum terriculamentis non moueri, ac ſe profiteantur ſelectam eſſe manum fundibulariorum, frequentiſſimè hanc ſacram *Fundam* verſant, & publicè manibus geſtare, aut collo etiam appendere ſolent, torquis inſtar, vel balthei. Quod primos Societatis IESV Patres, cùm iter per Germaniam iam hæreſi deprauatam haberent, feciſſe legimus. Et alicubi priuatis Sodalitatis Marianæ Conſtitutionibus præſcribitur, vt Sodales Partheni; Roſarium vbique circumferant. Quod magno ſuo commodo fecit *Thomas Sa:llius* Societatis IESV Sacerdos Duci Parmenſi Alexandro à Sacris, qui cùm multis annis caſtra ſequutus eſſet, multis ciuitatum expugnationibus cominus interfuiſſet, multos iuxta ſe cadentes vidiſſet, ſemper ipſe ſine vulnere ambulauit innoxius. Quod acceptum ſe referre aiebat *Roſario* prægrandi *Mariano*, quod ipſe, quoties ad arma proclamatum erat, balthei inſtar, per humerum, tranſuerſumque pectus obtendebat, eaque ſe ſolum munitum loricâ, omnia pericula ſine metu illæſum euaſiſſe gloriabatur. (*a*) Quoniam autem in caſtris DEIPARAM maximè eſſe ſibi hoc pacto præſidio ſentiebat, vt omnibus militibus idem patrocinium curaret, impetrauit à Duce Parmenſi edictum militare, vt ſub auroram omnibus caſtrorum tubis certatim aſſonantibus, B. Mater MARIA Angelicæ ſalutationis precatione tercum ſono tubarum repetitâ, per omnia militum contubernia ſalutaretur. Eiuſdem etiam Imaginem Virginis piè ac ſcitè depictam pro labaro ac vexillo in itineribus præferri, ac inſtationibus, vt præfrigeretur, efficiebat.

NEQVE nos verecundemur geſtare in manibus *Roſarium*, voluere *Roſarium* & ſi vſus ac neceſſitas exigat, à collo ſuſpendere Roſarium. Tam animoſos dum animaduertit ſacros illos Fundibularios Cacodæmon, quia impedire non potuit à pietatis officio, vulgari malè ſentientium commate; vt bilem ſuam effundat, & oſtendat, quàm ſibi diſpliceat hoc armorum genus, *Fundam* ipſam frangit. Quis autem funda fracta, lapidem ex illa mittat? Id contigit COLVMBAE Rietenſi in Ordine S. Dominici Sanctimoniali, quæ obijt Anno M. D. X. Hæc circiter quinquennis, DEIPARA in ſingularem Patronam electâ, frequentius per diem Angelicâ ſalutatione in genua procidẽs venerabatur. Quod vt impediret Satan, nonnunquam frangebat eius *Roſarium*, globuloſque huc illuc diſſipabat (*b*) Hoc quidem viſibiliter haud ita frequenter

 con-

(a) Anton. Balinghem Kalend. B. M. V. Mart. 3. (b) Balingen. Kal. B. M. V. 20. Maij.

contingit; tcor tamen ſæpe interuenire prauiSpiritus operam,in rumpendisRo- ſariorum funiculis,aut ex ære anſulis, vt ſic occaſionem det adoleſcentibus,alio- qui pijs,excuſandi ſe. quòd non vtantur quotidie hoc, quod tantæ eſt vtilitatis, inſtrumento. Dum audio interdum dici fractum eſt Roſarium, fraudem ſuſpicor morionis infernalis. Cuius vt artem arte eludatis,quàm primum ruptus erit funi- culus alium,antequam ad templum vos conferatis, ſubſtituite, vel digitulorum ſphærulis,quas vt globulos Roſarij poſſe vſurpari ſuperius docuimus,contra illum dimicate.

MEMBRVM IX.

FVNDA TRIPLICI DVELLANDVM

Contra Goliathum infernalem.

ROSARIO, FLAGELLO, ORE.

PAVPERIS eſt,& malè inſtructi Mi- litis vnâ ſolùm fundâ armatum prodire in campum. Et olim qui- dem triplici *Fundâ* præliari ſolitos mili- tes paullo ante ex Diodoro diximus. Quare,ne deſit *Fundarum* copia in Mi- litia ſpirituali,conſiderate inſtrumentum illud,quo pænitentiæ titulo, ad aliquam de peccatis pænam benè meritam ſu- mendam vtuntur in Religione Catho- lica benè inſtituti, dum carneam illam molem flagellorum acerbitate paullu- lum affligunt, quod Eccleſiaſtico voca- bulo DISCIPLINA vocatur. An-non enim illa videtur, externa etiam ſpecie, *Funda* quædam militaris ex funiculis compoſita,in cuius extremitate, quot ſunt noduli ſtellati, tot hæreant lapilli, qui dum dorſum cruentant,frontem Go- liathi infernalis petunt, indeque magis, quàm ex carne flagellantis ſe, ſanguinem eliciunt,illumque magis, quàm carnem flagellati vulnerant? Sed totum hunc lo- cum reſeruo in tempus quadrageſimale, quod illi exercitationi ſpiritualium fun- dibulariorum eſt deſtinatum.

AT,quoniam,nec *Roſarium*, nec *Diſ- ciplina*,ſine aliquo ſumptu comparatur, quo fortaſſe nonnulli deſtituuntur, ne- que ſemper ad manus eſſe poſſunt; de- ſignabo ſingulis Fundam,Peram, Lapi- des quinque, quorum ſemper & vbique ſit copia, vt ſi vtendi adſit voluntas, qua nihil eſt facilius, habeat quilibet omni loco & tempore; maximè autem pericu- loſiſſimo extremi conflictus, imminen- te Morte,quo ſe tueri poſſit. Et quidem eo tempore non habet Militiæ Chriſtia- næ armamentarium inſtrumentum vllū bellicum,quod ſit opportunius. Et ſæpe, niſi ſe funda tueatur, hoſtem non poteſt repellere,infallibiliter ſuperandus. Quæ- nam illa Funda? quæ Pera? qui Lapides? Breuiter. *Funda* eſt lingua, *funda* etiam eſt Cor: *Pera* eſt Memoria: *Lapides* ſunt quinque elementa nominum Sanctiſſi-

morum, IESVS-MARIA. Quare ſi te Aſmodæus luxuriæ inuadat furibundè, antequam te ſubigat, fundam tuam expedi: efformatâ ad pectus Cruciculâ, ingemina clara voce. IESVS-MARIA, tentatorem fugabis. Antequam Superbia in te inſiliat, fundæ habenam laxa: profer iterum IESVS-MARIA, reſiliet illicò. Antequam Iracundiæ furor te opprimat contorto verbere fundæ eiaculare, IESVS-MARIA euades ſuperior. Antequã Inuidentia te proſternat, grauidam lapillis fundam exonera, dicendo, IESVS-MARIA. concidet illa furia. Antequam noctu fauces elidat tibi Satan, aut ex eius lictoribus aliquis, *fundam* arripe, proijce fortiter, IESVS-MARIA. Strangulatorem repelles. Denique, extremo vitæ tépore, in agone conſtituto duellandum tibi erit cum hoſtium vaferrimo atque fortiſſimo. Prodibit in campum ferox, prouocabit ſuperbè, non erit recuſandi modus. Gladio longiore Verbi diuini carebis, omnium penè ſenſuum officio deſtitutus: vna ſupererit lingua ad motum idonea: aut, ſi nec illa proferre quicquam poterit, COR ſubſiliet, quod primum in animali viuit, vltimum moritur. Vtrumque eſt *Funda*. Quid ceſſas? arripe QuinqueLapides, in Memoriæ Perâ repoſitos: Clama, ſi non lingua, ſaltem Corde contrito, nam & hoc ſuam vocẽ habet. Clama, IESVS-MARIA. ferietur Gigas in frõte, cadet Goliath, fugabitur Satan, & inferorum exercitus, Tuque expirando ſecutus cantare poteris Victor epinicium: *Benedictus Dominus* DEVS *meus*, *qui docuit manus meas ad prælium*, *& digitos meos ad bellum*.

NOTÆ.

§. I. ROSARIVM.] *Legendi Auctores qui ſcripſerunt de cultu B.V. aut ſpeciatim de Roſario.* Petrus Caniſius *in Mariali*, Franciſcus Coſterus *lib.1. Inſtit. Chriſtianarum cap.* 20. Petrus Antonius Spinellus *in Throno*, DEIPARA. Cornelius Sinckis *Sermonib. de Roſario.* Clemens Loſſanus *eod. tit.* Maudalenſis Coppenſtein *lib. de Roſario* Maximilianus Sandæus *in Opuſculo, inſcripto* MARIAE *Mancipium, in quo explicatur Sertum Marianum. 1. Stellatum. 2. Roſaceum. 3. Gemmatum. Quomodo Roſario pugnetur digitis vide Tomo 1. lib 3. Comment. 4. Membre* 13.

§. II. FVNDA.] *varie ſignificat. I. præcipuè, Inſtrumentum è funiculo factum, quo funduntur, id eſt, iactantur lapides. 2. Rete piſcatorium, reticulum dictum, quod in orbem ſpargitur. Virgil. 1. Geor.* Fundâ iam verberat amnem. 3. *Sacculũ ſeu marſupium in modum retis factum: quod etiam reticulum dicitur ex Horat. & Macrob. 4. Circulũ] ex auro aut alio metallo, cui gemmæ innectuntur, ita vt aurum non niſi margines amplectatur, ex Plinio.*

§. III. FVNDIBVLARIVS.] *Vocabulum, quod in SS.ia aliquoties occurrit, eius de in ſignificationis, cuius apud profanos*, Funditor, *qui funda dimicat.*

§. IV. QVINQVE Lapides.] *Quinarius numerus ſanctiſſimis Quinque Chriſti Vulneribus conſecratus, tum in veteri, tum in nouo Teſtamento variis deſeruit myſteriis Legendus,* Bongus *lib de Numeris*, Salmeron. *Tomo*

1. Sindæus *in Centurijs de Chriſto Crucifixo honorato: Centuria* 2. *decade* 8. *Exemplo* 77. & 78. *Centuria* 3. *decade* 5. *Exemplo* 49. *Centuria* 4. *Exemplo* 46. & 88. *Centuria* 5. *Exemplo* 71. & 72. *Item* 79. *Centuria* 6. *Exemp.* 77 *Centuria* 7. *in quâ exempla Societatis, Exemp.* 110. 152. 154. 156.

§. vi Balearis funda] *Lucan. lib.* 1.
---- torto Balearis verbere fundæ
Ocyor ----
Virg. lib. 1. *Georg.*
Stuppea torquentur Balearis verbera fundæ
Statius lib. 10.
Roboraque & grauidas fundæ Balearis habenas. *Ouid.* 2. *meta.*
Non ſecus exarſit, quã cùm Balearica plũ. ũ
Funda iacit. ----

COMMENTATIO IX.

CHRISTVS POST DVELLVM

Reſurgens. Regnans. Triumphans.

Mors & vita Duello conflixêre mirando.
Dux vitæ mortuus Regnat Viuus.

Reſurrexit ſicut dixit. Alleluia.

Ecce Equus Albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat Arcum. Apocalyp. VI. 2.

Post ferale Duellum, quod hactenus deſcripſimus, Christvs, tanquam Eqves, prodijt è ſepulchro, quia Victor, Rex, Triumphator, vt in ſuperioribus ſuo loco eſt demonſtratum (*a*) Quæ autem eius fuerint Arma hic declarabimus.

Membrvm I.

ARMA EQVITVM

Vetera. Recentia. Vulgaria. Peregrina.

Varia Equitibus arma, quibus pugnarent in hoſtem apud gentes varias fuiſſe reperio; apud plurimas, Arcũ & Sagittas. Vnde Hippotoxotæ, Equites Sagittarij, apud Herodotum, (*a*) Thucydidem, (*b*) Curtium, (*c*) Cæſarem, (*d*) Hirtium: (*e*) quos Arrianus vocat Hippo-

(a) *Tom.* 3. *lib.* 1 *Comm.* 1. *Memb.* 2. (b) *lib.* 9. (c) *lib.* 2. (d) *lib.* 7. (e) *lib.* 3. *belli ciuil.* (f) *de bello Africano*

pocontiſtas. Romani veteres nominabant Arquites auctore Feſto. Hoc tempore in Militiâ neque Arcus, neque Sagittarum eſt vſus; ſed Equites communiter præter haſtas, & lanceas (vnde lancearij) quas tamen non multi vſurpant, pro telis, gladium & fiſtulam è chalybe vnam, pluresue gerunt. Sunt alij, qui minores fiſtulas, quas *ſclopos*, vel *ſtlopos*, à fictitio ſono, qui complofis biicciseditur, appellant; & barbaro vocabulo, *piſtolas*, geſtare ſolent: quarum duas Equites loricati, ſeu *Cuiraſſarii* (vt nunc à Gallis petito nomine nuncupantur) ſecum portant: vnicam ſaltem lancearij quâ ſe tueantur cum fracta eſt lancea Ab his diuerſi *bombardas* rotatas circumferunt, ſeu *Arcabuzios*, quaſi foraminoſum dicas Arcum; quia fiſtulam, ſeu tubum per foratum pro arcu habent; quos etiam *Carabinos* appellant Pedemontani, apud quos inuenti feruntur. Hi medij ſunt, quibus vtuntur Equites *Bombardarij*, qui in Sagittariorum locum allecti dicuntur vulgo *Arcabuzarij*, & *Bandularij*, quia bombardam cinctu ſcorteo gerunt. Præter hos nonnulli vſurpant *Muſqueta*, quæ maiora ſunt fiſtula grauiore, ideoque admittunt glandem maiorem, & ignem concipiunt, non ſilicis rotæque percuſſu ſed attactu funis accenſi. Ea de pedibus explodunt quidam bifurcato ſuſtentata ſcipione propter grauitatem. Sunt tamen etiam muſqueta rotata minora nuper adinuenta (*muſquetones* appellant) fiſtula breuiore, ſed quæ pari magnitudine pilam æqualiter excutit.

Porro, vt fiſtulæ omnes in locum Arcuum ſubſtitutæ ſunt, ita puluis pyrius fiſtulæ pro neruo eſt, glans pro ſagitta. Quare Equitem qui bombardam habet qua iaculatur, rectè dixeris, habere *Arcum*, & *Sagittas* iacere. Quod præmittere placuit, vt intelligatur melius. quæ ſuo loco dicemus de Sagittis igniris Christi Triumphatoris Equo ſuo inſidentis. Huic *Arcus* datur, quo in Sacris frequentiſſime armati contra hoſtem vtuntur, quod apud Palæſtinos ceteroſque Orientales præcipua belli vis, & pugnandi ars in ſagittis & arcu poſita eſſet.

Membrvm II.

ARCVS VICTORIS CHRISTI

Iuſtitia Vindicatiua.

Sed multa ſunt, quæ *Arcu* & *Sagittis* ſi myſticis ſpeculationibus indulgere lubet, denotantur, & Christvm Reſurgentem vt Equitem hoſtibus terribilem, commilitonibus verò defenſorem inexpugnabilem exhibent. Imprimis autem, Arcvs deſignat Triumphatoris Ivstitiam Vindicativam, qua grauiſſimis pœnis, ſupplicijs, ac cruciatibus, quæ velut Sagittas in hoſtes ſuos iaculabitur, ſumet vindictam. Hoc ſignificato dicitur pſalmo lix. *Dediſti metuentibus te vt fugiant à facie Arcus*, hoc eſt, à conſpectu Iuſtitiæ vindicatricis,

qua

& magna ex parte eam fuiſſe percuſſam. Eſt tanquam ciuitas hoſtilis OCCASIO peccandi in quâ, velut muro cinctus latitat hoſtis, ac ſe tuetur. Si vis illum, ciuitatemque omnem euertere, circumda illam & *Fundæ* tuæ lapidibus impete, hoc eſt, dum peccandi inuitat occaſiô, tempus illud voluendo Roſarium tuum viriliter expende, nec dubites de glorioſa victoria.

MEMBRVM V.

VTILIS FREQVENS VSVS FVNDÆ: VTILIOR ROSARII. EXEMPLA.

PLACET mihi in exercitatione *Fundæ* ingenium ac induſtria Balearium. Baleares duæ ſunt inſulæ in mari Hiſpanico, apud quas vſus fundæ repertus exiſtimatur: certè, fuit adeò in ijs celebratus, vt matres filios ſuos altis auibus veſci non paterentur, niſi quas *fundâ* fuiſſent adepti. *Cibum*, inquit Florus, *puer à matre non capit, niſi quid, ipſa mõſtrante percuſſerit.* Hinc Plinius libro 3. *Baleares fundâ bellicoſas Græci Gymnaſias dixêre.* Et communiter idcircò *funda* cognominatur *Balearis*, aut *Hiſpanica*. Tam nobis deberet eſſe familiaris vſus *Fundæ Marianæ*, vt omne pabulum ſpirituale, omnem animæ cibum illâ ab alto raperemus: neque matres permittere deberent, vt filij apud ſe veſcerentur, niſi *Roſarij* partem aliquam peruoluiſſent, panem quotidianum & eſcam ea iaculatione meriti. Id enim eſſe Virgini virtutum roſis ſemper vernanti gratiſſimum, quis dubitet? Et habent aliqui Clientes Mariani eius rei vſum, qui nunquam mẽſæ accumbunt, niſi perſoluto prius DEIPARÆ penſo ſalutationum Angelicarũ Roſarij. Vultis exemplum imitatione dignum? Referam, ptout accepi, verbis Scriptoris pij.

QVIDAM Monachus Ordinis Ciſtercienſis in tantum Beatiſſimam Virginem (*a*) venerabatur, quod quotidie ante refectionem diceret flexis genibus *Quinquagies* AVE MARIA. Cùm autem viſitaret ſuos parentes, recordatus eſt, ſe eo die pietati conſuetæ in orando non ſatisfeciſſe. Repentè ergo ſurgens ingreſſus eſt conclaue, cumque Salutationes more ſolito adnumeraret, apparuit illi Virgo piiſſima mantello pulchro induta in quo per totum ſcriptæ erant aureis litteris Salutationes Angelicæ. Et cum Monachus terreretur, dixit ei Virgo. En omnes Salutationes quibus me honoraſti, ſunt in illo mantello ſcriptæ. Deinde, oſtendit illi partem aliquam vacuam, addens: hanc cùm impleueris, introducam te in regnum dilectiſſimi Filij mei. Quod poſteà factum.

EXEMPLVM aliud eſt longè admirabilius, & adoleſcentibus accommodatum, de Adoleſcente Germano, nobilis proſapiæ, qui licet corporis caſtitatem ſeruaret illibatam, tamen hereditatem omnem

(a) *Dionyſ. Carth. ſer. 1. de Aſſump. B. V. M.*

omnem ſuam aleæ, ac teſſerarum ludo prodegerat: quare miſerè vagabundus oberrabat. Is conſilio patrui ſui, hominis pij, integro anno quotidie DEIPARAM *Quinquaginta* Salutationibus Angelicis venerari cæpit: cumque paullatim in mundi vanitatibus remiſſius haberet, eiuſdem patrui ſuaſu, anno ſequenti, hoc DEIPARÆ obſequium duplicauit, in eoque firmum bona faciendi propoſitū concepit: demum, anno tertio, patrui monito, tertiam adiecit quinquagenam Salutationum. Euoluto anni circulo, patrui opera, cum honeſtâ virgine contrahit, celebratiſque ſponſalibus, apparatur conuiuium nuptiale: cui cùm adeſſent vtriuſque partis cognati, & ſponſus ac ſponſa ad menſam conſediſſent, ex inopinato ſurgit ſponſus, rogat patruum, tantiſper differri iubeat miſſus, quo ad ſolitas DEIPARÆ preces, recitando Roſarium perſolueret, quod eo die, alijs diſtentus negocijs, nondum fecerat. Itaque in cubiculum ſe recipit, magnaque animi pietate conſuetas preces offerre incipit; ac porrò pergit. Cùm autem ſupremam Salutationem tertiæ quinquagenæ iam compleret, ecce Glorioſa Virgo Sole ſplendidior ei apparet, oſtenditque iuueni in ſuâ tunica tres togas: anteriorem vnam, duas verò à latere: Ecce, inquiens, Salutationes tuæ aureis litteris ſcriptæ, quibus in *ternis quinquagenis* me honoraſti. Et quoniam, vanus licet, ac vagus, virginitatem coluiſti, tertia die ad me ſine corruptione peruenies. Ipſe autem rediens ad conuiuas hortabatur, vt hilariter epularentur. Peracto verò conuiuio, ſponſæ, patruo & amicis, quæ audierat à B. Virgine indicat. Mox febre correptus, die tertia moritur, relictâ ſponſa, quæ alterius, quam Agni immaculati nuptias recuſauit, virginitatem ſuam Chriſto cōſecrans. Scribit hæc Thomas Cantipratenſis, lib. 2. Apum cap. 29. p. 16. adijcitq́; ſuo ea tempore contigiſſe, & ſe certa relatione didiciſſe.

MEMBRVM VI.

GLOBI ROSARII IN HOSTES CORPOREOS.

ESSE orbiculos Roſarij, tanquam lapides, qui à recitante, ſeu orante, è Corona, velut funda, in hoſtium capita vibrentur, manifeſto interdum patuit miraculo contra hoſtes corporeos: vnde colligamus, maiores eſſe efficaciæ aduerſus animæ ſpirituales. Eques quidam, nomine, ALANVS à Valle Coloata, in Britannia, propè vrbem Duramium, S. Dominici conſilio, DEIPARÆ Roſarium quotidie flexis genibus recitabat (*a*) Is ſub Comite Simone Montefortio contra Albigenſes hæreticos in Toloſana regione militabat. Cùm autē aliquando pauces militibus comitatus ab ingenti hæreticorum multitudine circumdatus abſque ſpe euadendi vrgeretur, viſa eſt ab ea DEIPARA *Centum quin-*

(a) *Ferdin. de Caſtiglia 1. p. Chron. S. Domi. lib. 1. cap. 34. Spinell. cap. 39. Thro.*

quinquaginta lapides, quorum numerus Salutationibus Angelicis Roſarij maioris reſpondet, in hoſtes, velut FVNDA iacere, maxima cum eorum ſtrage: ſicque victor ipſe euaſit. Non dedignata eſt DEI Mater aſſumere perſonam *Fundibulariæ* in gratiam ſui Clientis, memor, illum in ſui honorem quotidie ad bellum doctis digitis Fundam Marianam rotare ſolitum. Idem *Alanus* aliquando Ieroſolymam nauigans qua vehebatur naui, tempeſtatis vi effractâ, cùm in magno diſcrimine verſaretur, confeſtim in ipſo mari centum quinquaginta monticuli comparuerunt, per quos incolumis in continentem euaſit. In patriam deinde reuerſus conſtructo ibi cænobio, factus eſt religioſus Ordinis S. Dominici, & per totam Galliam concionabundus deuotionem Roſarij, magno cum auditorum fructu prædicare nunquam deſtitit.

QVONIAM autem contra hoſtes tum corporis tum animæ, inſtar *Fundæ*, eſt roſarium, multorum tam Militum, quam Ducum eſt commendanda religio, qui religioni ſibi ducunt, ſi quotidie ad honorem Bellipotentis Dominæ, illud non peruoluant. Et contra hoſtem quoque, dum ſunt in procinctu, tanquam inſtrumento militari Mariani armamentarij vtuntur. Laudem hoc in genere peculiarem meruit Archidux ERNESTVS *Auſtrius*, Belgij noſtro tempore, pro Philippo II. Rege Catholico Moderator. Hic antequam Viennâ diſcederet in Belgium, ad eius regimen ſuſcipiendum contulit ſe ad B. Virginem Cellenſem, multis inclytam miraculis, vt ei profectionem ſuam commendaret. Ibi poſt exomologeſin, ſacramque menſam, coram Sacerdote Societatis IESV, qui erat ei à confeſſionibus ſanctè, ſpopondit, ſe in omni vita ſua fore humilem Clientulum B.mæ Virginis MARIÆ, neque vnquam omiſſurum quotidianam *Roſarij* ad id teſtandum, recitationem.

MEMBRVM VII.

ARS FVNDITORVM COMMENDATA

Litteraliter & Myſticè

FVNDIBVLARII FORTITVDINE INSIGNES.

OB cauſſas hactenus deſignatas, curæ eſt Cacodæmoni, vt huius vſum Fundæ ſibi feralis aboleat; & eadem penè ratione, qua Fundam olim in bellis vſitatiſſimam, tandem ſepoſitam, & nullius ferè æſtimationis factam reperio. Qui *Fundam* contemnunt, dicunt, artem iaculandi per arcum, balliſtam, fundam, non fortitudinis apud veteres argumentum fuiſſe, ſed infirmitatis: quia talem exercens artem pugnat eminus, & ad fugam eſt paratus: timidus ac ignauus, non fortis & animoſus. Cognominatus eſt ab Ouidio XIV. Metam. Paris timidus eo, quod Achillem occiderit iaculo, ſimilibuſque epithetis dedeco-

decorant alios bellatores Poëtæ & Hiſtorici. Sed his ego non moueor cauillationibus, cùm demonſtrare poſſim tam ex Sacrâ, quam ex profanâ hiſtoriâ, eoſdẽ qui fundâ peritè ſunt vſi: fuiſſe ſtrenuos, & ad omne genus armorum tractandum idoneos. Imprimis autem Dauidem, qui non minus gladio, quàm fundâ valuit. Cuius cum adoleſcentiam ſpernere videretur Saul, aut illi diffidere antequam ſingulare iniret certamen cum Goliath, referebat ipſe pugnas à ſe pugnatas cum vrſis & leonibus. *Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebatur eos, & percutiebam eruebamq́; de ore eorum: & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam interficiebamq́; eos. Nam & leonem & vrſum interfeci ego ſeruus tuus Erit igitur Philiſthæus hic incircumciſus, quaſi vnus ex eis.* 1. Reg. XVII Quod cum inter elogia Dauidis refert IESVS Sirach auctor Eccleſiaſtici cap. XLVII. addit quidpiam, vt obſeruant Hugo & Dionyſius Scripturæ Interpretes, quod & Dauidicam virtutem ac iuuenile robur, & ſingularem dexteritatem, ſtrenuitatemque indicat. *Cum Leonibus*, inquit, *luſit, quaſi cum agnis; occidit Gigantem: contriuit inimicos vndique: & extirpauit Philiſthijm contrarios. Et exaltauit in æternum Dominus cornu eius.* Nota verbum, *luſit*: Quippe, qui per modum ludentis facili conatu & delectabiliter leonem occiderit, ac ſi agnum interfeciſſet, & in vrſis ſimiliter fecerit ſicut in agnis ouium. Eſt hoc timidi & ignaui, cum ferociſſimis feris certare, apprehenſo mento, rictuque ipſarum, quaſi agnorum? Idem iam Rex, quoniam neruoſiſſimè rotarat *fundam*, agens DEO gratias, dicit, brachia ſua fuiſſe, vt arcum æreum, ac ſi non minus roboris ad *fundæ* artificioſum iactum, quam ad arcus ænei tractationem requiratur. Pſal. XVII. *Qui docet manus meas ad prælium: & poſuiſti, vt arcum æreum brachia mea.* Et libro ſecundo Regum XXII. cap. *Docens manus meas ad prælium: & poſuiſti, vt arcum æreum brachia mea.*

NEQVE habebant, vt timidos, ac ignauos Fundibularios Romani, qui illorum forti, ac fideli vtebantur opera. Quare, vt auctor eſt Vegetius, in quinta acie ponebantur (*a*) *Carrobaliſtæ*, manubaliſtarij, fuſtibulatores *funditores*. Fuſtibulatores erant; vel, vt alij legunt, *Fundibulatores*, qui fuſtibalis lapidei iaciebant. *Fuſtibalus* fuſtis eſt lõgus, pedibus quatuor, cui per medium ligatur *funda* de corio, & vtraque manu impulſus propè ad inſtar onagri, dirigit ſaxa. Quibus ſcuta deerant, ſiue lapidibus manu iactis, ſiue miſſilibus in hoc ordine dimicabant. Erant abſque ſpathis & pilis. Nec enim gladios geſtabant funditores, quia impediebant enſes, ne contorto in caput brachio ſaxa rectè dirigerent. Diodorus Lib. VI. cum tribus fundis præliari ſolitos milites prodit Eorundem in bello vtilium meminit Saluſtius, ac Liuius, Et Saluſtius quidem *Funditorum* ac Sagittariorum delectam manum vocat. Quantum damni inferant hoſtibus indicauit vno epitheto Oneſander in Stratagetico c. 9 vbi inter leuia arma, fundæ pugnam vocat χαλεπωτάτην, ad nocendum præcipuam

(a) *Veg. Lib. 3. de re mil. Stewecch. Modius Medeſt.*

pùam & moleſtiſſimam Quod certum eſt, præſertim, ſi plumbei globuli, ſeu glandes emittantur, qui ob conſimilem aëris colorem oculos fallunt, & improuisò in hoſtes incautos decidunt, eoſque graui lapſu vehementer affligunt.

MEMBRVM VIII.

ROSARII MARIANI VSVS

Catholicis probatus. Doctoribus laudatus. Hereticis inuiſus. Orthodoxis commendatus. Ab Eccleſia Chriſti receptus.

VERVM, nunquam ita nocent corporibus *Funda* vulgares, vt ſpiritibus immundis, & infernalibus copijs *lapides Roſarij*, ſi Deuotionis & meditationum piarum habenis vibrentur. Idcircò, vt odioſam faciat iaculationem, ſibi infeſtam Cacodæmon, conatur per aſſeclas ſuos perſuadere, pugnam illam eſſe puerilem: verſare Roſarium eſſe timidorum, imbellium, muliercularum, non virorum. Omitto veteres Marianæ pietatis hoſtes, *Mariomaſtiges* damnatos In recenti memoriâ ſunt, *Bucerus*, (a) *Pellicanus*, *Franciſcus Lambertus*, (b) & *Bulingerus*, qui tetræ ſuperſtitionis notam inurere conantur huic exercitationi bellicæ pijs tam vſitatæ. Addit *Brentius*, vt exponat nos ſuis ludibrio Salutationem Angelicam à MARIAE mancipijs tam frequenter repeti, vt præ ea nullus penè locus Dominicæ Orationi ſit relictus, quod luculentum eſt mendacium. Bucerum non pudet ſpargere, eos', qui è ſphærulis ac lapillis, tanquam roſulis, *Sertum Roſariumq;* conficiunt, nefandam committere blaſphemiam, neque aliud, quàm apertiſſimum Satanæ commentum, & Lucifericum dogmaſtabilire, Deoque, vt Lambertus calumniatur, ac electis odioſam, ideoque deuirandam pijs omnibus ſubmurmurationem.

HISCE hominum impiorum lædorijs, à *Roſarii*, tanquam *Funda* familiaris vſurpatione, non auocantur *Fundibularij Chriſtiani*, memores in Chriſtiana Militia fortiſſimos bellatores, & huius peritia, & aliorum inſtrumentorum tractandorum, imprimiſque Verbi diuini, qui eſt *Gladius* vtraque parte acutus, artificio fuiſſe excellentiſſimos. Inter quos celeberrimum nomen habet S. Ioannes Damaſcenus Virgini Matri perquam addictus, qui hunc in modum Auditores ſuos ad iterandam ſalutationem Angelicam exſtimulat. Serm. de Dormit. B. V. *Cum Gabriele Angelorum antesignano exclamemus: Aue gratia plena, Dominus tecum*. Et Serm. de Annun. B. V. in eundem ſenſum. *Verè piorum labia DEI Genetrici Angeli vocem ſine vlla intermiſſione modulantes, cum exultatione clament: Aue gratia plena, Dominus tecum.* Similia his ingeminat in carmine ſuo Eccleſiaſtico. Sergius verò Hieropolita ſuis circumſtantibus idem ſic inculcabat: Orat.

(a) *Cap. 1. Luca* (b) *Cap. 1. Luca*

Orat. in Nat. B. V. *Quotquot hic adſumus fideles, cum Gabriele acclamemus Virgini: Aue gratia plena, Dominus tecum.* Sergio vetuſtior Andreas Cretenſis, quē Sanctiſſimum Patriarcham appellat Michael Glycas, diſertè aſſerit id faciendum à Chriſtianis, & hortatur: *Omnis lingua choros ducat, & Deiparæ occinat, Ave. Hoc Gabriel ſumpſit exordium myſterij.* Et mox: *Nos quoque rurſum oportet hoc tanquam comparatum ad agendum gratias offerre Reginæ generis noſtri:* illi enim conuenit dicere χαῖρε. In eandem ſententiam ſuos alloquebantur Chryſippus & Heſichius Presbyteri Ieroſolymitani ambo, & auctores antiqui.

Horvm veſtigijs inſiſtunt, qui, vt oſtendant ſe puerorum terriculamentis non moueri, ac ſe profiteantur ſelectam eſſe manum fundibulariorum, frequentiſſimè hanc ſacram *Fundam* verſant, & publicè manibus geſtare, aut collo etiam appendere ſolent, torquis inſtar, vel balthei. Quod primos Societatis Iesv Patres, cùm iter per Germaniam iam hæreſi deprauatam haberent, feciſſe legimus. Et alicubi priuatis Sodalitatis Marianæ Conſtitutionibus præſcribitur, vt Sodales Parthenij Roſarium vbique circumferant. Quod magno ſuo commodo fecit *Thomas Saillius* Societatis Iesv Sacerdos Duci Parmenſi Alexandro à Sacris, qui cum multis annis caſtra ſequutus eſſet, multis ciuitatum expugnationibus cominus interfuiſſet, multos iuxta ſe cadentes vidiſſet, ſemper ipſe ſine vulnere ambulauit innoxius. Quod acceptum ſe referre aiebat *Roſario* prægrandi *Mariano*, quod ipſe, quoties ad arma proclamatum erat, balthei inſtar, per humerum, tranſuerſumque pectus obtendebat, eaque ſe ſolum munitum loricâ, omnia pericula ſine metu illæſum euaſiſſe gloriabatur. (a) Quoniam autem in caſtris Deiparam maximè eſſe ſibi hoc pacto præſidio ſentiebat, vt omnibus militibus idem patrocinium curaret, impetrauit à Duce Parmenſi edictum militare, vt ſub auroram omnibus caſtrorum tubis certatim aſſonantibus, B. Mater Maria Angelicæ ſalutationis precatione ternum ſono tubarum repetitâ, per omnia militum contubernia ſalutaretur. Eiuſdem etiam Imaginem Virginis piè ac ſcitè depictam pro labaro ac vexillo in itineribus præferri, ac in ſtationibus, vt præfigeretur, efficiebat.

Neqve nos verecundemur geſtare in manibus *Roſarium*, voluere *Roſarium* & ſi vſus ac neceſſitas exigat, à collo ſuſpendere Roſarium. Tam animoſos dum animaduertit ſacros illos Fundibularios Cacodæmon, quia impedire non potuit à pietatis officio, vulgari malè ſentientium commate; vt bilem ſuam effundat, & oſtendat, quàm ſibi diſpliceat hoc armorum genus, *Fundam* ipſam frangit. Quis autem funda fracta, lapidem ex illa mittat? Id contigit Colvmbae Rietenſi in Ordine S. Dominici Sanctimoniali, quæ obijt Anno M. D. X. Hæc circiter quinquennis, Deipara in ſingularem Patronam electâ, frequentius per diem Angelicâ ſalutatione in genua procidēs venerabatur. Quod vt impediret Satan, nonnunquam frangebat eius *Roſarium*, globuloſque huc illuc diſſipabat (b) Hoc quidem viſibiliter haud ita frequenter con-

(a) *Anton. Balinghem Kalend. B. M. V. Mart. 3.* (b) *Balingen. Kal. B. M. V. 20. Maij.*

contingit; reor tamen ſæpe interuenire prauiSpiritus operam, in rumpendis Roſariorum funiculis, aut ex ære anſulis, vt ſic occaſionem det adoleſcentibus, alioqui pijs, excuſandi ſe, quòd non vtantur quotidie hoc, quod tantæ eſt vtilitatis, inſtrumento. Dum audio interdum dici fractum eſt Roſarium, fraudem ſuſpicor morionis infernalis. Cuius vt artem arte eludatis, quàm primum ruptus erit funiculus, alium, antequam ad templum vos conferatis, ſubſtituite, vel digitulorum ſphærulis, quas vt globulos Roſarij poſſe vſurpari ſuperius docuimus, contra illum dimicate.

MEMBRVM IX.

FVNDA TRIPLICI DVELLANDVM

Contra Goliathum infernalem.

ROSARIO, FLAGELLO, ORE.

PAVPERIS eſt, & malè inſtructi Militis vnâ ſolùm fundâ armatum prodire in campum. Et olim quidem triplici *Fundâ* præliari ſolitos milites paullo ante ex Diodoro diximus. Quare, ne deſit *Fundarum* copia in Militia ſpirituali, conſiderate inſtrumentum illud, quo pænitentiæ titulo, ad aliquam de peccatis pænam benè meritam ſumendam vtuntur in Religione Catholica benè inſtituti, dum carneam illam molem flagellorum acerbitate paullulum affligunt, quod Eccleſiaſtico vocabulo DISCIPLINA vocatur. An-non enim illa videtur, externa etiam ſpecie, *Funda* quædam militaris ex funiculis compoſita, in cuius extremitate, quot ſunt noduli ſtellati, tot hæreant lapilli, qui dum dorſum cruentant, frontem Goliathi infernalis petunt, indeque magis, quàm ex carne flagellantis ſe, ſanguinem eliciunt, illumque magis, quàm carnem flagellati vulnerant? Sed totum hunc locum reſeruo in tempus quadrageſimale, quod illi exercitationi ſpiritualium fundibulariorum eſt deſtinatum.

AT, quoniam, nec *Roſarium*, nec *Diſciplina*, ſine aliquo ſumptu comparatur, quo fortaſſe nonnulli deſtituuntur, neque ſemper ad manus eſſe poſſunt; deſignabo ſingulis Fundam, Peram, Lapides quinque, quorum ſemper & vbique ſit copia, vt ſi vtendi adſit voluntas, quâ nihil eſt facilius, habeat quilibet omni loco & tempore; maximè autem periculoſiſſimo extremi conflictus, imminente Morte, quo ſe tueri poſſit. Et quidem eo tempore non habet Militiæ Chriſtianæ armamentarium inſtrumentum vllũ bellicum, quod ſit opportunius. Et ſæpe, niſi ſe funda tueatur, hoſtem non poteſt repellere, infallibiliter ſuperandus. Quænam illa Funda? quæ Pera? qui Lapides? Breuiter. *Funda* eſt lingua, *funda* etiam eſt Cor: *Pera* eſt Memoria: *Lapides* ſunt quinque elementa nominum Sanctiſſimorum

morum, IESVS MARIA. Quare ſi te Aſmodæus luxuriæ inuadat furibundè, antequam te ſubigat, fundam tuam expedi: efformatâ ad pectus Cruciculâ, ingemina clara voce. IESVS-MARIA, tentatorem fugabis. Antequam Superbia in te inſiliat, fundæ habenam laxa: profer iterum IESVS-MARIA, reſiliet illicò. Antequam Iracundiæ furor te opprimat contorto verbere fundæ eiaculare, IESVS-MARIA euades ſuperior. Antequã Inuidentia te proſternat, grauidam lapillis fundam exonera, dicendo, IESVS-MARIA, concidet illa furia. Antequam noctu fauces elidat tibi Satan, aut ex eius lictoribus aliquis, *fundam* arripe, proijce fortiter, IESVS-MARIA. Strangulatorem repelles. Denique, extremo vitæ tẽpore, in agone conſtituto duellandum tibi erit cum hoſtium vaferrimo atque fortiſſimo. Prodibit in campum ferox, prouocabit ſuperbè, non erit recuſandi modus. Gladio longiore Verbi diuini carebis, omnium penè ſenſuum officio deſtitutus: vna ſupererit lingua ad motum idonea: aut, ſi nec illa proferre quicquam poterit, COR ſubſilier, quod primum in animali viuit, vltimum moritur. Vtrumque eſt *Funda*. Quid ceſſas? arripe Quinque Lapides, in Memoriæ Perâ repoſitos: Clama, ſi non lingua, ſaltem Corde contrito, nam & hoc ſuam vocẽ habet. Clama, IESVS-MARIA. ferietur Gigas in frõte, cadet Goliath, fugabitur Satan, & inferorum exercitus, Tuque expirando ſecutus cantare poteris Victor epinicium: *Benedictus Dominus* DEVS *meus, qui docuit manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.*

NOTÆ.

§. I. ROSARIVM.] *Legendi Auctores qui ſcripſerunt de cultu B.V. aut ſpeciatim de Roſario.* Petrus Caniſius *in Mariali*, Franciſcus Coſterus *lib.1. Inſtit. Chriſtianarum cap. 20.* Petrus Antonius Spinellus *in Throno*, DEIPARA. Cornelius Sinckis *Sermonib. de Roſario*. Clemens Loſſanus *eod. tit.* Maudalenſis Coppenſtein *lib. de Roſario* Maximilianus Sandæus *in Opuſculo, inſcripto MARIAE Mancipium, in quo explicatur Sertum Marianum 1. Stellatum. 2. Roſaceum. 3. Gemmatum. Quomodo Roſario pugnetur digitis vide Tomo 1. lib 3. Comment. 4. Membro 13.*

§. II. FVNDA.] *variis ſignificat. I. præcipuè, Inſtrumentum e funiculo factum, quo funduntur, id eſt, iactantur lapides. 2. Rete piſcatorium, reticulum dictum, quod in orbem ſpargitur. Virgil. 1. Geor.* Fundâ iam verberat amnem. 3. *Sacculũ ſeu marſupium in modum retis factum: quod etiam reticulum dicitur ex Horat. & Macrob. 4. Circulũ ex auro aut alio metallo, cui gemmæ innectuntur, ita vt aurum non niſi margines amplectatur, ex Plinio.*

§. III. FVNDIBVLARIVS.] *Vocabulum, quod in SS. ia aliquoties occurrit, eius de in ſignificationis, cuius apud profanos*, Funditor, *qui funda dimicat.*

§. IV. QVINQVE Lapides.] *Quinarius numerus ſanctiſſimus Quinque Chriſti Vulneribus conſecratus, tum in veteri, tum in nouo Teſtamento varijs deſeruit myſterijs Legendus,* Bongus *lib de Numeris*, Salmeron. *Tomo*

 1. San-

pocontiſtas. Romani veteres nominabant Arquites auctore Feſto. Hoc tempore in Militiâ neque Arcus, neque Sagittarum eſt vſus; ſed Equites communiter præter haſtas,& lanceas (vnde lancearij) quas tamen non multi vſurpant, pro telis, gladium & fiſtulam è chalybe vnam,pluresue gerunt. Sunt alij,qui minores fiſtulas,quas *ſclopos*,vel *ſtlopos*,à fictitio ſono, qui comploſis buccis editur, appellant; & barbaro vocabulo, *piſtolas*, geſtare ſolent: quarum duas Equites loricati,ſeu *Cuiraſſarii* (vt nunc à Gallis petito nomine nuncupantur)ſecum portant:vnicam ſaltem lancearij quâ ſe tueantur cum fracta eſt lancea Ab his diuerſi *bombardas* rotatas circumferunt , ſeu *Arcabuzios* ,. quaſi foraminoſum dicas Arcum;quia fiſtulam, ſeu tubum per foratum pro arcu habent; quos etiam *Carabinos* appellant Pedemontani , apud quos inuenti feruntur. Hi medij ſunt, quibus vtuntur Equites *Bombardarij*,qui in Sagittariorum locum allecti dicuntur vulgo *Arcabuzarij*,& *Bandularij* , quia bombardam cinctu ſcorteo gerunt. Præter hos nonnulli vſurpant *Muſqueta*, quæ maiora ſunt fiſtula grauiore , ideoque admittunt glandem maiorem , & ignem concipiunt , non ſilicis rotæque percuſſu ſed attactu funis accenſi. Ea de pedibus exploduut quidam bifurcato ſuſtentata ſcipione propter grauitatem. Sunt tamen etiam muſqueta rotata minora nuper adinuenta (*muſquetones* appellant)fiſtula breuiore,ſed quæ pari magnitudine pilam æqualiter excutit.

PORRO, vt fiſtulæ omnes in locum Arcuum ſubſtitutæ ſunt, ita puluis pyrius fiſtulæ pro neruo eſt, glans pro ſagitta. Quare Equitem qui bombardam habet qua iaculatur,rectè dixeris, habere *Arcum*,& *Sagittas* iacere. Quod præmittere placuit, vt intelligatur melius. quæ ſuo loco dicemus de Sagittis ignitis CHRISTI Triumphatoris Equo ſuo inſidentis. Huic *Arcus* datur , quo in Sacris frequentiſſime armati contra hoſtem vtuntur , quod apud Palæſtinos ceteroſque Orientales præcipua belli vis,& pugnandi ars in ſagittis & arcu poſita eſſet.

MEMBRVM II.

ARCVS VICTORIS CHRISTI

Iuſtitia Vindicatiua.

SED multa ſunt,quæ *Arcu* & *Sagittis* ſi myſticis ſpeculationibus indulgere lubet,denotantur,& CHRISTVM Reſurgentem vt Equitem hoſtibus terribilem , commilitonibus verò defenſorem inexpugnabilem exhibent. Imprimis autem, ARCVS deſignat Triumphatoris IVSTITIAM VINDICATIVAM, qua grauiſſimis pœnis,ſupplicijs, ac cruciatibus,quæ velut Sagittas in hoſtes ſuos iaculabitur,ſumet vindictam. Hoc ſignificato dicitur pſalmo LIX. *Dediſti metuentibus te vt fugiant à facie Arcus*, hoc eſt , à conſpectu Iuſtitiæ vindicatricis,

qua

coruſcationem, vt diſſipet inimicos: emittet Sagittas, vt conturbet eos, pſalmo CXLIII. immò, vt cruciet illorum corpora ſuſcitata. Quemadmodum è contrario, iuſti corporum ſuorum dotibus glorioſis incipient frui. Eodem igne dici poſſunt quodammodo purgari, qui purgatione egebunt, quoniam moleſtum illius ſenſum percipient. Qua ratione poteſt intelligi, quod ſolenniter canimus: *Qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & Seculum per ignem*: & ſimiles quorundam Patrum ſententiæ. Ad hoc autem ſat erit, ſi mittatur ignis vbi primum reſurrexerint omnes, ea mole ac ſpacio, vt inuoluat omnes illos, donec Iudicium perficiatur; quo finito, vſque adeò augebitur, vt valeat amburere mũdum vniuerſum. Quamuis autem mortalibus non ſit cognitum, vt profitetur S. Auguſtinus libro xx. cap. 16 de Ciuitate, vnde generandus ſit ignis iſte: nam quod dicunt aliqui, euocandum ab inferno, incertum eſt; nihilominus, magis facit ad repræſentandam Iuſtitiam diuinam, Iramque, & ad incutiendum terrorem improbis, ſi è nubibus arcuum in morem curuatis, Sagittarum inſtar, ſpiſſiſſimè partitim diſſiliat. Hoc indicare videntur illæ Scripturarum ſententiæ, in quibus Ignis huius ſit mentio. Vt, cùm præcedere ante faciem Iudicis dicitur: cùm veluti prodire de throno, & de ore Ipſius perhibetur: cùm ſtellæ de cælo caſuræ referuntur: cùm fulgurum emiſſiones directe futuræ enunciantur Sap. v. quod ſignificat benè collimata, ſeu certa & non irrita iacula fulgurum, ſiue fulminum ex Arcu diuinæ vindictæ emittenda.

IAM ſi mentem reflectamus ad illa, quæ paullo antè dicta ſunt, de ignitis Equitum noſtrorum ſagittis, quæ ex fiſtulis chalybeis, puluere nitrato, ignem concipiente, cum fumo ac flamma vibrantur, haud malè concipiemus Iudicem Equo inſidentem tali inſtructum Arcu, & ex eo ingenti cum ſonitu ac flammarum globis glandes in inimicos ſuos certiſſimo iactu contorquentem, ac conficientem. Quod abſurdum videri nequaquam debet, cùm Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi agens de temporibus extremo Iudicio proximis artificioſiſſimè, ſed obſcurè admodum deſcribat Equites ex iſtiuſmodi arcubus eiaculantes, id eſt, bombardas, ac ſclopos ſuos exonerantes. Nam Apocalypſis IX. in exercitu Antichriſti, *Capita equorum*, inquit, *erant, tanquam capita leonum*: ſiue, quod formidabiles ſint futuri, & ſic Ioanni obijciebantur equites & equi inſtar Leonum: ſiue quod reuera Dæmonum opera, ac magorum incantamentis, formam ſerpentum, leonum, & quorumlibet animalium adſument, aut equis ſuis adſuët. Adiungit deinde. *Et de ore eorum procedit ignis, & fumus & ſulphur*: qua circumſcriptive indicantur Equitum bombardæ atque ignis puluerís ſulfurei. Dum enim milites iaculantur, ita admonent ori fiſtulam, vt eminus ore ignem, ac fumum emittere videantur, vt grauiſſimi auctores adnotarunt.

MEMBRVM IV.

ARCVS CHRISTI VICTORIS CRVX.

VERVM, cùm CHRISTVS rediuiuus albo inſide is Equo, prout illum nunc contemplamur, poſt DVELLVM, non tam vindictam meditetur nouo bello, quàm totius orbis ad ſe conuerſionem, quam vnicam intendit victoriam, alius in eius manibus Arcus conſiderandus eſt, aliæ Sagittæ. Formam autem huius Arcus non malè exprimit CRVX, qua Dominus gloria plenus, poſt Reſurrectionem ſuam, ceu inſtrumento bellico ad hoſtes feriendos ſibiq; ſubijciendos vti decreuerat. Quo ſpectat prophetia Habacuk capite tertio ſuorum vaticiniorum, vbi de Equite noſtro Triumphante ac denuo bellum mouente agens: *Splendor*, inquit, *eius, vt lux erit*: nam totus eſt ſplendidus, totus luce circumfuſus: *Cornua in manibus eius. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Ante faciem eius ibit Mors. Et egredietur Diabolus ante pedes eius. Qui aſcendis ſuper Equos tuos & Quadriga tua ſaluatio. Suſcitans ſuſcitabis* ARCVM *tuum, iuramenta tribubus quæ loquutus es.*

QVÆNAM ſunt *Cornua* in manibus Bellatoris noſtri? vniuerſim quidem, robur, potentia, vires, ac arma quælibet: nã horum ſymbola ſunt Cornua. Quare ex Hebræo licet transferre: *Cornua in manu eius ipſi* vt quædam habet verſio; hoc ſenſu, In manu habet Cornua, quæ ipſi ſunt robur, vt ea in hoſtes exſerens, illos ijs configat. At, cum peculiariter CRVX ſit Arcus ſaluatoris Mundi, Cornua eius ſunt duæ extremitates, quas apprehendit Chriſtus, quibus ſignificatur fortitudo CRVCIS, quâ & moriens, & reſuſcitatus ſuperauit Dæmones, ijsque confœderatos hoſtes; ita vt ante Currum ſuum triumphalem victos in triumphum ducat Mortem & Diabolum. Eadem figurâ, Deuteronomij XXXIII. dicitur: *Quaſi primogeniti Tauri pulchritudo eius. Cornua rhinoceratis* Cornua *illius: in ipſis ventilabit gentes.* Et pſalmo XLIII. *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu.* Hinc, vulgo etiam, *Cornua tollere*, eſt animo efferri, & robur oſtentare. Pſalmo LXX. *Dixi iniquis: nolite iniquè agere, & delinquentibus:* nolite exaltare Cornu: nolite extollere in altum Cornu veſtrum: *nolite loqui aduerſus* DEVM *iniquitatem* Simile eſt illud Poëtæ:

Namque in malos acerrimus, parata tollo
Cornua.

Hoc ſchemate CHRISTVS proficiſcens in hoſtes, inſtar Tauri fortis ac ferocis aſſumit exſeritque robur ſuum, vires ſuas, & arma ſibi accommodata, quaſi procera, ac terrifica Cornua, quibus inſtructus Mortem ac Diabolum ſubiget, ſibique faciet tributarios, alios autem hoſtes omnes ſuo ſubijciet imperio. Haud diſſimili metaphorâ cecinit Zacharias pater Baptiſtæ: *Erexit* Cornu *ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui*: id eſt, dedit nob Chriſtũ *Cornu ſalutis*, Lc. 1. 69

ITA-

ITA QVE, Cornua, quæ Meſſias apprehendit, ſunt CRVCIS ſalutiferæ, & contra hoſtes bellatricis ac inuictæ extremitates, dextra, ſiniſtraque. Sic enim Cornua illa ad CRVCEM CHRISTI referunt ex antiquioribus D. Hieronymus, Theophylactus, Rupertus, Haymo, ex recentioribus, Franciſcus Ribera, Emmanuel Sà Cornelius. Quibus addantur SS. Auguſtinus *a*) Cyprianus, (*b*) & Euſebius (*c*)

Quorum agmen claudat B. Petrus Damiani, qui reliquis clarius, Sermone de inuentione S. CRVCIS, diſſerens de Sacrificio Abrahami, in quo victima deſtinatus erat Iſaac, cuius loco ſubſtitutus aries hærebat cornibus inter vepres, CRVX, ait, *Cornua habet: duo ſiquidem inuicem ligna componuntur, & ſic Crucis ſpeciem reddunt. Hinc eſt enim, quod de* CHRISTO *ſcriptum eſt*: Cornua ſunt in manibus eius. *Hærens ergo cornibus Aries* CHRISTVS *eſt* CRVCIFIXVS *inter aculeatas & vulnificas Iudæorum iniquitates. Sicut ipſe per Ieremiam conqueritur, dicens: Spinis peccatorum ſuorum circumdederunt me populus hic*. Cornua igitur CRVCIS fuerunt Cornua ARCVS CHRISTI, quibus confregit ſuos noſtroſque inimicos.

Hic oggeret fortaſſe quiſpiam ingenio ſubtilior: Nonne Chriſti manus fuerunt in CRVCE, eiuſque Cornibus? quomodo igitur Crux & eius Cornua fuère in manibus Chriſti? Vtrumque optimè dicitur. Et poſterius quidem nihil abſurditatis habet: tum quia claui Crucis fuerunt reapſe in manibus Chriſti: tum quia Crucis diſtentio, & cruciatus fuit in eiuſdem manibus: tum quia Cornua, id eſt, robor Chriſti fuit in manibus Crucifixi. Siquidem his ſoluit lytrum pro peccatis omnium, & hominibus meruit gratiam ac ſalutem. Adde, vſitatam eſſe Hebræis hypallagen, quâ figurâ dicuntur, Cornua Crucis fuiſſe in manibus, quia manus fuerunt in Crucis Cornibus. Sic calceamenta dicuntur eſſe in pedibus: nempe, pedes in calceamentis: *Calceamenta habebitis in pedibus*, mandatur Hebræis Exodi XII. Et poſuiſſe DEVM in Sole tabernaculum ſuum; id eſt, in tabernaculo, ſeu cælo poſuiſſe ſolem ſuum ſcribitur Pſalmo XVIII. Sic apud Poëtam cantatur:

——— *perflauit fiſtula buccas.*

pro perflarunt buccæ fiſtulam. Vnde Arabicus Interpres Prophetæ conuertit: *In ciuitate manuum ſuarum poſuit fortitudinem ſuam in templo.*

ITA QVE, concipiatur Imperator noſter CHRISTVS RESVRGENS, Cruce, velut Arcu inſtructus, cuius Cornua apprehendat, vt neruo laxato ſagittas ſuas eiaculetur. An fortaſſe hoc indicare voluit pſalmo XVIII. vbi in perſona illius, cuius typum gerebat, Dauid ita enunciat. (*a*) *Qui docet manus meas ad prælium: poſuiſti vt* Arcum æreum *brachia mea*. Quaſi cum Patre ſuo DEI filius, de Cruce loquens, glorietur ſe artem ſagittariam edoctum egregiè, cùm brachia vt Arcum æneum poſita habeat. *Docta ſanè manus ad bellum*, inquit Bernardus *non armata, ſed Cruci affixa*. Quod nam verò ſit præhandi genus exponens & cum ſagittandi peritia brachiorum virtutem dexteritatemque coniungens: *Et poſuit*, inquit. *vt Arcum æreum brachia mea*. Hic mihi in men-

(c) *Pſal.* XVIII. 35. 2. *Reg.* 22. 35.

mentem venit Arcus æreus, cuius meminit Athenæus ex Alcæo, (a) qui deinde roboris inuicti, ac virtutis inſuperabilis fuit ſymbolum.

EST igitur *Arcus æreus*, quia validiſſimus, ad Bellatoris noſtri Victoris, CRVCEM vt Arcum vſurpantis, fortitudinem, & ſagittandi ſtrenuitatem ſignificandam perquam commodus. Vt idem ſit propemodum: *Poſuiſti, vt Arcum æreum brachia mea:* atque, *Cornua in manibus eius: ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Ita que ſuſpicari licet, CRVCEM Domini eſſe Arcum illum, de quo Ioannes Apoſtolus: *Ecce Equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat Arcum: & data eſt ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.* Ita locuples è recentioribus auctor, qui ſic ferè commentatur: „Exiuit Chriſtus in mundum vincens vt vinceret Diabolum, Peccatum, & Mortem, ac de illis triumphum ageret. At quem, quæſo, habuit Arcum, quo vicit? Sanè Crucem habuit, Crucem tulit, cuius arcutiſſimis ſagittis truculentos ſuos hoſtes deuicit.

(a) *Lib. 4. cap. 10.*

MEMBRVM V.

ARCVS CHRISTI TRIVMPHATORIS

SCRIPTVRA SACRA.

PRÆTER virtutis inuictæ Arcum, CRVCEM, eſt alius, de quo propriè loquutum S. Ioannem opinantur auctores præclari: nempe, SCRIPTVRA-SACRA, ſiue VERBVM-DEI. Ita D. Gregorius animo concipiebat Arcum Apocalypticum cùm libro XIX. Moralium ſcriberet: In chordâ Teſtamentum Nouum, in ſemicirculo Teſtamentum Vetus accipiendum eſſe. (a) *Quia quemadmodum in Arcu, dum chorda trahitur, ſemicirculus curuatur: ita in Scriptura diuina dum Nouum Teſtamentum legitur duritia Teſtamenti Veteris emollitur. Ad eius namque ſpiritualia, & blanda præcepta litteræ rigor ſe inclinat.* Similis eſt contemplatio S. Auguſtini exponentis illud Pſalmi VII. *Arcum ſuum tetendit & parauit illum. Arcum iſtum,* ait, *Scripturas Sanctas libenter acceperim vbi fortitudine Noui Teſtamenti, quam neruo quodam, duritia Veteris flexa & domita eſt.*

DE hoc Arcu tot procedunt Sagittæ, quot ſententiæ ac verba; quibus alios Chriſtus trucidat, Peccatum, Mortem, Cacodæmonem, Infernum; alios vulnerat ad vitam. Ita enim ſe traiectam fatebatur Dilecta Canticorum ſecundò: *Vulnerata caritate ego ſum*: vt LXXII Interpretes habent, quos ſequitur S. Auguſtinus, vbi vulgatus noſter legit: *amore langueo.* Aduertit autem idem Doctor, id quod ſequitur in pſalmo VII. *Sagittas ſuas ardentibus effecit,* iuxta nonnulla exemplaria legi, *Sagittas ſuas ardentes effecit*

(a) *Lib. XIX. cap. 28.*

tis nimirum,& formaliter, quia ſint ignea,& efficienter, quia ardere faciunt: quod præſtare haud poſſent niſi arderēt ipſæ. Quo ſignificetur, qui Chriſto Domino vult cooperari in conuerſione hominum, Catechiſtas, Concionatores, Confeſſarios, alioſque pietatis magiſtros,verba debere emittere, vt ardentes quaſdam ſagittas quæ auditorum corda pungant,penetrent(*a*)inflamment;pungant, vt compunctionem ingenerent, penetrent,vt ad ima perueniant, inflamment,vt amore diuino ardere faciant.

Sit quilibet illorum vt Elias Prophequi, quod in eo commendat Eccleſiaſticus,(*a*)erat *quaſi ignis*, flammeus,penetrabilis,amoriter, *& verbum ipſius quaſi facula ardebat.* Sic feruentiſſimo Concionatori dicitur Ieremiæ v. *Ecce dedi verba tua in ignem, & populum iſtum in ligna* Inflamma tibi approximata ligna, dolore,&amore;conuerte in cineres pænitentia & humilitate. Huic affine eſt, ſi dicatur,Arcum CHRISTI Bellatoris eſſe Euangelicam prædicationem, gratiam, ac vocationem,qua Chriſtus hoſtes ſuos proſternit, ac homines ſagittis ſalutaribus vulneratos ad DEVM & ſalutem adducit.

(a) *Eccl.* XLVIII.I.

MEMBRVM VI.

ARCVS CHRISTI REDIVIVI

Apoſtoli. Viri Apoſtolici. Pracones Euangelij.

VERVM Euangelij prædicatio, ipſumque Euangelium,& vniuerſè Scriptura-Sacra nō tantùm habet rationem Arcus, ſed etiam Sagittarum quas DEVS & CHRISTVS, vt fortis Sagittarius,per Apoſtolos, Apoſtolicoſque Viros, Eccleſiæ Doctores, ac Verbi Diuini præcones,tanquam per Arcus ſolet emittere. Quare non malè cōcipitur Dominus Noſter vt Eques,cuius Arcus ſint illi iam nominati, qui ſagittas igneas iaculentur Ad quam conceptionem roborandam eſt illuſtris locus in Zachariæ Prophetæ vaticinijs capite IX. vbi agens Vates ille de bellis myſticis ac victorijs Chriſti Saluatoris per Apoſtolos,inducit Meſſiam dicentem. *Extendi mihi Iudam, quaſi* Arcum · *impleui Ephraim. Et ſuſcitabo filios tuos Sion ſuper filios tuos Græcia & ponam te quaſi gladium fortium.* Omitto, quod habent. Remigius & Nicolaus Lyranus per *Arcum Iuda* deſignari Chriſtum ex Iuda oriundum: quaſi dicat DEVS exercituum: Ego Chriſtum meum in Cruce extendam inſtar Arcus, eoque configam, &ſubijciam omnes gentes. In quem ſenſum trahi poteſt verſio LXXta Interpretum: *Tetendi Te Iuda mihi in Arcum.* Magis probatur,ſi litteralem ſenſum ſpectes,expoſitio S. Cyrilli, Theodoreti & aliorum,vt ſit Chriſti Bellatoris vox dicentis: Aſſumam mihi ex Iudæis Apoſtolos,qui erunt quaſi Arcus mei, quos va-

lidè extendam: in Hebræo eſt, Calcaui Iudam *calcando extendam:* ſolent enim arcus maiores, pedibus calcando cornu, & peripheriam, ac manibus attrahendo neruum, extendi: vt ex his Arcubus ita extenſis iaciantur Sagittæ efficaces Verbi DEI, quibus corda omnium gentium feriam, inimicos ſubigam, aduerſarios ad me conuertam. Quod autem additur, *Impleui Ephraim*, eodem ſpectat: nam Ephraimitæ excellebant in arte iaculandi: *Filij Ephraim intendentes & mittentes arcum*, canebat Dauid: (a) Apoſtoli autem plerique erant ex Ephraim; nempe, ex decem tribubus, putà, è Zabulon & Nephthalim oriundi. Hinc illud Iſaiæ (b) *Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephthali.* Itaque nomine *Ephraim* deſignantur Apoſtoli.

QVAMVIS verò nonnulli exponant illud, *impleui Ephraim*, contuli peritiam ac dexteritatem tendendi arcum & iaculandi: aut, impleui manus eorum arcu pharetra & ſagittis; tamen magis ſincerum videtur, litteræque congruentius, ſi ſiſtendo in ſymbolo Arcus, impleui, idem ſit quod fortiter extendi, aptauique ad iactum. Siquidem phraſi Hebræa, arcus impleri dicitur, cum plenè ac validè tenditur; ſiue, cùm plenis viribus neruus attrahitur, vt validum plenumque det per ſagittam ictum. *Sumpta eſt hæc phraſis* inquit S. Cyrillus, *ab eo, quod fit in arcu. Cum enim neruum & ferrum arcus adducimus propè pupillas, tunc dicuntur iaculatores implere arcum, & fit vehemens iaculatio.* Propriiſſimè Arcum impleri exiſtimat Sanchez, quando extremis arcus capitibus, ſiue cornibus adducto vehementer neruo, coëuntibus, impletur circulus, qui prius videbatur in arcu ſemicirculi formam obtinens. Sic Threiſſa iaculatrix arcum implebat, tam diu neruum ducens,

——— *donec curuata coirent*
Inter ſe capita (c) ———

Et ſanè Luna plena vocatur, quando coëuntibus cornibus in circulum reflectitur. Huic autē arcus ſumma vi extenſus cùm ſit ſimilis, exiſtimat in Adagialibus ſacræ ſcripturæ Delrius (d) phraſin hanc: *implere arcum*, eſſe ſumptam à Luna.

CVM igitur Apoſtoli partim fuerint ex Iuda, partim ex Ephraim, ſiue regno decem tribuum, dum inquit Meſſias, ſe extenſurum Iudam, quaſi arcum, & impleturum Arcum ſuum Ephraim, ſignificat, quod iis ſit vſurus, tanquam Arcubus validiſſimè extenſis ac libratis, qui prædicando aliaſque muneris Apoſtoli partes obeundo, vehementiſſimè ſagittas doctrinæ, & amoris diuini, nec non religionis veræ iacient, quibus vulnerabunt corda audientium, & Chriſto Triūphatori ſubiicient. Ita ferè B. Cyrillus, qui, *Iudam* inquit, *& Ephraim vocat totum genus Iſraël ex quo primi Apoſtoli armati verbo* DEI, *& facti velut Arcus, ceteras gentes aduerſantes percuſſerunt diuinis dogmatibus; percuſſerunt*, inquam *& vulnerauerunt, non ad mortem, ſed ad caritatem* Vnde Sponſa Canticorum 1. ſe dicit *vulneratam caritate.*

(a) *Pſ.* LXXVII. 9. (b) *Iſa.* IX. 1. (c) *Æneid.* XI. (d) *Adag.* 1017.

MEM-

MEMBRVM VII.

ARCVS CHRISTI TRIVMPHATORIS

Princeps Chriſtianus Catholicus.

ISTIVSMODI Principis, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue Politici ſymbolum eſſe Arcum, quo vtatur Dominus Exercituū, Equo potentiæ ſuæ, vel Eccleſiæ, tanquam Equæ ornatiſſimæ inſidens, inſinuat idem Propheta Zacharias, immò ſat clarè exprimit, dicens cap x. *Ex ipſo* Angulus, *ex ipſo* Paxillus, *ex ipſo* Arcus *pralij*. Loquitur de Iuda, & triplici metaphora Principem bonum denotat, qualis futurus ſit, certè, eſſe deberet frequens in Eccleſia. Ex Iuda prodibit *Angulus:* nempe, Princeps qui Rempublicam vtramque contineat, ſtringat, roboret, legibus, exemplis, armis, quemadmodum *Angulus*, & Lapis angularis vtrumque parietem, vt obſeruat S. Hieronymus. Talis fuit in Iudaica Republica Iudas Machabæus, talis Eccleſiæ fundator & conſeruator Chriſtus, tales Apoſtoli, & poſt illos, Pontifices, Patriarchæ, Epiſcopi: deinde, Imperatores, Reges, Principes Chriſtiani, Orthodoxi; & tandem ſuperiores ac patres in qualibet communitate & familia. Chriſtus peculiariter eſt Angulus, lapiſque angularis Domus DEI, ſiue Eccleſiæ, qui parietem vtrumque, Iudæos ac Gentes vnit eadem fide, religione, ritibus; & continet earundem legum præſcriptione; & ſuſtinet, velut fundamentum, cui tota Eccleſiæ fabrica incumbit ac innitur, vt docet Apoſtolus epiſtola ad Epheſios[a] Facit idem ſuo modo, ſecundariò, & vt CHRISTVM repræſentans, quilibet Princeps bonus, ſed Eccleſiaſticus potiſſimùm. Iidem ſunt quod *Paxillus* in pariete: nimirum, ex quo arma, vaſa, & inſtrumenta quælibet ſuſpenſa pendet. In Eccleſia à Chriſto, Pontifice, Epiſcopo, in Republica ab Imperatore, Rege, Principe Catholico & bono populus omnis pendet, regitur, ſuſtentatur. Sic Eliakim vocatur *Paxillus* Iſaiæ XXII. vbi hoc illi promittit Dominus: *Paxillum figam eum in loco fideli: & ſuſpendent ſuper eum omnem gloriam domus patris eius: vaſorum diuerſa genera, vas paruulum à vaſis craterarum, vſque ad omne vas muſicorum.* Senſus eſt. Dilectum mihi Eliakim figam in loco fideli, ſiue pariete forti ac firmo, ex quo excidere aut euelli nequeat, vt paxillum, ſiue vt clauum ferreum ligneumue, ex quo crateres & vaſa quælibet, inſtrumentaque muſica ac culinaria & ſupellex omnis ſuſpenditur. Nimirum, efficiam, vt ex Eliakim Pontifice, qui nunquam Pontificatu excidet, pendeant ſummi, medij, infimi, cantores quoque & muſici templi, totaque Eccleſia & Reſpublica. Typus Chriſti erat Eliakim, à quo ſuſtentante, in Eccleſiâ pendent omnia vaſa muſicorum, id eſt, iuſti omnes qui laudibus aſſiduis DEO ipſi ſunt ſolatio; & crateres,

(a) *Ad Epheſ. cap. 2.*

teres, nempe, ij qui temporalibus miniſterijs & curis impenduntur, hoc eſt, omnes, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue politici.

NON minus commodè Princeps quilibet bonus dicitur *Arcus prælij*: nempe idoneus ad prælium, benè tenſus, curuatus, ſagittifer, qui fortiter populum ſuum propugnat, hoſtes arcet ac proſternit, ſagittis amoris ſubditos vulnerat, iaculis ardentibus inimicos auertit. Quod factum ab Apoſtolis, viriſque Apoſtolicis; & fieri debet à Principe quolibet Catholico, tam Eccleſiaſtico, quàm Politico Scio D. Hieronymum tria illa ſymbola ita diſtinguere, vt in Angelo denotetur, poteſtas Regia, in Paxillo Pontificia, in Arcu prælij fortitudo bellica, quæ conſiſtit in Ducibus ac Militibus. Et quidem tria hæc, Regnum, Sacerdotium, Militia ſunt robur firmamentum, decus, vtriuſque Reipublicæ, ſacræ & profanæ, cuius ſupremus Princeps eſt CHRISTVS. In cuius manu ſi hactenus fuiſti *Arcus prælij*, caue etiam atque etiam, ne fias *Arcus doli*.

MEMBRVM VIII.

ARCVS DOLOSVS

Hæreticus. Doctor prauus. Princeps malus.

ARCVS doli, ſiue ad dolum fabricatus, ſiue ad dolum malum flexilis, eſt ille, qui in Scriptura diuina vocatur doloſus: idem autem eſt prauus, diſtortus, obliquus, qui inter iaculandum aliò vertitur, quàm quò à milite vel Sagittario intendebatur. Quod aliquando fit aſtutia vafri iaculatoris, interdum ex iunctura partium, earumque compoſitione, nonnunquam caſu, denique defectu ſiue occulto, ſiue manifeſto arcus. Quæcumque tandem ſit cauſſa, aberrat ſagitta, & alium ferit quàm hoſtem, aliquando verò ipſum iaculantem. Tales arcus arte conficiuntur, ita vt ſemicirculus cum ſagitta in aduerſam partem leui motu ferri inflectatur & iaculantem improuidum, inſciumque configat. Iſtiuſmodi artificio fertur Fenella inſidiatrix occidiſſe Kemethum Scotorum Regem, porrigens ei pomum aureum, ita fabrefactum, vt quicumque illud tetigiſſet, ſtatim multis telis, è pomo velut arcu, proſilientibus, transfigeretur, vt Cardanus narrat. [a] Itaque cauendum dicebam, ne quis hactenus in manu CHRISTI, Militiæ noſtræ Ducis, habilis ad feriendum hoſtem Arcus, ſiue Doctor populi, ſiue Princeps Reipublicæ, ſiue Antiſtes Eccleſiæ fiat *Arcus doloſus*. Nam de quibuſdam conqueritur lamentabiliter, aut minaciter Propheta; *Facti ſunt quaſi Arcus doloſus.* Oſeæ VII. nimirum Principes illi, contra quos agebat, qui cum dirigerentur à Domino exercituum ad excidium Baal, & idolorum, reflectebantur in ipſum Dominum, eiuſque cultum exſcindere conabantur & ſtatuebát

atas

(a) Card. lib. XII. de Variet. rer. cap. 56.

atas vitulorum,quas arcu doloſo propugnabant. Talis fuit Iſraël ſæpe DEO rebellis.

ARCVS *doloſus*, inquit S. Hieronymus,*eſt,qui percutit dirigentem, & vulnerat Dominum.* Haud ſequus præuaricator Iſraël cùm contra gentes & idola ſe armare deberet, aduerſus ſe ſuumque DEVM armatus eſt:Seipſum enim lædit, qui DEVM ſuum offendit. S. Cyrilli eſt iſta expoſitio:*Arcus doloſus*, ſiue, vt alij legunt *conuerſus* ſunt, qui in ſe armantur ac iaculantur, cùm in hoſtes armari debuiſſent:quales ſunt omnes impij, qui in DEVM peccatis inſurgunt, & eius cultum peſſundant,nam ſibi obſunt. Exaggerat magis Ruffinus ingratitudinem Iſraëlis hac conſideratione: DEVS pugnans cum tyrannide Diaboli,Iſraëlem, tanquam proprium Arcum, tetenderat aduerſus idololatriam, quæ vniuerſum orbem occuparat,exceptis Iſraelitis. At illi conuerſi ſunt in contrarium; ſcilicet, in contumeliam & contemptum.Sic *filij Ephrem intendentes & mittentes Arcum conuerſi ſunt in die belli.* Ad inſtitutum noſtrum egregiè S. Gregorius, Arcum doloſum applicans prauis Doctoribus, qui ſuperbia intumeſcunt. *Conuertitur in Arcum* doloſum prauum *arrogans Doctor, quia dum contra elationem verba facit, in ſe ipſo ſagittas figit Sicut* Arcus *peruerſus ipſum à quo intenditur percutit.*

HÆRETICIS autem optimè conuenire quod profert Propheta, obſeruauit S. Hieronymus. Nam ſiue ſecundum verſionem LXXta Interpretum legas, *Facti,quaſi Arcus intentus*, parati ſunt illi ſemper ad contentiones, rixas, pugnas in perniciem audientium: ſiue iuxta vulgatem,*quaſi Arcus doloſus:* ſunt Iudæis ſimillimi:vt enim hi ipſa Scriptura ſancta inſtructi contra Dominum legis ac Prophetarum vtebantur, ſicque ſe ipſos lædebant; ita iſti verba Euangelij inuertunt,iiſque Chriſtum oppugnant,fidem impetunt,veritatem transfigunt, conanturque delere,ſed ſibi magis, quàm immobili petræ officiunt, cum inde ſagittæ in iacientes reſiliant.

NEC malè *Arcus doloſus* dicitur, qui aliò mittit ſagittas ſuæ fiduciæ, quàm quò deberet:nempe, ad idola, relicto DEO vero. Sic qui confidentiam ſuam ponit in Principibus, amicis, clientelis; qui cogitationes ſuas dirigit ad opes,honores,voluptates, qui auxilium poſtulat à Cacodæmone eſt *Arcus doloſus* in viſcera ſua lethiferum telum dirigens,Dicitur etiam *Arcus doloſus* iſte, qui videtur tenſus,& paratus ad iaculandum, cùm ſit remiſſus, & ineptus. Vnde Theodoretus legit: Facti ſunt,vt *Arcus non extenſus*, aut *non contentus*,ſed laxatus, qui nullam hoſtibus perniciem infert. Talis *Arcus* eſt Curator animarum,deſes,languidus,puſillanimis,non valens perrumpere iniquitatem,ad deterrendos peccatores inhabilis,officij ſui deſertor,aut ſocors exequutor.

SVNT *Arcus doloſus* Hypocritæ, qui cum videantur ieiunia,orationes ac eleemoſynas mittere in cælum, vt oporteret, faciunt contrarium, & in terram deſtinant,aut infra terram, vel, ſi paullò altius,in aërem, nempe, ad auram popularem. Arcus quoque *doloſus* ſunt,qui per deteſtandam ingratitudinem, abutuntur beneficijs,opibus,dignitatibus,fauore,

re, gratiâ aduerſus illos, quorum munificentia ſunt ditati, exaltati, ad fortunas ſuas perducti, & in ſtatu felicitatis conſtituti. Tales multi occurrunt in hiſtoria ſacra ac profana: & ſunt omnes illi, qui diuinis ingrati donis in donatorem ea non refundunt, neque illius honorem cultumque promouent, ſed abolere potius, aut dedecorare contendunt. Maledicus ille eſt *Arcus doloſus*, qui linguâ ferit DEVM, quam accepit à DEO ad laudandum DEVM. Eiuſdem infamiæ eſt blaſphemus, periurus, ceremoniarum ſacrarum irriſor. *Arcus doloſus* eſt homicida, qui telum in DEVM mittit, dum hominem DEI imaginem tranſverberat. *Arcus doloſus* eſt, qui ingenio, eloquentia, ſtylo, memoria ad improbitatem, impietatemque ſtabiliendam abutitur, ſicque DEVM oppugnat inſtrumētis, à DEO ad ipſius honorem tuendum acceptis. Sic ferè S. Hieronymus exponit illud Pſalmi LXXVII. *Auerterunt ſe, & non ſeruauerunt pactum, quemadmodum patres eorum conuerſi ſunt in Arcum prauum.* Nimirum, intendit homines dotibus naturæ à ſe communicatis præclaros DEVS, velut Arcum ad mortalium animos amoris ſui, ac verbi cæleſtis ſagittis vulnerandos vel è cathedrâ, vel in familiari colloquio: verùm ipſi conuerſi ſunt in Arcum doloſum, dum vel doctrina falſa, vel prauitate vitæ, quos ad DEVM conuertere debuiſſent in ipſum reflectunt. *Mutati ſunt*, inquit S. Hieronymus, in Arcum doloſum, *vt quos Dominus contra aduerſarios intenderat, ipſi contra ſuum Dominum verterent, & mitterent aduerſus eum blaſphemiarum ſagittas.* Sunt *Arcus doloſi*, quicumque praua intentione opus bonum aggrediuntur, aut bona intentione inchoatum, prauâ peruertunt: per Arcum autem bellè denotatur, animi intentio, quæ, vt ille, eſt inſtrumentum ſagittandi. Quod in vobis vtinam ita ſemper ſit comparatum vt nunquam aliò, quam in ſcopum ſagittam diuertat. Sic nunquam de vobis dici poterit: *Facti ſunt quaſi* ARCVS DOLOSVS.

NOTÆ.

§. ARMA *Equitum.*] *De his legendi, Iuſtus Lipſius lib. tertio de Militia Romana, dialo. 7. Hermannus Hugo de Militia equeſtri libro 2. cap. 4. Flaminius lib. 1. cap. 29. Melzus.*

§. BOMBARDA.] *Ignotum veteribus tormenti bellici genus: de cuius inuentione agunt Polydorus, Sabellicus, Nauclerus, Cornelius Kempius, de origine Friſiæ lib. 2. cap. 20. Meminit Ioſephus lib. 6. de bello Iudaic. cap. 7. & 9. machina non abſimilis bombardæ, qua vtebantur in obſidione Ieroſolymæ, per quam lapides iaculabantur tanta vehementia, vt ſingula ſaxa talenti pondus æquarent, & ad ſtadium torquerentur.*

Apud Romanos etiam machina fuit fulminans, & tonitru referens, qualem dicitur habuiſſe Caligula, quæ eiaculabatur lapides, vt eſt apud Dionem. Et Virgilius VI. AEneid. ſimilem deſcribit.

Quæ flammas Iouis, & ſonitus imitatur Olympi. Apud Sinas vſum bombardarum diu fuiſſe, antequam Europæis cognitæ eſſent,

magnam-

magnamq́ harum machinarum copiam ibi repertam, quidam ſcriptores referunt. Illarum tamen mentionem nullam facit Nicolaus Trigautius lib.1. de rebus Sinenſibus cap.4. vbi agit de artibus apud Sinas mechanicis.

Conrad. Decius in hiſtoria Auſtriæ lib.6. ſcribit bombardæ iactu vnico transuerberatos octoginta homines in pugna Alberti Cæſaris cum Polonis in Bohemia.

Paul. Iouius lib. xxxv. hiſt. refert Anno 1512. in pugna propè Rauennam inter Germanos & Hiſpanos vnico globo quadraginta Germanos ſublatos è medio.

Pontus Huterus in hiſt. narrat in nauali pugna inter Gallos & Cæſarianos propè ſinum Salernitanum, ex Auriæ prætoriâ emiſſum bombarda globum quinquaginta Hiſpanos occidiſſe.

In vita Roberti Bellarmini lib.2. cap.4. ſcribitur, cùm regrederetur ex Belgio, profecturus in Italiam, illicq́ iter eſſet neceſſarium per regiones in quibus graſſabatur Lutherana & Caluiniana peſtis, ſuaſiſſe Patres vt vteretur communi habitu forenſi, & cum viatorio ornatu, quo laici ſolent, ſe itineri daret: nempe, ſuccinctus ferro, & ſuſpenſis circa nodum ephippij fiſtulis è chalybe, quæ per anguſtam viam, ab ictâ ſilice ignem concipiunt, & plumbeas glandes momentò ad deſtinata traijciunt. Sic diſſimilem virtuti ſuæ inductus habitum in iter ſe dedit: & diſſimulatio ſucceſſit è voto. Siluester Petra-ſancta ex Iacobo Fuligatto.

§. IVDICIARIA poteſtas.] *De Arcu & ſagittis, quatenus referuntur ad DEVM Iudicem, eiusq́ vindicatiuam iuſtitiam actum eſt lib. 1. Comm. 3. in apparatu bellico Indicis.*

EQVES bombardarius.] *In Antichriſti exercitu fore bombardarios, ex illo loco Apocalypſis* IX.17. De ore eorum procedit ignis, & fumus & ſulphur, *colligit & explicat Leonardus Leſſius lib.* XIII. *de Attributis diuinis cap. 18. quem ſequitur Cornelius de lapide commentario in Apocalypſim, ac probat Hermannus Hugo lib. 2. de Militia equeſtri cap. 2.*

§. CRVX Arcus Chriſti.] *Multa Sacræ Scripturæ loca, Patrumq́ expoſitiones ad hunc locum exornandum adducit Iacobus Pintus in Chriſto Crucifixo lib. 1. titulo 3. loco 8. vbi exponit verſum Abacuk tertio nonum,* Suſcitans ſuſcitabis Arcum tuum: Iuramenta tribubus, quæ loquutus es.

§. CHRISTVS vincit Arcu Crucis.] *Legendi, Baradius tomo* IV. *Euangelicæ concordiæ lib.6. cap.4. Pintus lib.* XV. *tit.* XV. *loco 5. Blaſius Viegas Apocalyp.* VI. *Comm.4.*

§. ARCVS doloſus.] *Talis fuit Iehu, qui doloſè occidit Ioram Regem Iſraël clamantem,* Inſidiæ *Ochozia lib.* IV. *Reg.* IX. *23. Talis etiam, Saul, Achitophel, Antiochus, Apollonius, Ioab, Iudas, Phariſæus, Meretrix. Legendus Sandæi Artifex Euangelicus, titulo Sagittarius. Symbolo* XLIX. *vbi etiam de Arcu hæc explicantur ſymbola. Sagittarius,* CHRISTVS. *Arcus, Iudicium. Sagittarius,* DEVS. *Arcus, Mina. Sagittarius,* CHRISTVS. *Arcus, Apoſtoli. Sagitta, Verba prædicationis.*

COMMENTATIO X.

SAGITTÆ CHRISTI RESVRGENTIS TRIVMPHATORIS.

Ecce Equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat Arcum. Apocalyp. vi. 2.

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatorijs. Pſalm. cxix. c.

Membrvm I.

SAGITTARVM QVALITATES

Quas in ſuis Chriſtus poſtulat.

ARcvs ſine Sagitta eſt claua abſque nodo, bombarda ſine glande, vagina ſine gladio, ſecuris ſine ferro, lancea ſine cuſpide. Quare, vt his inſtructus miles contra hoſtem nihil efficit; ita nec Arcu Eques, niſi adſint ſagittæ. Quare, cũ de Arcu Chriſti Equitis ſit pertractatum ſatis, videndum eſt deinceps, quas nam eo eiaculetur ſagittas. De Deo ac Christo vt Sagittario, frequenter agitur in Diuinis litteris, & in iiſdem Sagittarum, materia forma, vis, energia, aliæque conditiones exprimuntur accuratè. Pſalmo vii. *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit.* Arcum *ſuum tetendit, & parauit illum Et in eo parauit vaſa mortis*; Sagittas *ſuas ardentibus effecit.* Pſalmo xliv. *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub Te cadent, in corda inimicorum Regis.* Pſalmo cxix. *Sagitta potentis acuta cum carbonibus deſolatorijs.* Itaque Sagittæ, quas vibrat Christvs Albo inſidens Equo Bellator, ac Triumphator, ſunt *ardentes*, & *acutæ*, ac conferuntur cum *carbonibus deſolatorijs*. Pòrrò, ſiue per Sagittas intelligamus Eloquia Dei, & ſignatè, Christi Domini, quæ ex ore Verbi Incarnati, vt ex Arcu prodibant; ſiue magis arctè, Verba in Cruce prolata: fuit enim Christus in Cruce velut Arcus benè tenſus, vt in præcedentibus eſt declaratum; ſiue Euangelicam prædicationem; ſiue Sermones Apoſtolicos; ſiue interiorem ad conuerſionem afflatum; ſiue inſpirationes diuinas ad amorem inflammantes, habuerunt præ-

cla-

claras illas qualitates, quæ Sagittis DEI à Dauide tribuuntur.

MEMBRVM II.

SAGITTÆ CHRISTI TRIVMPHATORIS

Sunt Amoris: & excitant amorem.

SAGITTÆ *Potentis acuta verba* DEI *ſunt*, inquit Auguſtinus, & CHRISTI Bellatoris. *Ecce iaciuntur & transfigunt corda vt amor excitetur, non interitus comparetur. Sagittat Dominus cor amantis, vt adiuuet amantem HaSagitta ſunt acuta: hinc populiſub Te cadunt in corda inimicorum Regis.* Non eſt victorioſus Eques noſter vt militiæ Dux aliquis apud homines, qui hoſtem, dum pede premit ſubactum, transfigit, occiditque: hoc glorioſum ratus, eripuiſſe vitam aduerſario. Chriſto ſat eſt deieciſſe, tum Sagitta pectus ferit, ac penetrat, vt vitam habeat, & abundantius habeat, amoremque ſui ac Patris inſpirat; vt deuincendo ex hoſte ſocium, ex inimico amicum, ex aduerſario commilitonem faciat. Quid? quod Sagittâ transfixum in Sagittam vertit, quo ipſe vtatur ad alios ſubiugandos. Sunt enim tam Sagittæ, & quidem electæ, quàm Arcus Apoſtoli, viriq; Apoſtolici, Chriſti Imperatoris ad ſubigendum Mundum, & eos qui in mundo ſunt, cooperatores induſtrios. Eſſe autem Sagittas amoris, quas ex omni Arcu ſuo iaculatur Dominus, mecum ſentietis, ſi obſeruaueritis, quod Amor ſit Domini exercituum maxima fortitudo vt ex Prophetæ Abacuk eo vaticinio deducitur, in quo deſcribitur Chriſtus, tanquam Sagittarius ex Arcu Crucis. Sic autem Propheta canit: *Cornua in manibus eius: ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Quod Pagninus legit: *Ibi fuit abſconſio fortitudinis eius*; Tigurina verſio: *Ibi latibulum fortitudinis eius*; Vatablus reddit: *Ibi fuit reuelata & detecta fortitudo eius, quæ prius erat abſcondita.*

AT quænam fuit illa fortitudo? eam exprimunt LXXII Interpretes, ſic legentes *Poſuit* Dilectionem *robuſtam fortitudinis ſuæ*: id eſt, vt auctores quidam docti ac pij exponunt: CHRISTVS in Cruce Sagittarius oſtendit nobis robuſtum ſuũ Amorem. Senſum latitantem, ſicquidam fuſius educunt *(a)* Quando Dominus Cornua Arcus Crucis ſuæ in manibus habuit, non qualeſcumque dilectionis ſuæ Sagittas, ſed robuſtiſſimas ac validiſſimas, igniuomaſque, tanquam ex Arcu æreo potentiſſimè iecit: poſuerat enim vt Arcum æreum brachia ſua: qui vt olim inter Arcus principatum obtinebat. Ita exhibita in Cruce per Sagittas Amoris Dilectio ſumma fuit, Chriſto ſuos (b) *in finem vſque diligente*, & pro iſs animam ſuam ponente, qui ſupremus eſt caritatis gradus. Quamuis autem ſemper, vt monet S. Hieronymus, *Sermo* DEI *aut* DEVS *ipſe ſedens in Sanctu ſuis armatus fuerit, ſemper ſagittas acutas, in lin-*

(a) *Iacobus Pintus de Crucifixo lib. 1. H. 3. loco 8.* (b) *Ioan.* XIII. 1.

ſanguis eorum præparans equitarit, & huc illuc diſcurrerit; tamen, quando *ſuſcitans ſuſcitauit Arcum ſuum*, quando brachia ſua, tanquam *Arcum æreum* exeruit, quando Arcum ſuum tetendit vehementiſſimè, quod factum eſt in Cruce, tunc telorum omnium validiſſimum, & maximè penetrabile *Verbum Crucis*, quod eſt DEI *virtus*(a) eſt eiaculatus.

IN hunc ferè ſenſum Patres myſticè exponunt, quod Iacob Patriarcha morti propinquus, cùm benediceret filio ſibi cariſſimo Ioſeph, effatus eſt, & Chriſtum cuius ille erat typus, tanquam Sagittarium expertiſſimum in Cruce ad viuum expreſſit: (b) *Do tibi partem vnam, extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & Arcu meo.* Hanc partem, Gentes ad Chriſti fidem conuerſas, & Verbi Incarnati è Cruce Sagittis ictas, de manu infernalis Amorrhæi abſtractas & Eccleſiæ donatas, extra, aut præter fratres ſuos, id eſt, Iudæos ſignificare, cũ (c) S. Auguſtino, exiſtimant Sacri commentatores. A quo ſenſu nõ multum recedit S. Bernardus, Incarnationem ipſam Filij DEI, tanquam Arcum concipiens. *Pars tua ſumus*, inquit, *Domine* IESV, *quem tuliſti de manu Amorrhæi in gladio & Arcu tuo.* Gladius *tuus ſermo viuus & efficax* Arcus *tuus* Incarnatio *tua*: *ibi enim velut curuato ſapientiæ ligno, & pio quodam modo flexa Diuinitate neruus Carnis vehementer extenſus, & Humanitas ineffabiliter aucta cognoſcitur.* (e) Quod ad Crucem ſcitè transferes, cum Viro docto, ſi dicas: curuato Sapientiæ ligno, ſcilicet Cruce, & pio quodammodo flexâ Diuinitate, neruus Carnis ad mortem vſque extenſus eſt. *Pars* ergo (f) *tua ſumus, & populus adquiſitionis tuæ*, quã adquiſiuiſti cis verbo prædicationis tuæ, Chriſte, & curuato Arcu Crucis tuæ bone IESV.

(a) 1. *Corinth.* 1. 28. (b) *Geneſ.* XLVII. 22. (c) *S. Aug. lib.* 1. *qq. in Geneſ. cap.* 167. (d) *S. Bern lib. ſenten.* (e) *Pinitus lib.* 1. *tit. in loco* 8. *num.* 9. (f) 1. *Petri* 2, 9.

MEMBRVM III.

SAGITTÆ CHRISTI VICTORIS

Sagittæ Chriſti Ardentes & Acutæ.

HÆ *Sagittæ* Equitis noſtri ſunt *ardentes & acutæ*, carbonibus deſolatorijs conferendæ, vt præclarè diſſerit S. Auguſtinus in Pſalmum VII. vbi dicitur: *Sagittas ſuas ardentibus effecit*, ſiu, *ardentes* fecit: nam vtroque modo legitur, atque ita Sagittas reſpicit S. Doctor ſit differens: *In hoc Arcu fortitudine Noui Teſtamenti, quaſi neruo quodam duritia Veteris flexa, & edomita eſt. Hinc tanquam* Sagittæ *emittuntur* Apoſtoli, *vel diuina præconia iaculantur. Sagittas ardentibus operatus eſt, qui percuſſi diuino amore flagrarent. Quæ enim alia*

Sagitta

Sagitta percuſſa eſt, qua dicit: Vulnerata caritate ego ſum (ſic loquitur Sponſa Canticorum ſecundo: vbi Latinus vulgatus habet, *Amore langueo.* Pergit Auguſtinus: *In Græcis exemplaribus ita inuenitur Sagittas ſuas ardentibus operatus eſt: Latina autem ardentes pleraque habent: ſiue Sagittæ ipſæ ardeant ſiue ardere faciant, quod vtique non poſſunt niſi & ipſæ ardeant, integer ſenſus eſt.*

Eodem penè intellectu accipit idem *Sagittas acutas cum carbonibus deſolatorijs*, ſiue, vt ipſe legit, *vaſtatoribus*, quæ vaſtitatem inferunt mundo, infernoque Adiungit autem: *Quibus alijs Sagittis accenditur, qui aduerſus linguam doloſam petit auxilium: & ei dicitur:* Quid detur tibi, aut quid adijciatur tibi ad linguam doloſam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus vaſtatoribus, *id eſt, quibus percuſſus atque inflammatus tanto ardeas amore regni cælorum, vt omnium reſiſtentium, & à propoſito reuocare volentium linguas contemnas, & perſequutiones derideas, dicens: Quis me ſeparabit à Caritate Chriſti?*

Ita ergo ardent Sagittæ Chriſti, vt videantur carbones accenſi, ideoque vaſtatores. D. Hieronymus legit *Carbones iuniperorum*: alij quidam *geniſtarum*: quod ligni genus præ reliquis vehementius ardet, ſcintillat, ſtridet: iuniperorum carbones diutiſſimè lucent ſuntque inſtar flammarum. Quibus ſignificatur Sagittas Chriſti Euangelicas, aut quas Crucifixus iaculatur eſſe lucentes ac ſplendidas: lucem ſecum adferre, & illuminare illos qui eatenus in tenebris & in vmbra mortis hæſerunt.

Quo ducit S. Auguſtinus illud Chriſti Domini præceptum Apoſtolis datum: *Quæ dico vobis in tenebris dicite in lumine. In lucem* inquit, (a) *iacula tua ibunt:* hoc eſt, (b) *non in occultum ſed in manifeſtum verba tua mittuntur: in ſplendorem coruſcationis armorum tuorum: dixerat enim: Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine.* Quo pacto etiam D. Gregorius per modum interpretationis: *In lumine*, inquit, (c) *iacula tua ibunt, in ſplendore fulgoris armorum tuorum: Iacula* Dei *in lumine ire, eſt, verba eius, apertâ veritate reſonare.* Et alibi (d) In lumine iaculâ tua ibunt, quia in aperto exeunt verba Dei.

Et quia ſunt lucentes Sagittæ Euangelicæ, & verba Saluatoris, quæ ſunt eius iacula, lucem adferunt cordibus quibus immittuntur, eaque mirificè illuminant: immò igniunt. *Corda audientium*, vt iterum ſcribit Gregorius, (e) *feriunt & incendunt: & more coruſcantis fulguris, cùm percutiunt, ignem ſpiritalis deſiderij ſpargunt, corda intuentium concutiunt, terrent, illuminant, & accendunt.* Vnde ſcriptum eſt: *In lumine iacula tua ibunt, in ſplendore fulguris armorum tuorum.*

Acumen quoque in ijs vim habet, vt citiſſimè ac facillimè penetrent. *Sagittæ*, inquit Caſſiodorus, *ſunt prædicationes corda hominum transfigentes, quæ Acutæ ſunt, quia vſque ad interiora penetrant corda.* Sed vnde illud ſuum habent acumen? vnde tantam vim penetrandi? Subiungit idem, explicationis vice. *Sagitta lignum eſt ferro armatum, cuius pars vna pennata eſt. Sic Verbum* Dei *ex Ligno* Cru-

(a) *Matt. x. 26* (b) *Abac. 3. 11* (c) *Lib. xxx Mor. c. 3.* (d) *Hom. v. in Ezech.* (e) *Hom. v. in Ezech.*

CRVCIS *egredienſ, & fortitudinem penetrandi habet, & velocitatem, quò voluerit perueniendi.* Inſinuat, latus CRVCIFIXI Domini, aut ipſam CRVCEM in quatuor extremitatibus perforatam, eſſe debere officinam quaſi ferrariam, in qua Sagittæ prædicationis Euangelicæ limari debent, & pennis formari, vt & acutæ ſint, & non felle, ſed melle, amoreque litæ, & flammatæ, & igniuomæ, & alatæ, & vim omnia penetrandi conſequantur.

MEMBRVM IV.

SAGITTÆ CHRISTI TRIVMPHATORIS Apoſtoli, Doctores, Eccleſiaſtæ.

QVOD non tantùm de prædicatione, verùm etiam de ipſis Prædicatoribus intelligendum eſt. Nam & hi ſunt Iacula ac Sagittæ CHRISTI EQVITIS ex Arcu Crucis de manu Potentis, vt loquitur Dauid excuſſæ, ardentes, ac per orbem vniuerſum, inſtar fulgurum coruſcantium volitantes. *Sicut Sagittæ in manu Potentis, ita filij excuſſorum*, canit Pſaltes regius. Cuius carmen illuſtrantes, S. Auguſtinus, Eucherius, Hugo Cardinalis, alijque non pauci, ea metaphoicâ dicendi formula docent ſignatos Apoſtolos à Chriſto potenter de Cruce excuſſos, volantes, ac volatu ſuo perniciſſimo orbem terrarum peragrantes, & vbique Chriſtum & *hunc Crucifixum* (a) hominum animis imprimentes, atque ad ſalutem mortalium corda transfigentes. *De Arcu*, inquit Auguſtinus. (b) *excutiuntur Sagittæ, & quanto fortior excutiens, tanto longius, vadit Sagitta. Quid autem fortius excutiente Domino? De Arcu ſuo mandat Apoſtolos ſuos. Non potuit eſſe reſiduum, quò non perueniret Sagitta à tam forti excuſſa: peruenit vſque ad fines terræ.* Quàm autem valida atque fortis excuſſio fuerit, quantaque brachiorum Chriſti potentia, quantum Principis Sagittarij robur, ſatis declarant, quos ſæpe in hoc argumento laudauimus, Dauid & Abacuk. Nam ille brachia eum habere dixit, ad ſingularem ipſius fortitudinem ſignificandam, commendandamque in *Arcum æreum* efformata: hic verò *Cornua in manibus*, ibique abſconditam fortitudinem eius. Iuxta hunc autem brachiorum valorem, & excuſſionis de manu Potentis vehementiam, pronunciandum eſt de Sagittarum velocitate, & metienda penetrandi virtus ac alacritas. Quam indicat Iſaias (c) imagine nubium: *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant?* Ezechiel [d] ſymbolo fulguris: *Ibant & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis:* Dauid expreſſione tranſitus momentanei: [e] *Etenim Sagittæ tuæ tranſeunt.* Itemque [f] *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

SVNT etiam Doctores, & Eccleſiaſtæ alij-

(a) 1. *Corinth.* 1. 23. (b) *In Pſal.* CXXVI. (c) *cap.* LX. 8. (d) *cap.* I. 14. (e) *Pſ.* 76. 19. (f) *Pſ.* XVIII. 5.

aliſque curatores animarum *Sagitta in manu Potentis, & filij excuſſorum*, ſcilicet Apoſtolorum. Siquidem hi, tanquam optimi parentes excuſſerunt æmulatoribus virtutum ſuarum Diuina Chriſti myſteria, & Humanitatis ſanctiſſimæ admiranda, vt illa probè intelligerent, & alijs ſermone & ſcripto conuenienter cuiuslibet capacitati traderent. Iidem à ſe ipſis excuſſerunt ſolicitudinem rerum humanarum, & excuſſi ſunt à mundo per vexationes, & perſequutiones, filijs ſuis Viris Apoſtolis exemplo, & incitamento; vt & hi excutiant ſecularia deſideria, tanquam puluerem de pedibus affectuum ſuorum per contemptum. Et ſi excutiantur ac cribrentur à Dæmone & mundo per tentationes & tribulationes, munus ſuum nihilominus conſtanter exequantur. Meminerint ſe à CHRISTO, cui operam ſuam addixerunt, in morem Sagittarum excuſſos eſſe, per miſſionem legitimam, ad prædicandum, docendum, arguendum, increpandum, exhortandum: recordentur ſemper, ſe per directionem Potentis, velut iacula ignita, tendere debere ad deſtinatum ſcopum ſalutis propriæ & alienæ. His ſummopere eſt attendendum, vt quilibet ex ipſis, inſtar acutæ, politæque Sagittæ ſit inſtructus doctrinæ ſplendore, acuminis ſubtilitate, velocitatis pennis, & feruore diſcurrendi, neque in alium ſcopum, dum auditores, aut diſcipulos, & fidei ſuæ commiſſos inſtruit, feratur, quàm in corda hominum, ad ſalutem ipſorum, & maiorem DEI Opt. Max. Chriſtique Domini gloriam, colliman-do.

***

NOTÆ

§. SAGITTÆ Equitis Chriſti.] *Breuior ſum ſolito in Commentatione de Sagittis, quod locus iſte pleniſſimè pertractatus ſit in* ARTIFICE EVANGELICO, *titulo*, SAGITTARIVS, *qui ſub ſe habet* LXXXVIII. *ſymbola, quorum plurima huc ſpectant, & ampliſſimam continent materiam plurium diſſertationum. Aliquot capita huc transfero.*

1. Sagittarius, DEVS. *Sagittæ fulmina.* *2. Sagittarius*, DEVS *Iudicio extremo præludens.* *3. Sagittarius* DEVS *puniens.* *4. Sagittarius*, DEVS. *Sagitta, Morbus, Plaga, Calamitas.* *5. Sagittarius*, DEVS. *caſtigans. Arcus, Exercitus hoſtilis. Sagitta, Calamitas.* *6. Sagittarius*,

DEVS. *Iuſtum exercens*; *ſe recreans. Pharetra, Prouidentia. Sagitta. Afflictio.* 7. *Sagittarius*, DEVS. *prædeſtinans. Sagitta, Angelus, Homo.* 8. *Sagittarius*, CHRISTVS. *Sagitta, Apoſtoli.* 9. *Sagittarius*, CHRISTVS. *Sagitta, Prædicatores.* 10. *Sagittarius*, DEVS. *Sagitta*, CHRISTVS 11. *Sagittarius*, CHRISTVS. *Sagitta, Obedientia.* 12. *Sagittarius*, CHRISTVS. *Arcus, Apoſtoli. Sagitta, verba Prædicatoris.* 13. *Sagittarius non aberrans*, DEVS *intentans minas.* 14. *Sagittarius*, CHRISTVS. *Sagitta, Apoſtoli.* 15. *Sagittarius*, CHRISTVS. *Sagitta, Apoſtolorum Imitatores.* 1. *Sagittarius*, CHRISTVS. *Sagitta, Religioſus.* 17. *Sagittarius* CHRISTVS. *Sagitta, boni Chriſtiani.* 18. *Sagittarius*, DEVS. *Sagitta, Verba diuina.* 19. *Sagittarius* CHRISTVS *Cruci affixus.* 20. *Sagittarius*, CHRISTVS. *Sagitta, Pulchritudo.* 21. *Sagittarius*, CHRISTVS. *Eccleſiaſtes.* 22. *Sagittarius* DEVS *Sagitta electa.* CHRISTVS.

S.
D. I.
H. & G.

INDEX

INDEX

LIBRORVM. COMMENTATIONVM.

Membrorum. Articulorum. Paragraphorum. Rerum memorabilium, & Verborum.

DE ECCLESIA MILITANTE. ET MILITIA CHRISTIANA.

Tomus II. Numerus indicat paginas.

PROLOQVIUM

Ad Academicos Chriſtianos.

QVò ſpectent Commentationes, Conciones, Sermones-ue de Militiâ Chriſtianâ. 1

LIBER I.

DELECTVS MILITARIS

In Militia Chriſtiana.

I. COMMENTATIO. Delectus. Vocatio. Electio. 4

Non veni vocare Iuſtos, ſed Peccatores ad Pœnitentiam. Lucæ v. 32.

MEM.

1. Hominum ad Pœnitentiam. Fidem. Gratiam. Gloriam, Deſignatio. Vocatio. Nominatio. Electio. Tractio. 4
2. Præſes delectus militaris. Qui-nam delegerint in Militia Romana. Qui deligant in Militiâ Chriſtianâ. 5
3. Qui-nam ad Chriſti ſigna vocentur. Qui per delectum ſeligantur. 9
4. Ratio & Modus Milites Chriſtianos legendi. 10
5. Signum Militare Crux. Cuius ſublatio delectui in Militia Chriſtiana ſeruit. 13
6. Sortitio in delectu Militiæ Romanæ. Vocatio per ſortem in delectu Militiæ Chriſtianæ. 15
7. Nominatio in Delectu Militiæ Chriſtianæ Citatio ex Nomine in Delectu Militiæ Romanæ. 17
8. Modus multiplex vocandi, Citandi, Deligendi ad Militiam Chriſtianam. 18

II. COMMENTATIO. Pœnæ militares Immorigerorum, aut Contumacium in Delectu. 22

Quia vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo cum vobis, id quod timebatis, aduenerit. Prouerb. 1. 24. 26.

MEM.

1. Immorigeri, & Contumaces citati ad nomen non reſpondebant, aut non reſpondent. 22
2. Pœnæ Militares, quæ infliguntur, in Delectu fraudulenter taciturnis, aut contumaciter refractarijs, ſunt variæ. *Prima* Refractariorum Pœna, Mulcta. 24
3. Secunda Pœna refractariorum, Vincula. 26
4. Tertia Refractariorum pœna, Virgæ. 26
5. Quarta Refractariorum pœna, Damnum. 27
6. Quinta Refractariorum pœna, Seruitus. 27
7. Sexta Refractariorum pœna, Infamia. 28
8. Septima pœna Refractariorum in Militia Chriſtiana, Damnatio æterna. 28
9. Milites ſubitarij. 29
10. Milites ſpontanei. Volones. 30
11. Miles boni nominis, IESVS CHRISTVS. 31

III. COMMENTATIO. Ætas Militaris. 33

Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Threnon. III. 27.

Pauper ſum ego & in laboribus à iuuentute meâ. Pſal. LXXXVII. 16.

MEM.

1. Ætas ſpectanda in Militiâ tam ſacrâ, quàm profanâ. 33
2. Ætas duplex. Naturalis & Moralis 34

3. Militia Chriſtiana triplex. Communis. Particularis. Singularis. 36
4. Ætas moralis requiſita ad quodlibet genus Militiæ Chriſtianæ. 36
5. Ætas Phyſica requiſita ad Militiam Eccleſiaſticam. 38
6. Ætas naturalis neceſſaria ad Militiam Religioſorum. 41
7. Ætas idonea ad Militiam Chriſtianam in Religione. Pueritia. Adoleſcentia. Iuuentus, Auctoritate & Exemplis firmatur. 42
8. Ætas idonea ad Militiam Chriſtianam in Religione, Pueritia, Adoleſcentiæ, Iuuentus Argumentis ſtabilitur. 46
9. Ius dandi nomen Militiæ. Ad Militiam Chriſtianam, interdum abſque amicorum immò, & parentum indebitè impedientium reſpectu, eſt euolandum. 48
10. Terminus Militandi. An quemadmodum in vitâ humanâ eſt tempus inchoandi Militiam Chriſtianam; ita poſt aliquot annorum periodum, ſit determinatum tempus eam finiendi. 50
11. Initium & Finis Militandi. Quemadmodum in Militia Chriſtiana, ſicut exordium ſumi poteſt ab anno XVII. ita finis adſignari poteſt annus XLVI. 51

IV. COMMENTATIO. Reiecti à Militiâ Chriſtianâ. 54
Foris Canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes; & omnis, qui amat & facit mendacium. Apocal. XXII. 15. 54
1. Indigni nomine Militis Chriſtiani. 54
2. Serui, Qui, Qualesque à Militia Chriſtiana
3. Idololatræ, Qui, Quales-ue: Canes, Venefici, Impudici, Mendaces à Militiâ Chriſtianâ excluſi. 59

V. COMMENTATIO. Idonei ad Militiam Chriſtianam. 61
1. Liberi libertate Chriſti ad Militiam Chriſtianam admittuntur. 61
2. Liberti, & Libertini, quatenus ad Militiam Chriſtianam admittendi; aut, ab eâ excludendi. 62
MEM.
Libertini Hæretici penitus penitusque arcendi. 62
3. Libertini Orthodoxi aliquatenus ad Militiam Chriſtianam admittendi. 63
4. Ingenuus ad Militiam Chriſtianam maximè idoneus. 66
5. Diues & Pauper ad Militiam Chriſtianam idoneus. 67

VI. COMMENTATIO. Opifices Mechanici. Qui, Qualeſque Militiæ Chriſtianæ idonei. 69
1. Opifices Proprij & Figurati. 69
2. Agricolæ ad Militiam Chriſtianam aptiſſimi. 70
3. Hiſtriones. Qui-nam à Militia Chriſtianâ repulſi. Qui admiſſi. 72
4. Infames à Militia, quà Romanâ, quà Chriſtianâ proſcripti. 73

VII. COMMENTATIO. Proſcripti à Militia Chriſtianâ Iure Diuino peculiari. 77
1. Diffidens & Confidens. Quis, Qualiſue Proſcriptus, aut Allectus. 77
2. Ædificator Domus nouæ. Ambitioſus dignitatis Prenſator. 79
MEM.
3. Plantator Vineæ. Auarus Opum Accumulator. 80
4. Sponſus. Concupiſcentiæ Carnis Addictus. 80
5. Timidi. Formidoloſi. Corde pauido. 81
6. Gedeonis Timidi, Animoſique Milites quomodo diſcreti. 83
7. Timidi ad bellum ſpirituale inepti. 86

VIII. COMMENTATIO. Virtutes Delecti, Electique Milites Chriſtiani. 89
1. Fides Chriſtiana, Catholica, Apoſtolica, Romana. 90
2. Spes, quatenus eſt virtus voluntati hominis fidelis diuinitus infuſa. 90
3. Confidentia in Deo, cum Diffidentia ſui. 92
4. Animoſitas. Alacritas. 93
5. Audacia, Philoſophicè, & Theologicè ſumpta non conuenit Militi Chriſtiano: Vt vulgo accipitur, haud diſtincta ab animoſitate conuenit. 93
6. Fortitudo. 93

7. Pugnacitas. Auiditas pugnandi. 84
8. Obedientia militaris. 94
9. Prudentia. 95
10 Temperantia. Sobrietas. Abſtinentia. Famis ſitiſque Tolerantia. 95 96
11. Auſteritas. Rigor. Duritia. 97
12. Velocitas. Agilitas. Celeritas. 97
13. Promptitudo moriendi 98
14 Strenuitas. Dexteritas Vigilantia. 99
15. Iuſtitia. Vniuerſalis. Particularis. 99
16. Virtutes, quæ octonario Beatitudinum includuntur 1 Paupertas ſpiritus. Quæ & Humilitas; aut à qua & in qua Humilitas. 2. Manſuetudo ſeu Militas. 3. Aſſiduitas lugendi. 4 Eſuries & Sitis Iuſtitiæ. 5. Miſericordia. 6. Munditios cordis. 7. Pax. 8. Tolerantia perſequutionis propter Iuſtitians. 99
17. Hæ Virtutes ſunt in Animo Milites Chriſtiani. Præter quas ſpectantur aliquæ, vel ſpectari poſſunt in corpore: Altitudo. Decor. Firmitas Robur. Color. Lætera. Sed ſi virtus ſi animi in ilio, flocci facienda eſt omnis alia corporis. Certè, ab Imperatore Noſtro, nulla repudiatur: nulla magnoperè exigitur. Paruus, magnus; pulcher, deformis; rectus incuruus; Adonis. Therſites æquè ad Militiam Chriſtianam eſt idoneus; modò animus virtutibus ſit exornatus. Si tamen detur optio, putat S. Baſilius, in Regulis fuſius diſputatis Reg. XVII quod oculis exterius minus blanditur, eſſe præferendum. *Vt*, inquit ille, *optimus corporis habitus, & coloris bonitas pugilem a ceteris diſtinguit, ſic Chriſtianum à reliquis ſecernit macilentia corporis, pallorque deſtreſtem: quæ Continentiæ velut adiunctus eſt comes. Siquidem indicio eſt Chriſti mandatorum, verè Pugilem eſſe, qui in infirmitate corporis aduerſarium ſuum in lucta proſternit: & quàm ſit potens in Pietatis certaminibus declarat conuenienter verbis illis Ducis noſtri Pauli: Cum infirmor, tum potens ſum.*
Ducis boni Indole, Scientia, prudentia, prouidentia, ſagacitate, cautelâ, conſtantiâ, fortitudine, robore corporis, vigore ingenij, probitate animi, exemplo, pietate, vigilantia. ſollicitudine, temperantiâ, formâ exteriore, auctoritate, felicitate, Fortuna alijſque ornamentis diſſeritur Tomo huius Operis 1. Libro III. Commentatione vltima.

LIBER II.

AVXILIA SOCIORVM ECCLESIÆ MILITANTIS 102

In quo numerantur & deſcribuntur diuerſi Exercitus Auxiliares Militiæ Chriſtianæ.

I. COMMENTATIO. Exercitus Angelius. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum. Et eripiet eos.* Pſ. xxxIII. 8.
MEM.
1. Primus Exercitus Socialis Militum Chriſtianorum, cum Angeli. 102
2. Angeli Sociales, ſunt Milites. Exercitus. Caſtra. 102
3. Angeli Sociales, ſunt Legiones. Copiæ Acies. 105

II. COMMENTATIO. Exercitus Angelicus, Quomodo in Eccleſiâ Militante auxilietur Militibus Chriſtianus in Bello, cum corporali, tum ſpirituali. 107
MEM.
1. Angeli sociales ducunt Commilitones ad locum pugnæ & victoriæ idoneum. Hoſtes autem abducunt & ſeducunt. 107
2. Angeli sociales de victoriâ ſocios reddũt ſecuros. Eoſdem animant. Immò, in hoſtem impellunt. 110
3. Angeli sociales præſidio ſunt socijs. Hoſtibus timorem incutiunt. 110
4. Angeli sociales, nunc in prima agmine, aut ante illud, nunc in medio, aut in poſtremo pro socijs, cum hoſte congrediuntur. 114
5. Angeli sociales hoſtes ſociorum in caſtris opprimunt, 117
6. Angel sociales caſtrorum in modum circumdant, & protegunt ſibi commiſſos, ſi in periculo ſint conſtituti. 118
7. Angeli socialis pro socijs, & cum eis fortiter pugnando, victoriam pariunt. 119
8. Angeli sociales, tam in maritima, quam interreſtri Militia Socijs opitulantur. nec in duello deſerunt. 123

 9. An-

9.Angeli Sociales Socijs in tuto collocatis, pro ijs dimicant viſibiles. 124

III.COMMENTATIO.II.us Exercitus Socialis ex hominibus ad cælum translatis Subuenite Sancti DEI. Occurrite Milites Domini. 127

MEM.

1. Cælites Ex hominum genere Militibus Chriſtianis in terra certantibus ſunt Exercitus Auxiliaris. 127

2. Apoſtoli in Exercitu Sociali Cælitum fidelibus Opitulantur. 128

S.PETRVS & PAVLVS. 128

S.Andreas.129 S.Iacobus Maior. 131

S.Iacobus Dux Militiæ ſimilis Leoni. 133

S.Iacobus Dux Equeſtris Militiæ. 134

S.Iacobus Caſtus Miles. 135

135

S. Iacobus Hercule Hiſpanico magis Auxiliaris. 136

S.Iacobus de Piſcatore Miles. 137

S.Iacobi militare Inſigne, Gladius purpureus. 138

S. Iacobi Militaris Auxiliatoris Elogium. 139.

SS.Ioannes & Philippus. 140

3.S.Ioannes Baptiſta in Exercitu Auxiliari Sanctorum Chriſtianis pugnantibus ſuccurrit. 142

4.SS.Martyres. In Exercitu Auxiliari Cælitum, Militantibus ſub Chriſti ſigno auxilium præbent. 143

S.Georgius.142.S.Theodorus. 145

S Sabinus.146.S.Demetrius. 146

S.Mercurius. 147

5.SS Confeſſores In Exercitu Auxiliari Cælitum, Chriſti fidelibus belli tempore ſuppetias ferunt. 147

S.Ambroſius. 147

S.Martinus.148.S.Iſidorus. 149

SS.Virgines.S.Vrſula cum XI. Millibus Virginum. 150

S.Gereon cum Mauris & Thebæis. 140

S.Thecla. 151

Petrus de Paz. 152

IV.COMMENTATIO. III.us Exercitus Socialis, ex hominibus in terra Deo ſacratis. Epiſcopis. Eccleſiaſticis. Religioſis. *Hi quoque fortiſſimi & egregii Pugnatores, tendentes arcum, & vtraque manu fundis ſaxa iacientes, & dirigentes ſagittas.* 1. Paralim. XII. I. 153

MEM.

1.Mos antiquus ducendi ad bellum Viros Ordinis ſacri. 153

2.Moſis & Ioſue exemplo docetur, quantum valeat in Militia Exercitus Opitularis Sacerdotum. 155

3.Iericho capta oſtendit, plurimum poſſe in Militia Exercitum Opitullarem Sacerdotum. 159

4.Britones Chriſtiani confirmant exemplo, magnoperè conſultũ eſſe in Militia Chriſtiana, vt aduocetur Exercitus Opitularis Sacerdotum. 162

5.Saxones Chriſtiani, quam felicem habeat exitum conflictus, in quo cum ſacerdotibus DEVM inuocantibus, conſpirat clamor Militum demonſtrant exemplo, aduerſus Vngaros infideles dimicantes. 164

6.Equites Crucigeri. Conſonantia Sacerdotum & Militum in caſtris DEO ſupplicantium, quid efficiat, patet exemplis Cruſigerorum Equitum Ieroſolymam obſidentium. 175

7.Miſſio Caſtrenſis. Vſus ſacerdotum in caſtris. 165

V.COMMENTATIO. Supplementa Militiæ Chriſtianæ. 171

Pugnabit cum illo Orbis terrarum contra inſenſatos. Sapient. v. 21. 171

MEM.

1.Cohortes ſubſidiariæ ex Creaturarum vniuerſitate. 171

2. Cohors ſubſidiaria eſt Siderea ex ſtellis, 172

3.II. Cohors ſubſidiaria eſt Meteorogica ex Igneis, Aëreis, Aqueis. 178

Lapides grandinis. Fulmina. Fulgura. Tonitrua, 173

4.III. Cohors ſubſidiaria eſt Animalis ex viuentibus in terrâ & lacunis, beſtiolis viliſſimis & abiectiſſimis. 178

1.Ranarum Phalanx.

2.Sciniphum Acies.

3.Muſcarum Turma.
4.Locuſtarum Legio.

Mem.

5.1v.Cohors ſubſidiaria ex Inſectis,tum terreſtribus,tum Volucribus,tum cum vtroque participantibus. 181
1.Culicum Agmen. 181
2.Muſcarum Manipulus.
3.Muſca Duellatrix in ſingulari certamine victorioſa. 182
4.Locuſtarum Centuriæ in Sarmatia belligerantes. 183
5.Murium Caterua Hattonis, & Popieli. 184
6.Glirium Cuneus in Epiſcopatu Oſnabrugenſi. 185
7.Apum Examen S.Medardi. 186
8.Pediculorum Confluges Acheis, & hæreſiarchis metuenda. 186

LIBER III.

TYROCIMIVM MILITIAE CHRISTIANAE

In quo diſſeritur de Exercitijs Militaribus.
Dominicâ Septuageſimæ

Quid hic ſtatis totâ die ocioſi. Matth.20 6. 190
I.Commentatio. A Militia Chriſtiana ablegandum Ocium.

Mem.

1.Delectus & Exercitium Militiam inuictam faciunt. 190
2.Miles Chriſtianus nunquam debet eſſe Ocioſus. 192
3.Ocium turbat Ordinem Militarem. 194
4.Ocium inducit in Exercitum ἀταξίαν. Hinc Milites ſeditioſi,Mutinantes.Malecontenti. Qui in Militia ſpirituali ſunt maximè euitandi. 196
5.Ocium in Militiâ cauſſat inquietudinem. Inquieti autem impediunt felicem ſucceſſum in bello. 197
6.Ocioſus quis nam in Militia ſpirituali ſit iudicandus. 199
7.Ocioſi, quemadmodum his gemini Milites glorioſi facilè ſuperantur ab hoſtibus. 202

II.Commentatio.Claſſes quattuor Militare volentium ſub Vexillo Chriſti Dominicâ Sexageſimæ. 210

Mem.

Exijt, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Lucæ VIII 5. 210
1.Quattuor ſunt Claſſes Auditorum Chriſti Totidem volentium Militare Chriſto. 210.
2. Exercitium Militare continuum in Militia benè conſtitutâ exigitur. 214

III.Commentatio. Primum Exercitium in Militia Chriſtiana,Opus manuum. 215

Mem.

1.Labor manuum eſt honeſtus & vtilis. 215
2 Opere manuum,& Artium mechanicarum Exercitio in Militia Chriſtianâ illuſtres è Nobilibus non pauci. 218
3.Opus manuum,Quo fine, & Quomodo ad praxim ſit reuocandum. 220
4.Opus Manuum.Tropologicum.Spirituale. Myſticum. 222

IV Commentatio. Exercitium Oneris, quo iugiter eſt occupandus Miles Chriſtianus
Dominicâ Quinquageſimæ. 224
Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis. Lucæ XVIII.

Mem.

1.Chriſtus Imperator Apoſtolos, ceu Militare hortatur. 224
2.Exercitia Militaria:Oneris.Operis.Armorum. Quale fuerit Oneris in Militia Romana. 225
3.Exercitium Oneris.Cibariorum. Vtenſilium. Vallorum. Armorum Militiæ Chriſtianæ. 227
4.Onus Vtenſilium,Iugum Domini,Eiuſque Leges. 229
5.Miles Chriſtianus ſub faſciculo leui·Miles Mundanus ſub faſce graui. 232
6.Onus Vallorum in Militia Chriſtiana denotat Crucem,Iudicia Dei,Conſilia Euangelica,Calamitates huius vitæ. 233

7.Onus

7.Onus Armorum in Militia Chriſtiana reſpicit virtutes. 235
8.Lapis Oneris in Militia Chriſtiana eſt quælibet Virtus heroica probans induſtriam, opprimens ignauiam. 236
9.Duratio Exercitij Oneris. Et quot paſſuum millia ſub Onere ſint conficienda. 238

V. Commentatio. Exercitium Operis, quo gnauiter eſt excolendus Miles Chriſtianus. 239
Dominica I. Quadrageſimæ.
Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis. 11. Corinth. v. 1. 2. 239
Mem.
1.Tempus vitæ mortalis eſt Tempus acceptabile pro ſalute prœliandi. 239
2.Primum Tempus bellandi in vita humana eſt, quando Homo vti primum ratione incipit. 240
3.Tempus bellandi peculiore Militis Chriſtiani eſſe annuum, Quadrageſimam. 244
4.Exercitium Operis in Quadrageſima præcipuum eſt Ieiunium. 246
5.Milites Chriſtiani ſint Operarij, Veri, Boni, Inconfuſibiles. 249

VI. Commentatio. Exercitium Operis, Quæ-nam in Militiâ Romanâ olim: Quæ in Chriſtianâ nunc complectatur. 251
Dominicæ I. Quadrageſimæ.
Mem.
1. Exercitium Operis ſpectabat in Militia Romanâ potiſſimùm tria: Foſſam, Vallum Aggerem, ſeu Murum 251
2. Exercitium Operis in Militiâ Chriſtianâ præcipuè tria deſignat. Ieiunium. Orationem. Eleëmoſynam. Foſſam. Vallum. Murum.
3. Exercitium Operis Ieiunij fuit quorundam eximiè fortium in Militia Chriſtiana penè ſupra fidem incredibile. 255
Mem.
4.Opera Militiæ Veteris ſuperant longo interuallo quæcumque noſtris temporibus tentata ſunt. Idem cernitur in Opere Ieiunij veterum & recentium. 257
5. Exercitium Operis complectitur in Militia, Pontes, Baſilicas, Theatra, Aquæductus & ſimiles fabricas. [illegible]
6 Tempus Exercitij Operis in Militia Chriſtiana eſt Pacis & Belli. 2[illegible]

VII. Commentatio. Exercitium Armorum, quod apprimè neceſſarium eſt Militi Chriſtiano. [illegible]4
Exerce te ipſum ad pietatem, 1. ad Timoth. iv. 7.
Dominicâ II. Quadrageſimæ.
Mem.
1.Superſtitioni & Acedioſi. Illi bellum corporale: Hi ſpirituale deteſtantur. 2[illegible]4
2.Exercitium in Armis Romanorum continuum Imperio quantum profuerit. Quid illi, Quid Fortunæ tribuendum in Militia profana & ſacra. 2[illegible]
3 Exercitium Armorum in Militia ſacra debet eſſe Continuum continuitate ad temporum diſcrimina ſpectante. 268
4 Tyrones & Veterani exercendi diuerſimodè Haud ſequus Iuniores & ſenes His pluſculum indulgendum. 2[illegible]1
5. Exercitij Armorum ſecundum temporis diuerſitatem varietas, in Militia tam ſacrâ, quàm profana. 272
6.Loci opportunitas ad vſum Exercitij Armorum. 2[illegible]3
7. Exercitium Armorum à Milite Chriſtiano peragendum ſeriò, & alacriter. 275
8. Miles Exercitio præparandus in anteceſſum ad omnia quæ euenire poſſunt. 276.
9 Pœnæ Militares non exercentium, & non proficientium. 277
10. Exercitij Armorum fructus multiplex 278

VIII. Commentatio. Exercitium Militare Ambulatio. 283
Miles Chriſti *debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare* 1. Ioan. [illegible]
Dominica III. Quadrageſimæ.
Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa. Lucæ xi. 24. 2[illegible]3
Mem.
1.Ambulatio Militaris. 283
2 Ambulatio Improbata à Militia Chriſtiana. 1. Quæ fit ſecundum hominem. 2 Quæ

non

non eſt recta 3 Q[illegible] eſt [illegible].Q[illegible] eſt ſecundum [illegible] 214
3. Ambulatio Militis Chriſtiani [illegible] u[illegible] vitæ.2 Breui[illegible] ſpiritualiter 4. Honeſta 4.in D[illegible] in luce 285
4.Celeritas Ambulationis Militaris. 289
5 Aliquantis Ambulationis Militaris. 291
6.Rectitudo Ambulationis Militaris 294
7.Ambulatio [illegible] eſt [illegible] vt Ducis [illegible]. 297
8.Ambulatio Circularis Impiorum: vt Militum [illegible]. 300
9.Continuatio Ambulationis Militaris. [illegible]

LIBER IV.

PASSIO CHRISTI

M[illegible] C[illegible]

I.COMMENTATIO. Paſſio Chriſti Campus Ambulationis Militaris. [illegible]
D[illegible] L[illegible]
MEM.
1 Deſignatio [illegible] Campi ad Exercitium Ambulationis Militaris [illegible] 301.
2.Campus Ambulandi Militariter [illegible] Chriſtiani Milites Paſſio Chriſti [illegible] 307
3. Campus Paſſionis Dominicæ in diuerſis v[illegible]uitur. 309
II.COMMENTATIO. Praxis Ambulandi Militariter in Campo exercitatorio Paſſionis Dominicæ. 312
MEM.
1 Quomodo Ambulandum ſit vniuersè in Campo Paſſionis Chriſti. 312
2.Quomodo ſit Ambulandum in Campo Paſſionis Chriſti per Viam [illegible]. 314
3.Ambulatio Militaris per [illegible] C[illegible] 316
4.Ambulatio Militaris per S[illegible] [illegible]
5. Ambulatio Militaris per Semitam [illegible] [illegible]
6. Ambulatio Militaris per Semitam [illegible] [illegible]
7 Ambulatio Militaris [illegible] Regiam [illegible]
[illegible] 321
III.COMMENTATIO. Paſſio Chriſti Campus ad Exercitium Militare [illegible], Saltus, [illegible], [illegible] 324
MEM.
1.[illegible] 324
2.Chriſti [illegible] Militaris in Campo Paſſionis. [illegible]
3.Chriſti [illegible] Militaris in Campo Paſſionis. [illegible]
4.[illegible] Chriſti Militaris in Campo Paſſionis. [illegible]
5 [illegible] Chriſti Militaris in Campo Paſſionis. [illegible]
6 [illegible] Chriſti Militaris in Campo Paſſionis. [illegible]
7 Chriſti Armatura Militaris in Campo Paſſionis. 339
IV.COMMENTATIO. Paſſio Chriſti Militiæ Chriſtianæ Armamentarium, Panoplia, Officina Armorum.
Chriſto in Carne Paſſo, & vos eadem cogitatione armamini. 1 Petri iv. 1.
Dominica Paſſionis. 342
MEM.
1.Paſſio Christi [illegible] em poſtulet 342
2.Belli tempore neceſſitas Armamentarii, Panopliæ,& Officinæ Armorum [illegible] 344
3.Paſſio Chriſti Officina in qua [illegible] Arma Militiæ Chriſtianæ. 344
4.Paſſio Chriſti Militiæ Chriſtianæ Armamentarium. 345
V.COMMENTATIO. Paſſio Chriſti Militis Chriſtiani Panoplia. 348
Chriſto in carne Paſſo & vos eadem cogitatione armamini. 1.Petri iv. 1. 348
MEM.
1 Quomodo eidem conueniat eſſe Armarium & Armamentarium? 348
2 Amatores Crucifixi, qui Dominicæ Paſſionis [illegible] fructum [illegible] ſunt 348.

VI. [illegible] Vel Armorum [illegible] ... [illegible]

Ma. [illegible]

1 [illegible] & C[illegible] D[illegible] ... [illegible]

2 [illegible] ... [illegible]

3 [illegible]

4 Arma & Sagitta. O[illegible] ... 159

5 Pharetra [illegible] Vitellij Quinque [illegible] ... [illegible]

VII. Commentario. Arma Offensiua & Defensiua S[illegible] rum Veterum Tel[illegible] A[illegible] [illegible] Domini [illegible] ... [illegible]

Ma. [illegible]

1 [illegible] ... [illegible]

2 Clitus. Malleus. [illegible] Gladius. P[illegible] ... [illegible]

VIII. Commentario. Arma [illegible] A[illegible] Dominica [illegible] ... [illegible]

Ma. [illegible]

1 [illegible] ... [illegible]

2 [illegible] ... [illegible]

3 [illegible] ... [illegible]

4 [illegible] ... [illegible]

5 [illegible] ... [illegible]

6 [illegible] ... [illegible]

IX. Commentario. In [illegible] Arma [illegible] pro Milite Christi [illegible] Halli [illegible] ... [illegible]

Ma. [illegible]

1 [illegible] ... [illegible]

2 [illegible] ... [illegible]

3 [illegible] ... [illegible]

4 [illegible] ... [illegible]

5 [illegible] ... [illegible]

6 [illegible] ... [illegible]

7 [illegible] ... [illegible]

8 [illegible] ... [illegible]

X. Commentario. [illegible] Christi [illegible] ... [illegible]

M[illegible]

1 Arma [illegible] D. N. I. C. [illegible] Quinque [illegible] ... [illegible]

2 Arma [illegible] ... [illegible]

3 Arma [illegible] ... [illegible]

LIBER V
MONOMACHIA

C[illegible] PA[illegible]

Allegoria [illegible] ... [illegible]

I. Commentario. [illegible] Christi [illegible] V[illegible] ... 179

M[illegible] Vita Domini [illegible]

Ma. [illegible]

1 Abraham [illegible] ... [illegible]

2 Abraham [illegible] Christi [illegible] ... [illegible]

3 P[illegible] Q[illegible] C[illegible] ... [illegible]

4 P[illegible] ... [illegible]

II. Commentario. [illegible] A[illegible] ... [illegible]

M[illegible]

1 [illegible] In[illegible] Figura Christi Patientis. ... [illegible]

2 [illegible] Christi [illegible] ... [illegible]

3 [illegible] A[illegible] ... [illegible]

III. Commentatio. Moses, Typus Christi Crucifixi, præliantis [illegible] Mosis [illegible] contra Amalech. 397
[illegible] & Vita Duelli [illegible].
Mor. [illegible]
1. Mosis [illegible] egregius Typus Christi [illegible]. 397
2. Moses Typus Christi Crucifixi. [illegible]
3. [illegible] 397

IV. Commentatio. [illegible] Christi [illegible] Aut. [illegible] 4[illegible]
[illegible]
M[illegible]
1. [illegible] A[illegible] 4[illegible]
2. [illegible] D[illegible] Dei
3. [illegible] 4[illegible]
4. [illegible] filius Anach percutiens de Philisthijm [illegible] Vum[illegible], Imago Christi Filii Dei, [illegible] & Tartarus [illegible]. 401
5. [illegible] Christi [illegible] 401
6. [illegible] Christi [illegible] 4[illegible]
7. [illegible] Christi [illegible] 4[illegible]
8. [illegible] Christum P[illegible] Duellandi [illegible]. 41[illegible]

LIBER VI.
MILITIA CHRISTIANA [illegible]ATRIX.

ARS
[illegible] Duellandi
[illegible] MILITANTIS.

I. Commentatio. Duellum David [illegible]
Goliath [illegible] Allegoriæ Mystice
Typo [illegible] 4[illegible]
Mor. [illegible]
P[illegible] Dauid [illegible] L[illegible], 1. Reg. [illegible].
B[illegible] DEVS [illegible] & Digi[illegible] ex[illegible]. 4[illegible]
1. S[illegible] 4[illegible]
2. H[illegible] 4[illegible]
3. [illegible] 4[illegible]
4. [illegible] Christi [illegible] 4[illegible]
5. M[illegible] C[illegible] 4[illegible]

II. Commentatio. Duellum [illegible] D[illegible] permissum [illegible] Duellum [illegible] I[illegible]
M[illegible]
1. Duell[illegible] Typ[illegible] 4[illegible]
[illegible] & Vita Duelli [illegible]
2. [illegible] 4[illegible]
3. [illegible] 4[illegible]
4. [illegible] 4[illegible]
5. Argumenta à Ratione petita contra Duellum [illegible] 444
6. [illegible] 4[illegible]
7. [illegible] Duelli [illegible] 4[illegible]
8. Duellum permissum non [illegible] A[illegible] quia Duella [illegible] 4[illegible]
9. Duelli [illegible] Duelli [illegible] 4[illegible]

III. Commentatio. Duellum Dauid cum Goliath. [illegible]

grandis Duella Allegorica, Physica, [illegible] ralis. 455
Proemium David adversus Philisthæum in fun- [illegible] 455
M[illegible]
1. [illegible] S[illegible] E-c[illegible] quam [illegible] 45[illegible]
2. Duellum [illegible] F[illegible] 45[illegible]
3. Duellum [illegible] & [illegible] c[illegible] Christ[illegible] & Lapid[illegible] Duell[illegible] c[illegible] 456

IV. [illegible] D[illegible] S[illegible] c[illegible] C[illegible] p[illegible] liciente. 45[illegible]
[illegible] m[illegible] a[illegible] 457
M[illegible]
1. Duellum Spirituale pro [illegible] f[illegible] c[illegible] Particul[illegible] 458
2. [illegible] D[illegible] ſti[illegible] S[illegible] a[illegible] 4[illegible]
3. Duellum S[illegible] la[illegible] 45[illegible]
4. [illegible] Duell[illegible] c[illegible] p[illegible] 4[illegible]
5. Duellum Spirituale T[illegible] n[illegible] omnibus licitum & ſuadendum eſt. [illegible]
6. Duell[illegible] Sp[illegible] ex[illegible] 455
7. [illegible] e[illegible] Spirituale Myſtica Tropologi[illegible] [illegible]

V. [illegible] C[illegible] D[illegible] S[illegible] [illegible] [illegible]
M[illegible]
C[illegible] Duell[illegible] [illegible]
2. Duellum [illegible]
3. Duellum [illegible] [illegible]
4. Duellum [illegible]
5. Duellum [illegible]

VI. C[illegible] Duellum D[illegible] c[illegible] p[illegible]
E[illegible] n[illegible] P[illegible] [illegible]
M[illegible]
1. [illegible] pe[illegible] La[illegible]
P[illegible] Philiſthæum in fun-di[illegible] Lap[illegible]
2. [illegible] [illegible]8

VII. C[illegible] Chriſti in Cruce. 46[illegible]
Mors & Vita Duello conflixêre mirando [illegible]
MEM.
1. Duellum Chriſti [illegible] 4[illegible]
2. Duellum Chriſti pro [illegible] 4[illegible]
4. Duellum Chriſti ad [illegible] pellendum. 4[illegible]
5. Duellum Chriſti ad Cadimoniæ defen[illegible] n[illegible] 4[illegible]
6. Duellum Chriſti ad [illegible] ſ[illegible] 4[illegible]
7. Duellum Chriſti pro [illegible] 4[illegible]
8. Duellum Chriſti ad abo[illegible] 4[illegible]
9. Duellum Chriſti pro Vita & ſortitu[illegible] 4[illegible]
10. Duellum Chriſti ad [illegible]um m[illegible] c[illegible] 4[illegible]
11. Duellum Chriſti [illegible] a[illegible] [illegible]
12. Duellum Chriſti [illegible] [illegible]
13. Duellum Chriſti [illegible] [illegible]
14. [illegible] Chriſti [illegible]

[illegible] pollicetur. 491.

VIII. COMMENTATIO. Duellum Dauidis cum Goliath, Imago Duelli Militis Christiani Dæmonem Rosario [illegible] Funda Lapillis [illegible]. 491

Præualuit Dauid [illegible] Philisthæum in Funda & Lapide. 491

MEM.

1. Funda cum Rosario [illegible] Mariana è globulis, Sphæralis [illegible] composito similitudo. 491

2. Compositum [illegible] Rosarij, [illegible] Quinque Lapidibus Fundæ Dauidicæ. 49[illegible]

3. Quinque [illegible] m [illegible] in Rosario [illegible]. 49[illegible]

4. Funda [illegible] Duplex Rosarij. [illegible]

5. Virtus [illegible] velut Fundæ [illegible] Rosarij [illegible]. [illegible]

6. Gloria Rosarij [illegible]. 103

7. [illegible] um [illegible], Litteraliter & Mysticè. Fundæ [illegible] insignes. 104

8. Rosarij Mariani vsus, Cath[illegible]is [illegible] Doctoribus [illegible] Hæreticis [illegible]. Ab Ecclesia Christi [illegible]. 106

9. [illegible] Rosarij [illegible], O[illegible] e. 509

IX. COMMENTATIO. [illegible] Rosarium, Regnum, Triumphum.

[illegible]

Rosarium [illegible] Alliuus. 51[illegible]

Ecce Equus Albus. Et qui sedebat super illum, habebat Arcum. Apoc. [illegible] 511

P[illegible] quæ [illegible] Christum, [illegible] Quæ autem eius fuerint [illegible] rantur.

MEM.

1. Arma [illegible] V[illegible] r[illegible]. 51[illegible]

2. Arcus Victoris Christi, [illegible]. 51[illegible]

3. Arcus Christi Victoris, Iudiciaria potestas. 51[illegible]

4. Arcus Christi Victoris, Crux. [illegible]

5. Arcus Christi Triumphantis, [illegible]. [illegible]

6. Arcus Christi Redimiti, Apostoli, [illegible] Prædicatores Euangelij. [illegible]

7. Arcus Christi Triumphatoris, [illegible] Christianus Catholicus. 6[illegible]

8. Arcus D[illegible] sus Hæreticus. [illegible] Princeps malus.

X. COMMENTATIO. Sagittæ Christi [illegible]. [illegible]

Ecce Equus Albus, & qui sedebat super [illegible] habebat Arcum. Apoc. [illegible]

Sagittæ Potentis acutæ, [illegible]. [illegible]

MEM.

1. [illegible] Christus [illegible]. [illegible]4

2. Sagittæ Christi Triumphantis, [illegible] A[illegible] & [illegible]. [illegible]

3. Sagittæ Christi Ardentes & Acutæ. 626

4. Sagittæ Christi Triumphantis, [illegible] Doctores [illegible]. [illegible]

AVCTORES SELECTI

ADamus Contzen,
Adamus Tanner,
A[illegible] Gibbonius,
[illegible],
A[illegible]anzius,
A[illegible] Salmeron,
A[illegible],
Andr[illegible],
A[illegible],
Angl[illegible],
Appianus,
Arn[illegible] M[illegible],
Aristoteles,
A[illegible]us,
B[illegible] Fulgosus,
B[illegible] Mantuanus,
B[illegible],
B[illegible],
B[illegible],
B[illegible].
C[illegible] Baronius,
C[illegible],
C[illegible]nus,
C[illegible],
C[illegible],
C[illegible] Hisp.
C[illegible],
C[illegible],
C[illegible]anus,
C[illegible],
C[illegible] Trid.
C[illegible]anus,
D[illegible],
D[illegible] Siculus,
D[illegible],
E[illegible],
E[illegible],
E[illegible],
E[illegible],
E[illegible].

F[illegible] Suarez,
Franc. [illegible].
Famianus Strada,
F[illegible] G[illegible].
F[illegible],
Franc. Ha[illegible],
G[illegible],
G[illegible].
G[illegible].
G[illegible],
G[illegible].
H[illegible]us.
H[illegible].
H[illegible] P[illegible]us.
H[illegible],
H[illegible].
H[illegible].
H[illegible].
H[illegible].
I[illegible].
I[illegible].
I[illegible] Perpinian.
I[illegible] Drexe.
I[illegible].
I[illegible].
I[illegible] Petr. M[illegible].
I[illegible].
I[illegible].
I[illegible] Pont.
I[illegible].
I[illegible].
Ius C[illegible],
I[illegible].
I[illegible].
I[illegible] M[illegible],
I[illegible].
K[illegible].
L[illegible].
L[illegible].

L[illegible].
L[illegible].
L[illegible].
L[illegible].
M[illegible].
M[illegible] C[illegible].
M[illegible].
M[illegible].
M[illegible].
M[illegible].
M[illegible].
M[illegible].
M[illegible] I.
N[illegible].
N[illegible].
N[illegible].
N[illegible].

O[illegible].
Ongiander.
O[illegible]n.
PEtrus B[illegible].
P[illegible].
P[illegible].
P[illegible].
P[illegible].
Q. Curtius.
R[illegible].
R[illegible].
S[illegible].
S[illegible],
S[illegible].
S[illegible].
S[illegible].
S[illegible].
T[illegible].
T[illegible].
T[illegible].

FACVLTAS
R. P. N.
VINCENTIVS CARRAFA
SOCIETATIS IESV
Propoſitus Generalis

P. Maximiliano Sandæo S.I.

A*Cceptis, quæ de Opere nuper à ſe elucubrato, alijsq́; R. V. expoſuit exeunte Ianuario. Et cum illud Cenſores iſthic, approbent, facio nunc facultatem P. Prouinciali, vt in lucem dedi permittat. Piiſſimus* IESVS *fructum ex illo precor eliciat quem deſiderat R.V. Cuius SS. Sacrificijs atque precibus me plurimum commendo*, Romæ 27, Febr. 1649.

R. V.

Seruus in Chriſto

Vincentius Carrafa.

FACVLTAS
R. P.
PROVINCIALIS

EGO GODEFRIDVS OTTERSTEDT Societatis IESV per Prouinciam Rheni inferioris Præpoſitus Prouincialis, poteſtate mihi facta ab Adm. R.P. VINCENTIO CARRAFA Societatis IESV Præpoſito Generali, facultatem concedo, vt Opus de MILITIA CHRISTIANA à P. MAXIMILIANO SANDÆO, eiuſdem Societatis Doctore Theologo compoſitum, atque à deputatis ad id Theologis lectum, cenſum, approbatum Iuris publici fiat ac typis mandetur. In cuius fidem has litteras manu propria conſcriptas Officijque Sigillo munitas dedi. Coloniæ Anno Chriſti 1649, 11. Martij.

Godefridus Otterſtedt

P.P.O.

PROTESTATIO AVCTORIS.

QVÆ *in Libris de* Militia Chriſtiana *ſcripta à me ſunt: & Exempla è varijs Auctoribus collecta atque allata, auctoritatem humanâ maiorem ſibi non arrogant. Quemadmodum etiam epitheta, Sanctus, Beatus, Pius, Martyr, Miracula, & ſi quæ ſunt his ſimilia, nonniſi communi loquentium, & ſcribentium vſu accipienda ſunt: ac prout in Menæis, Faſtis, Necrologijs, & Martyrologijs, etiam particularibus Religioſorum habentur.*

Nam his talibus infallibile momentum dare, & de vera Sanctitate, Martyrio, Miraculis *iudicare, ad S. Sedem Apoſtolicam pertinet: Cui* Me, *omniaq; à me dicta & ſcripta volens lubensq; ſubmitto. Ita profiteor & teſtor.*

M. S.

(***)